

HISTORIA
Rerum Memorabilium in orbe gestarum,

Ab

Anno Mundi usque ad Annum
CHRISTI M. C. XXV.

Quam ordine Chronologico ex optimis scriptoribus compendiose digessit,

TIMANNUS GESSELIUS, M. D.

Tomus primus.



TRAJECTI AD RHENUM,
Ex Officinâ THEODORI ab ACKERSDYCK, Bibliopolæ.
cIↄ Iↄ c LXI.

PRÆFATIO
Ad
LECTOREM.

U*Nus divinæ veritatis amor diu multumque ingenium meum sollicitavit: nec mirum, nam, meo judicio, nec gratior nec suavior animo cibus exhiberi, aut excogitari potest, quam cognitio veritatis, cui soli litare animo deliberato diu decrevi. Investigavi eam apud multos, apud paucos inveni: magnam & præcipuam Christiani orbis partem peragravi, cum diversis diversarum regionum & religionum familiariter vixi & amicè contuli, in singulis diversarum Confessionum Ecclesiis, seu* sectis, *viros doctissimos & integerrimos reperi; sed apud eosdem, qui à partium studio liberiores erant, plus charitatis & veritatis animadverti:* Ubi, *ut inquit regius vates,* Misericordia seu charitas & veritas obviaverunt, ibi justitia & pax osculatæ sunt: Universæ viæ Domini misericordia & veritas: *qui vivebant cum omni submissione & mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes alios per charitatem, studentes servare unitatem spiritus per vinculum pacis:* ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ, *ut inquit S. Paulus. Hæc virtus & veritas ubi tanquam individuæ comites conjunctæ in uno homine inveniuntur, certè Deo ille mihi propè similis visus est: imò illa simul sociata grande numen apud me efficiunt. Quid enim charitate suavius, quid sanctius? quid veritate præstantius, quid divinius? Sed hunc, cætera bonum, ambitio, istum avaritia, multos res angusta domi abripit, & sic sæpè, ubi à charitate, etiam à veritate disceditur: illum litigandi libido, istum obstinatio, plurimos præjudicium &*

ignorantia seducit, ne videant illam virtutem, & hisce de causis apud eos veritas plerumque vacillat & jacet quasi abdita in imo putei Democriti. Et tamen plerumque veritatis & charitatis studium prætexitur. Immoderata est, *inquit S. Hilarius*, omnium susceptarum voluntatem pertinacia, & indeflexo motu adversandi studium persistit, ubi non rationi voluntas subjicitur, nec studium doctrinæ impenditur, sed iis quæ volumus rationum conquirimus, & iis quæ studemus doctrinam comparamus: jamque nominis potius quam naturæ erit doctrina, quæ fingitur, & jam non veri manebit ratio sed placiti, quam sibi voluntas magis ad defensionem placentium coaptavit. *Misera & perniciosa profecto illorum hominum conditio est*, ubi voluntas inordinatè post se trahit judicium rationis, ut verum judicetur illud, quod placet, *ut inquit Thomas. Donatistarum insana est regula apud Augustinum*, Quod volumus sanctum est. *Tantum valet immoderatum partium studium, ut & mentem & rationis usum & omnem pietatis sensum penitus auferat. Sic, sic, inquam*, hospes Deorum veritas & civis Poli, *ut est apud Comicum, sæpenumerò aliquandiu non tantum premitur, sed & opprimitur. Inquisivi, eam in sacrosancta Scriptura, & apud primitivæ Ecclesiæ patres, doctrinæ Apostolicæ auritos & oculatos testes: prætereà, utrum quid in sacra seu ecclesiastica veterum historia ad confirmandam illam sanctam & simplicem veritatem necessarium reperiatur, indagare animus est; ne ejus inscitia egregium mihi præsidium auferat, vel illius adulteratio fucum, nec quidem opinanti, quandoque faciat, quò minus fugitivam incorruptamque veritatem, unicam salutis viam, inveniam. Cum verò in hoc mundi senio & seculo litigioso, altercationibus, quibus veritas plerumque & charitas semper amittitur, homines magis delectari videam, quam cognitione veritatis*

tis quamvis diu quæsiverim, nullam reperire potui viam tutiorem & commodiorem ad acquirendam salutarem & cœlestem illam veritatem, quam ut, post divinam scripturam, magistram virtutis, & veræ fidei (si quid dubium in ea occurat, & quid non cavillator aliquis in dubium vocare potest?) ad cognoscenda religionis Christianæ fundamenta, quæ Ecclesiam efficiunt Catholicam, ad traditiones primitivæ Ecclesiæ, id est, ad consensum piæ & priscæ antiquitatis, tanquam ad secundum & securum portum confugiamus: nam illi patres ea ignorare non potuerunt, qui ipsos Apostolos eorumve discipulos docentes audiverunt, quorum facta eorũ oculis adhuc obversabantur, quorum dicta eorum auribus adhuc inhærebant; aut quibus saltem rei veritatem, & ea quæ ad salutem creditu necessaria erant, quam nobis, investigare promptius fuit. Quæ verò à posteris tanquam absolutè necessaria adduntur, & apud veteris Ecclesiæ Patres, non inveniuntur, suspecta nobis summo jure esse debent: nam quis sibi imaginari potest, viros illos eximios, sanctos simul & doctos, qui tam ardenti amore Christum prosecuti sunt, ut nec exilia, nec ergastula, nec equuleos, nec metalla, nec crucem, nec leones formidarent, ea nescivisse aut non tradidisse, sine quorum cognitione vitam consequi æternam nemo potuisset? præsertim cùm adhuc nulla inter Christianos essent lites, nullæ sectæ, aut non nisi leves: hæreses quidem plurimæ, sed stolidæ & ineptæ, quarum indicatio earundem erat refutatio: aut, ut lib. 2. ait Irenæus, adversum quas victoria erat, sententiæ earum manifestatio: quas solummodo demonstrare destruere est, *ut inquit cap. 3. advers. Valent. Tertullianus:* quæ fuerunt, ut cum propheta dicam, tanquam fœnum domorum, quod priusquam effloresceret exaruit, *ut loquitur Theodoretus compendio hæreticarum fabularum: cum necdum ambitio aut avaritia priscam & simplicem illam veritatem*

 viola-

violarat, *cum* ſacratæ & incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites, profanæ ac novellæ curioſitatis libido necdum invaſerat, *ut loquitur Vincentius Lirinenſis: Cum omnium adhuc* eſſet cor unum & anima una. Nec audiri merentur, qui in antiquis ullum inveniri conſenſum negant, *inquit Voſſius. Cum tamen plurimi in hoc verſentur errore, aut deſpicientiâ, aut ignorantiâ piæ & eruditæ antiquitatis, aut inſcitiâ temporum; doctrinam Catholicam & rituum Eccleſiaſticorum aliarumque traditionum origines ſcrutari, & ex Patrum primitivæ & doctorum virorum ſequentium ſeculorum ſcriptis, cum bono Deo, eruere propoſui. Hoc de patribus eſto judicium: De Hiſtoricis affirmare debeo, unicum tantum primæ antiquitatis ſupereſſe Euſebium Cæſarienſem, virum doctiſſimum & diligentiſſimum; qui deſcripſit hiſtoriam Eccleſiaſticam trium primorum ſeculorum, ex Egeſippo, Iulio Africano & aliis deſumptam, ad tempora nimirum Conſtantini magni; & præterea ejuſdem Chronicon, cui doctiſſimas addidit animadverſiones Scaliger &c. Alter ab eo eſt Sulpicius Severus, puriſſimus ſcriptor, qui in ſacra ſua hiſtoria alter audit Criſpus, natione Aquitanus & Nitiobrix: quæ autem apud eos deficiunt, ſuppleri, meo quidem judicio, ſufficienter poſſunt per Patrum eorundem ſeculorum ſcripta, ſaltem in fidei fundamentalibus, in quibus pertinax apud eos invenitur conſenſus. Qui hiſtoriam Eccleſiæ poſt hæc tria ſecula ſcripſerunt, ut Ruffinus, Philoſtorgius, Socrates, Theodoretus, Sozomenus &c. propter diverſas hæreſes & ſchiſmata in univerſam eccleſiam introducta, diverſam apud diverſos ſortiuntur fidem. Apud eos verò qui poſt ſextum & ſeptimum ſcripſerunt ſeculum ſubinde vacillat fides, tum ob vehementes contentiones inter Orientalem & Occidentalem Eccleſias; tum verò in Occidentali, ob maximas altercationes & horrida bella inter Cæſareos & Pontificios: in quibus legendis*

omninò

omninò requiritur animus moderatus, & à partium studio liber. In his magno labore & studio plurimum desudavit, & magnam nobis lucem largitus est, magnus ille magnorum annalium scriptor Baronius, & majorem dare potuisset, si non in quibusdam potius victoriam quam veritatem quæsivisset, quemadmodum multi Christianorum cum ipso. Alter ab eo est eruditissimus & accuratissimus Petavius, qui majori cum moderatione historiæ Ecclesiasticæ seriem congessit. Ille enim vir acer & vehementis ingenii, sæpius, ne dicam plerumque ad maledicta & convitia delabitur, & simplex veritas calumnias fastidit: Hic plerumque simpliciter rem gestam narrat, & veritatis simplex est oratio: Ille eloquentiæ phaleris crebrò sua laboriosè exornat, hic dilucidâ brevitate multa complectitur. Vtriusque doctrinam & diligentiam nunquam satis laudare & admirari possum: exactâ Petavii brevitate delector. His adjungo Casaubonum, Vossium & Blondellum viros doctos & moderatos tanquam cohortes auxiliarias; ut pulsis errorum nebulis sol veritatis clarius elucescat; quod unicè desidero, & quantum possum adnitor expers odii & favoris, quod testor coram eo, qui dicta factaque mortalium videt, observat, muneratur, ulciscitur. Benè profectò in bello Catalinario apud Salustium dixit Cæsar: Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab ira & odio vacuos esse debere, & haud facilè animum providere verum, ubi illa officiunt.

Consilia enim sibi quisque plerumque attemperat & judicium caussâ extorquente nobis videmur veritati tribuere, quod nostris interim affectibus sæpè indulgemus: Nam si unusquisque se attentè examinaverit, deprehendet nos plerumque duci & seduci vel per præjudicium, vel per privatum commodum, vel etiam per proprium corporis temperamentum. Quos ut evitarem scopulos, non semel quædam nostræ historiæ scripta, se-

cundum Plinii monitum, viris eruditis legenda præbui, & inter eos in primis Amplissimis, Consultissimis & integerrimis D. Christiano Rodenburgh, *inter nostræ Provinciæ Ordines electo, &* D. Henrico Moreelse, *supremæ hujus Curiæ Senatori: quorum prudentissimis consiliis nonnulla addita, dempta & emendata lubens, ne sim ingratus, fateor. Nam unicus tantum mihi semper fuit scopus, veritas. Et utinam omnes docti, semoto partium studio, conjunctis operis, collatis symbolis, priscam & sanctam illam veritatem, de qua tantopere præliamur, omni diligentiâ investigarent, & inventam ambabus, quod ajunt, ulnis unanimes amplecterentur, non essent in Ecclesia Dei tot rixæ, tot pugnæ, tot sectæ.*

Cogitaram tantum narrare facta, & colligere sanam & simplicem purioris Ecclesiæ Doctrinam, tribus prioribus & melioribus seculis doctam, si quæ in hac Historia occurrisset, sed abripuit, fateor, me subinde disputator ille Historicus, Illustrissimus Baronius, idque etiam in Theologicis, contra meum morem & mentem. Maluissem res rebus, si necesse fuisset, quam verba verbis opponere, sed invitus interdum, quantâ potui brevitate respondi, utinam & pari lenitate. Nam scio Spiritum Christi satyricam conviciandi consuetudinem non amare, nec Histrionicâ levitate delectari.

Tria præcipuè sibi proposita habere videtur in vastis suis Annalibus Vir Magnus; Petri nimirum inter Apostolos, & ab eo Pontificis Romani, inter totius Christiani orbis Episcopos, primatum, & tertiò defensionem dignitatis & immunitatis Ecclesiasticæ; imò & magna cum cura demonstrare conatur, omnia ferè Europæ regna, omnes principatus, esse pontificis

tificis Romani: quæ ille ubivis, omni arreptâ occasione, magno conatu & Manliano quasi imperio, non tantum in singulis tomis, sed etiam annis, ut ipsi alibi dicere lubet, nimis acri verborum certamine urget; cum omnia quæ ex historiis præcedentium seculorum adferuntur, debeant esse cum eorundem temporum historicis convenientia, veritati quantum fieri potest consentanea, & ab affectibus remotissima. Procul absit, *inquit Baronius*, ab Ecclesiastico tractatore omnis turpis suspicio fictionis & imposturæ, qui purâ luce tantummodò gaudeat veritatis: præstat enim ingenuè ignorantiam confiteri, quam ex mendaciis emendicatam scientiam affectare. *Benè hæc quidem Baronius & si id reipsâ semper præstitisset, multò plus lucis posteris reliquisset: dolenter hoc dico, non inimicè; nam lubens fateor me plurimum illi magno viro debere, per quem imprimis profeci: sed non semel sui oblitus impetuoso verborum torrente, contra insignes suas sententias præceps ruit; & præcipuè in promovenda Pontificum Romanorum auctoritate, & supprimenda Imperatorum & Regum summa potestate.* A.C. 136. pag. 396.

Magna certè fuit in veteri Ecclesia auctoritatis Ecclesia Romana, & præ cæteris in honore eminebat, tanquam prima totius imperii & principalis, propter Urbis eximiam majestatem & potentiorem principalitatem, ut loquitur Irenæus. Erat præterea confessione omnium sanctissima, fidei integritate florentissima & propter Petri successionem nobilissima; & consequenter Episcopus Romanus dignitate proculdubiò omnium Episcoporum fuit primus: sed de illa dignitatis prærogativa, quam nunc magno molimine nobis obtrudere co-

natur illustrissimus Baronius, nec in sacra scriptura, nec apud Patres primitivæ Ecclesiæ, tam Græcos quam Latinos, nec in tomis conciliorum, nec in vitis Pontificum, nec apud historicos priscæ Ecclesiæ quicquam solidi reperire potui: quare subinde cogor ab eo recedere, & veritatem etiam alibi quærere.

Baron. an. 784. Homines sumus, *inquit Baronius*, & quamdiu in hac vita degimus, pulsari interdum affectibus privatis cogimur, etiam inviti. *Verè nec mirum*, nam dum speramus aurum vel ut consequamur honores, *ait idem Baronius*, sæpe contingit aureâ anginâ laborantem Demosthenem penitus reddi ineloquentem seu mutum, sed præstare facundiâ si agat pro Rege (*contra Regem voluit dicere Vir illustrissimus*) Macedonum. *Nunquam vires suæ eloquentiæ magis exseruit, nunquam majori cum alacritate disseruit Baronius, quam pro auctoritate Pontificis Romani. Causam eventus docuit, viderunt multi, novimus omnes: nam si Demosthenes calicem aureum cum viginti talentis secundum Plutarchum dono accepit, ut taceret, quid Baronium meruisse censebis, qui duodecim tam grandia volumina & tot elaboratas, dedolatas & phaleratas, ut ipse alibi loquitur, pro Pontifice conscripsit orationes? Interim tamen istius Viri incomparabilem scientiam & incredibilem diligentiam magni facio; qui, siquid humani subinde passus est, quod cum omnibus mortalibus commune habet, præclarè tamen de antiquitate Ecclesiastica meritus est; qui post Centuriatores Magdeburgenses, omnium primus, omnium ferè auctorum scripta, & Pontificum & Imperatorum res gestas in ordinem & ad suos annos tam feliciter redegit; quasi unius nationis descripsisset historiam, ut verè de eo judicat Casaubonus.* Iudicio verò non exiguo opus in Centuriatoribus, in Baronio etiam majori, *inquit Vossius, qui tamen hodiè multis est, & mihi etiam quondam fuit, quasi canon antiquæ historiæ. Sed*

Baron. an. 825. pag. 738.

ne

ne quis existimet me hac ex animi dicere impotentia, addam candidum Antonii Godavii Episcopi Grassensis & Venceensis in Provincia apud Gallos, testimonium, ex præfatione in suam de Ecclesia historiam, Lutetia Parisiorum Gallico idiomate editam A. C. 1657. *quam doleo non vidisse, antequam prima nostra historiæ pars fuerit impressa: nam vir est eruditus & judicii defæcati, uti evidenter docet ipsius historia & videre est in nostris ad primam partem addendis, lectu haud indignis, ubi multa videbis ejusdem testimonia nostram historiam in multis non parum roborantia. Sic autem de viro illustrissimo censet Godavius:* Cardinalis Baronius, *inquit*, scripsit historiam completam duodecim seculorum, opus immensi laboris, curiosæ indagationis, & profundæ eruditionis: & tamen Critici, non solum inter adversarios, sed quidam etiam inter ipsos Orthodoxos, eum accusant quod falsitates quorundam scriptorum, quæ interdum citat, ignoraverit: quod sæpe in Chronologia & antiquitate Romana erraverit: quod Epocham Dionysianam cum vero nativitatis Jesu Christi anno confuderit, qui error durat ad tempora Diocletiani: (*aut potius Probi*) quod nimis prolixas faciat digressiones: & imprimis quod in quærendis summorum Pontificum emolumentis nimius sit, & eorum auctoritatem ultra legitimos limites extollat: quod omni probationum generi innitatur, sine distinctione rerum ambiguarum & disputabilium cum veris: quod potestates seculares à Deo ordinatas & fundatas supprimat. *Vide præterea ibidem ejusdem de Bzovio & Spondano, qui Baronii annales continuarunt & aliis quibusdam Historicis Ecclesiasticis judicium. Nihilominus sunt illius Annales, opus eximium & verè Heroicum; quod utrum ab uno homine elaborari potuerit, vel saltem elaboratum sit, sæpe dubitavi, tam propter operis magnitudinem, quam re-*

rum varietatem. Operas illum ſuas habuiſſe mihi ſemper perſuaſi, ſed oſcitantes ſapè, aut ſaltèm magis negligentes aut neſcientes, quam fuerit ipſe. Ego plerumque in illius magni viri inſiſto veſtigiis, propter, ſi non exactam, ſaltem inſignem temporum lucem, quæ præcipua fax omnis hiſtoriæ exiſtit, eumque multis in locis, liber ab omni affectu & partium ſtudio, ſequor: de ornando ſtylo parum ſollicitus, de invenienda veritate anxius; quare plerumque ipſiſſima auctorum verba produco. Hoc iterum dico, unicum propoſui mihi ſcopum, veritatem, quæ omnium hiſtoriarum anima eſt: quam ſi ubique aſſecutus non fuerim, non voluntati, ſed virium imbecillitati & ignorantiæ meæ imputari malo. Tertulliano duæ ſpecies cæcitatis facilè concurrunt; ut qui non vident quæ ſunt, videre videantur quæ non ſunt; *quod frequenter accidit febrientibus & partium ſtudio nimium addictis. Et quis eſt tam conſummatæ diligentiæ, cui non aliquando ſomnus obrepit? aut quid non poteſt feſtinatio & incogitantia, quæ in rebus quoque obviis improvida eſt & cæca?* Ἁμαρτάνει καὶ σοφὸς σοφώτερος. *Et certè humani nihil à me alienum puto. Labi, errare, falli, nobis familiare eſt, multa enim vel eruditiſſimis per imprudentiam excidunt: ſed mentiri & fallere non eſt viri boni. Et ſi fortè curioſus quis quærat quis ſim, reſpondebo illi cùm Epiſcopo Paciano,* Chriſtianus mihi nomen eſt, cognomen Catholicus: *ſi verò quis Theonino dente mea petiverit ſcripta, nam vivimus feraciſſimo litigioſarum & mordacium præfationum ſeculo, reſpondebo illi quemadmodum Dominus & Servator noſter Herodi & Pilato: ſi verò non gravabitur me docere veritatem, Mella fluant illi, ferat & rubus aſper amomum. Iudices æqui boniquе propoſitum meum laudabunt, quamvis operis mei proſperos ſucceſſus non videant. Sed labor meus, quo mihi has collegi rhapſodias, ſuavia otii mei oblectamenta, per frequentes occu-*

patio-

pationes & interpellationes, millies interruptus si alicubi erraverim (de quo nullus dubito) me excusabit; nam subcesivis temporibus hæc à me scripta sunt, & bene cogitata non semel ob crebras & serias avocationes animo meo excidebant: quare ut minus errorem, nec quenquam fallerem, plerunque veterum scriptorum aut ipsius Baronii, Petavii, Vossii, Blondelli *& aliorum verbis usus sum. Auctorum nomina in margine aut textu ipso adnotavi. Cùm verò non pauca veterum scriptorum exemplaria deessent, uberem eorum copiam mihi fecit, tam ex privatâ quam publicâ bibliotheca, prolixa humanitas viri Amplissimi & urbis nostræ Consulis dignissimi* D. Cornelii Boothii, *cujus favori lucubratiunculæ nostræ plurimum debent.*

Vocat Cicero historiam veritatis lucem & nunciam vetustatis, *id est, omnium seculorum memoriam: sed si alicubi in sacris profectò veritatis ratio accuratè habenda est* Quis nescit, *inquit idem ibidem*, primam esse historię legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat: ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. Quæ decipiunt, *inquit Seneca epist.* 79. nihil habent solidi, tenue est mendacium, perlucet si diligenter inspexeris. *Et contra* veritas nihil erubescit, nisi solummodò abscondi, *Tertull. adversus Valentinianos. Ego mallem esse omnium rerum ignarus & planè ἄμυσος, quam volens & sciens in errorum, ne dicam mendaciorum cœno, tanquam lutulentus sus, volutari.* Existimo, *inquit Polybius*, naturam humano generi veritatem constituisse Deam maximam, maximamq; illi vim attribuisse: nam cum ab omnibus oppugnetur, atq; ideo omnes nonnunquam verisimiles conjecturæ à mendacio stent, ipsa per se, nescio quomodò in animos hominum ita se insinuat, & modò repentè suam illam vim exserit, modò te- In excerptis lib. 13.

nebris obtecta longo tempore, ad extremum suapte vi ipsa vincit obtinetque, & de mendacio triumphat. *Ego, illum finem ubivis attigisse, mihi non persuadeo; sed voluisse satis est. Si fortasse alibi meam infantiam prodo, ne hoc agrè ferat benevolus lector; satis mihi est si meâ opellâ obtineam, ut excitati & stimulati alii in antiqua & sacra historia versatissimi, meos errores corrigant, & incomparabili suâ eruditione à me omissa aut neglecta, aut ignorata suppleant, ut tandem omnes veritatem ab omnibus cognitam amplectantur, laudent, adorent, & de ignorantia atque mendacio triumphent. Ejusmodi historiam ecclesiasticam efflagitat totus orbis Christianus & jam dudum eam exspectabat à doctissimo & diligentissimo nostro* Vossio, *sed invidit eam nobis, nescio, quod fatum: nec tamen* Epist. 33. *idcirco omninò despondendus est animus.* Qui ante nos ista moverunt, *inquit Seneca*, non Domini nostri sunt sed duces: patet omnibus veritas, nondum est occupata, mul-
Epist. 45. tum ex illa etiam futuris relictum est: Nam illi quoq; non inventa sed quærenda nobis reliquerunt, *ut inquit alibi*, & invenissent forsitan necessaria, nisi superflua quæsissent: multum illis temporis verborum cavillatio eripuit, & captiosæ disputationes, quæ acumen irritum exercent. *Apud Stobæum Arcesilaus Philosophus Dialecticos dicebat similes præstigiatoribus calculariis, qui jucundè decipiunt.* Quare oportet, *inquit Lactantius*, in ea re maximè, in qua vitæ ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio ac propriis sensibus niti, ad investigandam & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possent & audita perpendere; nec quia illi nos temporibus antecesserunt, sapientiâ quoque antecesserunt, quæ

si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est tanquam lux & claritas Solis, quia ut sol oculorum sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere, id est veritatem quærere, omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio, inventa majorum probant & ab aliis pecudum more ducuntur. *Benè & prudenter eos carpit Lactantius, qui sine ullo judicio inventa majorum, id est, doctrinas hominum probant. Hic loquitur de religione Gentilium, quæ est merum hominum, aut Dæmonum commentum; ubi argumentum ab antiquitate non habet locum: verùm apud Christianos est validissimum, imo Achilleum, & nulli penetrabile ferro: Nam nostra religio est ab ipso & solo Deo, cui nec addere nec adimere hominum cuipiam quicquam licet: nam* addere ad legem est facere quod lex vetat, diminuere est omittere quod lex jubet, *ut acutè alibi illustris Grotius. Et quis est quem non moveat clarissimis monumentis & divinis miraculis testata consignataque antiquitas? quippe ea institutis Christianis tantum sanctitatis tribuere consuevit, quantum astruxerit vetustatis. Non temerè à Tertulliano scriptore vetustissimo dictum est;* Antiquissimum quodque verissimum. *Est autem vetustas tantæ apud nos dignitatis & auctoritatis, ut diximus, quia proximè ad Christum accedit; cujus doctrinam Ecclesiæ priscæ Doctores scriptis illustrarunt, laudibus ornarunt, Martyriis confirmarunt:* Reliqua verò omnis doctrina de mendacio præjudicanda, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, Apostolorum & Christi & Dei: quia id est Dominicum & verum quod prius traditum, id autem extraneum & falsum, quod posterius immissum. *Loquitur Tertullianus de vera antiquitate, quæ nullo intercedente tempore à Christo & Apostolis primitivæ Ecclesiæ tradita: Non illà modica & recen-*

Tertull. de præsc. adversus hæreticos.

Tertull. de præsc. adv. hæret.

tiori, quæ si non heri aut nudiustertius, saltem ante pauca se-
Matth. 15. *cula nata est. Quam Christus* mandata hominum, *Lactantius* inventum majorum *appellat, quæ serior, inquam, non ex illo primo & puriore manavit fonte, sed quam quidam quinque, sex aut septem, vel etiam pluribus seculis includunt, quæ potius longa consuetudo quam veritas dicenda*, &
Cyprian. ep. 74. consuetudo sine veritate vetustas erroris est, *secundum Cyprianum.*

1 Timoth. 6.20. O Timothee, *inquit Paulus*, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates *&c.* Quid est depositum custodi? *inquit Lirinensis*, Custodi, *inquit*, propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus superseminent zizania, super illud tritici bonum semen quod seminaverat filius hominis in agro suo. Quid est depositum? id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii sed doctrinæ: non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non debes esse auctor, sed custos: non institutor, sed sectator: non ducens, sed sequens. Depositum, inquit, custodi, id est, catholicæ fidei talentum inviolatum, illibatum, *immobile & irreformabile Tertulliano*, conserva: quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur: aurum accepisti aurum redde: nolo pro auro ut impudenter æra supponas: Nolo auri speciem, sed naturam planè: *nihil auratum volo, sed verè aureum*: nolo amuletum aut incantamentum sed medicamentum, *inquit Clemens Alexandrinus: Nam depositum reddendum quantum & quale acceperis.* Eadem ergo quæ didicisti ita doce, ut cum novè, non dicas nova: doce, inquam, doctrinam Christi Catholicam, universalem, unam eandemque per singulas

las ætatum ſucceſſiones, incorruptâ veritatis traditione, manentem, & uſque in ſecula ſine fine manſuram: Chriſti enim Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in iis unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, *ut loquitur in elegantiſſimo ſuo libello Vincentius Lirinenſis, ante Monachatum, miles. B. Auguſtinus idem aliis verbis quærit, ſuadet, laudat; nempe* originales conſuetudines à principio creſcentis Eccleſiæ natas, quæ nullâ temporum intercapedine corruptæ ſunt *&c.* Veritatem ſe vocat Chriſtus non conſuetudinem, *inquit Tertullianus, quæ locum non habet præterquam apud priſcæ & veræ vetuſtatis ignaros. Quare quidam* φιλόκαινοι, *eam tanquam rancidam deſpiciunt, quia antiqua & meliora illa tempora neſciunt; & auctoritatem Patrum primorum ſeculorum rejiciunt, quia non noverunt; ſed* non potes dementiam dicere, qui revinceris ignorare, *inquit Tertull. Apolog cap.* 1. *quare* geſtit ne ignorata damnetur. *Alii novam & nuperam producunt vetuſtatem & eo prætexu non parum ſuâ antiquitate gaudent.* Quare nihil æquè miſerum ſtatuo, quam quod iſte veræ vetuſtatis contemptus, ſive negligentiâ præceptorum, ſive ſegnitie juventutis, ſive alia de cauſſa, quam dicere nihil attinet, tanta quotidie capiat incrementa, *ut inquit Voſſius.* Nos ergo vanitates multorum & falſas doctrinas relinquentes, ad illud quod traditum nobis à principio verbum redeamus, *ut monet in ſua epiſtola Polycarpus; &* veritatis luce perſpectâ, ad radicem atque originem Dominicæ traditionis revertamur, novellâ atque humanâ conſtitutione neglectâ, *inquit Cyprianus.* Nam omnis doctrina quæ in Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus & originalibus conſpirat veritati deputanda eſt, *ut ait Tertullianus.* Quare depoſi-

De velandis virginibus.

Epiſt. 63

De præſcript. adv. hæret.

positum custodiamus, *ut jubet B. Paulus, nulla enim fides*
Galat. 1. *sanctior quam depositi*, & si quis nobis prædicaverit Euangelium præter id quod accepimus, anathema sit. Neque enim ab homine illud accepimus, *inquit Paulus*, sed per revelationem Jesu Christi. *Quare & Ioannes epist* 1. *cap*. 2. Vos quod audistis ab initio in vobis permaneat *& ep*. 2. hoc est præceptum, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis; *nimirum* in fide semel tradita sanctis; *ut in sua epistola loquitur S. Iudas*. Desinat ergo novitas incessere vetustatem, *ut loquitur Papa Cælestinus*, *& fugiamus constitutiones humanas*, fugiamus consuetudines novellas, fugiamus, *inquam*, tanquam scopulos difficiles, aut Charybdis minas & fabulosas Sirenes. Seducunt enim homines à via, à veritate avertunt, abducunt à vita. Est laqueus, Barathrum & malum ventilabrum consuetudo, *ut inquit Clemens Alexandrinus*. Exurge igitur veritas, & quasi de patientia erumpe, nullam volo consuetudinem defendas: Ipsa scripturas tuas interpretare, quas consuetudo non novit, *ut exclamat Tertullianus*. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet sed Dei veritatem, *ut loquitur Cyprianus*; quam Christus à Deo, Apostoli à Christo, Ecclesia *& viri Apostolici* ab Apostolis susceperunt. *Tertull. Nam, ut aqua fonti proxima solent esse puriores & à scaturigine remotiores, minus puræ: ita in rebus humanis, nihil tam firmum, quod non diuturnitate temporis aut vacillet, aut collabatur, nihil tam purum, quod non ab integritate sua recedat. Scitum est, & ex oraculo scriptum :* Nihil constat loco stabili, & nihil quo stat loco stabit: omnia sternet obducetque vetustas. *Non semel periit Hierosolyma, urbs sancta: non semel eversum est Templum Domini, sanctum illud sanctorum, arx illa Dei. Ubi reperies sacrosanctam illam arcam, isti fœderis testem? ubi tabulas Dei manu conscriptas? ubi lapides Vrimim & Tummim? nihil certè cui non senectus sua.*

Clemens in prothrept.

De præscript. cap. 3.

Epist. 63.

De præscript. adv. hæret.

sua. Omnia quæ nunc admiramur & suspicimus, quæruntur. Quare si vitio interrupti aut bibuli canalis effectum est, quo minus aqua continua perseveranter & jugiter flueret, refecto ac confirmato canali ad usum atque ad potum civitatis, aqua collecta eâdem ubertate atque integritate repræsentetur, quâ de fonte proficiscitur. Quod & nunc facere oportet Dei Sacerdotes præcepta divina servantes; ut si in aliquo nutaverit veritas, ad originem Dominicam & Euangelicam & Apostolicam traditionem revertamur, & inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo & origo surrexit. Ut cum in claritate sua, *inquit idem Epist.* 63, & majestate cœlesti venire cœperit Dominus, inveniat nos tenere quod monuit, observare quod docuit, facere quod fecit. *O, utinam ita nos bearet Deus, ut in indaganda & docenda illa Euangelica, Apostolica, prisca & simplici veritate, Christianorum studium majori charitate & spiritus lenitate esset temperatum, non essent tot lites, tot jurgia, quibus indies Christi Ecclesia turpi fragore perstrepit & disrumpitur! Non esset multis cum summo Ecclesiæ Dei detrimento & dedecore illud ἑτερογνωδεῖν tam familiare, unde odia tam crudelia, tam diuturna, tot altercationes, tot schismata. Sed contra, inter quos est unus Deus, unus Christus, una fides, unus baptismus, unus & idem Dei Spiritus, qui nos ducit in omnem necessariam veritatem, & una esset Ecclesia. Videant ergò illi contentiosi, ne nobis eveniat, cujus nos præmonet Paulus*, ut nos invicem mordendo consumamur. *Videant illi præfervidi quid dicat Apostolus ad Timotheum*: Servum Domini non debere pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos, cum mansuetudine erudientem eos qui obsistunt: si quando Deus illis det pœnitentiam ad agnoscendam veritatem. *Quam tibi & omnibus bonis ex animo precor. Vale candide lector, & aude sapere,* μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν; *& mecum*

Cyprianus epist. 74.

Rom. 12. 3.

cum precare Deum, ut quorundam Theologorum nimiam ἀκρί-βειαν *dignetur ita mollire, ut ſaltem in non fundamentalibus fidei, ſequantur* ἐπιείκειαν *Christi, Apoſtolorum & virorum Apoſtolicorum, nec aſpernentur & rejiciant eos*, qui in eadem fide conſpirantes, non minus Apoſtolici deputantur, pro conſanguinitate doctrinæ *fundamentalis. Eleganter dictum ab Auguſtino*, Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur: *Ab Ignatio*, Principium vitæ fides, finis verò charitas: *Clemente Romano*, Charitas nos Deo agglutinat, charitas peccatorum multitudinem tegit, charitas omnia ſuſtinet, omnia patienter tolerat, nihil illiberale & ſordidum in charitate, nihil ſuperbum: Charitas non agnoſcit ſchiſma, charitas ſeditionem non movet, in charitate omnes Dei electi ſunt perfecti: *&c. Paulo Apoſtolo.* Nunc verò manet fides, ſpes, charitas: maxima autem horum eſt charitas. *Et ſicut defectus veritatis in neceſſariis producit hæreſin, ſic defectus charitatis unitatem neceſſariam violat, & ſchiſma generat; malum utrumque tam Reipublicæ quam Eccleſiæ funeſtum. Nos autem ſi charitatem cum veritate copulare velimus, habebimus conjugium fælix & indiſſolubile, & remedium facile & præſens ad conciliandam inter Chriſtianos pacem. Iterum vale Lector benevole, & ſi fortè alibì fervidior fuerit oratio mea, & erit, timeo, quandoque, ubi optabo videre cum priſca virtute & fide, cum veteri veritate & pace antiquam Eccleſiæ formam redivivam, ignoſcas precor, nam in omni hiſtoria mea nil magis me ſpectare ſcias, quam Dei gloriam & Chriſtianæ Eccleſiæ concordiam: quæ ſola in votis habeo.*

Tertull. adverſ. hæret. cap. 32.

Teſti-

Testimonia quorundam auctorum de Consensu Patrum.

Antequam ad historiam accedimus, paulisper te morabor, benevole Lector: In præfatione nostra diximus post Dei verbum ad inveniendam veritatem, commodissimam esse viam, consensum Patrum primitivæ Ecclesiæ: & ut videas hanc non ex proprio cerebro natam opinionem, sed depromptam ex magnis auctoribus; subjiciam aliquot eorum testimonia, quorum auctoritate & favore, meus qualiscunque labor suffultus, tibi fortasse & gratior erit & acceptior. Vt autem scias, quos nomine Patrum prisca Ecclesia appellem, dabo eorum brevem syllabum, qui fuêre omnes tam pii quam docti, & plerique martyres sanctissimi.

Græci.	Latini.
IGNATIUS ANTIOCHENUS.	CLEMENS ROMANUS.
POLYCARPUS SMYRNENSIS.	TERTULLINUS PRESBYT CARTH.
JUSTINUS MARTYR.	CYPRIANUS EPISC. CARTHAG.
ATHENAGORAS.	MINUCIUS AFER.
TATIANUS.	ARNOBIUS AFER.
THEOPHILUS ANTIOCHENUS.	LACTANTIUS ITALUS. qui
IRENÆUS LUGDUNENSIS.	Græcis doctrinâ non fuêre impares & eloquentiâ supercores,
CLEMENUS ALEXANDR.	ut loquitur SCULTETUS.
ORIGINES, ATHANASIUS, &c.	

Et quemadmodum Philosophi religionem Christianam oppugnarunt, ita & Philosophi eandem animosè defenderunt: Iustinus & Irenæus adversus Valentinum: Tertullianus contra Marcionem; adversus Celsum Philosophum gentilem, Ecclesiam defendit Origines melior Philosophus, *ut loquitur Erasmus, quod videre licet,* in opere illo aureo nec facile unquam satis laudando, de veris adversus Celsum sermonibus, *ut ait Vossius.*

Norma inveniendæ veritatis & pacis Christianæ, si modo adsit charitas.

Irenæus. Agnitio vera est Apostolorum doctrina & antiquus Ecclesiæ status in universo mundo & charactere corporis Christi, secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quę in unoquoque est loco Ecclesiam, tradiderunt; quę pervenit usque ad nos custodita sine fictione, scripturarum tractatione plenissimâ, neque ablationem recipiens, lectio sine falsatione, & secundum scripturas expositio legitima & diligens & sine periculo & sine blasphemia & præcipuum *dilectionis* munus, quod est pretiosius quam agnitio, gloriosius quam prophetia & omnibus reliquis charismatibus supereminens, ut loquitur Irenæus lib. 4. cap. 63. Successio autem duplex est, *altera ratione doctrinæ, altera personarum: successionem doctrinæ principalem vocat idem Irenæus lib.* 4. *c.* 43. Non enim, *inquit lib.* 3. *c* 1. per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus quam per eos, per quos Euangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei futurum. *Et lib.* 3. *c.* 4 Quid enim & si quæ de aliqua modica quęstione disceptatio esset, nonne oporteret ad antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab iis de præsenti quæstione sumere quod certum & re liquidum est? *Vide eundem lib.* 4. *cap.* 62.

Tertullianus. Ad hanc itaque formam provocabuntur, *inquit lib. de præscript. c.* 32. *Tertullianus*, ab illis ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant ut multò posteriores, quæ denique quotidie instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ.

Unde

Unde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio adversus Apostolos aut protulit aut recepit? *ut inquit idem ibidem cap.* 37. *Et cap.* 20. *&* 21. Christus Jesus Dominus () noster quid esset, quid fuisset, quam patris voluntatem administraret, quid homini agendum determinaret; quamdiu in terris agebat ipse pronuntiabat, sive populo palam, sive discentibus seorsum. Ex quibus duodecim præcipuos lateri suo alligarat destinatos nationibus magistros. Itaque uno eorum decusso, reliquos undecim regrediens ad patrem post resurrectionem, jussit ire & docere nationes tingendas in patrem & in filium & in Spiritum sanctum. Statim igitur Apostoli, quos hęc appellatio missos interpretatur, assumpto per sortem duodecimo Matthiâ in locum Judæ, ex auctoritate prophetiæ, quæ est in Psalmo Davidis, consecuti promissam vim Spiritus sancti, ad virtutes & eloquium primò per Judæam contestatâ fide in Jesum Christum, & ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eandem doctrinā ejusdem fidei nationibus promulgaverunt & proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatę sunt & quotidie mutuantur, ut Ecclesię fiant. Ac per hoc & ipsę Apostolicę deputantur, ut soboles Ecclesiarum Apostolicarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot & tantę Ecclesię una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primę & omnes Apostolicę, dum omnes unam probant unitatem. Communicatio pacis & appellatio fraternitatis & contesseratio hospitalitatis, quę jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio. Hanc igitur dirigimus pręscriptionem: Si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prędicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam

quos Christus instituit: quia nec alius patrem novit nisi filius & cui filius revelavit, nec aliis videtur revelasse filius, quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id est quod illis Christus revelaverit & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicanda tam vivâ (quod ajunt) voce quam per epistolas postea: si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum & Apostolorum & Christi, & Dei. *Et lib. 4. ad Marcionem cap. 5.* In summa si constat id verius quod prius, id prius quod & ab initio, ab initio quod ab Apostolis, pariter itaque constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuit sacrosanctum. Videamus quod lac à lo Corinthii hauserint, ad quam regulam Galatæ sint recorrecti &c. *& quod didicerunt ab Apostolis Ecclesiæ; idem & didicerunt viri Apostolici, & primitivæ Ecclesiæ Patres.*

Vincentius Lirinensis. *Vincentius Lirinensis in suo commonitorio*: Quod sive ego, sive quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere laqueosque vitare & in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo fidem suam, adjuvante Domino, munire deberet: Primò scilicet divinæ legis auctoritate: tum deinde Ecclesiæ catholicę traditione, (*id est, antiquorum Patrum in fundamentalibus fidei articulis consensu approbatâ & confirmatâ*). Hic forsitan requirat aliquis: cum perfectus scripturæ canon, sibi ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet scripturam

sacram

ſacram pro ipſa ſui altitudine non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt,ſed ejuſdem eloquia aliter atque aliter, alius atq; alius interpretatur, ut penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, Donatus, Arrius &c. Atque idcirco multum neceſſe eſt, propter tantos tam varii erroris amfractus; ut Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea, ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur. In ipſa item Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, ut id teneamus, *quod ubique quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt*: hoc etenim eſt verè propriéque Catholicum (quod ipſa vis nominis ratioque declarat) quod omnia verè univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem &c. Quæ tamen antiqua S. Patrum conſenſio, non in omnibus divinæ legis quæſtiunculis, *ſed ſolum, certè præcipuè in fidei regula* magno nobis ſtudio & inveſtiganda eſt & ſequenda. Et eorum duntaxat Patrum ſententiæ conferendæ ſunt, qui in fide & communione Catholica ſanctè, ſapienter, conſtanter viventes docentes & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto feliciter meruerunt. Quibus tamen hâc lege credendum eſt, ut quidquid vel omnes vel plures uno eodemque ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum concilio accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo ratoq; habeatur. Quidquid verò, quamvis ille ſanctus & doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis Confeſſor & Martyr præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias & occultas & privatas opiniunculas, a communis, publicæ & generalis ſententiæ auctoritate ſecretum ſit &c. Non uni ſed univerſitati credendum, *inquit Tertullianus. Lege totum illum*

Vincentii Lirinensis aureum libellum, ubi similia plurima reperies.

Anglicana Ecclesia reformata. Anglicana Ecclesia, quæ deliberato consilio & convocatis ex aliis regionibus viris prudentissimis & doctissimis, reformationem aggressa est, hoc se propositum in reformatione sua habuisse disertè profitetur; nimirum ut in controversiis fidei & πράξεως decernendis, illud firmum ratumque semper haberet, ut sacris scripturis primæ, dein primorum seculorum Episcopis, Martyribus, scriptoribus Ecclesiasticis, secundæ deferrerentur, *ut loquitur Henricus Hammond; de jure Episcopatus dissertatione prima in fine, & videre est in ipsorum Liturgiis.*

Melanthon. *Philippus Melanthon, vir eruditione & pietate insignis, in præfatione locorum communium Theologicorum hæc habet:* Hæc exempla furorum (hæreticorum) omnium ætatum considerent pii & commonefacti voce rectè docentium, amplectantur utrâque manu & toto pectore libros Propheticos & Apostolicos à Deo traditos & adjungant enarrationes & testimonia purioris Ecclesię, ut Symbola (seu regulas fidei) Apostolorum & Nicænum ut lucem Euangelii retineant: nec in furores tales incidant, quales, ut dixi, sequuntur, luce Euangelii extinctâ. Qui verò pio studio legent Propheticos & Euangelicos libros & Symbola & quærent purioris Ecclesiæ sententiam, facilè judicabunt, quibus humanis enarrationibus deinde adjuvari possint, & intelligent, quid utilitatis adferant piorum explicationes, rectè & dextrè scriptæ, & ex fontibus sumta testimonia.

Petrus Martyr. *Petrus Martyr in comment. in lib. Iud. cap. 14. pag. 13.* De patribus accidit quod de canonibus, qui quantò sunt antiquiores, tantò sunt meliores, & quò recen-

tiores

tiores eo corruptiores. *Quemadmodum enim lumen, quò cœlo vicinius, eò ſplendidius fulget: ſic venerandi illi Patres, quò Chriſto & Apoſtolis viciniores, eò puritatem antiquitatis fidelius & ſimplicius, tradunt & quò magis à nativitate & infantia Eccleſiæ diſtant, eò longius ab Apoſtolica veritate abeunt. Quare apud Cyprianum benè inquit Stephanus Epiſcopus Romanus:* nihil innovetur, ſed quod traditum eſt ſervetur.

Audiamus Caſſandrum virum ad pacem natum, libello de officio pii viri, omninò Lirinenſi conſentientem: Non ineptè igitur *Vincentius Lirinenſis* inquit, qui ſub ætatem *Auguſtini* vixit, cum jam multæ & variæ hæreſes Eccleſiam vexarent, eum, qui ſe adverſus hæreſes omnes munitum & tutum eſſe velit, hæc duo ſibi proponere debere confirmat: Canonicam auctoritatem & Catholicam traditionem: non quin Canonica auctoritas ſufficiat, ſed quod ſcripturæ verba in varias ſententias ab impiis & imperitis hominibus diſtrahantur. Quare certam aliquam ſententiam conſtituendam, quæ à Catholica traditione petatur. Quæ quidem catholica traditio tribus notis deprehenditur: antiquitate, univerſitate, & conſenſione. Primum ergò eam doctrinam, ut veram & catholicam habendam eſſe judico, quæ ſacris literis eſt expreſſa: deinde quæ ex mente & intelligentia earundem literarum ab ipſis uſque Apoſtolorum temporibus eſt tradita & per ſucceſſionem ad nos usque derivata. Tertia eſt quæ ab omnibus Eccleſiis, vel majore ſaltem parte eſt recepta & probabilibus rationibus è ſacris literis confirmata &c. *Caſſander.*

Audia-

Gallasius. *Audiamus Gallasium præfatione in Irenæum*: Equidem fateor, fundamenta pietatis & religionis è sacris literis petenda, atque ex iis regulam sumendam, ad quam omnem doctrinam metiamur. Verum ut id dexrrè ac fideliter efficere possimus, ut intelligamus quomodo plerique sacris litteris abusi sint, & qua ratione occurrendum sit illorum fallaciis, quænam sint aptæ expositiones, aut alienæ & contortę, quam vanæ & futiles sint sophistarum argutiæ, nos certè veterum exemplis edoceri necesse est, atque enitendum, ut pia illorum studia, vigilias, curam ac diligentiam imitemur. Antiquitatem admirari omnes ac suspicere videmus. Cur id fiat, si non inquiris neque aves intelligere quęnam sit vera antiquitas, nonne vecordis negligentię reus eris? Cum hoc nomine fucum plerique faciant, ac veluti prętensâ larvâ & inani terrore pavefaciant omnes, tu, cui propius accedere & fallaciam detegere licet, securus illa contemnes & ridebis? Pastores alloquor ac Doctores, quorum certe incuria ac socordia excusari nullo modo potest, quod veterum libros vix attingant, ut expendant argumenta & locos, quibus adversarii nos oppugnant &c. Vos igitur admoneo atque obtestor, quotquot ad messem suam colligendam Dominus excitavit, qui lolium à tritico exactè cupitis discernere, ut in istis veterum libris versemini; neque tantorum virorum pios labores negligatis. Ego certe ut pium quemque incitarem ac præsertim ut tyronum studia juvarem, adhortante & impellente me doctissimo viro ad dilectissimo fratre meo *Theodoro Beza*, istum laborem non recusavi: maxima quidem gratia habenda est magno illi viro *Des. Erasmo*, qui nostro tempore *Irenæo* & aliis priscis doctoribus manum adhibuit, ut nobis eorum, qui prius negligebantur, usum restitueret. *Hactenus Gallasius, cum hæc scriberet, Professor Theologiæ apud Genevenses.*

Eodem

Eodem modo de Patrum primitivæ Ecclesiæ consensu ejusque Erasmus. *auctoritate & usu passim loquitur magnus ille vir, eximium illud nostræ Bataviæ decus, lucidissima illa piæ & doctæ antiquitatis fax*, Desiderius Erasmus.

Audiamus Scultetum in Theologia Patrum versatissimum, Scultetus. *epistolâ nuncupatoriâ præfixâ libro de Medulla Theologiæ Patrum:* Equidem agnoscimus ultrò minimeque inficiando negamus, scripturam solam esse cujus firmamentis nostra in Deum fides nitatur: sed fit tamen nescio quomodo, ut cum mens nostra in istos Ecclesiæ primitivæ proceres intuetur & quas nobis dogmatum sacrorum leges à rege nostro Christo scit esse latas, eas à clarissimis Apostolorum successoribus, non modò diligenter conservatas, sed ad rogum usque constanter videt esse defensas, arcano quodam lætitiæ motu perfusa exiliat, & tot beatarum animularum consensu mirificè confirmetur.

Audiamus Casaubonum sui seculi lumen in epistola ad Per- Casaubonus *ronium*: Catholica Ecclesia, cui necessariò vel reipsa & actu vel voluntate saltem & voto est adhærendum, minus est hodie quam erat olim illustris, minus exposita oculis hominum, magisque ἀμφισβητήσιμος. Quò studiosius faciendum sibi Sereniss. Rex putat, ut in tanto variarum opinionum diluvio, ad montes Sacræ scripturę se recipiat, & quod olim beatus Augustinus Donatistis con- Augustin. de unit. Eccles. cap. 2. silium dabat, in verbis Christi Christi Ecclesiam quęrat. Sic & Beatus Chrysostomus cum alibi tum ex professo in homilia in acta 33 tractans illam quęstionem, Quo pacto vera Ecclesia inter plures societates, quæ hoc sibi nomen vendicant, possint discerni: duo docet esse instrumenta judicandi & quęstionis hujus decidendę: primò quidem verbum Dei, tum autem antiquitatem doctrinę, non ab aliquo recentiore excogitatæ: sed ab ipso Ecclesiæ nascentis principio semper cognitæ. Hæc duo κριτήρια Rex cum Ecclesia Anglica-

na, tota voluntate amplectens pronunciat eam demum se doctrinam pro vera simul & necessaria ad salutem agnoscere, quæ è fonte S. Scripturæ manans, per consensum Ecclesiæ veteris, ceu per canalem adhæc tempora fuerit derivata. *Eodem modo in suis exercitationibus plerumq; loquitur doctissimus & sagacissimus Casaubonus: hæc habet exercit.* 13. *c.*27. Successit in locum unius templi Ecclesia Catholica toto orbe diffusa, in qua salus proponitur omnibus mortalibus, nullo neq; personarum neq; locorum discrimine. Unum templum unius Ecclesiæ fuit typus. Extra Templum non erat fœdus, extra Ecclesiam non est salus, sed hujus ecclesiæ forma, illud, inquam, quod ipsi dat esse & vivere, non tam est hominum, qui subinde boni subinde mali inveniuntur, verum doctrinæ, quam docuit in initio Christus, quam postea ejus Apostoli docuerunt, perpetua successio & inconcussa, saltem in fidei fundamento, conservatio. Hæc verissima est & certissima Ecclesiæ Dei nota. *Et paulo post:* Successioni personarum addatur quod longe pluris est, imo in quo sunt omnia posita; successio doctrinæ & in dogmatis ac disciplina cum primitivæ Ecclesiæ Doctoribus consensio. *Et exercit.* 15. Quis etiam dubitet repertum iri ejus instituti atque præcepti perpetuam in Ecclesia praxin, atq; eam tum maximè illustrem, cum maxime florebat doctrinæ Christi puritas atque integritas? Quare in verbo Dei & praxi primitivæ Ecclesiæ quęstionis hujus decisio est omnino quærenda, & in eo standum, quod ibi fuerit inventum.

Grotius. *Audiamus Grotium, virum illum, qui nihil nescivit, in prolegemenis in lib. de jure belli & pacis:* Hoc verę est Christianæ Ecclesię officium, ea quæ sibi à Deo tradita sunt tradere, & quo tradita sunt modo. Sed & mores apud Christianos illos vetetes, viros dico Apostolicos recepti & laudati, meritò pro canonibus valent. Secunda post hos auctoritas est eorum, qui suis quiq; temporibus pietatis & doctrinæ

laude

laude floruerunt, neq; gravis cujuspiam erroris notati sunt: nam & hi quæ dicunt magna cum asseveratione & quasi comperta, momentum haud exiguum habere debent ad interpretanda, quę obscura videntur in sacris litteris: eoq; majus quo & plurium apparet consensus, & propius acceditur ad primæ puritatis tempora, cum nec dominatus adhuc nec coitio ulla primitivam, nudam, simplicemque illam veritatem adulterare potuit. Neque enim probabile est, *inquit idem Grotius*, Ecclesias, quæ ab Apostolis constitutæ sunt, aut subitò aut omnes defecisse ab iis, quæ Apostoli breviter præscripta ore liberalius explicaverant, aut etiam in usum introduxerant. *Et:* Certè veteres Christiani, qui recentes ab Apostolorum & Apostolicorum virorum disciplina, eorum præscripta & intelligebant melius, & perfectius implebant*: lib. 1. de jure belli & pacis. Sic passim loquitur, sic plerumque agit in suis doctissimis annotationibus in Euangelia & epistolas Apostolorum Magnus ille vir: quod abundè satis testatur in fine præfationis ad lectorem in libros Euangelicorum his verbis:* Testor autem, si quid uspiam à me scriptum est, pugnans cum iis S. Scripturę sensibus, quos Ecclesiæ Christianæ, a prima ætate acceptos, perseverante consensu tenuère, quod repertum non iri satis confido, me id pro non scripto habere, ac mutare paratissimum.

Audiamus virum accuratissimum & infinitæ eruditionis Vossium, in præfatione Histor. Pelagianæ: Cum humana infirmitas proclivis sit in errorem, quod tot graves præcellentium virorum lapsus ostendunt: ne quod alteri contigit, nobis quoq; alicubi usu veniat, jure formidamus. At plurimum de sententiæ nos veritate confirmat, quando quem in capite aliquo Christianæ religionis esse scripturarũ sensum, lectione earum persuasi sumus, eum approbari videmus à primis & purioribus seculis, sępe etiam ab Ecclesia vetere universa. Et sanè antiquitatis iste cum Ecclesiis nostris *Vossius.*

consensus(utcunque varient in multis)in fundamento religionis perpetuus est. Fundamenti autem nomine ea capita appello, quorum summa Apostolico symbolo continetur, plenior vero explicatio traditur iis, quę orbis Christianus quatuor Conciliis œcumenicis & olim sancivit & antea credidit & exinde amplexus semper fuit. Nec si in iis quæ ad structuram magis quam fundamentum pertinent aliquis aliquorum fuerit dissensus, ea antiquitatis collatio, cum recentioribus magistris fructu suo caret. Nam cum nec veteri Ecclesiæ defuerit Spiritus Domini, ea res excitare nos debet, ut, cur illa aliter quam nonnulli juniorum crediderit, inquirere ne gravemur: nec minus sanctorum Patrum & eorum qui hos sequuntur auctores, quam illorum qui aliter docent argumenta ponderemus. Quod si absq; partium studio à nobis fiat, futurum arbitror, ut pro iis aut semper aut plurimum stare comperiamus scripturarum veritatem, quorum sententiam tota antiquitas comprobavit. *Et paulò post*: Atq; hæc justé imprimis postulamus, si quando juniores non solum abeunt ab antiquis, sed etiam inter se discrepant, in quo eorum dissensu, ut Prophetic ę & Apostolic ę interpretationis linea dirigatur (ut verbis Vincentii Lirinensis utar) planè scire juvat: quid ubiq;, quid semper, quid ab omnibus creditum sit: Nam quid animū magis oblectet, quid in veritate magis confirmet, quam cum, ubi junioribus inter se non convenit, ibi Deum orando, scripturas versando, alios consulendo, verius esse didicimus, hoc in veteri etiam Ecclesia constanter creditum esse cognoscimus. Nec enim audiri merentur, qui in antiquis ullū inveniri consensum negant. *Et lib. de baptismo, disput. primâ de Sacramentorum natura &c.* Profectò cum Ecclesia non tantum sentiendum, sed etiam loquendum: Antiquorū hac in re consuetudinem ruspari ac sequi non tantū eruditæ est diligentię, sed etiam pię curiositatis. *Sic loquitur doctissimus & piæ vetustatis peritissimus. Vossius.*

Au-

Audiamus incomparabilem & eruditissimũ Salmasium in præf. lib. de primatu Papæ. In Ecclesiasticis disquisitionibus alii historica malũt & antiquitates, alii philosophicã, id est, sophisticã de his agendi ac disputandi rationem præferunt. Nonnulli utriusq; rationis atq; artis mixturã potentissimã ad id efficiendũ, quod quis proposuit evincere, existimant. Hoc quidẽ etiam fateor & illis accedo, qui ita putant, sed video eos, qui his armis peritè utuntur, sive ut defendant sua sive ut aggrediantur aliena, cũ intelligunt se hac parte valere, plus in illa argumentandi palæstra firmitatis & fiduciæ reponere, quam in historiæ antiquę pondere ac veritate. Quinimò haud rarò eadẽ arma expedire contra veritatem, quæ & pro ea advocarũt. Nullus præterea finis est in ea præliandi ratione, nec bona causa sperare inde bonũ exitũ potest, nec mala malũ timere, quia pendet eventus ab industria patroni, cujus tanta sæpe vis est, ut falsũ astruere possit & aliis approbare, & id quod verũ est convincere ac refutare, quasi falsum. Nullum est tam forte argumentũ, quod alio argumento non possit destrui, saltem eludi & cavillatione enervari, ut ars semper eluditur arte. Non idẽ solet evenire cum res agitur testimoniis S. Scripturæ vel Patrum & cum antiquitas pro teste citatur, aut praxis veteris Ecclesiæ adducitur. Consuevêre quidem & Sophistę de interpretatione scripturæ & locorum ex Patribus productarum, non artis cavillatoriæ immemores disputare, & in dubium vocare, etiam quæ luce meridianâ clarius nitent: sed facilius tandem vi veritatis fracti concidunt, aut si concidere nolunt, pertinaciâ & improbitate muniti, judicio tamen æquiorũ æstimatorum, qui non desunt ubique, citò condemnantur. In his autem obligationibus si rectè exponantur, promptius quod sit verius homines vel mediocriter intelligentes animadvertere queunt, quam inextricabiles penetrare argumentationum offucias, & perplexabiles cavillationum nodos dissolvere. *Sic judicat secundum Grotium,* Salmasius

Opti-

Optimus interpres veteris Salmasius ævi.

Rivetus. *Andreas Rivetus cap.* 8. *in prolegomenis in Criticum sacrum sic loquitur*: Nullusne igitur, inquies, erit Patrum adversus hæreticos in dubitationibus usus? Magnus certè, sed non præcipuus, verū scripturis subalternatus, cum quibus patrum consensum nemini fideli non jucundum & venerandum, nemini hęretico non tremendum sincerè judicamus.

Calixtus. *Georgius Calixtus Professor Theologiæ Helmstadii, in dedicatione tractatus de conjugio Clericorum:* Certum est proximo à scriptura loco, legitimam esse traditionem, eam pręcipuè, quæ consensu primævę antiquitatis continetur; hâc ipsâ contra profanas & perniciosas novitates utilissimè pugnatur, non quia canon solus, ut Vincentius loquitur, non sibi ad universa sufficiat, sed quia unus & alter locus, quamvis perspicui, à vafris & fallacibus ingeniis torqueri possunt: Testimonia verò à benè multis & diversis quidem locis, diversisq; temporibus, unanimiter, nihilominus dicta, vitiligatorem etiam pertinacem & impudentem solent convincere. Adde hanc ipsam traditionem, non modò in testimonio clarè prolato, & in silentio quoque constanter servato, sitam esse. Qui enim à Christo institutum, vel ab Apostolis ortum esse possit, quod primis quinque post Christum & Apostolos seculis nemo novisse deprehenditur? Quid autem manifestius, quam quod nusquam est, nusquam inveniri?

Et Iudicio de controversiis Theologicis inter Lutheranos & reformatos &c. in fine, ubi addidit Desiderium & studium concordiæ Ecclesiasticæ. Probandum erit primò & principaliter, ex sacra canonica scriptura. Quæ quoniam testimonium

1 Tim. 3. 15. perhibet Ecclesiæ, quod sit *columna & firmamentum veritatis*, præcipue verò primitivæ, diras ab ethnica Roma per-

Apoc. 17. 6. sequutiones passæ, quod fuerit Ecclesia *sanctorum & Martyrum Iesu*; consequenter ex unanimi consensu primæ & priscę Ecclesiæ idipsum, quod controversum est, proban-

dum

dum venit. Si quod affirmatur, non proponitur, ut neceſſarium ad ſalutem, nec ut cauſſa ſciſſionis vel denegatæ communionis, haud erit de eo magnoperè angi. Sin ut tale, neceſſe fuerit demonſtrari, non modò quod verum ſit, ſed etiam quòd tale verum & quod tale ſemper habitum & agnitum. Quid autem ut tale habuerit & agnoverit priſca Eccleſia, innoteſcit ex iis, quæ adultos, priuſquam baptizarentur, diſcere & edoctos profiteri juſſit. Quos enim baptizabat, non alio loco, quam verè Chriſtianorum & fidelium habebat, & mox uſu ſanctę Euchariſtię dignabatur. Nec ab eis in poſterum aliud riquirebat, niſi ut in ea, quam profeſſi eſſent, fide conſtante, cætuique fidelium conjuncti, piè & inculpatè viverent. Docebantur autem & profitebantur, ſummam fidei ſymbolo, quod Apoſtolicum hodie appellatur, comprehenſam. Acceſſerunt deinceps ſymbola alia, ad explanationem Apoſtolici facientia, & juxta quę idipſum capiendum, ſi doctiores & doctores ultra ſimplicitatem ad accuratiorē diſquiſitionem progredi neceſſitas aliqua vel hæreticorum importunitas exigat. Acceſſerunt etiam doctorū ſcripta, de dogmatibus, quibus Eccleſia ejus temporis niteretur, teſtimonium perhibentia. Conſenſu itaq; priſcæ Eccleſiæ ex ſymbolo & ſcriptis manifeſtato, doctrina Chriſtiana rectè confirmatur. Intelligimus autem doctrinam fundamentalem & neceſſariam, non quaſvis adnatas appendices & quæſtiones, aut etiam quorundam ſcripturæ locorum interpretationes. De talibus enim unanimis & univerſalis conſenſus non poterit erui vel proferri. Et magis apud pleroſq; ſpectandum eſt, quid tanquam communem Eccleſiæ ſententiam proponant, quam quomodo eam confirment aut demonſtrent, *Et paulò poſt*: Qui tale deſiderium, & tale ſtudium ſyncretiſmi & Samaritaniſmi & Atheiſmi condemnant, hoc ipſo quam longè abſint à charitate Chriſtiana & quod tranquillitatem publicam, tum Eccleſiaſticam tum civi-

lem

lem averſentur potius quam deſiderent, palam produnt, & toti orbi teſtatum reliquunt.

Idem Calixtus, ni fallor, in ſcripto pacifico, quid de religione in comitiis Germanorum præcipuè conſiderandum & conſulendum, inter conſilia pacem inter Euangelicos conciliantia Durai, impreſſo anno 1655, *hæc habet*: Norma, *inquit*, in quam omnes quęſtiones reſolvi debent, ſit S. S. Scriptura, quæ eſt primum & unicum principium fidei, & ſemper in Ecclesia habita eſt credendorum agendorumque regula; non interim neglecto patrum priorum ſeculorum conſenſu.

Voetius, *Poſt hos tam magnos heroas agmen claudat celeberrimus Voetius. qui firmiter conſtitutâ S. Scripturæ auctoritate, de Patrum in fidei fundamentalibus conſenſu ſic loquitur in ſelect. diſputationum Theologicarum. parte* 1. *tit. de Patribus, ſeu antiquæ Eccleſiæ Doctoribus*:

1. Patrum orthodoxiam in ſummis & fundamentalibus, adhæc ſanctitatem, zelum, laborem, etiam eruditionem agnoſcimus.

2. Eos tanquam mutos magiſtros & communes pręceptores audimus; & laboribus eorum pro re natâ libenter utimur, ad ſtudium & profectum noſtrum in rebus fidei.

3. Inſuper eorum conſenſu non parum gaudemus.

4. In fundamentalibus de Deo uno & Trino, de Chriſti perſona & officiis aliisq; inde dependentibus, & in doctrina de virtutibus & vitiis per totum Decalogum, eorum conſenſum nunquam poſthabemus, ſed ſimplicitati ſcripturarum ex abundanti & ſecundo loco (primo tamen loco in genere teſtimonii humani & Eccleſiaſtici) ſubjungimus: nunquam enim deprehendemur rejeciſſe in illis aliquem Catholicum conſenſum, de quo verè dici poſſit illud Lirinenſis: Quod omnes, quod ubique, quod ſemper: *quod dictum Lirinenſis alibi idem Voetius vocat* γνησίως Apoſtolicum & Catholicum.

Beza. *Beza in epiſt. ad Andream Dudithium ſac. Cæſ Majeſtatis conſi-*

consiliarium, primitivæ Ecclesiæ patribus minus quidem tribuit scientiæ, quam sui ævi Theologis, sed apud illos plus conscientiæ inveniri affirmat. Quid prodest modica cavillatio de obscuris & occultis rebus, de quibus non arguemur in judicio, quia ignoravimus? *inquit optimus Thomas à Kempis. Quem auctorem utinam nocturnâ diurnâque manu versarent Theologi! Ego hic non ausim facere comparationem inter eos, de quibus loquitur Beza, & arbores vitæ & scientiæ boni & mali in Paradiso: hoc tantum dico cum Paulo,* scientia inflat, charitas non inflatur, *sed bonam potius ædificat conscientiam.* Sine charitate linguis hominum & Angelorum loqui, & nosse mysteria omnia omnemque scientiam, *nihil utilitatis ad salutem confert: quæ solâ prudenti & simplici Christiano sufficit. Et Christus dicit*: discite à me, quia ego sum mitis & humilis corde &c. *& humilitas meritò à Basilio* cæterarum virtutum vocatur θησαυροφυλάκιον: *& Chrisostomo est*, μήτηρ καὶ ῥίζα καὶ τροφὸς καὶ ὑπόθεσις καὶ σύνδεσμος τῶν ἀγάθων. Plus scire velle, *uti inquit Seneca*, quam satis sit, intemperantiæ genus est. Quæ, quod illa artium liberalium consectatio molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facit, & ideo non discentes necessaria, quia supervacua didicerunt &c. *Et paulò post*: Magno impendio temporis, magnâ alienarum aurium molestiâ, laudatio hæc constat: O hominem literatum! sic effectum est ut diligentius sciant loqui quàm vivere. Simus hoc titulo rusticiore contenti, O virum bonum! *O virum conscientiosum!* Stude non ut plus aliquid scias, sed ut melius. *Sedula & rigida illa actionum nostrarum indagatrix conscientia, priscos illos viros (in quibus veræ pietatis auream simplicitatem admiror) non tantum præstitit bonos, sed & cum vitæ sanctitate, Dei & proximi amantissimos, ut non tantùm amicè, concorditer & fraternè inter se vixerint, sed & pro fide in Christum plerique quam beatissimè Martyres mortui sint.* Porrò finis præcepti est charitas, inquit *Apostolus*, ex puro corde & conscientia bona, & fide non simulata: à quibus quod aberrarunt quidam, deflexerunt ad vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes

Seneca epist. 88.

1 Timoth. 1.

******* quæ

Patritius Iunius in epist. Clem. Rom. quæ loquuntur, neque de quibus aſſeverant. Sic in primitiva Eccleſia, *inquit Patritius Iunius*, cum Chriſtiani animo animâque inter ſe miſcerentur, & omnia præter uxores indiſcreta haberent, ut loquitur *Tertullianus*, apolog. c. 38. fratres propter hanc πρὸς ἀλλήλους φιλοστοργίαν καὶ ἀγάπην dicebantur & habebantur, præcipuè verò quia unum patrem Deum (ut idem in apologetico) agnoſcerent, unum ſpiritum ſanctitatis haberent, & de ejusdem ignorantiæ utero ad unam veritatis lucem expaviſſent. Hinc apud *Cyprianum* fratrum & fraternitatis frequentiſſima mentio, & toties in epiſtolarum fine illud repetitum: fraternitatem univerſam meo nomine ſalutate, &, fraternitatem, quæ vobiſcum eſt, multum à me ſalutate. O tempoꝛa verè aurea & mores Chriſto & ſacroſancto ejus nomine digniſſimos! cum unanimitas in Eccleſia floreret, & populus omnis Chriſtianus in ſolidam corporis unitatem arctiſſimę concordię glutino copularetur. Longè aliter in his noviſſimis diebus & mundi ſenio (quod deflere facilius quam corrigere) cum jurgiis & contentionibus in religione, quam vinculum pacis eſſe oporteret, Chriſti tunica inconſutilis & individua in varias partes ſcinditur, & corpus ejus myſticum diſſidio compaginis ſeparatur, (ut loquitur Cyprianus) ac divulſis laceratione viſceribus, in fruſta diſcerpitur. Fraternitas omnis hodiè extincta eſt, & unanimitas primæva non tantum diminuta, de quo *Cyprianus* ſuis temporibus queritur, ſed è medio penitus ſublata eſſe videtur. Dii meliora piis.

Greg Nazianzenus orat. in laudem Athanaſii. Fuit quondam tempus cum res noſtræ florerent, *inquit Gregorius Nazianzenus*, cum nimium ſuperflua hæc & verborum lepore atque arte fucata tractandæ Theologiæ ratio, ad divinas cauſas, ne aditum quidem habebat: verùm idem erat calculis ludere, & inverſionis celeritate aſpectum fallentibus, aut omnigenis & laſcivis corporis flexionibus, ſpectatores ludificari, quod novi quippiam ac curioſi de Deo dicere vel audire: ſimplex contra ingenuaque oratio atque doctrina, pietas æſtimabatur. At poſtquam *Sexti* & *Pyrrhones*, & contradi-

tradicendi libidine incitata lingua, velut gravis & malignus quidam morbus in Ecclesiam irrepserunt: quodque Actorum liber de Atheniensibus narrat, ad nihil aliud vacamus, quam ad aliquid novi dicendum vel audiendum. O quis Hieremias confusionem nostram caliginemque deplorabit, qui solus lamentationes calamitatibus adæquare potest. Act. 17.

Sed querimoniarum & lamentationum satis: nam nescio, quid boni mihi præsagiat animus, quippe rerum nova nunc facies inopinaque surgit ab Oceano Deucaledonio, alcedonia promittit Ecclesiæ, serenitatis dator favonius. Qui operosis rixis & impetuosis contentionibus concertantes se diu multumque fatigarunt, qui per ineptas & violentas consequentias convitiis & calumniis se mutuò hactenus turpiter & infeliciter vexarunt. jam omnes manifestò, ut spero, cœli beneficio non nisi concordiam & pacem spirant. Resecantur injuriæ, abjicitur hasta, caduceum præfertur, & post tot mutuas afflictiones & perpessa mala prudentiores, dissidia abominantur, amicitias quærunt. Omnia nunc rident, nunc formosissimus annus. Novum quoddam ver rebus Ecclesiæ affulget. Acclamationes pacis ubivis terrarum audiuntur, & concordiam Ecclesiasticam omnes etiam diversarum Confessionum principes desiderant, postulant, flagitant. Pacem illam amant Germani, optant Galli, urgent solicitatore & caduceatore Iohanne Duræo, Scoto Britanno, Angli & Scoti, & omnes omnium ferè nationum Euangelici tam Augustanæ Confessionis quam reformati: quorum non pauca eximia scripta Irenica dabimus sub finem partis secundæ nostræ historiæ, quæ inter cætera pacificum lectorem non parum oblectabunt.

Producuntur ibi decretum Ordinum Provinciæ Trajectinæ & constitutiones Ecclesiasticę ad conservandam Reip. & Ecclesiæ pacem insignes. Pag. 572.

Item Decretum Ordinum Hollandiæ & West Frisiæ pro pace Ecclesiarum, quod, teste Casaubono, Britanniæ Rex Jacobus & multi ejusdem regni præsules & probarunt & laudarunt. 576.

Præclarum Petri Molinæi, Theologi eximii scriptum, Londino 580.

dino ad Gallos & Batavos missum de Unione Ecclesiarum Euangelicarum.

587. Præterea pars concionis Jacobi Usserii Armachani Hiberniæ primatis, coram rege Jacobo habitæ, de Ecclesia Catholica & Unitate fidei.

597. Colloquium inter Theologos Germanos tam Augustanæ Confessionis quam reformatos Lipsiæ in Saxonia habitum, in quo actum est de tollendis Ecclesiarum Euangelicarum in Germania dissidiis.

614. Colloquium hoc Liapsiacum strenuè prosequitur dictus Johan. Duræus, ille Scoto-Britannus, apud Europæ Euangelicos, & ab Ordinibus Euangelicis Germaniæ Francofurti obtinet in eundem finem Decretum ibidem adductum.

617.*&* *seq.* Ad approbandum & confirmandum illud Colloquium Lipsiense sequuntur sententię seu judicia Mortoni, Davenantii, Hallii, Episcoporum Angliæ & sententia quorundam eximiorum Pastorum in Ecclesiis Galliæ, Duræo ab auctoribus traditæ.

660. Responsio ad quęstiones parascevasticas de Unione Euangelicorum; ab Ecclesiarum Transsylvaniæ Pastoribus & Professoribus ad problemata Irenica Duræo exhibita.

698. Dissertatio Academica pro concilianda pace inter Ecclesias per Germaniam Euangelicas, auctore Joanne Meyfarto, Theologiæ in Academia Erffurtensi Professore.

701. Judicium Facultatis Theologicę Academię Aberdoniensis de pace & concordia Ecclesiarum Euangelicarum ad reverendissimum in Christo patrem D. Johannem Spotswodum Archiepiscopum Sanct-Andręanum Scotię Primatem.

726. Paręnesis Irenica Andreę Ramsęi Pastoris Edinburgeni, collegarum & suo nomine, de pace inter Euangelicos procuranda ad eundem reverendiss. Spotswodum Duręo communicata.

737. Georgii Callixti Professoris Helmstadiensis in ducatu Brunswicensi judicium de controversiis Theologicis, quę inter

inter Lutheranos & Reformatos agitantur & de mutua partium fraternitate & concordia, propter consensum in fundamentis.

Declaratio Pastorum & Theologorum Ecclesiarum & Academiarum, & amplissimorum Helvetiæ reformatę magistratuum super negotio pacificatorio Johannis Duræi. 765.

Ecclesiæ & Academię Genevensis de concordiæ Ecclesiasticę inter Euangelicos studio judicium. 776.

Tractatus ad pacem inter Ecclesias Euangelicas procurandam, cui titulus: *Actes authentiques des Eglises reformeés de France, Germanie, grande Britaigne, Pologne, Hongrie, Pays Bas, &c. touchant la paix & charité fraternelle, qui tous les serviteurs de Dieu doivent sainctement entretenir avec les Protestans, par David Blondel.* 783.

Literæ reverendissimi in Christo Patris Domini Johannis Matthiæ Episcopi Stregnensis ad Serenissimum Sueciæ regem: quibus consilia concordiæ Ecclesiasticæ hoc tempore inter Euangelicos promovendæ suæ Majestati prolixè commendat. 789.

Syllabus documentorum quæ ab Ecclesiis & magistratibus per Germaniam & Helvetiam Euangelicis, ad concordię Ecclesiasticę studium, inter sese & apud exteros suis suffragiis excitandum & promovendum tradita sunt in auctographis Johanni Duræo, qui hactenus hanc causam apud Ecclesias sollicitavit; cum supplemento Syllabi, & Frederici Spanhemii ad conciliandam pacem præstantissimo consilio. 795.

Convocatio Concilii imaginaria ex omnibus omnium nationum Euangelicis, exercitii caussâ proposita, ad sopiendas veteres eorum quæstiones, constituendam brevem articulorum fidei fundamentalium formulam, formandam omnibus Ecclesiis communem Liturgiam, & ad stabiliendum & conservandum in Ecclesia cum fidei unitate & pace ecclesiastica Catholicismum. 810.

Ubi legerit aliquis scripta hæc Irenica, & positis affectibus atten-

tè omnia consideraverit, judicabit, si modò eorum auctores pacem & ecclesiasticam concordiam Euangelicorum anhelantes, in unum convocati, convenirent, brevi tranquillissima nos visuros alcedonia, in procelloso hoc Ecclesiarum Oceano: nam & Christus pacis princeps & pax nostra procul omni dubio faceret ex multis unum. Sed fortè dicet aliquis, annum requiri Platonicum, antequam infinitæ illæ Theologorum controversiæ sopiri possent. Huic respondetur, id facile fieri posse, si sibi in Scholis suas servare velint controversias Theologi, & Pastores populum docere fidem Catholicam, quæ pauca continet necessaria, & sola servat. Videatur nostra Synopsis, quam publici juris fecimus an. C. 1050, *sub nomine Simplicii Christiano Catholici: ubi per plurima Scripturæ sacræ loca & plures Patrum primitivæ Ecclesiæ & recentiorum Theologorum sententias demonstratur, quam pauca ad salutem creditu sint absolutè necessaria. Viderunt id & etiamnum vident illustres & beatæ illæ animæ, viri illi pacifici, illi filii Dei, & simul* quam absurdum sit eos, penè continenter inter se rixari, quos tanquam una domus habet Ecclesia, qui ejusdem corporis membra, communi capite gloriantur, nempe Christo, communem habent patrem in cœlis, communi vegitantur spiritu, iisdem initiati sunt mysteriis, eodem redempti sanguine, eodem renati fonte, iisdem utuntur sacramentis, eidem militant imperatori, eodem vescuntur pane, ejusdem participes sunt calicis, communem habent hostem diabolum, postremò ad eandem omnes vocati sunt hæreditatem. Ubi tam multa perfectę concordię sunt sacramenta? ubi tam innumera pacis documenta? Unum præceptum Christus appellavit suum, nempe charitatis, cum hac quid æquè pugnat, quam bellum *hoc Ecclesiasticum?* felici pacis omine salutat suos, discipulis præter pacem nihil donat, præter pacem nihil relinquit. In sacris illis precibus, illud præcipuè Patrem orat, ut quemadmodum ipse idem erat cum eo, ita & sui, id est, Christiani idem essent secum. Jam plus audis quam pacem, plus quam amicitiam, plus quam concordiam. Christi typum habebat Salomon, quod Hebræis pacificum

sonat,

onat, ab hoc ſibi templum extrui voluit Deus. Nato Chriſto on bellum neque triumphos, ſed pacem canunt Angeli, De ondum nato præcinuit ille vates myſticus, & *factus est in pace locus ejus.* Univerſam illam doctrinam excute, nihil unquam reperies, quod non ſpiret pacem, non ſonet amicitiam, non ſapiat charitatem. Et quoniam intelligebat pacem aliter non poſſe conſtare, niſi penitus contemptis his, pro quibus mundus hic digladiatur, juſſit ut à ſe diſceremus eſſe mites. Breviter, ut omnes illius doctrina tolerantiam & amorem præcipit, ita tota vita nihil aliud docet, quam manſuetudinem. Sic ille regnavit, ſic bellavit, ſic vicit, ſic triumphavit. *Et*: Si fabula eſt Chriſtus, cur illius titulo gloriamur? Si is verè eſt & *via & veritas & vita*, cur omnes noſtrę actiones ab hoc exemplari tantoperè diſſident? Si Chriſtum auctorem agnoſcimus, qui charitas eſt, & nihil docuit, nihil tradidit niſi charitatem & pacem, agite non titulis & inſignibus, ſed factis hunc exprimamus & vitâ. Amplectamur pacis ſtudium, ut Chriſtus viciſſim agnoſcat ſuos. *In hoc cognoſcent omnes*, inquit ipſe Chriſtus, *quod diſcipuli mei ſitis, ſi charitatem inter vos habueritis mutuam.* Nec aliud inculcant Apoſtoli, qui purum adhuc Chriſti ſpiritum inbiberant & muſto illo charitatis feliciter erant temulenti. Quid undique ſonant omnes Pauli literæ, niſi pacem, niſi longanimitatem, niſi charitatem? Quid Iohannes loquitur, quid toties iterat, niſi dilectionem? Quid aliud Petrus? quid aliud omnes verè Chriſtiani ſcriptores? *hac Eraſmus adagiorum Chiliade quartâ.* Ioan. 13. 35.

Accedamus ergò cum Deo pacis ad ſacram ſanctæ Eccleſiæ ſuæ hiſtoriam, in qua ſimplicem & tamen divinam illius conſtructionem, & tempora, ſtatim poſt Chriſti exceſſum adhuc integra, & à morte Apoſtolorum adhuc pura conſpicere poſſumus: in qua attentè conſideranda venit lenitas & pax Chriſti, charitas, manſuetudo, modeſtia, tolerantia Apoſtolorum, Eccleſia priſca cor unum & anima una, & quam decenter in ea omnia ſecundum ordinem inſtituta ſunt: in qua divina ab humanis, antiqua à novis, orthodoxa ab heterodoxis,

doxis, vera à falsis discernere discimus: quæ scire quam sit Christiano necessarium, omnis prudens Christianus videt. Nam quemadmodum quæ vera sit in Christum fides ex sancta Scriptura accepimus, ita orbis seculorumque consensum in historia cognoscimus ex collatione doctrinæ, quam & vetus & nostri temporis Ecclesia amplexatur: quod hisce temporibus penitus ignorare indecorum est viro Christiano & de salute sua solicito. Præterea quemadmodum Euangelium plurima & optima formandæ vitæ præcepta suppeditat, ita multa & præclara subministrat exempla Historia, & longum iter est per præcepta, *ut inquit Seneca,* breve & efficax per exempla: *præcipuè apud eos, qui in eo versantur errore, ut credant præcepta esse nimis difficilia, nec posse observari ab iis, qui in*
1 Pet. 2. *hoc mundo, ut loquuntur, degunt: quasi Christianismus in solis consisteret sacratis capitibus, & pro solis eremis, desertis, & monasteriis esset institutus: cum constet per Imperatores & reges, homines laicos, non semel fuisse convocata concilia pro* emendatione Ecclesiæ Dei, (*sic loquuntur ipsa concilia*) *id est, ad corrigendos Canonicorum, Monachorum & totius cleri mores, tam in capite quam in membris. Sed hæc & similia multa, ipsa docebit historia. Initium ergo sit dilucidum historiæ Veteris Testamenti compendium, ordine chronologico dispositum. Sed antequam exordiar,* Da mihi Deus pacis,

August. in novis.

cor quod te timeat, mentem quæ te diligat, sensum qui te intelligat, aures quæ te audiant, oculos qui te videant, *pedes qui in semitis tuæ Pacis ambulent,*

AMEN, AMEN.

SYNOPSIS

SYNOPSIS HISTORICA VET. TESTAMENTI brevi ſerie digeſta.

DEus creavit primâ die Cœlum, Terram, & Aquas, rudi indigeſtâque mole, tum & Lucem, & ſeparavit lucem à tenebris & fecit Diem & Noctem.

Secundâ die fabricavit Firmamentum, id eſt, totum illud à terra ad ſupremam mundi partem, & ſeparavit aquas ſuperiores ab inferioribus, maria à nubibus.

Tertiâ die ſeparavit aquas à terra, fecit Mare & Terram & terra produxit herbas & arbores.

Quartâ, creavit Solem, Lunam & Stellas.

Quintâ, Piſces & Aves.

Sextâ, Animalia quadrupedia & beſtias terræ; ſed præcipuè Hominem ad ſui ſimilitudinem, eique imperium dedit in univerſas terræ creaturas, & afflatu divini Spiritus eum animavit & deduxit in amœniſſimos Paradiſi hortos: ubi dormienti Adamo detractam coſtam, formavit in Fœminam, ſociam & adjutricem Adami, cui nomen fuit Eva. *ADAM. Gen. 1.* *EVA.*

Inter cæteras in hiſce hortis duæ fuêre arbores, altera Vitæ, altera Scientiæ boni & mali, Adamo vetitæ: ſed mulier aſtu ſeducta Serpentis, etiam Adamo eſum interdicti fructus perſuaſit. Cujus inobedientiæ noxam, mox ejectus Paradiſo in hujus mundi calamitates, luit ipſe, & in poſteros derivavit. *Gen. 3.*

Septimâ die Deus quievit, id eſt, ab incœpto opere ceſſavit, & Sabbatum inſtituit. Duo in creatione Mundi maximè conſideranda veniunt; primò, quod is factus ſit ex nihilo; ſecundò, quod ita diviſus, ita moveatur.

Adami & Evæ primi fuêre filii Cain & Abel; ille agriculturæ, hic paſtioni pecorum deditus, Deo ob vitæ integritatem acceptior, nam reſpexit Deus munera Abelis ſacrificantis, id eſt, igne de cœlo im- *Gen. 4. Ioſeph. lib. 1. cap. 3. Heb 11. 4 1 Ioan. 3. 12*

immisso, oblata consumpsit, ac sic sibi grata esse probavit: aut, non tam munera quam animum offerentis respexit: quare invidiâ efferatus Cain, fratrem occidit; hinc fugiens conspectum Dei, errans & vagus impiam procreavit sobolem. Inter cujus posteros illa idololatria, quâ sidera planetæque in honore esse cœperunt, locum habuisse verisimile est, cujus meminit Maimonides; quam tamen Enos Sethi filio asscribit, ex loco Geneseos malè intellecto. Nam Sethus ex Adamo natus, centenis plus minus annis post Abelis cædem, metuens Dei, genuit filium Enos, cum cœptum est invocari nomen Dei, ut S. Scriptura testatur, idque per publicos cœtus, cum etiam antea privatim id actum esset.

CAIN occidit fratrem. *Vide Maimonidem Dionys. Vossii.* *Gen. 6. v. 26.* *Gen. 2. 4. v. 26.*

Quid posteri Sethi fecerint tacetur. At Enoch sextus à Setho, vir fuit pius & sanctus; quem mori Deus vetuit: viventem enim corpore integro ad beatas sedes traduxit. Postquam Enochus terras reliquit, illa ipsa Sethi familia, quam Dei filios scriptura vocat, & intra quam Ecclesia Dei continebatur, moribus in peiora lapsis, matrimonia cum stirpe Cain, Deo invisa, contraxerunt. Hæc res contagionem dedit, quæ ab impiorum filiabus profecta, manavit latius. Protinus in omne ævum erupit omne nefas. Perierat jus, integritas, fides, & qui semel dimissus, nunquam rediit in gratiam, pudor. Nullum scelus exemplo caruit, nec vacabat cuiquam vetus odisse crimen, cum quotidie oriretur novum. Tum immedicabile malum aspero indiguit remedio, nec poterat improbitas exstirpari, nisi cum hominibus. Perdendum erat mortale genus. Supererat adhuc unus Noachus vir justus, scelerum purus & Deo obsequens, quem B. Petrus præconem vocat justitiæ, quia voce illius usus est Deus, ut ad sanam mentem flecteret nefarios. Datum est illis spatium centum & viginti annorum, intra quod resipiscerent.

ENOCH ab Adamo Septimus. *Gen. cap. 5. vers. 24.* *Genes. 6. 2. &c.* *NOACH.* *Gen. 6. 9. Noë.* *2 Pet. 2. 5.*

Judæorum sapientissimi statuunt sex res fuisse, de quibus edictum Numinis acceperit primus omnium parens, nam & cœlitus didicisse eum, celebrandam divini nominis Majestatem esse, atque jura dici mortalibus debere: & rursum interdictum illi fuisse, ne sanguinem humanum funderet: nève idola coleret: aut rapinas exerceret: tum, ne multiplicato mox hominum genere, incestis se nuptiis fœdaret. Tandem cœlesti voce admonitus Noachus, ne carnem

Cunaeus l. 1. cap. 19.

cum

cum anima, id est, sanguine ejus, comederet. Ita septem præcepta confecta ajunt, quibus tantisper gens mortalium regebatur, donec Abramo posita lex de circumcisione fuit: sed cum omnia illa præcedentia Adamo data præcepta negligerent Adami posteri, infensus iis Deus, omnes diluvio homines perdere decrevit. Quare *Genes. 7.* paucis ex hominum pecudumque numero servandis, Arcam fabri- NOE *Arcã* careNoacho jubetDeus:centum annos in ea fabricanda consumpsit, *fabricat.* cui inclusi homines & pecudes à diluvii aquis liberi, reliqui terrarum eluvione intereunt, quam 40. dierum continuus imber effecerat, sic ut altissima montium juga, quindecim cubitis unda sit supergressa. A.M 1656.

DILVVIVM *primum Mũdi tempus.* Conservati in arca, sunt Noë cum uxore, tres Filii & tres Nurus, in totum capita octo. Cessante vero diluvio (decreverunt aquæ post dies 150.) à Deo admonitus Noachus, arcâ egressus, in montibus *1 Pet. 3. 20.* *Genes. 8.* Armeniæ ritè sacra Deo fecit, & rectum numinis cultum instauravit. Erat Ecclesia tunc paucorum hominum, & in minorem numerum fit contractio: Etenim cum Noë tres filios, Semum, Chamum SEM. & Japhetum genuisset, in unius Semi stirpe Ecclesia hæsit. Post Semum (qui vixit annos 600, ut Noë 950.) pauca memoratu digna inveniuntur. *Cunæus.*

Cum autem hæ tres stirpes numero plurimùm accrescerent, novæ regiones & alia domicilia erant quærenda, & antequam discede- *Gen. c. 11.* rent, in campo Sennaar, altissimam ędificare turrim statuunt, com- *Turris Babel,* mune monumentum posteris futurum: sed Deus ut eorum conatum frustraretur, unam & communem linguam in varias distraxit, & eo modo impeditum est ædificandi consilium. Unde Babel, à permistione seu confusione linguarum, ea turris dici cœpit. ABRAHAM

Demum Abramus, *inquit Cunæus*, qui de Semi nepotibus, per A.M. 1948. Heberum, erat inter vetusti seculi heröas, illustre extulit caput, sub quo juventa quædam Ecclesiæ & veluti robustior maturitas fuit. Etenim hic est ille justus (ille pater credentium & seminis benedi- *Genes. 17.* cti, specimen pietatis & obsequii futurus, columen, *ut ait Maimonides*, *Rom. 4.* & stabilimentum sui seculi) quem ex Oriente excitum, ait eloquentissimus vatum Esaias: terram enim Chaldæam & civitatem Ur, *Esaias 41. 2* quæ primo nascentem exceperat, patriosque lares & cætera omnia,

quæ longè jucundissima mortalibus sunt deseruit, ut ignotam adiret regionem, in quâ pedem ubi poneret, non habebat: sed parendum Deo erat, cujus auspiciis vocabatur ad majora. Intellexerat vir divinus, regnum Cananææ fato posteris suis deberi; hoc solatio præsentem mœrorem edulcabat. Cæterum spem eam, quam de posteritate habebat multa morabantur. Ipse senex erat & per ætatem defluxerant vires. Uxor vetula, quæ nec florentibus annis pepererat prolem; & tamen, quoniam cælitùs ingentia promissa animum ejus firmabant, credidit Dei immensâ virtute fieri id posse, quod negabat naturæ infirmitas.

ISAAC. Natus dein Isaacus est, is nempe, ex cujus familia olim Messias orire-tur. Hic iterum Numinis consilia non iniqua certè, sed arcana tamen mirari lubet. Ex Agare Ismaëlem susceperat Abramus; à quo Saraceni, (*de quibus vide Scalig. in Eusebii Chronicon.*) Arabesque traxêre originem. Et rursus Cetura, enixa illi erat non unam prolem; tot liberorum pater erat religiosissimus senex. Cæterum ex omnibus unus modo exstitit, cui præcipuè addiceret suam benevolentiam summus rerum arbiter Deus. Ab una Isaaci gente coli, ab hac una religionem sacraque & ceremonias suas suscipi voluit. Sæpe jam habitus ejusmodi delectus fuit. Ex Adami liberis tantum Sethus: ex hujus stirpe Noachus: ex Noachi filiis Semus: ex illius posteritate Abramus, ac postremò, ex numerosa Abrami sobole, unus Isaacus placuit electusq; est. Cujus familia Ecclesiæ nomen atque dignitatem, ineffabili ratione, veluti per successionem sibi vendicavit. Cęterę gentes tanquam profanæ, spretæ à numine posthabitæque sunt: Donec Messias terrarum orbem ingressus, intergerinum disjecit parietem, effecitque, quod dudum Abramo promissum erat, uti per sobolem ejus, cunctis nationibus sine discrimine daretur sperata salus, *hactenus Cunæus.*

Promissio facta Abramo. Hæc promissio primo à Deo Abramo facta est in Caran urbe Mesopotamię, in qua annis circiter quinque cum Patre Thare vixit, mox Dei monitu, cum uxore Sara & Lotho fratris filio mi-
Gen. 12. v. 2. & 3. gravit in regionem Canaan, annum agens septuagesimum-quintum, à quo ad exitum Hebræorum ex Ægypto anni sunt 430.
Gen. 13. Abram Hebrone, ad convallem Mambre, Loth Sodomis habitavit. Cum vero Loth, unâ cum familia, à vicinis regibus captus esset,
Abram

Abram fusis & fugatis hostibus, Lothum cum suis liberavit. Victo- *Gen.* 14.
rem Abramum Melchisedec Rex Salem, mysticâ panis & vini *Gen.* 16.
oblatione excepit. Anno deinceps decimo, cum ancilla Agar pepe- *Circumcisio*
risset Abramo filium Ismaëlem, anno ætatis 99. ex fœdere cum *A. M. 2047.* *Gen.* 17.
Deo inito, circumcisus est Abraham cum Ismaële & omni familia. *Secundum*
Hoc eodem anno Sodoma & Gomorrha ob execranda scelera con- *mundi tem-*
flagrarunt. Centesimum agenti Abrahamo annum, de Sara conjuge *pus an.* 366.
antehac sterili etiam nonagenaria, nascitur Isaacus; qui postea, jussu *continet.*
Dei, à patre immolandus in monte Moriah, ejusdem imperio libe- ISAAC *im-*
ratur. Moritur Abrahamus *vir divinæ familiaritatis*, ut loquitur Ter- *molandus.*
tullianus, vitæ anno centesimo & septuagesimo quinto.

Isaacus ex uxore Rebecca, quæ erat filia sui patruelis Bethuel, ex *Gen.* 26.
Nachor fratre Abrahami, suscepit filios geminos Esau & Jacob. Pater *&c.*
annos natus 137. (vixit annos 180.) cum filio Esau primogenito
bene precari proposuisset, Jacob, hortante matre, dolo obrepens, IACOB.
paternam benedictionem accipit: quare fratris iram fugiens, apud 29.
Labanum avunculum in Mesopotamia vixit annos 20. ubi ex Lea &
Rachaële, Labani filiabus & Bala & Zelpha, earum ancillis undecim
suscepit filios & filiam Dinam. Benjamin filiorum duodecimus na- 30.
tus est ex Rachaële in Cananæa. Josephus à fratribus venditus, du- 35.
ctu Dei, postea toti Ægypto præficitur; quò, urgente fame, & peti- IOSEPH.
tione Josephi, cum omni familia proficiscitur Jacob, ibique mori- 37.
tur, annum natus centesimum & quadragesimum septimum, & Jo- 47.
seph annum decimum supra centesimum.

Cum autem posteri Jacobi in Ægypto citò & plurimùm numero A. M. 2308
accrescerent, ideoque Rex sibi metueret, masculos omnes Israëlita- 50.
rum necari jussit. Moses vero Dei beneficio, per filiam Pharaonis *Exod.* 1.
ex aquis extractus, servatus & educatus est: & cum ob cædem Æ- MOSES.
gyptii ad Madionitas fugisset, ubi Sephoram Sacerdotis Jethro filiam *Exod.* 2.
uxorem duxit, excitus monitis divinis per ardentem rubum prope
montem Oreb, in Ægyptum cum suis, redit. Eodem fere tempore IOB.
creditur vixisse mortalium patientissimus Jobus, ex stirpe, ut pluri- *August. de*
mi opinantur, Esavi natus. Hoc præcedens mundi tempus vocatur, *Civ. Dei lib.* 18. *cap.*
tempus ante legem. 17. *& alii.*

Cum Moses in Ægyptum reversus esset, ex mandato Dei, de

Exod. 5. & liberandis à tyrannide Pharaonis Israëlitis cogitat, & assumpto fra-
6. &c. tre Aärone, missum se à Deo ad Regem Regi dicit, ut dimissionem populi Hebręi peteret. Quod non permisit, antequam, post multa pro-
Exod. 12. digia, & novem plagas seu pœnas, hâc decimâ, in quaque familia pri-
A.M. 2453 mogeniti totius Regni, ab Angelo occisi essent. Quibus peractis, ce-
Israëlitarũ exitus ex Ægypto, tertium mundi tempus An. 430. cõtinet lebrant Israëlitæ festum Paschatis, in memoriam partæ libertatis institutum, & discedunt virorum sexcenta millia, ex septuaginta quinque familiæ Jacobęæ in eum numerum aucti. Ita properè egressis columna nubis interdiu, noctu columna ignis pręferebatur. Fugientes persequitur Pharao cum exercitu. Moses cum suis tan-
Exod. 14. quam in continenti mare rubrum transit: Pharao cum suis ibidem submergitur. Deinde aggrediuntur Israëlitæ iter quadraginta annorum per eremum & loca deserta; quo tempore Deus multa fecit miracula: aquas amaras edulcavit, coturnicum gregibus castra opplevit, per 40. annos mannâ, cibo suavissimo eos nutrivit, ex petra montis Oreb Moses aquæ copiam elicuit & Amalechitas suis pre-
Exod 19. cibus profligavit. Exin ad montem Sinai perventum est: ubi populo lex data duarum tabularum, aliaque edicta profana. De Tabernaculo, Aärone & filio Eleazaro pontificibus, de ingratitudine & rebellione populi, de serpente æneo, & plura alia memoranda videat
Num. 13. curiosior apud ipsum Mosen. Omnium eorum qui ex Ægypto ve-
& 14. nerant soli duo Josue & Caleb, qui è numero erant exploratorum, Cananæam ingrediuntur, idque ob summam Israëlitarum contumaciam & in Deum & in Mosen. Ipse Moses, ut primum eam vi-
A.M. 2993. disset, in monte Nebo moritur, annos natus 120. Sanè eum virum,
Deut. 34. *super omnes homines mitissimum*, ex communi mortalium conditione
Num. 12. Deus exemerat, postquam loqui coram & unà esse cum illo, atque ab illo etiam aspici dignatus est, quæ omnia esse negata aliis, adnotatum in sacro codice est. *Cunæus.*

IOSUE. Mose defuncto succedit Jesus Nave, seu Josue filius Nun, qui po-
Ios 4. pulum per siccum Jordanis alveum in Cananęam seu Palæstinam traduxit. Exinde oppida plurima eorumque incolas ferro flammisque consumpsit. Hierichuntis mœnia, circumlatâ septem die-
6. bus arcâ, conciderunt. Gabaon, opulenta urbs, ultro se Hebræis
10. dederat, quare quinque vicini reges eam obsidione cingunt. Josue obsi-

obsidentes cędit & fugat, qui ne effugerent, Solem lunamque intervallo unius diei jussit consistere, ita ut dies ille fuerit 36. horarum: 11.
quinque reges capti & interfecti sunt. Denique uno & triginta re- 12.
gibus debellatis peremptisque, ac sex annis majori Palæstinæ parte subactâ, eam in duodecim tribus divisit, Levitis in Sacerdotium assumptis, nulla portio data est. Josue decimo quarto imperii sui, & *Ios. ult.*
centesimo decimo ætatis anno, moritur.

Eo mortuo, populus Judaicus suos habuit Iudices seu Rectores, *Iud. 7.*
quos saliendo usque ad Samuelem transibimus. Interim hoc loco ut & passim admirari satis nequeo, constantem Dei erga populum hunc amorem & benevolentiam; & contra, Judæorum in Deum ingratum, contumacem & refractarium animum. In secundis rebus, immemores cœlestium beneficiorum, idolis supplicabant; in adversis Deo. Propter multa & magna scelera imo ipsam, ut diximus idololatriam, sexies à Cananæis aut vicinis regibus sub servitutis jugum sunt redacti, & quotiescunque modò eos peccatorum pœniteret, ineffabilis Dei bonitas eos in gratiam recepit. Hæc historia comprehendit spatium 409. annorum, quo tempore pręcipui Duces fuerunt Othoniel, Debora, Gedeon, Jephthe, Samson: quorum res gestas, qui scire volet, adeat sacrum codicem. Nos brevitatis ergo selecta tantum damus.

Tempore Heli judicis & Pontificis Maximi, in prælio, Arca à *1 Sam. 4.*
Philistæis hostibus capta, septem mensibus apud eos servata est, cum clade & calamitate eorum, ubi moraretur: ad Israëlitas remissa annis viginti Kiriath-Iearim hæsit. Heli nuntio captæ ab hoste Arcæ accepto, è sella corruens, exspirat. Huic succedit Samuel Propheta & Judex, qui Philistinos fulmine & tonitru perterritos, pugnâ superavit. Populus hostili metu remoto, liber- SAMUEL.
tatis nimiæ pertæsus, Regem flagitat & impetrat. Igitur Saul fi- A.M.2889
lius Cis de tribu Benjamin, Sacerdotali prius à Samuele unguen- A.M.2917.
to perfusus, Rex constitutus est, qui monitus à Deo, ut Ama- 1 *Reg.* 8.
lechitas deleret, addito interdicto, ne quid ex spoliis devicto- SAUL
rum concupisceret, partâ victoriâ, divini præcepti immemor,
prædam servari jubet. Quare ab offenso Numine Samuel moni- A.M.2921.
tus, Davidem clam in Regem ungit. Saul vero anno regni duo- 1 *Reg.* 31.
decimo,

decimo, cum Philiſtæis aut Palæſtinis dimicans, cum Jonatha filio occiditur.

DAVID. Defuncto Saule ſuccedit David, de tribu Juda filius Jeſſe, qui He-
2 Reg. 3. 4. brone ſolemni ritu & frequentibus comitiis inungitur. Cum vero
5. Iſboſeth Saulis filius, patris imperium ſibi vendicaret, anno ſui regni
8. octavo interficitur, ſolidam Davidi relinquens poſſeſſionem, cui,
A.M. 2937. cum Hebrone regnaſſet annos ſeptem, Hebræorum præcipui,
2 Reg. 5. regnum totius gentis deferunt, quando tertiò Rex inunctus eſt.
39. David ex arce Sion pellit Iebuſæos, & in illam ſuam regiam, Arcam
Domini magna cum pompa defert, Exin Philiſtæis domitis, Moabitis ſubjugatis, Syriâ penè ſubactâ, bellum adverſus Ammonitas,
45. 2 Reg. 11. Joab militiæ duci commiſit. Cum vero David Hieroſolymis moraretur, cum Batſabee adulterium, & cędes Urię mariti contigerunt, & anno ſequenti natus eſt ex Batſabee Salomon. Sed ut plerumque eſt pœna comes culpæ, Ammon Davidis filius ſororem Thamar
48. ſtuprat, Abſolon Ammonem occidit, & ad extremum idem Abſolon
2 Reg. 13. impia arma adverſus patrem movit, Hieroſolymis expulit, regiâque
14. 15. occupatâ, ſtupro paternas concubinas polluit. Fuit profecto, melior & felicior in ſervitio David, quam in regno: ſervus feras & ferum Goliathum ſuperavit; Rex ab iniquis & ferocibus cupiditatibus ſuperatur, & à filiis affligitur: ſervus Saulem hoſtē ferire timuit, Rex Uriam
3 Reg. 2. innocentem interemit. Tandem annis & morbo fractus, Salomonem regni ſucceſſorem conſtituit, & moritur anno regni 40. ætatis 70.

A.M. 2969. Salomon, ut regno ſuo pacem daret, Adoniam fratrem, nova-
SALOMON rum rerum ſuſpectum, occidit. Et cum Deus per viſum optionem illi dediſſet, ut peteret, quod maximè placeret, & reliqua parvi æſtimans, ſapientiam elegiſſet, non illam ſolum, ſed & reliqua
Quartum obtinuit. Sapientiam oſtendit prudenti judicio in altercatione
mundi tempus an. 519. duarum mulierum de ambiguo puero. Opes, immenſi operis ſtructurâ, quam intra ſeptem annos abſolvit. Nam juſſu Numinis tem-
A.M. 2972. *ante Christum* 1012. plum in monte Moria condidit, quo Palæſtina nihil vidit pulcrius, nihil magnificentius, quod Judaicæ religionis deinceps ſacrarium eſſet. Interior enim pars templi ad ſimilitudinem Tabernaculi Sanctum Sanctorum dicebatur, quoniam continebat ſanctiſſimam Arcam fœderis, propitiatorium Cherubin, in quo nubes

bes gloriæ Domini, præsentiç divinæ testimonium: in quod solus Pontifex semel in anno introibat, unde etiam Deus responsa dabat. Altera pars Sanctum erat, propter res sacras ibi contentas; ut Candelabrum, Mensam, panes propositionis, altare thymiamatis, & quotidiana Sacerdotum ministeria, quæ in eo fiebant. Interim opibus florens, omniumque regum ditissimus, ab opibus ad luxum vitiaque dilabitur, & cum septingentas uxores & trecentas concubinas haberet, *depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos.* Imo & magiam exercuisse, præter Josephum Targum, & Judæi omnes tradunt, sed non probant. Imo, utrum ante mortem resipuerit hactenus non constat: ex quo anceps de illius salute conjectura posteris est relicta. Quidam credunt eum resipuisse, & post lapsum Ecclesiasten scripsisse. *3 Reg. 11.*

Post obitum Salomonis succedit filius Roboam, à quo cum populus tributorum levamen peteret, duriora minatus asperè respondit. Quod ita illorum efferavit animos, ut scisso regno decem tribus, Deo id volente, ab illo defecerint, & Hieroboam sub patre belli præfectum, sed hominem ambitiosum, regem sibi elegerint, duabus tribubus Judæ nimirum & Benjamin Roboamo adhærentibus: hujus regnum dictum est Judæ, alterum Israëlis. Illius sedes fuit Hierosolyma, hujus Sichem, & postea Samaria. Davidis posteri regnarunt unus & viginti numero, Israëlitæ octodecim: priores reges imperarunt annos circiter 387, posteriores ferè 254. alii aliter. *ROBOAM rex Iudæ. 3 Reg. 11. Divisio regni Davidis. 3 Reg. 12.*

Hieroboam, inquietissimus Dux, tentatum semel infeliciter facinus, mox meliore successu perfecit. Concione enim convocatâ, statum publicum & Principis acta incusavit apud plebem, (*cui inesse semper malignum quid & querulum in imperantes sciret*) libertatem & alia id genus speciosa nomina prætexuit. Dehinc ipsas decem rebelles tribus procul ab Hierosolymitarum finibus detinuit, & urbem Sichemum regni sedem elegit, patriaque instituta mutavit; & diversum Numinis cultum atque alia sacra commentus est. Vitulorum enim in Bethel & Dan sancitâ adoratione, veterem superstitionem novo paxillo suspendit, populumque aliâ religione, quę rerumpublicarum quoddam coagulum est, sibi devinxit. Cui & sacrificu- *HIEROBOAM rex Israel.*

los, non ex Levitis, sed ex plebe adjunxit. *Sic solent principes etiam sacra ad suas utilitates torquere.*

Atque hæc regni divisio omnium malorum caussa Hebræis fuit. Nam ob crebra inter eos prælia defessi & elumbes, cæteris nationibus prædâ facti sunt: quos antea non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ movere aut concutere poterant. *Ædificarunt*
3 Reg. 14. 23.24. *enim* (uterque Rex) *sibi aras & statuas & lucos super omnem collem excelsum & super omnem arborem frondosam. Sed & effeminati fuerunt, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israël*, inquit Sacra Scriptura etiam de Regno Judæ. Quare irato Deo statim Susarus Ægyptiorum Rex sacram urbem templumque expilavit, direptis omnibus thesauris, & ne contumelia deesset, columnas passim disposuit, in quibus, fœdum dictu, incisa mulierum verenda erant. *Cunæus.*

Hic & reliqui Reges Judæ, Roboami successores, plurimi à vero Dei cultu aberrarunt. Israëlis autem Reges, Hieroboami successores, omnes. Amri, Israëlitarum Rex sextus, in monte Someron
Samaria. Samariam condidit, quo Regni arcem transtulit. Nota ad Reges Israëlitas plurimos fuisse missos Prophetas: quia, cum essent Regibus Judę deteriores, frequentioribus medicis indigebant. Sub Achabo, ejus filio Regum pessimo, missus est Elias Thisbites Prophetarum præstantissimus, cujus sanctitas & divina virtus insigniter eluxit, qui ut Deum totum admitteret, hominem exuerat. *Cunæus.* *Elias Propheta.*

Hic prædicit Regi Achabo triennii siccitatem & famem, & claudit cœlum, ne pluat, precibus. Ipse interim latet ad torrentem
3 Reg. 17. Crith, ubi alunt eum corvi, manè pane, vesperi carne. Inde ad viduam Sareptanam perrexit, quę in summa fame Eliam hospitio
Elia miracula. excepit, & tamen illi nec farina in cado, nec oleum in hydria defuit, & prӕterea viduæ filium postea mortuum resuscitat Elias. Idem velut arbiter mundi ad dictum diem pluviam ac fęcunditatem terræ reddidit, imo & ignem precibus de cœlo traxit contra Sacerdotes Baalitas, quo victimâ suâ absumptâ indicatum fuit, uter colendus aut repudiandus esset Deus. Cumque ope Israëlitarum octingentos & quinquaginta Baalis Sacerdotes occidisset, minas
3 Reg. 19. impię Iesabelis Reginę fugiens, in monte Horeb quadraginta dies jeju-

jejunat, & ibidem Dei gaudet alloquio: cujus monitu successorem elegit & unxit Elisęum Prophetam. *Elisæus.*

Ochosias Achabi filius æger quosdam suos ministros ad consulendum idolum Beelsebub de sua valitudine misit. Dei monitu his occurrit Elias, objurgatosque regi nuntiare jubet, ipsum brevi moriturum. Mox satellites quinquaginta, qui Eliam caperent, bis missi, bis igne cœlitus vocato absumpti sunt. Paullo post cum Elias & Elisęus ad Jordanem venissent, Elias pallio fluminis undas ita divisit, ut siccis pedibus alveum transirent. *Et ecce currus igneus & equi ignei diviserunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum.* 4 Reg. 2. 11. Elisæus successor Eliæ reversus, eodem Eliæ pallio, aquis divisis, Jordanem transiit.

Sub Joram, fratre Ochosiæ, regnante in Juda Josaphato, Elisęus multis miraculis & Prophetiis inclaruit. Aquas amaras edulcavit: 4 Reg. 4. &c. terras steriles fœcundas fecit: prædixit victoriam de Moäbitis: exercitui sitienti aquas suppeditavit: & suâ benedictione auxit oleum *Elisæi miracula.* viduæ obæratę. Centum viros tempore famis pavit 20 panibus, ita ut superessent reliquiæ. Aquâ Jordanis sanavit leprosum. Securim in aqua natare fecit. Sunamitis filium à morte suscitavit, &c. Cum vero Propheticum munus sub sex Israëlitarum regibus obiisset, moritur Elisęus: *in cujus sepulcrum casu projectum est cujusdam hominis cadaver, quod cum tetigisset ossa Elisæi, homo revixit.* 4 Reg. 13. 20.

Sed nec vaticinia, nec plurima & maxima Prophetarum miracula, tam coram populo quam regibus facta, quicquam apud homines excęcatos beneficiorum immemores & pessimè degeneres profuerunt. Quare tandem, justo Dei judicio, rege Israëlitarum ultimo Oseâ, Salmanassar Assyriorum Rex capit Samariam, & decem tribus 2 Paral 29. v. 10. in perpetuam abducit captivitatem, idque ultra Euphratem, in Colchos, Parthos, Iberos & Indos. Sic (rege apud Judęos Ezechia) regnum Israëlitarum desiit, quod duraverat annos ferè ducentos quinquaginta quatuor. Et quemadmodum nullum regem religionis avitæ observantem produxit regnum Israël: ita paucos regnum Judæ. Cæteri omnes à vero Dei cultu ad aniles, ineptas & impias Deorum superstitiones aberrarunt. Paucos dabo.

Quartus à Davide Rex Judæ fuit Asa religiosus Dei cultor, qui *Reges Iuda boni.*

3 *Reg.* 15. aras, statuas lucosque sustulit, Davidis potius quam patris imitator.
2 *Paral.* 14. Quintus Josaphat Asæ filius, paternę pietatis fuit sedulus sectator.
2 *Paral.* 17. 4 *Reg* 12. 2 *Paral.* 24. Ioas Regis Ochosiæ filius bonus fuit Rex, quoad vixit Iojadas Pontifex maximus: eo mortuo ad lucos, aras statuasque rediit. Imò & Zachariam Prophetam Iojadæ filium necavit: sed subsecuta brevi est acerba Dei vindicta.

Decimus à Davide Amasias moribus patri Ioasi non fuit dissimilis.

2 *Paral.* 26. 16. Undecimus Ozias, *fecit quod rectum fuit in oculis Domini.* sed rebus secundis elatus incensum Deo obtulit, quod solis licebat Sacerdotibus, quare leprâ correptus moritur. *Nam non est Regis adolere, sed facere ut Sacerdotes adoleant.* Hoc regnante vixerunt, & præsertim in Regno Israël Osee, Joël, Amos, Abdias, Jonas & Esaias Prophetæ, ut iram numinis peccanti populo denunciarent, & factis miraculis, futura prædicerent. *Initium Prophetarū*

Ioathan, similis Oziæ patri sanctus fuisse dicitur.

4 *Reg* 18. 2 *Paral.* 29. Ezechias post Davidem Regum Judę fuit optimus: nam pulsâ omni superstitione & idololatriâ, verum Dei cultum reduxit, secundum legem Mosis sacra fieri celebrarique Pascha, jam pridem omissum, voluit. Hoc rege Salmanassar Rex Assyriæ, captâ Samariâ omnes Israëlitas ultra Euphratem abduxit. Postea Rex Assyriorum Sennacherib Salmanassaris filius, vastatis agris, captisque vicinis Judææ civitatibus, urbis Hierosolymitanæ obsidionem urgebat, & dum ad eam invadendam accingitur, unâ nocte centum octoginta quinque millia ab Angelo interfecta sunt: & paullo post rex ipse à filiis suis occiditur. Eodem ferè tempore in lethalem incidit morbum Ezechias, à quo per Esaiam divinitus sanatur, & illius vita in annos quindecim prorogatur. Esaias vixit 800 annos ante Christum. *2 Reg.* 18. *&* 19.

4 *Reg.* 22. *&c.* 2 *Paral.* 34. Iosias Rex optimus & quasi ad virtutes natus, totâ vitâ Davidis fuit æmulus: religionem purgavit, & templum instauravit, ubi inventus est liber legis, antea neglectus aut amissus, aut fortè αὐτόγραφος Mosis. Thalmudici tradunt Iosiam in recondito loco templi posuisse arcam, icti fœderis testem: baculum Aäronis; lapides Urim & Thummim: unguentum sacrum, quo Reges & Pontifices consecrabantur, cum residuo mannæ. Addunt hunc specum diu ante

ante summâ curâ paraſſe Salomonem, cum ex vatum reſponſis didiciſſet, futurum olim ut templum ab Aſſyriis ſolo æquaretur, eorumque omnium nihil quicquam Judæis reſtitutum eſſe, cum reverſi Babylone, in patrias ſedes templum ſecundum exſtruxerunt. *Caſaubonus* *Cunæus.* Ioſias habuit quatuor filios, ſed omnes degeneres: quorum *exercit.* 10. Sedechias Regum Iudæ ultimus, patriæ religionis fuit fœdus deſertor, *Cunæus l.* 1. *c.* 14. quo regnante obſeſſa & capta eſt à Nabuchodonozore Hieroſolyma, *4 Reg* 23. incenſum & combuſtum cum urbe templum, & ipſe Rex *Hierem.* 34. effoſſis oculis cum populoBabylonem abductus in lene & facile exilium. 39. 52. Sub hoc rege Hieremias & Ezechiel Prophetæ vixerunt: Babylone vero adoleſcebat Daniel. A.M. 3340. *Ante Chriſtum* 589.

Capto & in Chaldæam traducto Sedechiâ, finem habuit Regnum Iudæ, & initium captivitas Babylonica, quæ duravit annos ſeptuaginta: Iſraëlitæ autem ad patrias ſedes nunquam regreſſi ſunt.

Durante hoc Iudæorum exilio Babylone, multa inſignia Danielis acta ad conſervandam Dei legem occurrunt, qui captus & deductus eſt in Chaldæam ſub Rege Ioachim etiamnum adoleſcens. Ne ſe pollueret gentium cibis, qui plerumque ſuis Diis dicati erant, *Dan* 1. ut leguminibus tantum uteretur popoſcit & impetravit: ſtatim poſt adventum ſuum inter miniſtros regios aſſumptus eſt, ob prudentiam regi gratus, quam oſtendit detectâ & demonſtratâ Suſannæ innocentiâ, ſi vera hæc eſt hiſtoria, quæ in Hebræis non invenitur.

Poſtea à Deo doctus, regis ſomnium indicavit & interpretatus *Dan.* 2. eſt; quare præfectus regno, in ſummo habitus eſt honore, ejuſque conſilio & rogatu Ananias, Azarias & Miſael ad magnas provecti ſunt dignitates. Exin Nabuchodonozor ſtatuam ſibi auream erigit, quam cum prædicti Hebræi adorare nollent, edicto regis iis *Dan.* 3. proponitur ardens fornax pro ſupplicio, ſed miniſtri regii, qui hos tres in furnum igneum conjecerant, flammâ abſorpti ſunt; Hebræos ignis non attigit, & viſus eſt inter hos in mediis flammis quartus, quem Dei filium eſſe teſtatus eſt ipſe Nabuchodonozor, quare honorem in Hebræos juvenes, cultum in eorum Deum tranſtulit. Paulo poſt denuò regi ſomnium obverſatur, de præciſa excelſa ar- *Dan.* 4. bore, quod ſolus Daniel explicare potuit; nempe ipſum regem

regno pulsum, septem annis cum bestiis ferisque sub dio victurum. Hortatur ergo Daniel, ut eleëmosynis sua redimat peccatâ, quem

Dan. 4.30. cum non audiret, voce *è cœlo admonitus* Nabuchodonosor, *completur somnium & ab hominibus abjectus, fœnum ut bos comedit, & rore cœli conspersus est*, septem annos, peculiari amentiâ æger, ut loquitur *Petavius*, donec agnito vero Deo, regno restituitur. Vide diversas diversorum de hâc regis metamorphosi opiniones apud *Corn. à Lapide*.

Dan. 5. Balsasar filius illius natu minor, aliis ex filiâ nepos, dum in publico convivio sacris templi Hierosolymitani vasis, antea reconditis, abutitur, videt digitos in pariete scribentes tria verba, quæ solus Daniel legere poterat, & interpretatus est. *Quia sacra vasa profanasset contaminassetque brevi moriturum regem, regnumque ejus jam Medis ac Persis datum.* Et eâdem nocte rex interemptus est, successitque Darius Medus.

Dan 6. Darius rex, cum Daniel omnes regni proceres prudentiâ superaret, cogitavit eum cæteris præferre: qua de caussa Daniel reliquorum satraparum contraxit invidiam. Hi Regi adulantes persuadent, ut decreto statueret ne spatio triginta dierum quicquam cuipiam à Deo aut homine petere liceret, prçterquam à solo Rege. Cum vero Daniel visus esset suum adorasse Deum, à principibus accusatus, in lacum leonum demittitur. At Daniel sequenti die illæsus educitur, *quia credidit (id est, confisus est,) Deo suo.* Accusatores vero cum filiis & uxoribus in eundem specum demissi, sine mora dilaniantur. Daniel hactenus regibus carus, jam carior habitus est: nam novo edicto rex Deum Danielis colendum voluit. Hæc sunt de Daniele historica: nunc in sacro codice sequuntur visa eidem divinitus oblata, in quibus venturum Christum per septuaginta hebdomadum tempus demonstrat. De cujus explicatione lis est non parva, nec hujus loci: sed eam dabimus in prolegomenis de adventu Messiæ. Sequitur Darium Medum Cyrus Persa, qui victo Dario armis Per-

2 Paral. 10. &c. sarum capit Babylonem, & secundam Monarchiam nimirum Persarum instituit. Hic divinitùs inspiratus anno primo regni Babylo-

1 Esd. 1. *Quintum mundi tempus ann.* 474. nici, qui ab initio Persici secundus & vigesimus fuit, edicto Judæis redeundi in patriam, & urbis & templi pariter instaurandi potestatem fecit, redditis vasis templi Salomonis per Nabuchodonozorem

rem ablatis, quinquies mille quingentis. Itaque Zorobabele Salathielis filio duce, qui erat regii corporis custos, nec non Josue filio Josedes summo sacerdote, Judæi numero quadraginta duo millia trecenti sexaginta, exceptis servis & ancillis, qui erant septem millia trecenti & triginta septem, profecti sunt in Judæam, quod prædictum ab Hieremia, & Esaia. Hi primi omnium altari structo, septimo ineunte mense juge sacrificium offerunt. Anno vero secundo quam advenerant, Templi fundamenta jacta sunt. Sed adversariorum calumniis, maximè Samaritanorum & Chutæorum, impeditum opus est, etiam superstite Cyro bellis alibi detento, & deinceps; donec Darii Hystaspis filii anno secundo, Aggæo & Zacharia Prophetis hortantibus, Zorobabel & Josue intermissam Templi structuram repetunt, quam sexto consummarunt. Finis hic est Prophetarum, quorum postremus Malachias fuit. Post hæc anno septimo Artaxerxis Longimani, Esdras sacerdos, & legis (id est, rerum divinarum jurisque Pontificii & civilis) peritus scriba, cum turba Judæorum Babylone profectus est, commeatu à rege accepto. Demum anno vicesimo ejusdem Artaxerxis, octuagesimo à priore reditu, Nehemias impetratâ ab rege licentiâ in Judæam venit, atque urbem ædificavit.

1 Esd. 1. *Hier. 25 & 29 Esaia 44.* *1 Esd. 4.* *1 Esd. 5. &c.* *1 Esd. 6. 13.* *2 Esd. 7. 8.* *2 Esd. 2.*

Hinc Zorobabeli debetur altaris & templi structura: Esdræ legum instauratio & disciplinæ reformatio: Nehemiæ urbis & murorum ejusdem ædificatio. Ut autem major lux præcedentibus & subsequentibus rebus gestis affulgeat, regum Persarum seriem quam brevissimè proponam.

1. Cyrus primus Persarum Rex regnavit annos 30.
2. Cambyses ejus filius an. 7.
   Magi, annum 1.
3. Darius filius Hystaspis annos 36.
4. Xerxes annos 21. hic Xerxes Calvisio fuit in S. scriptura dictus Ahasuerus.
5. Artaxerxes Longimanus 41. Ab edicto hujus regis inchoantur Hebdomadæ Danielis *Capello*.
6. Darius Nothus 19. Huic templi restitutionem tribuit *Sulpitius*, & hujus anno secundo initium 70. Hebdomadum Danielis *Scaliger*.

Artaxer-

7. Artaxerxes Mnemon, prioris ex filia nepos, à Plutarcho descriptus, 43.

8. Ochus, ejus Filius, 23. ⎧ uterque operâ Eunuchi
9. Arses Ochi Filius, 3. ⎩ Bagoæ periit.

A.M.3653. 10. Darius Codomannus, Regum Persiæ ultimus, 6. Quo per Alexandrum Magnum tribus prœliis victo, tertia Monarchia, nempe Græca initium habuit.

Libri Esdræ & Nehemiæ nos docent reip. Hebraicæ restaurationem, & simul formam regiminis tempore Templi secundi. Zorobabel in primo reditu populi Judaici in Palæstinam ex mandato regis Cyri dux fuit seu princeps, Iosue vero summus Sacerdos.
Esd. c. 5. & 6. Et tamen apud Esdram frequens fit mentio seniorum, ex quibus senatus Hierosolymitanus constitutus fuit. nam ibidem dicitur,
c. 5. v. 5. *Oculus Domini fuit super senes Iudaeorum*, & iidem senes etiam vo-
c. 6. v. 7. cantur principes. Rex respondet Samaritanis Iudæos accusantibus his verbis: *Permittite fieri Templum Dei illud à Duce Iudaeorum & senioribus* &c. Et paulo post ait Esdras: *Seniores ædificabant Templum, seu domum Dei*, & per eosdem fiebat templi dedicatio & festi Paschatis celebratio.

Secundo reditu, anno fermè octuagesimo post Zorobabelem Esdras Sacerdos cum Iudæorum multitudine & frequentibus donis, munitus edicto regis Artaxerxis Longimani, venit Hierosoly-
Esd. 7. 25. mam. Regis autem verba ad Esdram inter cætera hæc sunt: *Tu autem Esdra secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue judices & præsides, ut judicent omni populo* &c. Et sic Sechenias nomine populi ad Esdram: *nos prævaricati sumus in Deum nostrum, &*
10. v. 4. 8. *duximus uxores alienigenas* &c. *Surge, tuum est discernere, nosque erimus tecum* &c. dixit Esdras: *Omnis qui non venerit in tribus diebus juxta consilium principum & seniorum, auferetur universa substantia ejus, & ipse abjicietur de cœtu transmigrationis*. Esdras potestatem à rege acceperat, & tamen eâ non utitur, nisi ad monendos populares; deinde
Esd. 10. 14. decernendi libertatem Senatui relinquit. à quo paulo post jubetur, ut delegati ab oppidorum senatoribus ad communem, id est, Hierosolymitanum Senatum veniant, & attestentur facta divortia: nam quamvis rex auctoritatem Esdræ dederat, & tanquam deductor co-

coloniæ

loniæ ab eo eſſet conſtitutus: ille tamen, ut diximus, aliorum quoque & ſeniorum adhibebat conſilium.

Idem gubernandi remp. modus etiam eſt obſervatus ab Nehemia, cujus profectio Babylone Hieroſolymam evenit annis 72 poſt illam Eſdræ. Et cum Nehemias veniret Hieroſolymam, invenit ibidem Eſdram adhuc ſuperſtitem, quicum res Judaicas correxit. Apud Eſdram vocatur Nehemias Dux, & ducis officio paſſim fungitur; populum & populi principes convocat, muros urbis ædificat, cuſtodes eorum conſtituit, & dedicationem celebrat, uxores alienigenas pellit, Tobiæ ſupellectilem è Gazophylacio rejicit, Sabbati violatores punit, optimates objurgat, fugat nepotem ſummi Sacerdotis Eliaſib, qui gener erat Sanabelletæ alienigenæ: imo mundat Sacerdotes & Levitas ab alienigenis, ordines eorum conſtituit, de collectis ad uſum templi & ſacrificiorum, item de primogenitis, primitiis, decimis præceptum dat pro poteſtate ſibi ab rege conceſſa, quandoque etiam in facto extraordinario: quia peccarant & populus & optimates, & Sacerdotes, & ipſe in ſuo nepote Pontifex maximus. Ita ut fuerit regimen Ariſtocraticum cum Principe in initio ſecundi Templi. Pauci enim principes ut Zorobabel, Eſdras, Nehemias, rexerunt populum Judaicum, idq; de conſilio Senatus & aliorum Magiſtratuum. Poſtea ſub Pontificibus magis ad Democratiam flexit ſtatus, ut notat Joſephus, & inde, ut fieri ſolet, ad tyrannidem. Summi Sacerdotes fuêre Ioſue, filius Ioſedes, Ioakim, filius Ioſue, Eliaſib filius Ioakim, Iojada filius Eliaſib, Ionathan filius Iojadæ, & Iaddus filius Ionathan, quorum meminit Nehemias. Iaddus eſt ille Pontifex, qui cum Sacerdotibus & populo Hieroſolymitano dicitur occurriſſe Alexandro Magno, verſus Hieruſalem cum exercitu properanti: qui cum in templo ſacrificaſſet Deo Iſraëlis, Iudæis petentibus ut patriis legibus vivere ſibi liceret, & ut ſeptimo quoque anno, id eſt, Sabbatico, concederetur tributorum immunitas, conceſſit omnia.

Grotius in initio lib. Nehemiæ. — *Nehemias cap. 12. & 13.* — *Nehem. cap. 12. v. 10. & 11.* — IADDVS *Pontifex Max.* — *Ioſ. ant. lib. 11 c. 8.* — ALEXANDER MAGNVS

Cum Alexander annos 32 & menſes 8 natus eſſet moritur Babylone, cum imperaſſet annos 12. Regnum ejus præfecti & duces exercitus Macedonici primarii partiti ſunt. Iudæa manſit in poteſtate regum Syriæ. Habuit Iudæa antea proprios ſuos duces, ſed tempore Alexandri, & poſt Nehemiam nulla ducis aut principis fit mentio: quo tempore ſuberat imperio Pontificis Maximi, ut etiam deinceps.

A M. 3661. V.C 431. Ante Chriſtum. 323.

Ex Levitica gente, *inquit Cunæus*, post templi urbisque restaurationem (*post tres duces prædictos*) primum Pontifices rebus gerendis præfuerunt, nullo principis aut regis nomine assumpto. Apud hos omnis gratia, potentia, divitiæ erant; aut ubi illi volebant; cæteri vulgus erant, sine honore, sine auctoritate. Itaque tanti muneris decus non mediocribus consiliis appetiverunt, qui Levitæ modò essent. Quidam per vim, plures fraudibus fallaciisque: at pauci illùc verâ viâ nitebantur: nihil turpius cogitari potest, quam quod post Eliasib pontificis mortem duo filii (*aut nepotes*) fecêre: nam & Jesus summum Sacerdotium ope Bagosis ducis Barbari per nefas fratri Ianni (is est Joathan apud Nehemiam) ereptum ibat, qui ritè illud atque ex lege acceperat. Et Iannes, ut acceptum retineret, majus flagitium in se admisit: illum enim ipsum Jesum in templo numinis atque inter religiones, manu suâ obtruncavit, fratrisque sanguine respersit aras. Ianni non multò post successit Iaddus. Atque hujus pontificatum rursus Manasses frater speravit; sed is Manasses cum contra legis edictum Sanabelletæ filiam, mulierem peregrinam, in matrimonio haberet, ortâ hinc populi seditione, intellexit, aut solvendam sibi affinitatem soceri potentissimi, aut herclè, quod secundum erat, amittendam spem esse summi Sacerdotii. Socer ergo, ab Alexandro potestatem nactus, templum genero in monte Garizin ædificat: sic Manasses, homo ambitiosus, ob violatam legem, in templo adulterino profani Sacerdotii munus obit.

Post Alexandrum regnarunt in Syriâ diversi reges, sub quorum imperio etiam fuit Judæa, sed sine propriis ducibus, quemadmodum sub regibus Persarum; nam eorum loco potestas fuit apud summos Sacerdotes, ut jam dictum, qui tamdiu patrium servarunt ritum, donec per seditiones omnia fuêre venalia, & pessimi etiam, idque regum avaritiâ, summa consequerentur Sacerdotia.

Ptolomæis, Ægypti regibus, quibus annuum solvebant tributum, trecenta nimirum argenti talenta, diu subditi fuerunt Judæi, sed Antiochus Magnus cum Syria & aliis multis provinciis sibi eos subjecit. Hic est ille Antiochus, quem L. Corn. Scipio Consul, dictus postea Asiaticus, cum P. Corn. Scipione Africano fratre legato superavit, & cui pacem concessit, ut regionibus omnibus, quæ erant cis Tau-

Ios. l. 12. 3. *Livi. l.* 34. *&c. Florus* 2. *c.* 8. *Iustinus* 31. *Eutrop.* 4.

Taurum montem cederet, & mille talenta per annos singulos, vectigalis nomine Romanis solveret.

Antiochus Epiphanes, id est Illustris, ejus filius, homo ferox & crudelis omnia sacra profanaque Hierosolymis & per totam Judæam conculcavit, & in editiore urbis loco arcem condidit, & præsidio Græco munivit. Erat tunc pontifex Onias tertius, Simonis secundi filius, vir bonus, cujus pontificatum ab Antiocho majori tributo mercatus est Jason, dictus Jesus, illius frater, homo nefarius, qui gentiles ritus Hierosolymam invexit: Quare Onias pulsus abiit Antiochiam. Josephus illo mortuo mandatum Jasoni Sacerdotium scribit. At hoc exile est, præ ut alia sunt, *inquit Cuneus*, quæ Onias quartus fecit; hic vocari voluit Græco nomine Menelaus, ut precedens Jesus, Jason, ut Epiphani placerent, qui cupidine dominandi, iisdem artibus quibus Jason, pontificatum obtinuit. Is pontifex factus cum imparem se fratris Jasonis factioni cerneret, in gratiam Antiochi Epiphanis, quod illo defensore indigebat, leges Mosaicas ejuravit, pro quibus religiones & ritus suscepit Græcorum. Tum &, ne circumcisionis notas in corpore gereret, præputium arte medicâ paravit, suisque omnibus, idem ut facerent, auctor fuit. Demum Antiochi Epiphanis impietas, ministro hoc pontifice, omnia Judæorum instituta pervertit, ornamenta Templi abstulit, in altari à se in templo structo porcos obtulit, circumcisionem prohibuit, viros suspendit & laniavit, fœminas cum infantibus jugulavit, sacrum codicem combussit, idolum Jovis Olympii super altare Dei posuit, imo passim diis est sacrificatum.

Antiochus Epiphanes. A. V. 578. ante Christum 176. 2 Machab. 3. 4. Iosep. l. 11. c. 6. Iosep. l. 12. cap. 7.

Et jam nihil prisci integrique moris supererat, cum Matthias seu Mathathias Hasmonæus de stirpe Ioarib Sacerdos, occiso regis satellite & Hebræo, profanos ritus obeunte, arma sumpsit, leges suas Iudæis reddidit, remque publicam principis nomine, *primus tempore pontificum imperantium*, sub imperium accepit. *Cuneus.*

cap. 8. Mathathias Hasmonæus. A. V. 587.

Mortuo illo, principatum gessit filius Iudas, is qui dictus Machabeus, sed vis tamen magna auctoritasque in pontifice fuit. Quare Antiochus Eupator, Epiphanis filius, postea Hierosolymam dolo ingressus, cum Oniæ seu Menelao pontifici diffideret, quod ex illo populum & rerum momenta cernebat, pontificem in ejus locum

cap. 10. Iudas Machabæus. cap. 15.

 Alcimum,

Alcimum fecit. sed is, sacrum honorem ubi adeptus esset, longè pravior fuit. statim enim ad Demetrium, Seleuci Epiphanis fratris filium transiit, principemque Iudam, quem ferre imperitantem nequibat, criminatus apud Regem est. Inquieta in se res est
Ios. 12. 16. impietas, nunquam uno scelere contenta fuit. Igitur Bacchidem regium præfectum cum armatâ manu adversus patriam adduxit: reversoque illo re infectâ ad regem, copias militares quas à Bacchide acceperat, concursu hominum sceleratorum auxit. Omnes undique parricidæ, sacrilegi, adulteri, quos flagitium consciusque animus exagitabat ad Alcimum venêre, & ipse blanditiis, alloquiis, largitione omnium officia provocabat. Ad extremum præclarus hic
Ioseph.l 12. pontifex muros etiam sanctuarii, qui à vatibus atque Hasidæis e-
c. 17. rant ædificati, diruere paravit: ut hoc quoque ad ejus laudes ac-
IVDAS. A.M. 3820. cederet. sed talia meditantem mors occupavit.

V.C. 590. Judas, Alcimo mortuo, à populo constitutus est Pontifex, qui
Ante Christum 163. omnium primus summum Sacerdotium unà cum principatu gessit. Is post multas victorias templum purgavit, verum Dei cultum, qui annis tribus erat intermissus, & rem Iudaicam restituit. Idem missis Romam legatis, fœdus cum Romanis iniit. Iudæ
IONATHAN. successit Ionathan, fratris præclarus sectator, & in imperio
Ioseph. 13. *c.* 4 8. 9. & in pontificatu. Hujus tempore Onias filius Oniæ quarti seu Menelai pontificis maximi, consensu Ptolomæi & Cleo-
6. patræ Leontopoli in Ægypto in præfecturâ Heliopolitanâ condidit templum Hierosolymitano propemodum simile: sed con-
9. tra leges Mosaicas. Eodem tempore ortæ sunt sectæ tres apud Iudæos, nimirum Pharisæi, Essæi, & Saducæi. quorum opinio-
SIMON. nes vide apud Iosephum. Tertius Mathathiæ filius nomine Simon
Ios.l. 13 *c.* 9. & 18. & *lib.* 2. *c.* 12. *bell. Iud.* *c.* 11. 12. 13. fratrum non degener successor, inito cùm Demetrio fœdere immunitatem Iudæorum ab eo nactus est; Gazam & arcem Hierosolymitanam expugnavit, muniit, & deinceps habitavit.

Simoni succedit filius Ioannes, Hyrcanus cognomento; qui
IOAN. HYRCANVS omnes principes, summì Sacerdotes, & Hasmonæi fuerunt. hic post præclaros suos majores longè latèque ditionis suæ fines protu-
c. 17. & 19. lit, diversa oppida expugnavit, & in his Garizin Samaritanorum, ubi templum eorum conditum ante annos ducentos, tempore

Alexandri Magni, subvertit. Idumæos bello subactos ritus Iudaicos cum circumcisione coëgit accipere. regnavit annos 31.

Ioanni patri substituitur filius Aristobulus, qui primus pedo pastorali addidit diadema regium. Homo execrandus & impius, nam matrem & Antigonum minimum fratrem sustulit, reliquos tres in vinculis habuit. Quò mortuo ejus uxor Salome, seu Alexandra, Alexandrum, unum ex tribus mariti fratribus regni & conjugii sui compotem fecit; qui fratrum alterum occidit, alterum vitâ privatâ vivere permisit: homo crudelissimus, qui annis sex non minus quam quinquaginta millia Iudæorum interemit, imo uno tempore octingentos Iudæorum optimates cruci affixit; rexit nihilominus annos septem supra viginti. Ex Alexandrâ duos suscepit filios, Hyrcanum pacis & otii, & Aristobulum, belli & regni cupidiorem. Uxori regni administrationem testamento reliquit, pro cujus arbitrio Hyrcano pontificatus datus est. Aristobulus privatus vixit. Imperavit Alexandra annos novem, quâ mortuâ, noxia libertati Iudaicæ inter duos fratres bella sunt gesta. Nam victus ab Aristobulo Hyrcanus, consilio Antipatri Idumæi, confugit ad Pompejum bello Mithridatico occupatum, qui hanc Iudæam invadendi occasionem non neglexit; sed avidus, more Romanis assueto, arripuit. Properans cum exercitu versus Hierosolymam, urbem expugnavit, templum ingressus est, sed sacrum templi thesaurum non attigit: quem tamen paulo post abstulit M. Crassus, Syriæ Proconsul. Aristobulum Hyrcani fratrem vinctum Romam abduxit, unà cum Alexandro & Antigono filiis & totidem filiabus. Hyrcano jus pontificatus restituit. Julius Cæsar postea Judææ præposuit Antipatrum procuratorem, Herodis patrem, hominem pecuniosum, idque sub potestate Prætoris seu Proconsulis Syriæ. Alexander filius Antiochiæ jussu Pompei securi, Aristobulus pater Romæ per Pompei fautores veneno sublatus est. Anno ab V. C. 705.

cap. 19. ARISTOBVLVS. *Primus rex Hasmenæorum & Levitarum.* V. C. 650. ALEXANDER *cap. 21.* *cap. 22.* *Ioseph. l. 13. c. 23. 24.* HYRCANVS. *Ioseph. lib. 14. c. 4. 5. 6. 7. &c.* *Prima Iudæorum servitus.* V. C. 691. *cap. 15.* *Ioseph. lib. 14. c. 13.* *cap. 25.*

Antigonus, Aristobuli alter filius ad Parthos confugerat, quos pacto mille talentorum in Iudæam accivit, à quibus capta est urbs, & cum eâ Hyrcanus Pontifex maximus Antigoni patruus, qui auribus mutilatus, ne ad Sacerdotium rediret, ab iisdem est abductus.

ANTIGONVS. V. C. 714.

Jos. l. 14. c. 26. Herodes Antipatri procuratoris Judææ filius à Parthis Antigonoque fugatus, Romam venit, ubi per Antonium & Octavium à Senatu precariò Rex renuntiatus est anno Juliano sexto. Hæc est prima regni Herodiani ęra. Paullo post in Judęam reversus Sosii operâ urbem & Antigonum capit, qui postea, instinctu ejusdem virgis cæsus, securi percutitur. Hęc est altera regni Herodis ęra, triennio priore posterior, Julianus annus nonus, Urbis 716. Agrippâ & Gallo Coss.

Jos. l. 14. c. 28. *Secunda Iudæorum servitus.*

A.M. 3947. Jos. l. 14. c. ult. Sic Hasmonęorum imperium, & stirpe & pontificatu illustre, ut inquit Josephus, post annum centesimum vigesimum sextum finem habuit.

HERODES. lib. 1. c. 16. Pulso ergo occisoque Antigono, Hasmonæorum rege novissimo, (*inquit Cunæus*) regnum tenuit Herodes, homo, non, hercle, regiâ stirpe, neq; Sacerdotali familiâ ortus, sed de Idumęorum gente (proselytus) insititius Judæus. Non enim Idumæi veri erant Judæi, sed habiti modo appellatique sunt Judæi, ex qua tempestate eos Hyrcanus religiones ceremoniasque suscipere veri numinis coëgit. Ille, ut benè de populo Judaico mereri videretur, Hierosolymis templum de integro construit, mille plaustra, quę lapides adveherent, parat, decem millia artificum, mille Sacerdotes structuræ peritos pręter reliquos operarios eligit: & sublatis veteribus fundamentis, magnis

Jos. 14. 17. sumptibus nova jecit. *Vid. Joseph.* Celebrata est Hameę vaticinatio, qui Herodem Iudæis regem datum iri, sed in pœnam pestemque multò ante prædixerat; neque profectò aliter cecidit: statim enim ille

l. 15. c. 10. c. 11. Idumæus Aristobulum admodum juvenem, mox Hyrcanum ex Parthis allectum, & postmodum Mariamnem uxorem ejusque matrem, Alexandram, & liberos Alexandrum & Aristobulum, pręclaræ in-

l. 16. c. 17. dolis adolescentes, & quicquid de Hasmonæorum sanguine supererat, homo crudelis & ambitiosus, extinxit sustulitque, paucis ante

A. Iuliano 42. aut 43. obitum annis; & eodem ferè tempore, quo Christus verus Rex Iudæorum, mitis & humilis, regiâ stirpe Davidis ortus, in salutem generis humani natus est Bethlemi in Iudęa, quod omnes ferè veteris Testamenti Prophetæ diu antea prędixerant, & pręcipuè magnus, nobilis & Euangelicus ille Propheta Esaias: A. M. 3947. secundum

A.M. circiter 3947. Calvisium; sed Chronologorũ magna hic est dissensio. Hoc pręcedens, & secundum mundi tempus, vocatur *tempus sub lege*: ut sequens, *sub gratia*.

P. Cu-

P. Cunæus Reip. Hebraicæ *lib. 2. cap. 9.* *de Levitarum regimine.*

DIssensione tribuum ortâ, cum à Iudæis divortium cætera gens Israëlitarum fecisset, relictis urbibus, quas inter Israëlitas habebant, *Levitæ* eam partem amplexi sunt, quæ patriò more integra, incorruptaque religionum solennia tenuit. Sed ut nihil perpetuum est, tandem post Babyloniense exilium, cum extructum templum secundum esset, temporum iniquitas, bellorumque æstus quâdam fati lege caussam deposuit ad aliud schema. Primò enim pontificatum maximum gerere ii ex Levitis ausi sunt, quibus per legem illud affectare non licuit. Ea quasi materies omnium malorum fuit: fecit enim avidos nimia felicitas; nec tam temperatæ cupiditates fuêre, ut in eo, quod contigerat, desinerent. Gradus à magnis ad majora factus est; & qui insperata acceperant, spe improbiore principatum assecuti sunt. Et tandem verò, quasi actum nihil esset, regio nomine assumpto diadema capiti imposuêre. Hinc insidiæ inter illos, doli artesque patritiæ, & nulla modestia votorum. Ex qua enim tempestate sibi pulcrum duxerunt supra rempublicam stare, quâ viâ illuc pervenirent, dum pervenirent modo, nihil pensi habebant. Ita qui rarissimam laudem, & nulli adhuc ordini concessam, concupiverant olim innocentiam: postremò mutatis studiis, omnia divina humanaque promiscua habuerunt, unius arrogantiæ superbiæque dominio.

Idem de Hæresibus sectisque sub templo secundo. *lib. 2. cap. 17.*

Illud, herclè, constat, non semel Judæos, à recto numinis cultu ad sacra peregrina atque ad falsos Deos sese convertisse; unde tot vatum conciones in eam gentem fuêre, quas etiam nunc hodie amplissimis literarum monumentis consecratas, viritim terit publicus usus. Sed rursus illud observavimus, sub posteriore templo Iudæos, cum ab omni idololatriâ alienissimi erant, diverso genere vitiosos

tiosos fuisse. Etenim ex illo tempore variis traditionibus sacri codicis, dissensionibusque de religione, deque rebus divinis inter se pugnaverunt. Quare aliud malum, non leve profectò, ortum tunc est, sectæ hæresesque. In partes enim se divisêre varias homines malè curiosi, atque uno ex errore infiniti, diversi omnes & contrarii nati sunt. Iam pridem Sadducæorum vesana opinio permultos tenuit, esse animas, ut corpora, mortales, neque post vitam pœnas aut præmia bonos malosve sequi. Et rursus Pharisæi, homines supra modum factiosi, commentis suis legem divinam multò latius, quam summus Moses voluit, extenderunt. Ex quibus dehinc Essæi, tertium genus orti, religionum sanctimoniam omnem, paullo magis scrupulatim ad anxias quasdam superstitiones exegerunt. Hæc dissensionum atque sectarum nomina tunc reperta demum sunt, cum vates sacri sub templo posteriore nulli essent, & idolorum cultum nesciret Iudæa natio. At ante cum prophetarum vox Palæstinam sub priore templo personaret, idololatriam quidem secula viderunt, hæreses autem, perversæque & pugnantes de religione sententiæ nusquam erant. Cujus rei ratio perquam probabilis edi potest. Enimvero quâ tempestate vates verba cum numine commutabant, aut alio pacto cælitus accipiebant, quæ publicanda mortalium generi erant, nullæ disceptationes controversiæque oriri de sacrorum curatione, deque legibus & præceptionibus divinis poterant, propterea quod erant in medio, qui mortalium ineptas hæsitationes & disputandi intemperiem resecarent. Auctoritate enim plusquam humanâ armati vates, legum sacrarum atque ipsius numinis voluntatem proloquebantur. Quare qui illis auscultare recusabant, profecto, quoniam infirmitate judicii aut errore aut ignorantiâ labi in pravos sensus nequibant, necesse fuit ut refractarii contumacesque fierent, & excussâ pietate, ad idolorum cultum desciscerent. Nihil medium erat: capessenda vatum imperia erant, aut ponenda numinis reverentia fuit. At sub templo posteriore, cum prophetas major vis afflatusque divinus non ageret, omnia hæc secus fuêre. Quoniam enim jam nusquam erant sacrarum legum cœlestiumque arcanorum consulti, in quorum verbis inesset plena fides, continuò dehinc mortales, non contenti scire quæ ab illis acceperant, ardorem mentium

ultra

ultra ad rimandum omnia tulêre, & suis se tenebris involvit humana imbecillitas. Quare controversias & quæstiones ex sacris literis eruere, morbus esse cœpit deterioris ævi. Thalmudicorum illud est, octodecim res esse, de quibus contentio fuit inter familiam Hillelis & Sameę, quas nec Helias quidem expedire possit. Profectò hoc est ad desperationem desipere. Adeò enim nodosa atque intricata commenti sunt duo illi dissidentium sectarum duces, ut nec vatem quidem, nec cœleste oraculum ferre opem potuisse autument. Accedit quod sub priore templo lex recitata duntaxat à Levitis populo est, aut etiam domi à singulis legebatur. Interpretatio magistrorum, commentatioque nulla erat. At sub posteriore oraculis cessantibus, receptum paulatim more publico est, ut verba Biblici contextus sensaque explicarentur. Ad quam rem eruditi ingenium suum advocavêre. Ex quo natę disputationes sententięque contrarię sunt, & cum pertinax studium pravaque ambitio accederet, sectę atque hæreses extiterunt. *Hactenus Cunæus, appositè ad hodierna tempora.*

D. Blondellus, de Sectis & Scriptis Judæorum.

EPiphanius circa annum 366. rogatus à Monachis Armeniis, ut ipsis catalogum hęreseon pertexeret, non solum Philosophorum sectas recenset, sed etiam inter Iudęos novas quasdam sectas comminiscitur, ut Scribarum, Nazaręorum, &c. Scribæ enim non fuerunt secta, sed fungebantur munere interpretum legis divinæ, & omnes ex Pharisæis eligebantur. non erat ergo secta peculiaris, sed munus inter Judæos, nec omnes Pharisæi erant scribæ, sed plurimi. Neque Nazaræorum sectæ ulla fit mentio in Sacra Scriptura, nec ulla unquam fuit, quam tamen exstitisse somniat idem Epiphanius, & sectæ nomen iis tribuit.

Tres sectæ stante synagogâ inter Judæos fuerunt. Prima erat Sadducęorum, qui inter Judęos magni fuerunt ęstimati; nam ferè omnes illustriores & nobiliores se isti sectæ addicebant. Ananias summus Pontifex, de quo fit mentio *Act.* 23. dicitur sectę fuisse Sadducęorum,

nulla dogmata communia inter Iudæos recepta habebant, ut de providentiâ Dei, resurrectione &c. Prophetas parvi faciebant, sed tamen hoc palam dicere non audebant; nam populus illos non tulisset, quia omnem religionem evertebant, hinc semper larvati fuerunt. Scelestissima fuit inter Iudæos secta, nulla inter eos vel societas vel humanitas colebatur. Josephus etiam fatetur ipsos in se truculento fuisse animo: mirum itaque non est, legis studium & pietatem eos neglexisse, cum Dei providentiam & resurrectionem mortuorum tollerent. Quis enim pietati operam dabit, qui retributionem & præmium non speret? hi & μετεμψύχωσιν inducebant, quemadmodum Pythagoræi. Hinc hodierni Judæi animam Esau in Dominum Jesum transmigrasse dicunt.

Altera fuit secta Pharisæorum, minus quidem scelesta, sed nimis superstitiosa: qui quidem magni faciebant Prophetas, sed multa de suo addebant, & traditiones majorum legi æquabant, ac magnâ religione servabant: inde reprehensi à Domino, quod legem infecerint fermento suo. Nihil à magistris doctum negligebant, sed tam acriter urgebant ac verba Dei: cum decimas solvere Levitis jussum esset, scrupulosè admodum id isti agebant usque ad mentham, anethum & cuminum, ut eis exprobrat Dominus Jesus *Matth.* 23. 23. quasi ejusmodi observationibus externis consisteret religio. Hæc igitur vanitas hujus sectæ fuit, quod sanctitatem & justitiam arrogarent non secundum legem, sed secundum traditiones majorum: & summam perfectionem ostentarent, quæ tamen in nullo est homine. Hoc quoque ex præcipuis hujus sectæ criminibus fuit, quod turgerent fastu, prout *Luca* 18, apparet in parabolâ de Pharisęo Deo gratiam agente, & Publicano supplicante, quem tamen justificatum magis recessisse dicit Dominus quam Pharisæum. Præter hęc erant admodum factiosi & affectantes summum imperium, ut si quis aliquid machinaretur, illos in suas partes assumeret. Epiphanius, qui sibi os oblini ab iis, qui ipsum decipiebant, patiebatur, multa ipsis insuper crimina tribuit immeritò: ac primò quidem ipsos ita fatum agnoscere, ut tamen nihilominus liberum arbitrium statuerent. Nam Pharisæi dicebant homines omnia liberè agere & consultò, ergo non potuerunt recipere fatum Stoicum,

quod

quod omnem arbitrii libertatem tollit. Hæc enim ſe mutuò evertunt. Deinde ipſos 12 vel 8, item aliquos 4 annis virginitati operam dediſſe: quod repugnat Euangelio, ibi enim dicitur ipſos uxoribus libellum repudii dediſſe, ut *Matth.* 19. tum etiam in moribus erat Iudęis uxores ducere, ſecundum quos illi vivebant. Præterea quod, ne ſomno opprimerentur, lectulos dodrantales ex calculis ſubſternerent, ab utrâque parte lectuli ſpinas apponentes, ut ſi fortè deciderent, ſtatim expergefierent, atque ita, velint nolint, vigilare cogerentur, ſed hoc alienum eſt. Poſtremò quod uterentur palliis muliebribus; quod repugnat legi, quæ vetat ne induatur vir veſte muliebri, aut contra, *Deut.* 22. 5. & Phariſęi gloriantur ſe accuratiſſimos eſſe legis obſervatores: ſed pro more Iudæorum habebant fimbrias ad oram veſtis, quas dilatabant, in quo magnam juſtitiæ partem ponebant, prout ipſis objicit Dominus Jeſus *Matth.* 23. 5. ſi tollatur ſuperſtitio ipſorum, inculpatę vitę fuiſſe videri poſſunt.

Tertia Eſſenorum ſecta minor quidem fuit numero, ſed majore faſtu & ſeveriore diſciplinâ. Ioſephus 4000 fuiſſe aſſerit, ſed locum ubi habitarent non aſſignavit, & tamen ſeorſum eos habitaſſe ſcribit. nonnulli per urbes diſſeminati erant, alii in agris degebant, opificiis ſuis intenti in commune vivebant. nemo eorum prodibat in publicum, ne quidem in templum, quia à populo nolebant contaminari, & ſe reliquis ſanctiores putabant; ideoque cum ipſis in templum ire nolebant, ſed anathemata quædam miſerunt, & ſeorſum à reliquis ſacrificarunt. Hinc apparet quare eorum nunquam in Euangelio facta fuerit mentio, quia ſcilicet ſemper latebant, nec obvii fuerunt Domino Jeſu & Apoſtolis: nec quęſtionibus eum adorti ſunt, quia neque ab aliis diſcere neque alios docere volebant: ſuam juſtitiam & ſanctitatem præferebant Euangelio, imo tantopere à conſortio hominum abhorrebant, ut etiam in deſtructione Hieroſolymitanâ maximè Romanis reſiſterent, nec niſi vi & tormentis adacti prodirent è latebris ſuis, ita ut illorum vita Monachorum noſtratium vitam referret. Philo Iudæus duo eorum genera proponit, Practicorum & Theoreticorum. Practici erant θεραπευταὶ & medici, qui noverant herbas, & maximè curabant ea, quę ad ſanitatem promovendam facerent, & attendebant ad ea quę corpori inſerviunt, & dediti

diti erant agriculturę: quapropter in amœnissimâ vivebant regione, à meridie lacus Asphaltitis, ut refert Plinius; qui non videtur inter maritales & solitarios distinxisse. Refert idem post cœnam ipsos in multam noctem choros duxisse, viros à mulieribus separatos in alium locum secessisse. Unde refelli potest error veterum, qui putabant hæc ad Christianos pertinere, inter quos nullus chororum erat usus. Nemo in ipsorum societatem admittebatur, nisi prius per triennium probatus: per annum seorsum vivere cogebatur, tribuebaturque illi vestis candida & dolobella, quâ terram effoderet si quando alvum exoneraret, nec ad consortium admittebatur. Anno elapso lavabatur frigidâ, cum ipsis tamen non comedebat, nisi triennio elapso. Postquam admissus erat, ab omni re impurâ & quæ sordes admixtas habebat, abstinebat. imo exercitationibus quibusdam initiabatur, à furtis, à mendaciis, à vi omnimodâ, à profanis & impuris se abstenturum promittebat: qui vero ita se obligaverat, ne latum quidem unguem à Magistrorum doctrinâ se discessurum dicebat: sic etiam eorum προεστῶτες omnia ex æquo se acturos spondebant, neque fastu elatos se fore, nec unquam potestate suâ abusuros, nunquam discessuros ab observatione legis, & librorum sibi ab angelis traditorum; unde probatur illos angelos coluisse: nunquam gratiam facturos iis, qui ab ipsis recesserant. Qui inveniebantur crimen aliquod commisisse, statim ex eorum cœtu ejiciebantur: ejecti autem miserè vivebant, gramen edebant: sed nonnunquam fiebat, ut misereſcerent aliquorum, qui tùm recipiebantur. Hac in parte sanctiores erat cæteris; sed inter se tanto fastu elati, ut vix ferendi essent. Distinguebant se in quatuor ordines: tam primi à secundis, quam tertii à secundis, & tertii à quartis distabant: tam autem primi se supra alios extollebant, ut vix aspectu eos dignarentur. Imo si quis ex iis qui post accederent, aliquem ipsorum attigisset, statim se abluebat, tanquam isto contactu pollutus. Matrimonio etiam se non alligabant, paucos tamen excipit Josephus, qui uxores duxerant: tollere quidem istud volebant, sed verentes ne prorsus interirent, aliquibus matrimonium concessum est. Uxores autem eorum per tres annos probabantur, & probæ inventæ tum demum ducebantur. Imo inter eos qui austerioris

rioris erant vitæ quidam matrimonium admittebant: dicebantur vero cælibes vivere, quia minor eorum pars se matrimonio addixerat. Quotidie ante lucem surgebant, nihil ante preces loqui debebant. usque ad horam quintam operabantur, postea novas vestes induebant: tum factis precibus unicuique cibi ferculum apponebatur. De providentiâ divinâ rectè sentiebant, sed tamen de fato aliquantulum admiscebant. Malè autem sentiebant de animâ, nempe eam esse promanantem ex puro æthere, & animas è cœlo migrasse, & corpori tanquam carceri alligatas esse: quem errorem postea recoxit Origenes, qui dicebat animas de cœlo detrusas, ob peccata quasi captivas manere in corporibus, nec ab eâ servitute & pœnâ, nisi morte sôlâ liberari. Etiam hoc reprehensione dignum est, quod in rebus leviculis & parvi momenti ponerent sanctitatem: distincti hac in parte à Sadducæis, qui non tantum hæc, sed etiam dicta Prophetarum spernebant. Hoc etiam erat valde ridiculum, quod si, quando convenirent, aliquis in isto conventu excreasset, aut à dextrâ parte sputum emisisset, statim pollutus haberetur. Illi itaque abutebantur nomine sanctitatis. Quid enim situs corporis ad sanctitatem, si modo absit inhonestum. In observatione Sabbati ridiculè agebant: vetitum ipsis erat eâ die alvum purgare, & si natura urgeret, vim ei faciebant; ne vasculum quidem ex uno loco in alium transferre licitum erat. Itaque desides & immoti eo die jacebant, & in his sanctitatem ponebant: itaque apparet eos plus externis illis rebus tribuisse, quam veræ sanctitati. Etiam ab omni servorum usu abstinebant, & sibi invicem serviebant, quia id viro probo indignum putabant: nullum discrimen admittebant inter liberos & servos, quod pugnat cum toto Judaismo, & cum primo Christianismo; quia inter eos usus servorum vigebat. qui servus ad Euangelium vocabatur, in statu suo manebat, & dominus possessione servorum non privabatur: quod patet de Onesiphoro ex epistolâ ad Philemonem. non destruxit Euangelium servitutem, sed sanctificavit, quod tamen Esseni destruebant. Sub finem paullò ante nativitatem Domini, inter Judæos exorta est alia secta Galilæorum. cum enim dolerent Herodem regem esse, regnumque

ad exteram familiam transiisse, item Romanorum jugum ægrè ferrent, duce Iudâ Galilæo rebellarunt: Et tandem tempore Berosi aucto numero eò devenêre, ut nullum dominium, ne dominii nomen quidem agnoscerent. meminit ejus Iosephus. Hi clandestinis motibus pelliciebantur, jugumque Romanorum & Iudæorum excutere suadebantur. Hinc apparet quam misera ipsorum conditio fuerit, quo tempore Dominus manifestatus est, quia alii præ aliis in sanctitate eminere volebant, & nemo verę pietati studebat. Nullus ferè inter eos scriptor Ecclesiasticus tunc exstitit, & Thalmud quidem eorum Hierosolymitanum compilatum est anno 191. Thalmud vero Babylonicum anno 500. Thalmud idem est quod doctrina, in quâ non nisi quoddam jus Civile & Canonicum Judęorum continetur, cum variis Rabbinorum interpretationibus, divinæ propè est apud eos auctoritatis. Primam enim ejus partem Mosen ore à Deo traditam accepisse volunt. quam traditionem iidem Kabala dicunt, & Mosis & prophetarum scriptis præferunt: & tamen multa stolida, inepta & miseranda in iis continentur. *Boxhorn. ex Buxtorf. de Synagoga Iudaica.*

Philo addictissimus fuit sectæ Pythagoræorum, eloquentissimus sui temporis, & versatissimus in Philosophicis: sed omnia pervertit, ut legentibus eum apparet. Nam legem ad allegorias traxit, totam templi structuram vult esse constitutionem mundi, nihil ad spirituale, sed omnia ad carnale applicat. Deinde etiam magnam Theologiæ partem in numerorum observatione & distinctione ponit, prout & omnes Pythagoræi.

Josephus non videtur adeo versatus fuisse in libris Philosophicis, sed valde studuisse moribus Græcorum & Romanorum. Valde propendet in partes Ethnicorum, unde cum judicio legendus. super scripto Sibyllino, non super historiâ, quæ in lege exstat, struit narrationem turris Babylonicæ: Salomoni tribuit quædam, quę certè non conveniunt ipsi, videlicet magiæ operam dedisse, & herbas ad magiam applicuisse. Ubique etiam ferè Ethnicorum favorem captat, atque hinc fit ut magis phrases suas à Græcis & gentibus mutuetur, quam ex lege. Item in contextu Historiæ suæ Hellenicum, Hecatæum & Berosum magis sequitur, quam S. Scripturam. Itaque

moneo, Josephum cum judicio legendum esse: nihil quippe ex eo recipi debet, nisi prius Scripturæ Canonicę consentaneum esse comperiatur. Libri quidem, quos de bello Judaico scripsit, fide dignissimi sunt, quia materiam quam tractat nupera erat, & cognita omnibus, quorum manibus terenda erant ea scripta, qui aut ex relatione ea accepissent, aut ipsis rebus interfuissent, & magnam calamitatum partem ipsi sensissent. Hos cum videret magno omnium applausu excipi, alios attexuit de antiquitate Judæorum, sed non pari fide: utpote in quibus nimium in partes Ethnicorum propendet, & in eorum gratiam quædam à veritate aliena admiscet. Præterea etiam à Christianis, ut alios ad suam religionem allicerent, quædam piis fraudibus ipsius scriptis addita sunt, unde non adeo tutò ipsius historiæ fidere licet, sed judicium adhibendum, ut vera à falsis distinguamus. Hactenus *Blondellus*.

HISTO-

HISTORIA
S A C R A
&
ECCLESIASTICA
ordine Chronographico
&
viâ compendiariâ digeſta,
à
NATALI CHRISTI
Vſque ad annum M. C. XXV.

PROLEGOMENA IN HISTORIAM *NATALIS CHRISTI*, Quibus demonstratur MESSIÆ ADVENTUS.

Animus est ordine Chronographico & quantâ potero brevitate sacram describere historiam. Verum enimvero antequam ad Domini nostri Iesu Christi natalem, unde ordiri proposui, deveniam, opera pretium judicavi præcipua quædam Veteris Testamenti loca præmittere, quibus Christi natalis, patria, nascendi conditio, vita, & adventus tempus luculentissimis indiciis promittitur, prædicitur, demonstratur.

Promisit Christum Deus Genes. cap. 3. 15. Ait Dominus Deus ad Serpentem: inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipse tibi conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneis ejus. *Promittitur semen Mulieris non Viri: ergo virginis semen aut filius comminuet caput Serpentis Diaboli.* Mercerus *testatur veteres Hebræos hunc locum de Messia intelligere & Satana: quin Targum Hieros. apertè hoc loco Christi meminisse, ut & Ionathan, addit* Cartvvightus. *sensum allegoricum vide* Apocal. *cap.* 12. 9. *&* 20. 2. *ubi Serpentis antiqui fit mentio.*

Promisit Christum Deus Genes. 22. 15. Angelus Domini dicit Abrahamo: per meipsum juravi dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedivisti voci meæ. *Hâc de caussâ Messias à Iacobo vocatur Genes. cap.* 49. 10. *exspectatio gentium, quod confirmatur ipsis Christi verbis Matth.* 24. 14. Et hoc Euangelium regni prædicabitur in toto mundo in testimonium

nium omnibus gentibus,& tunc veniet finis,*nempe,regiminis Iudaici: quibusdam finis est consummatio,nempe, huius prædictionis.* 2. Regum 7. 12. *Nathan Propheta verbis Domini ad Davidem*: Cum completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ei ero in patrem, & ipse mihi erit in filium. *Communi sensu hic intelligitur Salomon, a quo templum Domini erat ædificandum, sed sublimiori Christus, qui congregabit Ecclesiam in sempiternum duraturam,& cui Deus erit pater,& cui Christus erit filius.*

Cum sapientes stellâ duce Ierosolymam venissent, & interrogarent,ubi natus esset Rex Judæorum,turbatus Herodes convocat concilium Principum Sacerdotum & Scribarum, & ex iis quærit, ubi nasciturus esset Messias. Illi respondent in Bethleëm Judæ, (quæ alias dicebatur Bethleëm Ephrata apud Prophetam Michæam, ad distinctionem Bethleëm Galileæ)& addunt verba Prophetæ,seu potius interpretationem eorundem, ab Herode convocati legisperiti. Illo Prophetæ loco promittit Deus oppidulo Bethleëm Nativitatem Christi, ubi simul ex nascendi loco originem Messiæ publicis actis testatam facere voluit, ut videre est *Luca* 2. 4. sic autem illi Sacerdotum doctiores sententiam Michææ seu promissionem à Deo Bethleëmo factam Herodi proponunt: *Nequaquam tu Bethleëm minima es inter civitates Iudæ*, propter ortos ex te Principes Judæorum; nam ex te,preter alios jam natos,prodibit seu nascetur dux,qui reget populum meum Israël. Ἡγούμενος pro ἡγεμὼν, Dux,expressit Chaldæus Paraphrastes per Messias. Hanc fuisse receptam apud Judæos opinionem etiam docet *Ioan.* cap. 7. v. 42. ubi sic loquuntur turbæ: *Nonne scriptura dicit quia ex semine David & Bethleëm castello, ubi erat David, veniet Christus* sive Messias? *Lucas Brugensis.*

Matth. 2. 6.

Michæas 5. 2.

Prædicunt suis vaticiniis adventum & natalem Christi, & nascendi modum Prophetæ diversi, & diversis temporibus. Bileam Numerorum cap. 24. Orietur stella ex Jacob & consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab *&c. Virga in Hebræo textu est sceptrum: quo designatur David, qui Moabitas sibi subjecit. Mysticè ea interpretatur Maymonides in fine Misna de Messia.* B. Hieronymus alicubi nullam illustriorem

ſtriorem de adventu Domini exſtare prophetiam dicit. *Calviſius.*

Moſes Deuteron. 18. 15. Prophetam de gente tuâ & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies. *Magnus ille Propheta Eſaias, de Chriſto tam evidenter loquitur, ut qui eum legit verſari ſe putet in Euangelio. Ille cap.* 7. 14. Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel, *id eſt, nobiſcum Deus.* Butyrum & Mel comedet, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum. *Et cap* 11. 1. Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini. *& cap.* 9. 5. Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis, multiplicabitur ejus imperium, ut corroboret in judicio & juſtitia, à modo & uſque in ſempiternum. *Idem* 50. Dorſum meum poſui ad flagella, & faciem meam non averti à confuſione ſputorum. *Zacchar. cap.* 9. 9. Exulta filia Sion, & jubila filia Hieruſalem, ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & ſalvator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinum & ſuper pullum filium aſinæ, loquetur pacem gentibus, & poteſtas ejus à mari uſque ad mare. *Sublimiore ſenſu hæc ad Meßiam referri ait Rabbi Salomo, & Rabbi Saadia Gaon ad Danielem, ubi de eodem hic agi ſtatuit, qui denotatur* Pſalm 72. *&* Daniel. 7. 14. *ut & Aben-Eſdra.* Pſalm 72. *Salomon celebratur, ſed ſenſu ſublimiori pertinet ad Meßiam, ut docet vetus ſcholiaſtes Hebræus hoc loco, & Rabbi Saadia Gaon ad Daniel. & Salomon Iarchi*: Hic Reges Arabum & Sabæ aurum aliaque dona offerunt *&c. & Daniel cap.* 7. 14. Et dedit ei poteſtatem & honorem & regnum, & omnes populi tribus & linguæ ipſi ſervient: poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur. *Eſaias de Chriſto & Ioanne præcurſore cap.* 40. 3. Vox clamantis in deſerto: parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. *Vt etiam Malachias cap.* 3. 1. Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem tuam, & ſtatim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & angelus teſtamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem adventus ejus? *&c. de Meßia hæc accipienda*

pienda consensit Kimchi. Et Ierem. 31. 31. Ecce dies venient dicit Dominus, & consummabo super domum Israël & super domum Juda testamentum novum, non juxta testamentum quod feci patribus illorum, in die cum apprehenderem manum illorum & educerem eos ex Ægypto, quoniam ipsi non persliterunt in testamento meo, & ego neglectui eos habui, dicit Dominus. Nam hoc est testamentum, quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus: dabo leges meas in mentem illorum ; & in corde illorum inscribam illas, & ero illis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et non docebunt quisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum dicentes: Cognosce Dominum, quod omnes cognituri sunt me, ab eo qui pusillus fuerit inter eos, usque ad illum, qui magnus est inter illos: quoniam placatus ero super injustitiis illorum, & iniquitatum non recordabor amplius. Illustris hæc est, *inquit Estius*, de Novo Testamento prophetia; quam totam in primo Christi Salvatoris adventu completam esse, ex sententiâ omnium scriptorum Ecclesiasticorum Hieronymus affirmat in commentariis in Jeremiam. Hebræorum quidem nonnulli referunt ad tempus, quo lex ab Esdra fuit renovata, sed ea renovatio facta est in membranis non in cordibus: neque novum tunc institutum testamentum, sed vetus quodammodo redintegratum. Igitur & Hebræorum plerique nobiscum sentiunt, scilicet implendum fuisse totum quod hic dicitur tempore Messiæ. Dabo leges meas in mentem illorum, inquit Dominus, loquens de lege quæ est in decalogo. Et non docebunt quisque proximum &c. inquit Deus, quia lex ceremonialis prolixa & difficilis cessatura erat tempore Novi Testamenti. *Et ibidem Grotius*: Cum illa dispensatio Dei per quam sibi ex omnibus terris collegit populum, manifestius quam ullæ aliæ figurat Messiæ tempora, ut & Rabbini agnoscunt: ideo sæpè ex Prophetarum locis eo spectantibus verba in sensu sublimiore ab Apostolis & eorum adjutoribus producuntur, ut in plurimis locis Euangeliorum & actuum & Pauli epistolarum videre est: & certè ita directa à Deo sunt verba, ut in Christi tempora quadrent exactius. Per hunc enim verè non antiquum fœdus renovatum est, sed factum planè novum; & quidem non diuturnum sed æternum planè. Judæ autem & Israëlis nomen egregio Mysterio ad Christi Ecclesiam

Ad Hebr c. 8. v. 8.

Ecclesiam referuntur: non tantum quia hæc nunc populus Dei meliori est jure quam illi fuêre, verum etiam quia nominum significatio id postulat: nam Judas est ἐξομολογούμενος, ut Philo rectè interpretatur. Israël Deum superat, id est, quidvis à Deo obtinet, sicut Christiani obtinent omnia, quæ ad vitam ducunt æternam. *Grotius.* & *Hieremiæ 6.* Audite vocem tubæ, & dixerunt non audiemus: propter hoc audient gentes. *Psalm.* 17. Constitues me in caput Gentium, populus quem non cognovi, servivit mihi, & in auditu auris obedivit mihi. *Esaiæ* 55. Gentes quæ non noverunt te, invocabunt te, & populi qui ignorabant te, ad te confugient. *& cap.* 11. Et erit in illâ die radix Jesse, qui surget imperare omnibus gentibus; in illum gentes sperabunt & erit requies ejus honor. *& cap.* 9. Terra Zabulon & terra Nephtalim via maris, & cæteri qui maritima inhabitatis, & trans Jordanem gentium populus ambulans in tenebris; videte lumen magnum qui habitatis in regione umbræ mortis, lumen lucebit super vos *& cap.* 2. 2. 3. Et fluent ad eum omnes gentes: quia de Sion, (*non Sinai*) exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. *Vide alia plurima de Meßia apud eundem Esaiam, & Davidem in Psalmis loca. Ut*, huic oculos debent cæci; aures surdi, linguas muti: hic dolores & languores nostros portabit: super hujus veste mittetur sors: cujus manus & pedes fodient improbi, & ossa non frangentur: huic propinabunt acetum, & fel ei dabitur in escam. Hic est qui tanquam ovis ad occisionem ductus, & sicut agnus coram tondente se mutus, non aperuit os suum; in humilitate ipsi judicium ejus sublatum est: generationem autem ejus quis enarrabit. *Vid. Esaiæ cap.* 52. *&* 53. *quæ capita ut legas precor; nam iis tam evidenter & accuratè describitur Christus, ut Esaias Propheta primus Euangelistarum jure meritòque dicatur.* & cap. 53. *locum de Meßia interpretantur Chaldæus Paraphrastes, Gemara Babylonis de synedrio, & Abarbaniel, Rabboth, Salomon Iarchi ad Gemaram de Synedrio, &c. Ne sim prolixior vide plura apud Iustinum in colloq. cum Tryphone, Tertullian. adversus Iudæos, Cyprianum in libris testimoniorum ad Quirinum adversus Iudæos.*

Demonstrarunt Christum & quasi adumbrarunt diversa in Veteri Testamento figuræ, quibus quasi per nebulam Iudæi nondum in lucem admißi viderent: donec Ioannes Baptista omnium Prophetarum maximus, venit, qui

jamjam

jamjam adfore Messiam prænuntiavit, & multis argumentis prædicavit. Primus fuit Adamus, nam ut ille ex ligno nobis peperit mortem: ita Christus in ligno nobis acquisivit vitam: secundus fuit Melchisedec Salemensium rex & summi numinis Sacerdos, *ut inquit* Hieronymus *epist ad Evagrium*, qui velut imagine quadam & figurâ Jesum Christum maximum itidem Regem & Pontificem mortalium seculis repræsentavit. *Multa cum Melchisedec & Christo conveniunt: dicitur Melchisedec, id est, rex justitiæ, & Melchisalem, id est, Rex pacis. Salem alii vocant Ierusalem. Et Christus est Rex, exactissimam nobis justitiam adferens, & Civitas quam condidit, id est, Ecclesia, pacem habet cum Deo, & pacem inter homines quærit. Dicitur Melchisedec* ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος; *nam nec patrem, nec matrem, nec genus describit Moses* Genes. 14. *sed Christus secundum divinitatem est sine matre, secundum humanitatem sine patre, nec est Sacerdos ex tribu Levi aut familia Aaronis, & interim est Sacerdos: non ex parentum successione, sed divinâ electione, & ideo Christus ad immortalem vitam perductus est, ut in æternum noster Sacerdos esset, & semper pro nobis Deum compellare posset. Melchisedec fesso Abrahamo panem & vinum dedit: Christus nobis onere peccatorum lassis & oppressis panem & vinum, suum corpus & sanguinem exhibuit. Vide etiam* Psalm. 109. Petrus Cunæus *lib.3. cap. 3. de Republ. Hebræorum novâ nunc opinione, sed olim explosâ, validis statuit rationibus hunc Melchisedec fuisse ipsum Christum, qui in Veteri Testamento, tanquam Dei verbum cum multis sanctis & Deo gratis est collocutus: quem vide. Tertius est Moses vetus legislator; Christus est novus legislator, novus Sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus sit, sed juxta potentiam vitæ indissolubilis. Hic est novi fœderis,* Hieremiæ 31. 31. *& Auctori ad* Hebræos *cap.8. vers.8. promulgator, ut Moses veteris; hic est melioris pacti sponsor, pacti in æternum duraturi: cujus nos certos fecit Christus non solis verbis, sed perpetuâ vitæ sanctitate, plurimis miraculis & morte ob id toleratâ. De hoc loquitur Moses Deo plenus:* Prophetam suscitabit Dominus Deus tuus, ipsum audies. *Deuter.* 18. *Nec est minister in domo Dei ut Moses, sed filius: non cum Deo tantum in nube collocutus, sed qui ab æterno apud Patrem vidit omnia, ipsa Patris sapientia: non qui pro peccatis populi & suis intercessit, sed qui ab omni peccato immunis, pro omnium peccatis seipsum obtulit: simul & Sacerdos & victima; redemptor,*

redemptor & justificator; judex & præmium nostrum. Hic est ille agnus, quem nobis in paschatis festo demonstrat Deus & Moses; ille Agnus Dei, *inquam*, ille qui tollit peccata mundi: ipse integer & sine labe, cui ossa non sunt fracta: Redempti estis pretioso sanguine Christi, ut agni immaculati, *inquit Petrus*: *Vt Israëlitæ servati in Ægypto illâ nocte cum Angelus Dei omnia primogenita Ægypti occidisset, & præteriisset Israëlitarũ domos, ob postes mactati & immolati agni sanguine, juxta Dei mandatum, conspersos. Audiamus Iustinum Martyrem in colloquio cum Tryphone Iudæo.* In Ægypto cum interimerentur primogenita, quotquot eam cladem evaserunt servati sunt per sanguinem, quo postes tingebantur, & sicut in Ægypto Paschalis sanguis fuit salutifer, sic Christi sanguis credentes è morte eripiet. Ergone erraturus erat Deus nisi signarentur januæ? Nequaquam, sed hic prænunciabatur futura generis humani salus per sanguinem Christi. *Sub pluribus aliis figuris designatus est in Veteri Testamento Christus. Sub typo Isaaci præter naturæ ordinem natus est: sub typo Iosephi venditus & captus est: sub typo serpentis exaltatus in cruce: sub typo denuò Isaaci immolatus: sub typo Ionæ sepultus, & tertio die resurrexit: sub typo Enochi ascendit ad cœlos: sub typo Iosue cui & nomen Iesu, populum suum in cœlum ducit. Admirabilis est collatio, quæ fit à Patribus inter Isaacum & Christum. Audi Gregorium Magnum*: Isaac ligatur & non loquitur, aræ imponitur & non reluctatur, oblaturus interrogat de holocausto, & in holocaustum offerendus tacet. Sic Christus Dominus fit pro nobis victima; crucis lignum humeris suis excipit & bajulat, vincula sibi injici patitur, & fit Patri obediens usq; ad mortem. *Quia Isaacus tantum erat figura Christi, liberatur per Angelum, & ejus loco offertur aries cornibus in vepribus hærens. Mactatur aries in typum Christi morientis: Isaac morti subtrahitur, in typum Christi resuscitati: aries in vepribus cornibus hæret, Christus brachia sua clavis perforata ad cornua Crucis extendit, coronam ex spinis contextam in capite gestans: sicut Abraham obtulit Deo filium suum unigenitum; sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitũ daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitã æternam. Etsi lubet locũ immolationis investigare, ea facta est in monte Moriath, in quo templum Domini struxit Salomon, in quo omnia sacrificia Iudaici populi fieri solita. Abraham illum locum vocabat, Dominus videbit, aliis, videbitur. Genes.* 22.14. Mons ille Moriath dicitur ab Abrahamo Domi-

Exod 12.

1 Pet. 1.

nus videbit seu videbitur, simplex, *inquit Rabbi Salomo*, loci sensus est, quem expressit Chaldæus paraphrastes: fore scilicet ut Dominus eligat & prospiciat sibi hunc locum, in quo Majestatis suæ præsentiam residere faciat, utque in eo oblationes sibi offerantur. Mercerus *existimat germanum loci sensum esse*, fore ut Deus in illo monte conspiceretur ob templum illic construendum, & quia Christus etiam illic tandem in carne apparuit. *Similiter Burgensis*: Hebraica, *inquit*, veritas habet, Dominus videbitur, per quod propriè intelligitur, quod verus Dei filius ibi fuit immolatus, quod immolatio Isaaci præcipuè figurabat. Moria, *secundum novam translationem Belgicam significat*, conspectum seu visionem Dei. *Vide Cartvvrightum. Vnicum addam, quod valdè miratur & scitu perquam necessarium judicat* Cunæus, *nempe quo ordine Ecclesia fuerit propagata*. Ex Adami liberis Sethus, ex hujus stirpe Noachus, ex Noachi filiis Semus, ex illius posteritate Abrahamus, & postremò ex numerosâ Abrami sobole unus Isaacus placuit electusque est: cujus familia Ecclesiæ nomen atque dignitatem ineffabili ratione velut per successionem sibi vendicaret. Sic unus Christus qui tam multa cum Isaaco habet congruentia, ut quasi in V. T. videas Novum & in Novo Vetus. Sic unus, inquam, Christus, Christus heri & hodie, ipse & in secula, verus V. T. mysteriorum clavis; *Hebr.* 13.8. cum venit plenitudo temporis, homo propter nos factus, totius Ecclesiæ, tanquam totius corporis factus est caput; eodem modo ut totius exercitus Israëlitici dux fuit in deserto. *His si adjungamus historiam Novi Testamenti, & convenientes Veteris Testamenti prædictiones, cum Novi Testamenti historia conferamus, magno gaudio & summo cum applausu Domini nostri Iesu Christi adventum indubitatum, honorabimus, adorabimus, & jure meritòque cum Paulo Rom.* 11. *exclamabimus*: O profundas divitias sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus, *&c. loquitur autem hic præcipuè Paulus de gratuitâ gentium vocatione.*

Hæc plurima & præcipua Veteris Testamenti loca in Messiam quadrare ipsi fatentur Iudæi, & omnes docent Christiani: sed utrum venerit Messias, & si venerit, utrum ille sit Jesus noster disputant cum Christianis Iudæi. Quadrare in Iesum nostrum Salvatorem ea quæ de Messia à Prophetis prædicta probavimus, de adventus tempore jam videndum.

Non

Non tantum adventum Christi promisit Deus, prædixerunt Prophetæ, demonstrarunt Veteris Testamenti innumeræ figuræ: sed & ipsum Natalis Christi tempus nobis indicat Iacobus Genes. 49. 10. *cum jam moriturus suis filiis plurima eventura prædiceret, & nasciturum Christum promitteret, post ademptum à tribu Iuda imperium, his verbis:* non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat Siloh, *alii* qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium, *aut potius,* & illi erit congregatio populorum.

Tria præcipuè hoc loco consideranda veniunt; primò quando sit ablatum à Iudæis sceptrum, secundò in quo consistat illud sceptrum, tertiò quid significet vocabulum Silo seu Siloh, rara in Sacrâ Scripturâ vox. In duobus præcedentibus doctrina temporum ad roborandam fidem Christianam, magni momenti res est. Significationem vocis Silo, Hebræa lingua nos docere debet, idque præsertim per Rabbinos. Messiam venturum nemo unquam dubitavit, sed de tempore plurimum disceptatur, imo & multi & magni in eo designando errores committuntur.

Per sceptrum intelligitur imperium; quare multi à Romanis per Pompejum annò ante natum Christum sexagesimo, alii per Herodem Ascalonitam ablatum à Iuda imperium seu regimen crediderunt: cum eum Idumæum scirent, & proinde alienigenam judicarent, non Iudæum. Sed legant Iosephum, & videbunt per Ioannem Hyrcanum Idumæos ad religionem Iudaicam coäctos, & Idumæam partem Iudææ factam, & Ierusalem omnium communem Metropolim. Rex autem Iudææ factus est à Senatu Romano per Antonium & Augustum, Herodes, anno 28 à captâ urbe Ierosolymitanâ per Pompejum, anno Iuliano sexto. Justinus Martyr *qui vixit anno Christi 150. in dialogo cum Tryphone Iudæo statuit id accidisse, cum Hierosolymâ per Titum captâ, & secundo templo diruto, Iudæorum respublica omninò est deleta, Anno scilicet Christi 72. Et verè: nam vaticinium illud Iacobi adimpletum est gradatim, & novissimus ejus gradus fuit excidium urbis Ierusalem. Illas de Pompeii & Herodis tempore opiniones, cum facilè refutari possint, prætereo: nam non auferetur sceptrum de Iuda quam post adventum Messiæ. Romani autem per Pompejum, & Herodes diu ante natum Christum Iudæam sibi subjecerant: natus verò est Christus anno Herodis 34. aut 35. Iuliano 43. Eventus nos tempus docuit; nempe Hierosolymâ per Titum deletâ, & Republicâ Iudæorum eversâ.* Justinus Martyr &

Ioseph. antiq. Iudaic. lib. 13. c. 17.

Eusebius Pamphili seu Cæsariensis *de tempore adimendi à Iuda sceptri conveniunt, sed explicat se paulo dilucidius Eusebius demonstrationis Euangelicæ lib.* 8. *non de stirpe Iuda, sed de tribu intelligendum vaticinium Iacobi sustinet, & tribui Iudæ quandam dignitatis præstantiam iis verbis promitti statuit, quam illa postea semper obtinuerit. Hæc dignitatis praeminentia in tribu Iudæ dependet ex jure primogenituræ, ubi rejectis Ruben, Simeon & Levi, tribus natu majoribus fratribus ob caussas à Iacobo ibidem additas, Iacobus Iudæ dicit:* adorabunt te filii patris tui, *fuisset prior in donis, major in imperio Ruben major natu, nisi deliquisset. Principatus seu sceptrum hic datur à Iacobo Iudæ, hæreditas Iosepho aut ejus filiis Ephraim & Manasse, ut Levi Sacerdotium, quæ sunt tria primogenitorum jura. Pluribus testimoniis præcellentiam tribus Iudæ probat dicto loco Eusebius: primò cum* Numer. 2. 3. *&* 10. 14. *in castris ponendis cæteris anteponitur: secundò, cum in eodem libro* 12. 17. *in ordine offerentium, prima illa reliquas anteit: tertiò, cum* Josue 14. *non expectabat sortis eventum, sed non ductis sortibus prima suæ portionis cernit hæreditatem: quartò cum mortuo Iosua, lib. Iudic. cap.* 1. 2. *ipse Deus huic tribui ducatum contra Cananæos defert: quintò cum toto Iudicum tempore, licet nati in aliis tribubus judices, ut Ehud, Gedeon, Sampson, Eli, rempublicam administrarent, generalis tamen quædam honoris prærogativa, penes hanc Iudæ tribum remansit. Post Iudices unus Saul de tribu Benjamin Rex fuit: Hunc sequitur de tribu Iudæ David, & in posteritate Davidis successorum serie ultra viginti Reges per annos plus quam quingentos fuerunt. Sub Sedecia postremo de tribu Iudæ Rege, per Nabuchodonosorem trans Euphratem abducitur tribus Iudæ: Vnde post captivitatem sub Zorobabele, de tribu Iudæ viro, rediit in Palæstinam. Illa regio, ubi habitarunt, dicta est Iudæa, & Reges Iudæorum: imo trans Euphratem commorantibus, ibi tribubus imperarunt plerumque illi de tribu Iudæ, idque propter dignitatem tribus.* Casaubonus *prolixè Eusebii opinionem explicat & probat: & calamitatis Iudaicæ, quando sceptrum de tribu Iudæ auferendum, ab Iacobo prædicta tria statuit tempora. Primum sub Pompejo, per quem non tantum Iudæa Romanis subjugata, sed & religio violata, cum idem Pompejus in Sanctum Sanctorum ingressus est. Secundum anno Christi* 10. *cum Archelaus Rex Iudæorum, qui Herodi Patri successerat, Viennam ab Augusto Imperatore relegatus, & Iudæa in formam Provinciæ est*

est redacta. Tertium & postremum sed crudelissimum calamitatis Iudaicæ tempus, quo Iacobi prædictio est adimpleta, annus à natali Domini fuit 72. quo urbs Hierosolyma diruta, Templum destructum & conflagratum, civilis Magistratus & ordo sacer penitus fuit sublatus. Vide apud Casaubon. exercit. 1. c. 2. & 3. & 4. multa lectione dignissima.

In his paullò accuratior esse voluit Petrus Cunæus *in Hebræorum republicâ, lib. 1. cap. 9. 10. 11. 12. &c.* Hebræorum seu Israëlitarum Respublica à Mose instituta quæ duodecim erat tribuum, sub regimine judicum & trium Regum ad tempora Roboami & Hieroboami duravit, cum divisa est in Regnum Judæorum & Israëlitarum. Illi Roboam Salomonis filius, huic Hieroboam dux Salomonis præfuit: qui secessione cum decem tribubus, mutatione religionis & ceremoniarum factâ, Samariam sibi acquisivit regnum: hujus populi & tribus à Salmanassare capti, & trans Euphratem translati, nunquam in Palæstinam redierunt. Regnum autem Judæorum fuit sub Roboamo filio Salomonis, ad quod pertinet vaticinium Jacobi de sceptro Judæ. Hujus regni primaria tribus fuit Judæ, unde regno & regioni nomen; accessere autem illi Levitæ & Benjamitæ sed mansit semper sceptri Majestas in tribu Juda. Sub imperio Regum fuêre Iudæi ad Sedeciam, sub quo populi seu tribus regni Iudaici à Nabuchodonosore capti & translati trans Euphratem, sed reversi in Palæstinam post captivitatem, & quamvis sub diversâ regiminis formâ, optimatum scilicet, Pontificum, Principum seu ducum, & Regum vixerunt, Majestas tamen imperii per Synedrium penes tribum Iudæ fuit. Eodem ferè modo ut apud Romanos diversarum fuêre nationum Imperatores, ut Hispani, Galli, Thraces & alii; Imperatores nihilominus dicti Romani & Respublica Romana; nam Consules & Senatus eam constituebant: Imperii summa fuit penes Cæsares: sic Hasmonæi Levitæ, restaurato templo, primò per Pontifices & duces Judæos rexerunt, quorum potestas adeò est aucta, ut tandem Aristobulus Pontifex Maximus, regimen illius Reip. in regni formam mutaverit, quod duravit ad Pompejum; sed per Herodem & regnum ab Hasmonæis ereptum, & genus extinctum est. Præcipua autem pars Majestatis semper hæsit in magno

 Conci-

Concilio Sanhedrin. Constabat illud Concilium ex 70 Senatoribus civium nobilissimis, quorum plurimi & primi proculdubiò fuêre de tribu Judæ, propter ejus dignitatem & frequentiam; quamvis & Levitę ad id allecti. Fuit hujus synedrii summa potestas & sedes in sanctuario: Regem constituebant: pontificem creabant; (qui suo jure in Senatum non ibat, sed admissus suffragiis) de bello gerendo, de imperio proferendo deliberabant: Cabala seu doctrina mysteriorum penes eos erat: de rebus divinis & humanis cognoscebant; ab his provocatio non erat, & ad eos omnis: in magnis rebus populi comitia convocabant: Deus in Pentateucho eundem illis promittit Spiritum qui Mosi datus erat. Sceptrum Jacobi, tribui Judæ promissum, majestatem imperii interpretatur, quæ reipublicæ assidet. Memoriæ proditum est, *inquit*, etiam eo tempore cum populum Judaicum non Principes, sed optimates regerent, in medio magni senatus, quem Sanhedrin vocant, sceptrum pependisse; quæ res profectò insigne fuit majestatis. *vid. Cunæum. Audiamus etiam super hoc loco, Genes.* 49. *mentem* Grotii: Inter Judæos, *inquit*, qui à Juda nomen habent mansit imperium, quod sceptri nomine indicatur, ad Christi tempora. Judæ hoc potius tribuitur quam tribubus aliis, quia decem tribus abductæ à Chaldæis, non rediêre. Rediit Judas cum Benjamine, quæ tribus Benjamin, Judæ fuit accessio, unde terra Judæa dicta, gens Judæi. Imperii vis primum in ductu militari, *Judic.* 1. quo loco Josephus: Ἰȣδαία φυλῆ ἡ ἡγεμονία παρέχεται: deinde in nomine regio, post Ethnarcharum, iterumque regio, donec Archelao ereptum regnum, ac Judæa Romanorum provincia facta nunquam postea regnum recuperavit: sub Asmonæis & Herode imperium penes Judam fuit, non minus quam penes Romam Gallis aut Thracibus in imperium electis. Intercisiones fuêre breves, si ad spatium annorum prope mille & quingentorum comparentur, sub Tyrannis externis in Judicum historia memoratis, sub Saule, 70 annis exilii vix computandis: quia prophetæ restituendi imperii Judæ spem certam fecerant. Illo autem quod diximus spatio, reveriti quidem Judæi interdum magnitudinem Persicam, Macedonicam, Ægyptiam, Romanam, sed salvo ipsis manente Imperio: quod non malè ostendit Chrysostomus oratione, *Christum esse Deum*.

Abeant

Abeant ergo Judæi cum suis commentis novis, qui per vocem Hebræam aut tribum aut castigationes volunt intelligi, contra interpretes veteres omnes; quorum Aquila verborum retinens σκῆπτρον dixit, ubi 70. ἄρχων, Symmachus ἐξουσία, Chaldæi sensu planè eodem.

Et dux de femore ejus) dux hic est Doctor, dux populi ad scientiam: pro illo *de femore ejus* in Hebræo est inter pedes ejus: ubi illud inter pedes est honesta circumlocutio genitalium, ut *Deuteron.* 28. 57. sensus ergo est: Doctores ex Judæ posteritate præituros populo, ad tempora usque Messiæ, qui summus & Imperator & Doctor futurus sit, nec Iudæorum tantum, sed & omnium gentium. Florebant ad Christi tempora Gameæ & Hillelis scholæ. *Donec veniat qui mittendus est*) verba quæ hic sunt Hebræa, Iudæi posteriorum temporum mirè distorquent, alii Silo locum interpretantes, alii Saulem, alii Nabuchodonosorum. Repugnat & hic illis veterum consensus eorum, qui magnam apud ipsos auctoritatem habent, Onkelos, Ionathan Hierosolymitanus, Paraphrastæ Thalmudici, Beresith Rabba, Rabbi Salomo, Echa Rabthi: omnes Messiam hic indicari consentiunt, sed vocem ipsam alii interpretantur aliter. Alii enim Silo exponunt filium ejus, à secundinis deducto vocabulo, alii pacificum, alii compositum: Græci τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ: quod cum durius sit, & Hebræam phrasin magis sapiat, alii itidem Græci interpretes clarius posuêre, ᾧ ἀπόκειται nempe πάντα, cui servantur omnia: cujus est regni jus, ait Rabbi Salomo post Hierosolymitanum Paraphrasten. Utriusque expositionis sensus idem, nisi quod illud magis Hebraismum sapit. Unde apparet immeritò à Iuliano Christianos accusari mutatæ hic versionis, cum ipsorum nihil id intersit. Itaque Iustinus adversus Tryphonem modo his, modo illis verbis utitur, affirmatque codices 70. sui temporis habuisse ᾧ ἀπόκειται, quod de quibusdam codicibus facilè credo. Priori autem modo hunc locum pro se adducunt Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Origines, Eusebius, Cyrillus. Mihi maximè se probat versio Latina, ut sit שילה pro שלוח. Quid enim est facilius quam aut variante dialecto, aut scripturâ aberrante mutari inter se litteras tam vicinas & soni & figuræ? Est ergo Siloh ἀπεσταλμένος, nomen maximè Messiæ proprium,

prium, qui summa cum potestate atque auctoritate missus est. *Vid. Matth.* 10. 40. *&* 9. 34. *&* 10. 16. *Iohan.* 3. 17. 34. commate 36. *&* 6. 57. *&* 7. 29. *&* 10. 36. *&* 11. 42. *&* 17. 3. 8. 18. *&* 17. 21. 23. 25. *Actor.* 9. 17. 1 *Iohan.* 4. 9. 10. 14. *Hebr.* 3. 1. In quibus locis ubique est ἀποστέλλειν aut inde derivata. Idem alibi exprimitur verbo πέμπειν, *Ioh.* 4. 34. commate 23. 24. 30. 37. *&* 6. 37. 40. 44. & 7. 16. 18. 28. 33. *&* 8. 16. 18. 26. 29. *&* 9. 4. *&* 12. 44. 45. 49 *&* 13. 20. *&* 14. 24. *&* 15. 21. *&* 16. 5. *Rom.* 8. 3. quæ omnia loca, sed maximè illud de Silo, quod est *Iohan.* 1. 17. ut ibi diximus, hoc vaticinium respicere videntur. *Hactenus Grotius. Vocabulum illud Silo diversi diversè interpretantur, ut dixit Grotius: Alii per Silo intelligunt Filium, alii secundas seu secundinas, alii embryonem, alii Meßiam, alii Salvatorem, sospitatorem, alii pacificum; alii, ut versio est Latina, qui mittendus est, alii, ut septuaginta, donec veniant quæ reposita sunt ei: alii ut antiqui Græci, donec veniat cui repositum est, alii donec veniat ille ad quem pertinebit, ut Deodatus: celuy à qui il appertiendra &c. Sed quamvis versiones obscurißimæ vocis Silo, testibus etiam Rabbinis discrepare multum videantur; consentiunt tamen omnes Christiani & veterum Hebræorum plerique omnes, per vocem Silo intelligi Meßiam. Quidam Iudæorum recentiores, per Silo intelligi volunt civitatem seu locum in terrâ Canaan seu Palæstinâ, in quo à tempore Iosue annos scilicet* 350. *reposita fuit Arca fœderis: sed quo sensu & quâ interpretatione, ego non video. Alii Herodem Ascalonitam Iudæorum Regem, alii Vespasianum Imperatorem voce Silo denotari voluerunt, sed ea responsionem non merentur.*

Addam unicum locum Christophori Cartvvrichti *Eboracensis ex suis electis Thargumico-Rabbinicis, seu annotationibus in Genesin*: Etiamsi, *inquit*, Rabbini pariter ac nostri variè deducant significationem hujus dictionis Shiloh, in eo tamen ferè omnes conveniunt, Messiam eâ denotari. Quotquot sunt (ait Joannes Isaacus, ex Judæo Christianus) paucissimis exceptis, qui Shiloh, quocunque modo interpretantur, fatentur tamen Messiam denotare. Ipse Morinus, quod & ante eum Galatinus, ex tractatu Sanhedrin, ostendit Shiloh inter nomina Messiæ, ab antiquis Hebræorum doctoribus recenseri. Qui sunt ex domo R. Silæ, dicunt Shiloh est nomen ejus; ut dictum est, donec veniat Shiloh. Præterea constans Judæorum antiquorum traditio

traditio (sunt ipsissima verba Morini) fert locum illum de Messia intelligendum esse. Citat trium Paraphrastarum disertum (ut ipse appellat) hâc de re testimonium; nec non R. R. Salomonis, Iarchi, Bechai, Aben-Melech & Kazaitæ anonymi: Talmudistas porrò in hanc rem citat; item antiquissimum, ut vocat, commentarium Bereshith Rabba, R. Mosen, Bar Nachtinan, R. Aramam, Abarbinelem, R. Mosen Atsich, & auctorem libri celebris Arbaturim. *Hac ille. Tandem concludit difficilem hunc locum Iacobi his verbis*: Qui plura de loco hoc πολυτρυλλήτῳ videre velit, præter commentatores in Genesin, consulat Galatinum de arcanis *lib.* 4. *cap.* 4. 5. *&* 6. *Casaubon. exercit.* 2.2. *&* 3. *Cunæum de Republ. Hebræor. lib.* 1. *cap.* 4. 10. *&* 11. & Medum nostrum in diatribâ super hanc Prophetiam compositâ. Horum tres postremi etiamsi in nonnullis levioris momenti dissentiant, in eo tamen ab aliis plerisque discrepantes, inter se consentiunt, quod ablationem sceptri Iudaici non in Herode, sed in Hierosolymorum totiusqueReipublicæ Iudaicæ omnimodâ eversione contigisse existiment: quod mihi maximè amplectendum videtur. Audi Medum in sequentia loci Iacobæi verba: *& erit ei congregatio Gentium seu populorum.*

D. Medus ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetit illud verbum, donec, ut sensus sit, non recedet sceptrum à Iuda &c. donec venerit Shiloh, & donec ei aggregati fuerint populi. Regnante autem Herode, etiamsi Shiloh venit, non tamen nisi post multos annos populi ad ejus fidem atque obedientiam Apostolorum prædicatione, & virtute Dei sunt adducti; quo facto, Hierosolyma à Romanis fuit deleta, ac Respublica Iudæorum penitus eversa & extincta. Hanc expositionem, *inquit Cartvvrichtus*, acutam sanè & ingeniosam confirmat ex illo Salvatoris dicto *Matth.* 24. *v.* 14. Et hoc Euangelium Regni prædicabitur in toto mundo, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis: scilicet politiæ Iudaicæ. Hactenus Cartwrichtus. *Hoc & ipsi coram Pilato Iudæi ingenuè fatebantur, cum dicerent.* Ioh. 18. 30. nobis non licet interficere quenquam. *Imo & multi Hebræorum judicia criminalia à se sublata concedunt, annis* 40. *ante excidium Templi secundi. Tunc ergo, secundum Iacobi vaticinium, sceptrum de tribu Iuda erat sublatum, ubi Herodes patria Iudæorum instituta mutaverit: ubi synedrio jus vitæ*

& necis eripuerit Pilatus:ubi à Tito dirutâ urbe Hierosolymorum synedrium amplius non erit,nam ante ablatum sceptrū venire debuit,secundum Iacobi prædictionem,Meßias:imo & apud ipsos Iudæos opinio erat recepta,circa illa tempora instare Meßiæ adventum,idque vicinas apud gentes vulgatum erat. Dico autem circa illa tempora, quia cum definitum tempus ignoraretur,non longè tamen à vero tempore aberravit conjectura. Hinc Baptista interrogatur an ipse sit Meßias; & populus conspectis Iesu miraculis statim dubitare incipit, an non sit ille ipse qui exspectabatur. Hinc quoque factum ut Herodem Magnum quidam esse Meßiam interpretarentur: mox Theudam, Iudam Gauloniten, & postea Barchochebam. Iudæorum certè animos, in terris agente Iesu, arrectos fuisse exspectatione Meßiæ, eumque rumorem ad Samaritas etiam manasse, paßim nos docet Euangelii historia: ita ut frustra hodie alium exspectent Meßiam Iudæi. De Christi morte & resurrectione vide Josephum Antiquit. lib. 18. cap. 4. *quem locum citant* Euseb. Eccles. hist. lib. 1. cap. 12. Hieronym. in Chronic. *& alii: sed quidam hunc locum ab Iudæis abrasum dicunt, Iudæi à Christianis insertum volunt.*

Tempus venturi Meßiæ quam manifestißimè etiam demonstrat Propheta Daniel, quando per suas preces obtinuit à Deo mißionem Angeli Gabrielis (qui etiam nativitatem Christi adnunciavit B. Virgini) per quem Danieli numeratis annis indicatur non tantum adventus Meßiæ, sed & ejusdem mors, & templi urbisque Hierosolymitanæ excidium æternum. En verba Angeli Danielis 9. 24. Septuaginta hebdomades, (493 *anni*) abbreviatæ, (*id est definita*) sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, (*jam brevi per Esdram & Nehemiam ædificandam,*) ut consumatur (*finiatur*) prævaricatio, ut finem accipiat peccatum, ut deleatur iniquitas, ut adducatur justitia sempiterna, (*Christus*) ut impleatur visio & Prophetia, & ungatur sanctus sanctorum, *id est, ut sanctißimus Dominus fiat Meßias, Christus, id est unctus.* Nota; Hebdomas, id est, septenarius, aliquando est numerus dierum, aliquando annorum, ut
Levit. 25. 8 erant septem hebdomades, id est, quadraginta novem anni ante jubilæum. sic & hic capitur, uti omnes Hebræi, Græci, & Latini consentiunt. *Corn. à Lapide. Sequenti versu sic loquitur Angelus*: scito ergo & animadverte. Ab exitu sermonis, *id est Edicti*, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ędificabatur platea & muri in

angustiâ temporum. *Quam convenienter hæc omnia in Christum & tempus adventus ejusdem quadrent, vel cœcus videt: nam anni* 490. *à tempore hujus Edicti desierunt circa tempora Christi. Vtrum autem hoc edictum fuerit Cyri aut Darii aut Artaxerxis auctores disputant. Vide Scaligerum lib. 6. de emendatione temporum, & Iunium ad hunc locum: item Bucholcerum, Iac. Capellum historiâ sacrâ & exoticâ, Cornel. à Lapide in hunc locum, Vatem Pet. Molinæi & alios. Sic pergit Angelus Gabriel apud Danielem*: Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, (*exercitus Romanus cum Tito*) & finis erit vastitas, & post finem belli statuta desolatio *in perpetuum*. Est hic locus illustris, *inquit à Lapide*, de adventu Messiæ, cujus hic ortus, baptismus, passio & mors per annos singulos præcisè consignatur: imo & eversio urbis, & totius populi Judaici perseverans desolatio indicatur. *Vide versum sequentem apud Danielem*. Quocirca ex hoc loco, *pergit à Lapide*, manifestè convincuntur Judæi, clarèque demonstratur, jam pridem venisse, esseque Jesum Christum, quia in eo finiuntur hæ 70 hebdomades.

Anno regni septimo, de sententiâ septem principum, Artaxerxes promulgat edictum, quo Esdræ sacerdoti & scribæ datur potestas ædificandi templum, & cuivis Iudæo facultas redeundi in patriam, redditis multis muneribus, & ex eo satis auctoritatis Esdræ conceditur ad instaurandos Hierosolymorum muros, sed non disertè id hic expreßit Rex, uti post hunc anno 14, *ut vult Capellus, cum Nehemiæ regis pincerna ab eodem Artaxerxe dantur litteræ ad Asaphum custodem saltus regis, quibus jubet, ut Nehemia daret ligna ad instaurandas portas & muros templi & urbis, ita ut utrique & Esdræ & Nehemiæ hanc auctoritatem conceßerit Artaxerxes, & in eo inchoandæ sint hebdomades Danielis, seu potius Gabrielis.* Ab edicto Esdræ dicto, *inquit Capellus*, ad Christi passionem sunt annorum hebdomades 70. Christus, inquam, passus est quadringentesimo nonagesimo ab hujus edicti promulgatione anno, V. C. 786, Nisan, 14. Aprilis tertio, feriâ sextâ, resurrexit Aprilis quinto, feriâ primâ, in cœlum ascendit Maij 14, feriâ quintâ, Spiritum Sanctum in Apostolos misit Maij 24, Sinan sexto, die Pentecostes, feriâ primâ. Hic est exitus hebdomadum Danielis, quo Christus peccatum *Nehem. 2.*

cohibuit, consumpsit, abolevit, expiavit, justitiam sempiternam adduxit, visiones & prophetias obsignavit, & unxit sanctum sanctorum. *Vide Corn. à Lapide hunc locum Danielis prolixè & accuratè explicantem, quo Capello quamvis heterodoxo, ut loquitur, hâc in opinione astipulatur.*

Alii initium hujus prophetiæ statuunt annum secundum Darii Nothi ab edicto ejusdem, cujus mentio fit Esdræ cap. 6. *post id enim nullum aliud erat exstiturum de reædificatione Templi: & ab hujus Darii anno secundo usque ad excisam Hierosolymam, numerant annos præcisè* 490. *seu septuaginta septimanas, id est, septies septuaginta annos: Vide Scaligerum de emendat. temp. lib.* VI. pag. 599. *Grotium in hunc locum. Calvisium Isagoges Chronolog. cap.* 42. *Vatem Molinæi lib.* 4. *cap.* 28. *quorum judicio anno Darii secundo ab edicto instaurandæ urbis hebdomades incipiunt, & in ejus excidio desinunt, & efficiunt annos* 493. *Quicquid sit, sive ab hoc sive ab illo regum edicto numeres initium hebdomadum Danielis, prædictio circa Christi tempora eventum est consecuta. Nec quicquam tale postea accidit, aut accidere potuit, nec hodie ita desipiunt Iudæi, ut Barchochebam, cui omnes olim Rabbini cum idiotis adhærebant, aut Iudam Gaulonitam, aut Theudam Galilaum verum Messiam fuisse amplius existiment.*

Infinita alia produci possent in eundem finem testimonia, sed hæc meo proposito sufficere videbantur; quare jam adducam argumenta, quæ moverunt contra Christum Celsus & Porphyrius gentiles philosophi, & Iulianus Imperator & desertor Christianæ religionis, qui proinde dictus Apostata: vir alioquin ingenio, doctrinâ & eloquentiâ præstans.

1. *Inquiunt, quomodo Iesus potest esse verus Messias, cum Messias sit oriundus ex tribu Iuda, & Iesus sit ex tribu Levi? nam Maria dicitur esse cognata Elisabethæ: Elisabetha autem erat conjux Zachariæ, qui erat ex tribu Levi. Et expreßè* Numer. 36. *præcipitur*, nequis connubium contrahat extra tribum suam.

2. *Duo Euangelistæ Matthæus & Lucas dissentiunt in patre Iosephi: hic patrem Iosephi dicit fuisse Eli, ille Iacobum.*

Multum super hoc negotio desudarunt Patres. Ad primum itaque: meo judicio dicendum est, mandatum illud Numer. 36. 6.7. *in iis tantum locum habere, qui hæreditarent bona parentum aut majorum: alioquin etiam licuit*

connubia inire extra tribum, ut patet in Davide, qui cum esset de tribu Iuda, duxit filiam Saulis, qui erat de tribu Benjamin; sic Iojada ex tribu Levi duxit Ioram ex tribu Iuda regis filiam.

Ad alterum argumentum notandum est, in S. Scripturâ filium dupliciter dici, naturâ & lege. Naturâ, qui ex semine patris genitus est. Lege autem dicitur filius tripliciter: vel adoptione, vel connubio, vel vindiciarum lege. Adoptione, ut Manasse & Ephraim filii Iosephi esse dicuntur filii Iacobi, cum essent ejus nepotes: Connubio, sic in libro Ruth legitur Noemi nurus suas vocare filias: Vindiciis, quando frater defuncti fratris uxorem ducit, ut ei semen excitet, atque ita illi inde natus potest dici lege vindiciarum filius patris defuncti fratris. Iosephus itaque fuit naturalis filius Iacobi, nam disertè Matthæus dicit. ἐγέννησε, *genuit Iosephum: verum Lucas (qui solum recenset genus Mariæ) ait Iosephum fuisse* τοῦ Ἡλί, *quod non temerè, sed prudenter dicit Lucas. ex quo apparet illum non naturâ filium Eli fuisse, alioquin addidisset* υἱὸν, *filium: sed vel adoptione, vel connubio, vel vindiciarum lege. Lucas vero qui scripsit genealogiam Mariæ naturalem, eam deducit per Nathanem, etiam filium Davidis; ita ut Eli, qui & dicitur Eliakim & Ioachim, sit de prosapiâ Davidis, & fuerit pater Mariæ, & avus Iesu, & socer Iosephi, qui putabatur pater Iesu. Præterea nisi certò constitisset Christum fuisse ex tribu Iuda, ac stirpe Davidis, procul dubio hoc ipsi objecissent Pharisæi, nec se filium Davidis nuncupasset Christus.* Vide Maldonatum in Matth. cap. 1. Lucam Brugensem & Grotium in Lucę cap. 3. & Vossium dissertatione de genere Jesu Christi. *His adde, quod Lucas referat cap. 2. v. 1. Christum esse natum præside Syriæ Cyrenio, quem Tacitus appellat Quirinium, cum anno Iuliano* XLIII. V. C. DCCLI, *quo natum volunt Christum, Coss. Lentulo & Messalino, verè præses Syriæ fuerit Sentius Saturninus successor Quintilii Vari. sed Euangelista vocat Quirinium Syriæ* ἡγεμονεύοντα, *non quod jure ordinario Præses Syriæ esset, sed quia extraordinario jure ad descriptionem faciendam Præfectus negotio census venisset in Syriam, cui adjunctus procul dubio fuerit Sentius Saturninus.* Tertull. l. 4. adversf. Marcionem c. 19. Ἡγεμονεύειν *autem, ut viri docti observarunt, de quâvis potestate etiam majore & extra ordinem mandatâ usurpatur.* Admiranda autem est in hoc negotio Dei providentia, qui & natalem locum & genus filii sui multis vaticiniis

prædictum voluit testatum esse publicis tabulis: nam & infantum capita censebantur, & Jesu nomen asscriptum tabulis affirmat Justinus, Tertullianus, Chrysostomus: imo & metatorem hospitii Christo filio Dei in terras venturo, esse voluit Augustum Imperatorem, *ut loquuntur duo viri magni Casaubonus & Grotius. Atque hæc de adventu Christi sufficiant.*

Cum vero in vestibulo Annalium Cardinalis Baronii, extra omne dubium polyhistoris, magnum de sceptro Iuda reperissem errorem, aliquid de eo dicendum opera pretium existimavi.

Origines, Cyrillus, Hieronymus, Epiphanius, Augustinus & plurimi alii Patres vaticinio Iacobi, Genes. cap. 49. *promitti Iudæis de tribu Iuda, perpetuam quandam Regum successionem, usque ad tempora Messiæ crediderunt, sed magnis illis viris, qui præcipuè ea quæ sunt fidei, & bene instituta vitæ inquisiverunt, facilè ille error condonandus est. Verum cum illum errorem etiam tueri conetur Illustrißimus Baronius, quem tam acerbè exprobrabat Christianis Iulianus ille Apostata, non potui non ad ejusdem rationes paucis respondere; idque in re sanè magni momenti, tam ad illustrandam temporum doctrinam, quam ad Christianæ fidei firmamentum contra Iudæos, Iulianum, omnesque Gentiles stabiliendum.*

Baronius in initio apparatus ad annales suos Ecclesiasticos, statuit sceptrum de tribu Iuda & domo Davidis continuatum per Zorobabelem & omnes Hasmonæos, licet Levitas, ad Herodem, fœdere nuptiarum cum tribu Iuda, ita ut manserit sceptrum Iuda in Assamonæis seu Hasmonæis, ex lineâ fœmininâ & origine maternâ: quod probat, quia nullo alio jure Leviticæ tribui licitum fuisset unà cum Sacerdotio absque tyrannidis labe adsciscere sibi Regnum. *Historiam ipsam breviter ordine deducam, ut luce clarius veritas pateat. Primus de tribu Iuda Rex fuit David: secundus Salomon, sed omnium tribuum, id est, Rex Hebræorum, ut etiam paullò ante dictum. Post Salomonem Regno scisso per Hieroboam, Roboam Salomonis filius factus est Rex Iudæorum, & ea regio dicta est Iudæa. Horum regum post Roboamum postremus fuit Sedecias. Cum eo populus Iudaicus ab Nabuchodonosore Persiæ rege abductus est in Chaldæam: qui postea sub Cyro primo Assyriorum Monarcha cum Sacerdote Iosua à Zorobabele reductus est in Palæstinam, seu potius Iudæam. Per eos, exhortantibus Aggæo & Zaccharia Prophetis, secundum extruitur templum,*

plum, sed non quale prius mandato Dei per Salomonem. Sequitur Zorobabelem diu post, magno cum comitatu Babylone Esdra Sacerdos, & paulò post Esdram Nehemias.

Post templi urbisque restaurationem (quod tempus à reditu per Zorobabelem annos continet ferè 147.) ex Leviticâ gente (*repeto verba Cunai, quamvis ante citati, propter historiæ atrocitatem*) primum Pontifices rebus gerundis præfuerunt, nullo Principis aut Regis nomine assumpto. Apud hos omnis gratia, potentia & divitiæ erant, aut ubi illi volebant: cæteri vulgus erant, sine honore, sine auctoritate. Itaque tanti muneris decus non mediocribus consiliis appetiverunt, qui Levitæ modo essent: quidam per vim, plures fraudibus fallaciisque, ac pauci verâ viâ illac nitebantur. Nihil turpius excogitari potest, quam quod post Eliasibi pontificis mortem duo filii fecêre. Nam & Jesus summum Sacerdotium ope Bogasis ducis Barbari per nefas fratri Ianni ereptum ibat, qui ritè illud atque ex lege acceperat; & Iannes ut acceptum retineret majus flagitium in se admisit. Illum enim ipsum Iesum in templo numinis, atque inter religiones manu suâ obtruncavit, fratrisque sanguine respersit aras. Ianni non multo post successit Jaddus, ille quicum Alexander M. Deo Israëlis sacrificavit: Atque hujus Pontificatum rursus Manasses frater sperabat, sed is Manasses cum contra legis edictum Sanaballetæ filiam, mulierem peregrinam in matrimonio haberet, ortâ hinc populi seditione, intellexit, aut solvendam sibi affinitatem soceri potentissimi, aut herclè, quod secundum erat, amittendam spem esse summi Sacerdotii. Hic cum diu anxiam mentem in varias partes egisset, tandem communicatis cum socero consiliis facinus nobile concepit, quod omnis posteritas loquitur, sed nulla probat. Templum enim ædificare in Garizin monte Samariæ altissimo destinavit, ejusque rei potestatem mox ab Alexandro per Sanaballeten accepit; ita qui Ierosolymæ fungi amplissimâ dignitate propter violatam legem nequibat, in adulterino templo saltem quo poterat pacto cœlum se putavit attingere. En cor nequissimi hominis, in quo tu dubites, ambitio major an impietas fuerit. Et tamen exile hoc videtur, præut alia sunt quæ Onias quartus fecit cupidine dominationis. Is Pontifex factus, cum se imparem

De Republ. Hebraor. l. 1. c. 16.

rem

rem Iasonis factioni cerneret, in gratiam Antiochi Epiphanis, quod illo defensore indigebat, leges Mosaicas ejuravit: pro quibus religiones & ritus accepit Græcorum. Tum &, ne circumcisionis notas in corpore gereret, præputium arte Medicâ paravit, suisque omnibus ut idem facerent auctor fuit. Demum Antiochi Epiphanis impietas, ministro hoc pontifice, omnia Judæorum instituta pervertit. Et jam nihil prisci integrique moris supererat, cum Matthias Hasmonæus, magnus rerum restaurator, armis sumptis, leges suas Iudæis reddidit, remque publicam principis nomine sub imperium accepit. Mortuo illo principatum Iudas gessit, is qui Machabæus dictus est: sed vis tamen magna auctoritasque in Pontifice fuit. Quare Antiochus Eupator postea Ierosolymam dolo ingressus, cum Oniæ diffideret, quod ex illo pendere populum & rerum momenta cerneret, Pontificem in loco ejus Alcimum fecit, sed is sacrum honorem ubi adeptus esset, longè pravior fuit. statim enim ad Demetrium Seleuci filium transiit, Principemque Iudam, quem ferre imperitantem nequibat, criminatus apud Regem est. Inquieta in se res impietas: nunquam uno scelere contenta fuit. Igitur Bacchidem regium præfectum cum armatâ manu adversus patriam adduxit: reversoque illo, re infectâ, ad regem copias militares, quas à Bacchide acceperat, concursu hominum sceleratorum auxit. Omnes undique parricidæ, sacrilegi, adulteri, quos flagitium consciusque animus exagitabat, ad Alcimum venêre, & ipse blanditiis, alloquio, largitione omnium officia provocabat. Ad extremum præclarus hic pontifex muros etiam Sanctuarii, qui à vatibus atque Hasmonæis erant ædificati, diruere paravit, ut hoc quoque ad ejus laudes accederet: sed talia agentem ac meditantem mors occupavit, constitutusque in ejus locum Pontifex à populo Iudas est, qui omnium primus summum sacerdotium unà cum principatu gessit. Hoc idem post eum Jonathan, Simon & Iannes fecêre, donec Aristobulus, posito principis nomine, regem se tulit. Ita tandem post Sedeciam extinctum reges iterum Iudæa accepit, sed Levitas utique, quorum ultimus (*post crudelia Hasmonaeorum inter se odia.*) Antigonus fuit. Illo pulso occisoque, regnum Herodes tenuit, quod antè à Romanis acceperat: homo non, herclè, regiâ stirpe, neque Sacerdotali

cerdotali familiâ ortus, sed de Idumæorum gente insititius Judæus. Non enim Idumæi veri Judæi erant, sed habiti modò appellatique Judæi sunt, ex quâ tempestate eos Hyrcanus religionem ceremoniasque suscipere veri numinis coëgit. Celebrata est Sameæ vaticinatio, qui Herodem Judæis regem datum iri, sed in pœnam pestemque multò ante prædixerat. Neque profectò aliter cecidit: statim enim Idumæus ille Aristobulum Pontificem admodum adolescentem, mox Hyrcanum ex Parthis allectum, postremò quidquid de Hasmonæorum sanguine supererat, extinxit sustulitque. Neque melius actum cum 70 senibus est, qui assessores magni concilii erant, quod Sanhedrin appellitant. Ita submotis omnibus unde metus aut periculum erat, paulatim insurgere atque ex magno imperio usurpare licentiam cœpit. Patria enim Judæorum instituta mutavit, nova invexit, multa contra leges fecit. Atque hunc in modum post reditum Judæorum ex Babylone, imperium ii tenuêre, quorum id minimè fuit. Primò pontifices, mox Principes Hasmonæi Levitæ, dein Reges ex eâdem tribu, ac tandem Herodes Idumæus natione, religione Judæus; sub quo natus Messias de tribu Juda, ex familiâ Davidis ortus. *Hactenus Cunæus.*

Sceptrum de tribu Iuda sublatum.

Diversos secundum Casaubonum in hac historiâ committit errores illustrissimus Baronius. Primò: quod Hasmonæos ex maternâ origine faciat Iudæos, id est, Iudæ posteros, cum uxor transeat in mariti familiam, non contra. Et quis unquam probabit omnes hos Hasmonæos duxisse uxores de tribu Iuda & familiâ Davidis, de propriâ nunquam? Secundò: nullo alio jure hoc illis licitum fuisset, inquit Baronius, absque labe tyrannidis; sed quis ex prædictis non videt non tantum crudelem, sed & impiam in ipsis Pontificibus tyrannidem? Tertiò: alienigenam & Gentilem vocat Herodem, cum fuerit natione Idumæus, religione Iudæus proselytus. Idumæi autem dicti sunt ab Edom (quo nomine etiam vocatus est Esau filius Isaaci, frater Iacobi) qui ab Hyrcano victi, coacti sunt suscipere religionem Iudæorum Iosepho lib. 13. cap. 17. Quartò, Herodem Antipam dicit Regem fuisse Iudæorum postremum, cum is fuerit Agrippa Aristobuli filius, Herodis nepos, cui Claudius Imperator integrum Herodis regnum concessit. Post hunc Iudæa Syriæ addita reges habere desiit. Ioseph. lib. 19. cap. 4. &c.

Idem Baronius in suo apparatu ad annales, ut contrà paganos Christi adventum probet, producit Pæmandrum Trismegisti, Hydaspen, Sibyllas: sed cum Hermes multis sit suspectus, & fortè à Christiano quodam Philosopho scriptus, aut auctus & interpolatus, & de Hydaspe pauca supersint: de Sibyllis animi gratiâ aliquid censui disserendum. Quarum vaticiniis quantumvis non indigeamus Christiani (sufficiunt ea quæ in Veteri Testamento multa & dilucida satis) propter diversas tamen de earum præsagiis opiniones, paucis quædam examinanda subjiciam.

Iustinus Apol. ad Imp.

Plurimi antiqui Philosophi, Poëtæ, & quædam etiam Sibyllæ multa appositè satis de Deo uno ejusque attributis loquuntur; nec mirum: viderant enim multi eorum Mosen & Prophetas: quorum plurimi Græcis Poëtis, Philosophis, & historicis fuere priores: Bellum enim Trojanum morte Mosis posterius est annis 275, scriptores Græci bello Trojano posteriores annis 500 & amplius.

Iustinus Apologiâ pro Christianis.

Quid de numero & Patriâ Sibyllarum, item de venditione librorum Sibyllinorum per vetulam, nunquam postea visam, Tarquinio Prisco aut Superbo Romanorum regibus factâ, quid de Decemviris librorum custodibus, & de combustis iisdem cum Capitolio tempore Syllæ, quid de congestis denuò aliis per varios Græciæ, Italiæ & Africæ regiones Dionysius Halycarnassæus, Varro, Cicero, Plinius, Suetonius, Tacitus, A. Gellius & alii scribant, nihil dicam: nam ea omnia tam sunt diversa, ut nihil certi de suis Sibyllis Ethnicos statuisse certum sit. Pauca tantum proferre juvat, quæ Cumæa vates apud Maronem de Christi adventu, & de religione Christianâ nobis reliquerit.

In primitivâ Ecclesiâ, ad propagandam Christi fidem, Sibyllarum versibus adversus Ethnicos sæpe utebantur Christiani; ut Iustinus in sermone ad Gentes exhortatorio, Athenagoras, Theophilus, Irenæus, Clemens Alexand. in propemptico &c. Firmianus Lactantius lib. 4. cap. 15. usque ad cap. 19. ita etiam ut eos Sibyllinos, testante Origine, vocaverint Ethnici, & ab iisdem versus illos fictos & compositos dixerint. Acrostichen de IesuChristo Dei filio Servatore vide apud Eusebium lib. 4. de vitâ Constantini in ejusdem oratione ad Sanctos, & apud B. Augustinum de Civit. Dei lib. 18. cap. 23. Eusebius, aut Constantinus apud Eusebium, dicit Ciceronem illam acrostichen in Latinum convertisse sermonem: cum interim apud Ciceronem lib. 2. de Divinatione, tantum acrostichis à Sibyllâ factæ fiat mentio, sed

Origenes contra Celsum.

sed sine versuum additione aut translatione, aut argumenti eorundem explicatione: nam illa scripta qua ipse habebat, facta demum sunt post natum Christum, à quo impostore, incertum: Cicero verò refutat multis rationibus Sibyllarum auctoritatem, & iis furorem objicit, & quæ sapiens non videt, *inquit*, ea videbit insanus, & is qui sensus humanos amisit divinos assecutus est? *&c. Apud Augustin. loco dicto acrostichen Sibylla paulò breviorem invenies, cui fidem satis certam tribuere videtur, cum tamen ejusdem libri cap. 47. dicat idem Augustinus posse videri ejusmodi prophetias à Christianis confictas. Cum vero in his acrostichis, tam clara & ampla Christi prædictio inveniatur; mirantur multi istius vaticinii apud Gentiles dilucidiora fere indicia, quam ullibi in Veteri Testamento, apud Davidem, Esaiam, aut alios Prophetas. Ego credo similia facta à Christianis, majore zelo quam veritate, per pias fraudes & mendacia officiosa, ut loquuntur, Christianis etiam subindè usitata, pessimo sanè exemplo: nam veritas nunquam nititur mendacio, per se satis firma. Exempla videre licet in Clemente Alexandrino & Eusebio. Ipse etiam Lactantius lib. 1. cap. 15. probare conatur versus Sibylla de Christi miraculis à se citatos, auctoritate Ciceronis & Varronis, cum illi Sibyllarum quidem meminerint, sed ne gry de Christo. Sequuntur hunc errorem, hanc fabulam multi alii.* Et certè, ut plurima ex istis (*Sibyllarum*) oraculis post Christum scripta esse credam, triplici caussâ moveor, *inquit Ioannes Opsopæus in præfatione ad oracula Sibyllina. Quem vide loco citato. Gelasius Papa cum Concilio Romano anno Christi 492, enumerat & rejicit multos libros, sub nomine Iesu Christi, Apostolorum aliorumque Sanctorum scriptos, tanquam apocryphos: horum in censum oracula etiam refert Sibyllina vir magnus Isaac. Casaubon. exercit. 1. cap. 10. Nos primò adferemus prædictiones aliquot in scriptis Gentilium repertas, in quibus nulla fraus Christianorum adesse potest. Cicero lib. 2. de divinatione refert interpretem quendam librorum Sibyllinorum suasisse Senatui Romano. Iulium Cæsarem, quem revera Regem habebant, etiam appellandum Regem, quia in dictis libris hæc continebantur verba:* habendum esse regem, si salvi esse vellemus. *sed Cicero ibidem hæc tanquam mera commenta refutat & rejicit. Tacitus historiar. lib. 5.* Persuasio, *inquit*, pluribus inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut claresceret Oriens, profectique Judæâ rerum potirentur: quæ

Conciliorum tom. primo.

ambages Vespasianum & Titum prædixerunt. *Suetonius in Vespasiano cap.* 4. Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fato, ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu postea patuit, prædictum, Judæi ad se trahentes, rebellarunt. *Idem Suetonius in Octavio Augusto cap.* 94. Auctor est Julius Marathus, *inquit*, ante paucos quam nasceretur menses Octavius, prodigium Romæ factum publicè, quo denunciabatur Regem populo Romano naturam parturire: Senatum exterritum censuisse ne quis illo anno genitus educaretur. *Si mihi licet divinare, ea persuasio Taciti, hæc opinio Suetonii ab Oriente orta est per Iudæos, qui dispersi in Palæstinâ & Asiâ passim per Orientem habitabant: imo decem tribus Regni Israëlitici, ab Salmanassare ultra Euphratem deducta, nunquam reversa sunt. Ab iis, ut opinor, & aliis in Imperio Romano Iudæis, ut valdè verisimile est, illa fama per Orientem sparsa, sua mobilitate etiam ad Romanos pervenit. Nam Iudæi non ignari hoc* Genes. 49. *tempore venturum Meßiam, cum à Iuda sceptrum auferretur, si venturum quempiam ex Oriente seu Iudæâ, qui rerum potiretur, fando aliquid, sæpius prædixerint, mirum videri non debet. Sic quod Tacitus & Suetonius de Oriente, quod Marathus prodigio denunciatum affirmat Regem populo Romano naturam parturire, ego interpretabor Deum, se orbi Romano Regem Meßiam filium suum brevi producturum, indicare voluisse: sed nihil hic urgeo, cum tantum verisimilia referam. Nec hic prætereundum censeo, quod non parum adventum Christi, & originem prædictorum vaticiniorum confirmat. Flavius Iosephus religione Iudæus, historicus eruditißimus & fidelißimus, electus erat à Iudæis præfectus Galilæorum, cum vero in bello captus, in manus Romanorum venisset, petiit ut Vespasiano exercitus Romani duci sisteretur. Dicit se venire ad Vespasianum, sed fato: manere Vespasianum imperium totius orbis; & tamen etiamnum superstes erat Nero.* (Ioseph. de bello Iudaic. lib. 3. cap. 14) *Credebat sibi palpum à Iosepho obtrudi Vespasianus, ut eâ ratione libertati restitueretur. Iußit ergo Vespasianus eum arctius constringi, usque dum hoc contingeret. sed ecce aliquantò post rumor de Neronis morte, & inter Galbam & Othonem pro imperio contentio nunciatur. Quæ cum ita essent, verba Iosephi altius ad animum revocare cœpit Vespasianus, & iußit eum solvi vinculis, & liberalius excipi, & paullò post interfectis Galba, Othone & Vitellio fit Imperator Vespasianus. Hæc prædictio Vespasiano quidem*

visa

visa fuit nova & admiranda, sed Iudaeorum constans erat opinio, aut jam advenisse Meßiam, aut tempus illud jamjam instare, praecipuè docti ex septuaginta hebdomadibus Danielis. sed illi sibi persuadebant regnum non spirituale, sed corporale, non coeleste sed terrenum, non aeternum sed temporale. non viderunt caeci veram hujus oraculi designationem; nos scimus oraculum hoc impletum esse in morte Christi, cum diceret, consummatum est, *ut alibi Voßius. Vide lib. Tertull. adversus Iudaeos, & libros Testimoniorum Cypriani adversus eosdem ad Quirinum, Philippum Mornaeum, & Hugonem Grotium de Veritate religionis Christianae.*

Conjecturas & ariolationes omittamus, & Eclogam Maronis quartam, cui initium Sicelides Musae, inquiramus, in quâ tam accuratè cum multis & manifestis circumstantiis Sibylla Christi adventum praedicit, ut aequiparet, si non superet suâ claritate ipsa Prophetarum oracula. Imo iisdem fermè utitur verbis, quae Prophetae Hebraei usurpant. Interim haec à Christianis non esse ficta aut excogitata certi sumus, cum illa Ecloga ante natum Christum fuerit à Virgilio scripta. nam C. *Asinius Pollio &* Cn. *Domitius consules anno urbis* 713. *tempore triumviratus fuère. Anno* 714. *idem Asinius Pollio Proconsul, cum post captas Salonas, Dalmatiae urbem, triumphum meruisset, filium suscepit, quem à captâ civitate Saloninum vocavit: qui postea dictus Cajus Asinius Gallus: hujus natalem & genethliacon canit poëta. Natus autem est Christus anno urbis* 751. *Saloninus, ut diximus* 714. *Cumaea Sibylla hanc tribuit praedictionem Maro. sed cum ejus libri cum Capitolio igne perierint, Erythraeae potius tribuendam multi autumant; nam Erythrâ plurima vaticinia postmodum Romam allata dicuntur; & omnium Sibyllarum celeberrima fuerunt Erythraea & Cumaea. Quicquid sit, versus hujus Eclogae cum sacrâ historiâ conferre, examinare & explicare exercitii gratiâ lubet, sed flores poëticos & elegantias bucolicas aliis relinquemus.*

Eclogæ quartæ P. Virgilii Maronis Sacra & paraphrastica explicatio.

Sibyllarum meminerunt scriptorum gentilium plurimi, Christianorum primi, Iustinus Martyr, & Theophilus Antiochenus: post eos Clemens Alexandrinus, Lactantius, Eusebius & Augustinus, sed nemo eorum mentionem facit, quod sciam, hujus Ecloga prater Eusebium & Augustinum, qui jùre meritòque huic plurimum tribuunt: tum propter plurima veritatis indicia, tum etiam quod triginta sex aut septem annis ante natum Christum hæc Ecloga à Virgilio sit scripta, Proconsule nempe Asinio Pollione in Dalmatiâ, ut diximus, & Virgilius mortuus sit 17 *aut* 18 *ante natum Christum anno secundum Eusebium in Chronico, quâ de caussâ nihil hic Christianis exprobrari potest, ut plerumque ab Ethnicis fieri in primitivâ Ecclesiâ solebat. Augustinus, ut doceat hanc esse Sibyllæ fatidica prædictionem, sic loquitur in explicatione Epist. ad Romanos, ad verba,* Per Prophetas suos) fuerunt enim & Prophetæ non ipsius, in quibus etiam aliqua inveniuntur, quæ de Christo audita (*ab Iudæis*) cecinerunt, sicut etiam de Sibyllâ dicitur; quod non facilè crederem, nisi quod poëta quidam in Romanâ linguâ nobilissimus, antequam diceret ea de innovatione seculi, quæ in Domini nostri Iesu Christi regnum concinere & convenire videbantur, præposuit versum, dicens.

Vltima Cumæi venit jam carminis ætas.

Cumæum autem carmen esse Sibyllinum nemo dubitaverit.

Idem de Civitate Dei lib. 10. *cap.* 27. De Christo poëta nobilissimus, poëticè quidem, quia in alterius adumbratâ personâ, veraciter tamen si ad ipsum referas, dixit

Te duce siqua manent veteris vestigia culpæ,
Irrita perpetuâ solvent formidine terras.

Ea quippe dixit, quæ etiam multum proficere in virtutem justitiæ possunt propter hujus vitæ infirmitatem, & si non scelera, scelerum tamen manere vestigia, quæ non nisi ab illo Salvatore sanantur, de quo iste versus expressus est: nam hoc utique à seipso dixisse Virgilius in Eclogæ ipsius quarto fermè versu indicat, ubi ait *Vltima Cumæi venit &c.* Unde hoc à Cumæâ Sibyllâ dictum esse incunctanter apparet, & quæ sequuntur. *Tertius Augustini locus*

locus est Epistolâ 156. *ad Martianum.* Omnino non est cui alteri præter Dominum Christum dicat genus humanum,

Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri &c. Quod ex Cumæo, id est, Sibyllino carmine se fassus est transtulisse Virgilius, quoniam fortassis etiam ille vates aliquid de uno Salvatore in spiritu audierat, quod necesse habuit confiteri. *Humanum aliquid passus est vir sanctus cum hæc diceret. Interim habes hic tria insignia B. Augustini testimonia, quibus non tantum hujus Eclogæ prædictiones Sibyllæ tribuit, sed etiam iis solum Christum nostrum Salvatorem designari posse affirmat, sed ad rem. Quartus hujus quartæ Eclogæ versus hic est*

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

Id est: jam adest tempus, quo carmen, id est, vaticinium Sibyllæ Cumanæ in actum deducetur, quo veniet, id est, nascetur Christus Meßias diu promissus. Et nota tempus præsagii Sibyllini convenire exactè cum Iacobi oraculo filio Iudæ dicto, & 70 hebdomadibus Danielis, de quibus copiosè supra, quod hac in Eclogâ ejusque initio magni res est momenti ad confirmandam ejus auctoritatem. Pergit Maro: Genes. 49. 10. Daniel. 9. 24.

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum *Natalis Christi.*
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina; Tuus jam regnat Apollo.

Id est: ab integro, de novo, nascitur Magnus, eximius, & novus ordo seculorum seu annorum, quo Virgo Astræa & regnum Saturni aureum redibit Virgilio secundum Gentilium fabulas; sed Sibyllæ, quo Virgo pariet filium Esaia 7.14. *cœlo demissum, qui erit nova & miraculosa progenies, non secundum consuetum naturæ cursum, sed alterius & sublimioris conditionis: nam Deum habebit Patrem, & Virginem Matrem. Quæ de Christo vaticinata est Sibylla transfert Poëta ignarus ad filium Pollionis jam natum. Qui cum venerit ferum & ferreum cessabit seculum, redibit mite & aureum. Tu Lucina, quæ lucem hominibus & mundo præbes, faveas parturienti matri, nascenti puero. Regnabit jam ille Apollo Augustus poëta;* Ioan. 1.9. *Sibyllæ Christus, illa lux mundi, illa lux vera, illuminans omnem hominem*

nem venientem in hunc mundum ; Ille sol justitiæ in pace reget suam Ecclesiam, cum Iudæi à lege aberrantes, & Pagani Deorum cultores, ad verum unius Dei cultum convertentur. Nova illa progenies, novus ille rex, novum dabit regnum, novos subditos, novam & auream gentem, ut eleganter poëta, qui magis piè & sanctè vivent ; desinent immites & acerbi hominum mores, & ab integro, de novo, erunt mitiores & meliores ; qui constituent ætatem auream, per tot secula intermortuam secundum Poetam, qui ita pergit:

Te duce, siqua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetuâ solvent formidine terras.
Ille Deûm vitam accipiet, Divisque videbit
Permistos Heroäs, & ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

Augustinus epist. 156. ad Martianum, ut diximus : Omnino non est cui alteri præter Jesum Christum dicat genus humanum *Te duce si qua manent &c. & de Civitate Dei lib. 10. cap. 27.* De Christo poëta nobilissimus poëticè quidem, quia in alterius adumbrata persona, veraciter tamen si ad ipsum referas dixit:

Te duce si qua manent &c. quæ loca paullò ante prolixius citavimus. In hos versus ita Ludovicus de la Cerda, *in suis in Maronem commentariis doctissimis & elegantissimis* : Hæc verba & quæ paucis interjectis sequuntur, videntur mihi prolata à Sibyllâ cum aperto vaticinio peccati originis, quod hæret in mortalibus ante expiationem baptismi. Nam quæ sunt alia vestigia sceleris, quam contracti à primis parentibus in loco voluptatis? quæ ea prisca fraus, nisi techna serpentis invasoris? Poëta tamen hujus rei insciens Sibyllæ vaticinium accepit de renovatione aurei seculi, factâ sub Augusto, & per vestigia sceleris intellexit reliquias belli civilis. Et quidem hoc pertinere ad Christum, qui deleturus esset vestigia antiqui sceleris, clarum est ex Augustino cap. 27. lib. 10. De Civit. Dei, ubi versum Virgilii de redemptore accipit. *Hactenus Cerda.*

Ille Deûm vitam accipiet, Divisque videbit
Permistos Heroäs, & ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

Id est : Ille redemptor, ille Deus & Dei filius, versabitur hic in terris,

quemad-

quemadmodum homo, & reipsâ etiam homo inter homines, & quemadmodum Deus, & reipsâ Deus inter Deos; id est inter sanctos Apostolos aliosque probos & justos, qui vivent Deorum vitam. Hesiodus ἐν ἔργοις lib. 1.

Ὥστε θεοὶ δ' ἔζωον, ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες.

Ille delebit nostra peccata, & in justitiâ, lenitate ac pace, princeps Pacis, ad exemplum Patris sui suam reget Ecclesiam. Quare beati pacifici, *inquit Christus,* quoniam hi filii Dei vocabuntur. *& exultantes in natali ejus Angeli in cœlo cum summo gaudio canunt,* Gloria in excelsis Deo, in terris pax: *& discessurus discipulis inter cætera hæc postrema dicit:* Meam pacem vobis do, meam pacem vobis relinquo. *Esaia.* 7. 6. & 2. 4. *Matth.* 5. 9. *Luc.* 2. 14. *Ioan.* 14. 27.

Pueritia Christi.

At tibi prima puer nullo munuscula cultu,
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mistaque ridenti colocasia fundet Acantho.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Ubera: nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores,
Occidet & serpens & fallax herba veneni
Occidet, & Syrium vulgò nascetur amomum.

O Christe, cum adhuc puer eris, in gratiam tui, fundet tibi terra munera, & adferent ad te Magi sua regionis præstantissima dona: offerentur tibi ab Orientis seu Arabiæ sapientibus Thus tanquam Deo, Aurum tanquam regi, Myrrha tanquam homini; quæ Iuvencus presbyter uno versiculo pulcerrimè comprehendit:

Thus, aurum, Myrrham, Regique hominique Deoque,
Dona ferunt. *Tertull. adversus Iudæos cap.* 9.

Sic Deo primitiæ offerri solent, regibus munera.

Nec magnos metuent armenta leones,

Audiamus Esaiam: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ovis simul morabuntur, & puer parvulus ducet eos. Vitulus & ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas. *Per hæc metaphoricè significatur, quod gentes feræ & barbaræ depositâ feritate mansuescent, illi leones & lupi cum bobus & ovibus, hædis & agnis, id est, cum humilibus & simplicibus Christianis sanctissimè conspirabunt in unitatem fidei &* *Esaias cap.* 11. v. 6. 7.

Ecclesia. Homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris, *inquit Clemens Alexand. ad gentes.*

Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet, Assyrium vulgò nascetur amomum.

Genes. 3.15. *Id est: Cessabunt & silebunt Dæmonum oracula*; nam semen mulieris conteret caput serpentis: *desinent falsa Iudæorum dogmata, & apud paganos fallacium deorum cultus. Et contra passim & ubique nascetur amomum Syrium, sic dixit procul dubio Sibylla, id est, doctrina Euangelica toto orbe prædicabitur, & Ecclesia, quæ antea in solâ Palæstinâ parte Syriæ Hierosolymis hæserat, per universum mundum dispergetur.* Celebre erat ex amomo unguentum, quo mortui ungebantur, *inquit la Cerda, & addit*, Scaligero amomum esse propriè, quam vocant herbam Hierosolymitanam.

At simul Heroum laudes, & facta Parentis
Jam legere, & quæ sit poteris cognoscere virtus:
Molli paulatim flavescet campus aristâ,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Adolescentia Christi. *In Adolescentiâ cum incremento tellus majora dabit munera: pro floribus segetes, uvas, mella,* pro saliunca ascendet abies, pro urtica crescet myrtus, *inquit Esaias.* Esaias 41. 19. 55.13. *Pro Saulo Paulus, pro publicano Apostolus Matthæus, pro peccatrice pænitens Magdalena. Sic interpretor mentem Sibyllæ: Ubi ille cœlestis puer ad adolescentiam pervenerit, leget & narrabit laudes Heroum Abrahami, Isaaci, Iacobi, Iosephi, Mosis, Davidis &c. ut etiam facta Parentis, id est opera Patris sui, qui creavit cœlum & terram &c. & paulatim cognoscere poteris Dei virtutem ejusque efficaciam: aut, quam grata sit Deo virtus, id est, observatio mandatorum Dei; sic accrescent cum ætate fructus doctrinæ suæ, qui erunt longè uberiores, & miraculosi aut miraculis confirmati. Nam stupendo naturæ cursu spinæ producent uvas, quercus roscida, id est, cœlestia mella, id est, hominum animos contentiosos feros, pertinaces, per suam doctrinam suis suorumque miraculis stabilitam, reddet amabiles, humanos, mites, faciles.* Corroboratus spiritu & impletus sapientiâ & gratiâ Dei in templo cum doctoribus disserebat, ut stuperent omnes qui eum audiebant, super intelligentiâ & responsis ejus. *Nam superabant captum illius ætatis & proinde erant prodigiosa.*

Pauca

Pauca tamen ſuberunt priſcæ veſtigia fraudis,
Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere ſulcos.
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos Heroäs; erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

In adoleſcentiâ necdum perventum erit ad ævi aurei perfectionem, quam daturus eſt Meſſias, pauca peccata ſeculi ferrei etiamnum ſupererunt, & præcipuè avaritia & ambitio. Necdum erit deletum & omnino abolitum peccatum originis, priſcum illud malum à primis parentibus commiſſum, & in omnes poſteros tranſlatum. Quare mare adhuc ratibus navigabitur, ut avaritiæ mercatores; & bella gerentur, ut ambitioni Principes ſatisfaciant.

Erunt etiam altera bella.

Sibylla multa prædicit de ætate aureâ & de felicitate futurâ ob adventum Chriſti: non tamen ab omni malo omnino immunem eam ſtatuit. Erunt enim alterius generis bella, ut perſecutiones propter fidem in Chriſtum, aut etiam bella Eccleſiaſtica, quæ fuerunt & ſunt innumera, & æterna; loquitur enim Sibylla de bellis Eccleſiæ, quæ eſt Regnum Chriſti.

Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Id eſt: ut Achilles inter fortiſſimos Heroäs excellentiſſimus ad Trojam miſſus fuit, ſic denuò Chriſtus cum improbâ hoſtium Chriſtianos perſequentium manu dimicabit, & per contentiones Eccleſiaſticas & Theologicas in diuturno & pertinaci bello verſabitur, ut Græci toto decennio ante Trojam.

Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas, *Ætas virilis Chriſti.*
Cedet & ipſe mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces, omnis feret omnia tellus.
Non raſtros patietur humus, non vinea falcem,
Robuſtus quoque jam tauris juga ſolvet arator,
Nec varios diſcet mentiri lana colores.
Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.
Sponte ſuâ ſandyx paſcentes veſtiet agnos.
Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis,
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.

Ego mihi persuadeo Poëtam Sibyllæ vaticinia cœlestis felicitatis, mutasse in carmine hoc bucolico in terrestres, pastorales, rusticas quod illi proprium. Quare hos versus secundum Poëtæ mentem sic explico: Ubi ad virilem pervenerit ætatem Saloninus, secundum Sibyllam Christus, aurea & perfectissima erit ætas, omnia erunt felicissima. Non necessarius erit nauta, qui merces ad orbis diversas partes vehat, quæ alibi abundant, alibi desunt, & hinc inde commutet: quia ubique quæ necessaria sunt ad victum & amictum nascentur, idque suâ sponte & fatorum numine, id est, secundum Dei voluntatem & dispositionem, cujus nutu & ordine, omnis ferit omnia tellus. Libera erit terra ab aratris & rastris, vineta à vulneribus falcium, vacabunt boves labore, nam ea non sunt necessaria in spontaneâ & summâ rerum abundantiâ, & florenti terræ fertilitate; nam omnia proferent suos fructus, nemine agrum colente, sed numine hoc volente, nec erit necessarium ut lana & vellera variis coloribus tingantur, suppetente hanc pulcerrimam colorum varietatem naturâ ipsâ. Lana nullum colorem mentietur, nam omnes erunt naturales. In ipsis pascuis suâ sponte oves mutabunt lanas. Cum intentio Sibyllæ semper fuerit sacra, uti primò adventum Christi, sic & nunc ejus sanctissima & felicissima tempora indicare voluit; eoque innuere mihi velle videtur Sibylla novum fœdus, quod est apud Hieremiam cap. 31. v. 31. per Christum in plenitudine temporis, quod jam exspirabat, introducendum. Nam quamvis poëta, quod iterum dico, omnia dirigat ad ruris felicitatem, propositum tamen fuit Sibyllæ agere de beatitudine regni Christi, quod est Ecclesia. Audiamus ergo prophetæ aut potius Dei verba, ita ad amussim cum Poëtæ versibus convenientia, ut ovum ovo similius esse nequeat: Nam hoc est testamentum, *inquit*, quod disponam domui Israël post dies illos dicit Dominus; dabo leges in mentem illorum, & in corde illorum inscribam illas, & ero illis Deus, & ipsi erunt meus populus, & non docebunt quisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicentes: Cognosce Dominum, quod omnes cogni turi sint me ab eo, qui pusillus fuerit inter vos, usque ad eum qui magnus est inter illos; quoniam placatus ero super injustitiis illorum & peccatis eorum, & iniquitatum illorum non recordabor amplius. *Id est: non opus erit ut magnâ molestiâ & longo tempore addiscant legem meam, nam ego scribam illam non in tabulis lapideis, ut in Veteri Testamento, sed cordibus eorum;*

Fœdus gratiæ.

Hierem. cap. 31. v. 31.

imo

imo tam efficaciter movebo, excitabo, instigabo eorum voluntates per meam gratiam, ut summo cum ardore legem meam ament, & quasi suâ sponte implere eam videantur: Nam ego illis ero Deus & illi meus populus. Non opus erit adire literatos & legis Doctores, tam illustris erit gratia & facilitas legis Euangelicæ. Non opus erit, inquam, magno labore ad discenda necessaria ad salutem, nam præcepta erunt pauca, & accedet magna à me illuminatio, ita ut omnes me sint cognituri, & pueri & senes, in omni natione & sexu. Denique ut nihil desit ad gratiam *illam* salutarem, quæ cunctis lucebit hominibus, *nihilque relinquatur impedimenti ad vitam æternam, omnia eis peccata per baptismum, interveniente obedientiâ mortis Christi, condonabo. Imo &* per nomen Christi dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si quid letale biberint, non nocebit eis, super ægrotos manus imponent & bene habebunt. *Sed vide in illum locum commentatores Theologos. Illustris autem est hæc prophetia de Novo Testamento, quam totam in primo Christi Salvatoris adventu completam esse affirmat in commentariis in Hieremiam ex sententiâ omnium scriptorum Ecclesiasticorum Hieronymus. Imo & Hebræorum plerique statuunt, implendum esse totum, quod hic dicitur, tempore Mesiæ.* *Marci cap. 16. & Ioan. 14.*

Aggredere, ô, magnos (aderit jam tempus) honores,
Cara Deûm soboles, magnum Jovis incrementum.
Aspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque tractusque maris cœlumque profundum,
Aspice, venturo lætentur ut omnia seclo.

Cara Deûm soboles] Hic est filius meus dilectus, *inquit Deus de Christo, Matth. 3.* *Esaiæ c. 5. 1.*

Magnum Jovis incrementum *&c. id est: qui es dilectus & magnus Dei omnipotentis filius, aggredere magnos honores, capesse Pontificatum maximum, summum & æternum Sacerdotium, secundum ordinem Melchisedec, qui major es Aarone, Moyse & ipsis Angelis.*

Aderit jam tempus] *id est: pervenisti ad virilem ætatem, & annum trigesimum, quo sub lege Sacerdotes admittebantur. Venit temporis plenitudo, quâ nutante & in pejus ruente mundo, tristis & lurida ubique Ecclesiæ facies apparet: sed te Mesiâ veniente, & te summo Sacerdote no-* *Esaia 7. 14.*

stro, omnes docti à Deo evadent, erunt omnes docibiles: ponam, *inquit*
Esaia 54. 13. *Esaias*, universos filios tuos doctos a Domino, *& dabuntur secula*
Esaia 55. 12. *meliora & latiora, quia regnum Messia spirituale in Ecclesiâ Christianâ florebit.* Regnum meum non est de hoc mundo, *inquit Christus.*

O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus & quantum sat erit tua dicere facta.

Optat Poëta ignarus mysterii tam longam vitam, quanta necessaria esset ad dicenda facta Salonini: sed divinus ille senex Simeon exspectans consolationem Israël, id est, adventum Messia; nam responsum acceperat à Spiritu Sancto se non moriturum nisi viso Christo, cum eodem spiritu revelante & instigante in templum Hierosolymitanum venisset, & vidisset Christi parentes, cum expleti essent dies purgationis, ipsum primogenitum & solennia secundum consuetudinem legis Dei in templo offerre velle, agnitum amplexus infantem, & Deum laudans hunc dixit Hymnum:
Luca 2. 29. Cygnaa Cãtio Simeonis. Nunc dimittes servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum (*salutem tuam*) quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. *Gratias agit Deo Simeon, quod sibi promissum præstitisset, quod Christum salutis auctorem, & mundi salvatorem (quem pater ab omni æternitate mittere decreverat) tandem vidisset, quare se jam contentum, quietum & lætum brevi placidéque moriturum profitetur.*

Merus homo. *Sublimius certè vaticinium est Sibylla, quam ut eo ψιλὸς ἄνθρωπος designari posset. Quadam hujus Ecloga Maroniana in Augustum, quadam in Saloninum quadrant, sed pleraque aptissimè Christo Salvatori conveniunt. Ecloga exordium est à* progenie cœlo demissâ, *peroratio*, Cara Deûm Soboles magnum Jovis incrementum, *reliqua ferè omnia apud Esaiam aut alios Prophetas, de Christo pradicta, & ab Sibyllâ accuratè descripta & quasi congesta invenies: ita ut eandem tribuam huic oraculo Sibyllino originem, quam paullò ante paganorum asscripsi vaticiniis, acceptis nimirum ab Iudais, & præsertim Hellenistis, per universum imperium Romanum dispersis, hac & similia ex Prophetis pro concione populo dicentibus, aut etiam apud suos familiares passim narrantibus; & verisimiliter eos, quamvis incircumcisos, qui idololatriâ*

triâ relictâ, uni Deo se dederant, & quæ pietati consentanea judicabant, sequebantur; quales multi in Judæâ inveniebantur, sed certis astricti regulis, de quibus multa lectu utilia prodidit vir maximæ eruditionis Seldenus: Hi σεβόμενοι ἕλληνες dicti, id est, pii & Deum colentes Græci, hæc à Judæis intellecta celare non potuerunt, & ita divulgata vires eundo acquisiverunt. Sibyllina oracula non nova illa, quæ citant Christiani, sed vetera Romæ à XV. viris asservata, nihil aliud mihi videntur fuisse, quam versus Græci Judæorum. *Grotius.* Et tamen non incongruè creditur fuisse & in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est, & qui hoc etiam prædicere impulsi sunt. *B. Augustinus. Nec mirum. Sic enim Balaam ariolus & pseudopropheta & improbus vates adventum Christi prædixit, Numer.* 24. 17. *Sic Deus* qui sinebat in præteritis ætatibus omnes gentes ingredi viis suis, non tamen seipsum expertem testimonii sinebat, *Actor.* 14. 15. ut quærerent Deum, si fortè palpent eum & inveniant. *Paulus Actor.* 17. 17. *Scriptor de vocatione gentium* 1. 5. Quamvis ergo hæc & multa similia veritatis Scriptura pronuntiet, secundum tamen ipsam credimus & piissimè confitemur, quod nunquam universitati hominum divinæ providentiæ cura defuerit: quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ bona substraxit, *&c.* & 11. 4. Quamvis enim speciali curâ atque indulgentiâ Dei populum Israëliticum constat electum, omnesque alias nationes suas vias ingredi, id est, secundum propriam permissæ sunt vivere voluntatem, non tamen ita se æterna creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum nullis significationibus admoneret. *Vide Eusebium ejusque adnotata in eandem Maronis Eclogam in oratione Constantini ad cœtum sanctorum cap.* 20.

Finio verbis Lactantii lib. 4. *cap.* 5. Ante omnia, qui veritatem studet comprehendere, non modo intelligendis prophetarnm vocibus animum debet intendere, sed etiam tempora per quæ quisque illorum fuerit diligentissimè inquirere, ut sciat & quæ futura prædixerint, & post quot annos prædicta completa sint, *& paullo post:* Quæ omnia eo profero, ut errorem suum sentiant, qui scripturam sacram

ſacram coärguere nituntur tanquam novam & recens fictam, ignorantes ex quo fonte ſanctæ religionis origo manaverit. Quod ſi quis collectis perſpectiſque temporibus, fundamentum doctrinæ ſalubriter jecerit, & veritatem penitus comprehendet, & errorem cognitâ veritate deponet.

HISTO-

HISTORIA SACRA ET ECCLESIASTICA
NOVI TESTAMENTI

Ordine Chronographico & viâ compendiariâ digesta,

à

NATALI CHRISTI

Usque ad Annum M. C. XXV.

PRomissus, prædictus, & demonstratus in Veteri Testamento per Prophetas Rex Messias, Deus & Dei filius, *Patris virtus, & spiritus & sermo & sapientia & ratio*, ut loquitur Tertullianus Apolog. cap. 13. Princeps ille pacis, Dominus noster Jesus Christus, conceptus ex Spiritu Sancto, in plenitudine temporis nascitur ex Virgine Maria, & *verbum caro factum est* Bethlemi Judę, idque ad salutem generis humani: Coss. Lentulo & Messalino, Anno Augusti XLII. à Triumviratu XLI. Juliano XLIII. Urbis secundum Varronem DCCLI. Olympiadis CXCIIII anno II. In quibus cum videam plurimos eximios viros convenire, (quamvis multi etiam dissentiant) in hac meâ sacrâ & Ecclesiasticâ historiâ Illustrissimi Cardinalis Baronii, viri in antiquâ historiâ peritissimi, annales κατὰ πόδας, sed passibus longè brevioribus sequi proposui. Petavius & Blondellus statuunt annum Julianum, XLI. V. C. 749. ita ut Baronium, Scaligerum, Bellarminum, Casaubonum, Maldonatum, Vossium, Calvisium & alios duobus annis anticipent. Dionysius Exiguus (per quem cœpit consuetudo annos numerandi à nato Christo) natalem Christi statuit in exeuntem annum Julianum XLV. 8. Calendas Januarias, quæ vulgaris æra dicitur. Is opus suum aggressus est an. Christi 526, & periodum suam inchoari voluit anno æræ Christianæ 531, qui mos tum demum invalescere cœpit, & hâc de caussâ inter scriptores tanta irrepsit discrepantia. Cum

vero Dionysius statuat annum natalis Christi Julianum 45, & secundum annales Baronii annus sit Julianus 43, observandum hic est biennii discrimen. nam hunc Dionysii errorem vidit quidem Baronius, & in Chronologiâ correxit, sed in serie historiæ non observavit, quare subinde eam turbat, & biennio seriorem facit. Ubi vero illum lapsum animadvertit, emendare aut potius evitare studuit, & Imperatoris Probi regno duos annos ademit. sed remedium aliquod huic malo in margine ad annorum notas dabimus, in quo ita continuandum ad annos Probi, ubi illum errorem denuò indicabimus. Vide hæc inter cætera accuratè demonstrantem *Sethum Calvisium Isagoges chronologicæ cap.* 47. Nativitatis Christi diem cum Dionysio statuit Baronius 8. Calend. Ianuar. quamvis alterius anni: qui mos observatur per Ecclesias Occidentis. Alii tamen natum volunt sexto Januarii, alii decimo nono Aprilis, alii Maji, alii mense Septembri: Scaliger & Calvisius initium mensis Octobris statuunt. De anno ergo & mense & die Christi natali diversæ sunt sententiæ, & in diversis Ecclesiis diversæ observationes, ut testatur S. Hieronymus sermone de Christi nativitate: *Sive hodie*, inquit, *natus est Christus sive baptizatus est, diversa quidem fertur opinio in mundo, & pro traditionum varietate, observatio est diversa. Quid restabit* inquit, Spanhemius in Dub. Euang. *nisi ut dicamus Spiritum Sanctum nos jubere hic ἐπέχειν, nec definiendum esse cum periculo, quod sine periculo ignorari potest.* Vide accuratam *Vossii dissertationem de natali Christi.*

Quare autem hæc tam incerta sint noli mirari lector. nam primitivæ Ecclesiæ Patres magis consideraverunt vitæ sanctimoniam, quam historias, magis tempus resurrectionis, quam nativitatis Christi. Et jure meritòque; nam natalis parum ad fidem regulamque vitæ facit, de quibus præcipuè laborarunt Patres & prisca Ecclesia. Imo Ecclesiæ initio natalis Domini non videtur celebratus, cum dies Paschatis semper sit habitus festus; quò sanguine suo genus humanum redemit, & mortis victor à mortuis resurrexit Christus. Obiter hoc dicam: Annus Julianus ex castigatione Julii Cæsaris is est, qui præcedit annum, quo interfectus est conspiratione Bruti, Cassii, aliorumque, ut primus Augusti sit Julianus secundus.

August. ep. 119. c. 1.

Anno itaque Juliano, ut diximus, XLIII. Herodis regis Judæorum

XXXXV.

XXXV. aut VI. natus est Dominus noster Iesus Christus Bethlemi in tribu Iuda; quod ab Angelis illius loci pastoribus indicatur, & octavo die subsequente secundum ritum Iudaicum circumciditur. A quo inchoatur in Ecclesiâ primus Christi annus, & tertium mundi tempus, appellatum, *Tempus sub gratiâ.* quod convenienter dividi potest in quatuor intervalla, nimirum à Christo ad Constantinum Magnum; à Constantino M. ad Carolum Magnum, à Carolo M. ad Henricum Quartum, ab Henrico IV. ad hæc usque tempora. *Luca 2.* *Annus Christi primus.*

Paullo ante mortem Herodis Hierosolymam veniunt Magi, stupendo sidere ex Oriente ad Christum ducti, qui cum Bethlemi cum muneribus adorant. De hoc sidere hæc habet Chalcidius Philosophus Platonicus in Commentario ad Timæum: *Est quoque alia sanctior & venerabilior historia, quæ perhibet ortu stellæ cujusdam non morbos mortesque denunciatas, sed descensum Dei venerabilis ad conservationis humanæ rerumque mortalium gratiam: quam stellam cum nocturno tempore inspexissent Chaldæorum sapientes, viri consideratione rerum cœlestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortum Dei, repertâque illâ Majestate puerili veneratos esse, & vota Deo tanto convenientia nuncupasse.* *Matth. 2.*

Postea Ioseph in somno per Angelum monitus infantem Iesum cum matre in Ægyptum abducit, ut evitaret sævitiam Herodis, *qui inter bimatum omnes pueros occidi jusserat* Bethlemi & in finibus ejusdem, *& cum inter eos Herodis filium etiam interfectum audisset Augustus*, falso joco dicebat, ut narrat Macrobius, *Præstare Herodis porcum esse quam filium.* Paullo post anno forte Iuliano XLIV. (alii aliter) ex crudelissimo morbo *aquæ intercutis, podagra, & scatentibus toto corpore vermibus, pœnam impietatis exigente numine*, inquit Iosephus, moritur rex crudelissimus Herodes, Ascalonita, Magnus & senior dictus. Herodi patri in dimidiam regni partem succedit filius Archelaus, Herodes Antipas & Philippus, singuli quartam partem accipiunt: erat enim regnum in tetrarchias ab Augusto divisum. Herode mortuo Ioseph denuò per Angelum monitus, cum infante & matre in Galilæam redit, in civitatem Nazareth: ubi aliquandiu cum matre vixit, unde Christus dictus Nazarenus. Ille Archelaus postea à Iudæis accusatus, Viennam in Galliam ab Augusto relegatur. *Macrob. saturn. lib. 2. c. 4.* *Ioseph. antiq. lib. 17. cap. 10.* *Matth. 2.*

Duodecimo ætatis anno, de præcedentibus nihil certi constitui *A.C. 12.*

aut dici potest, in festo Paschatis Christus cum parentibus venit Hierosolymam, ubi cum summâ omnium admiratione in templo puer ipsos Doctores legis docuit. *nam corroborabatur spiritu, & im-*
Luca 2. *plebatur sapientiâ, & gratia Dei erat apud illum, quare stupebant omnes, qui eum audiebant, super intelligentiâ & responsis ejus.*

A.C. 14. Augustus Nolę urbe Campanię moritur, decimâ nonâ die Augusti, cum post victum ad Actium Antonium solus regnasset annos 44, ab occiso Iulio Cęsare annos 57 & menses sex. mensis Augustus antea dicebatur Sextilis, sed quia Augustus hoc mense primum consulatum iniit, tres triumphos eodem mense egit, & Ægyptum in potestatem redegit, atque ita Augusto felicissimus fuit, ideo ex senatusconsulto hic mensis Augustus nuncupatus est, annis sex ante
TIBERIUS natum Christum. succedit Tiberius Cęsar, Augusti ex Liviâ privignus, imperator crudelis & vafer, qui imperat annos 22 menses 6. Anno ętatis tricesimo, si non expleto saltem ineunte, Tiberii decimo quarto, à Joanne in Iordane fluvio baptizatur Christus, & duobus solum Paschatis à baptismo transactis, regnante Tiberio, procurante Pilato, crucifigitur die Aprilis 25 feriâ sex-
Ioann. 11. tâ, nam uno tantum anno & paucis mensibus supervixit. Prius autem Pascha fuit, quo vendentes & ementes è templo ejecit, alterum quod σταυρώσιμον vocant, quo cruci affixus: fuit hic annus Christi 31. Iulianus LXXIV. ab Augusti triumviratu LXXII, Tiberii XV. Urbis DCCLXXXII, Olympiadis CCII annus 1, Coss. C. Rubellio Gemino & C. Fusio Gemino; secundum opinionem *Vossii, Dissertatione de tempore Dominicæ passionis cap.* 3. *&* 17. Hanc suam opinionem confirmat multis rationibus, & auctoritate Clementis Alexandrini, Tertulliani, Originis, Iulii Africani, Hieronymi, Augustini, Sulpitii Severi, & aliorum & vetustate & doctrinâ commendatissimorum virorum, refutatis diversę opinionis diversis auctoribus. Hęc tam accurata temporum doctrinę cognitio non est propriè mei instituti: illam ego prudens & sciens sępè prętereo, & consultò aliis eâ in eruditionis parte doctioribus relinquo. Ego res & facta imprimis quæro. Vide de his *Scaligerum libro de emendatione temporum, Petavium de doctrina temporum, & Rationarii temporis partem secundam, Isagogen Chronologicam*

cam Calvisii, & Petiti Eclogas Chronol. &c. Interim tamen, iterum moneo, *nemo plus mirari debet in tantis primorum Ecclesiæ temporum crudelissimis persecutionibus, memoriam rerum præteritarum ita exactè servari non potuisse, quin variæ opiniones super eâdem re persæpe existerent,* ut ait *Casaubonus, Exercit.* 1. *cap.* 25. Prȩterea ea est annorum incertitudo, eò quod veteres ab Urbe conditâ, & per annos Consulum aut æras Imperatorum numerarint, non vero Christi; qui mos in initio seculi sexti primum obtinuit, post Cyclum à Dionysio, Exiguo, ut diximus, conditum. Verum enimvero quamvis non sim omnino alienus à prȩdictâ Vossii sententiâ, quam tamen velut erroneam in Clemente Alexandrino & aliis carpit Illustriss. Baronius & doctissimus Casaubonus, & diversas diversorum Patrum & de nativitatis & passionis Christi anno videam sententias, sequar maximè receptam opinionem, nempe Christi passionem incidisse in annum Christi 34, & recedere ab eâ nolui, ne turbarem assuetam historiȩ seriem, cum id ad rei gestȩ veritatem parum ponderis adferat, saltem ad fidei & vitȩ regulam (qui prȩcipuus nobis esse debet scopus) nihil conducat.

Sed ex eo & similibus nemo mihi Patrum antiquorum dissensum objiciat, quod in iis & aliis nonnullis momentaneis, & non fundamentalibus diversas habeant sententias, si modò in iis, quæ ad salutem creditu necessaria sunt, conveniant.

Anno igitur ȩtatis Christi, secundum receptam opinionem, trigesimo, decimo quinto imperii Tiberii, Pontio Pilato prȩside Iudææ, Tetrarchâ vero Galilææ Herode Antipâ &c. Ioannes Baptista Zachariæ & Elisabethæ filius, præcursor Messiæ, divino afflatus spiritu venit in regionem Iordanis, baptismum pœnitentiæ & Messiæ adventum omnibus prædicans, & Eliam Prophetam multis modis referens. Baptizato à Ioanne Christo & ab aqua exeunte, *aperti sunt cœli, & vidit* Ioannes *Spiritum Sanctum formâ columbæ venientem super ipsum. Et ecce, vox de cœlo dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Et ipse Iesus incipiebat esse fermè annorum triginta.*

A. C. 30.
Luca 3.
Matth. 3.
Luca 3.

A doctis disputatur quid hoc loco Lucas intelligat per vocem *ὡσεὶ*, ab Erasmo per fermè, ab aliis per circiter, quasi, &c. interpretatam.

tatam. Quicquid sit, hæ voces indicant aliquem aut defectum aut excessum temporis, ita ut non possit esse discrimen nisi unius aut alterius mensis: sic & Ioannes Baptista, qui Christo sex mensibus natu major erat, eodem ætatis anno suum munus auspicatus erat, secundum legem, Num. 4. 3. & 47. per quam Levitæ tricesimo ætatis anno functionem suam aggrediebantur.

His & præcedentibus Lucæ verbis tanquam certissimis argumentis probatur Christi annus natalis: nempe annus V. C. 751. aut Iulianus 43. ut paullo ante diximus. Nam in initio capitis tertii suæ historiæ refert Christum à Iohanne baptizatum esse anno Tiberii decimo quinto; cum esset, inquit, ferè, quasi, vel plus minus, triginta annorum. Hic autem annus Tiberii decimus quintus incidit in annum V. C. 781. Iulianum 73. à quibus si detrahas triginta annos Christi, remanebunt anni V.C. 751. & Iulianus 43. Computemus annos Augusti. Primus Augusti annus est Iulianus secundus, ut diximus; atque is imperavit annis 57. anno uno sine imperatoria dignitate; inde per annos 12 triumvir aut duumvir, usque ad mortem Antonii: Hinc autem per annos 44 monarcha. Ad hos igitur 58 annos, nempè primum ante Augustum, & Augusti 57, si addideris solidos Tiberianos 14, resultant anni completi 72; ut Tiberii 15 sit Iulianus 73. Vide *Vossium dissertatione de natali Christi.*

Post jejunium quadraginta dierum auspicatur Christus munus prædicationis, vocat suos discipulos, eligit duodecim Apostolos, & celebrantur nuptiæ in Canâ vico Galilææ, ubi primum à Christo fit miraculum, aquâ in vinum mutatâ. Quæ postmodum docuerit, quænam miracula fecerit, narrant abundè Euangelistæ, & cuivis Christiano ex historiâ Euangelicâ possunt esse quam notissima: quam ego malo legere simplici stylo Spiritus Sancti conscriptam, quam alterius, etiam doctissimorum virorum arte ornatam. Quare unum tantum monebo, nimirum de Christi sanctissimâ concione, *in monte* priscis Patribus dictâ, cujus tria capita plurimum me semper delectarunt.

Matth. 5. 6. 7. Luca 9

In hâc unâ concione tota cœlestis philosophiæ, & absolutum exemplar, quales suos esse voluit Christus, comprehenditur: in hac servator noster doctrinam perfectionis Euangelicæ, & divinissima

ſima myſteria nunquam antea revelata patefacit: in hac concione diſſerit Dominus in quibus ſita ſit noſtra beatitudo, idque per παράδοξα & à communi ſenſu aliena; beatos eos pronuncians, qui vulgò miſeri habentur. Et ſicut lex vetus per Moſen de *monte* erat promulgata, ita & novam in *monte* propoſuit Chriſtus. Et priuſquam ſublimem hunc ſermonem aggrederetur, quadraginta diebus ac noctibus jejunavit: Et ſic, quemadmodum Moſes fecerat, accepturus & traditurus populo Judaico veterem & Sinaicam; novam, Sionæam & cœleſtem toti orbi legem promulgat Chriſtus, tanquam novus & cœleſtis homo: quâ docet finem & ſcopum homini Chriſtiano propoſitum eſſe debere, vitam alteram meliorem, cœleſtem, æternam, & in hac vitâ pacem conſcientiæ, veram illam animi tranquillitatem, quam Philoſophorum quæſiverũt plurimi, invenit nemo. Illi quidem negativè dicebant, *quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*, quibus tantum prohibetur peccatum commiſſionis, ut loquuntur Theologi, ne quid mali faciamus proximo: ſed Chriſtus ulterius procedit, & proponit nobis regiam illam legem, cœleſtem illam ſapiẽtiam affirmativè, quâ jubet, ut quæcunque nobis fieri volumus, faciamus alteri. Et cum naturæ ductu nobis omnia bona fieri velimus, præcipit ut ea faciamus proximo, contra peccatum, quod dicitur omiſſionis: quare ſic Rom. 12.
dicitur à Paulo, *qui diligit proximũ, implevit legem*. Præterea antequam diviniſſimam & nunquam ſatis admirandam concionem inchoaret Chriſtus, multa & magna fecerat miracula, ut per ea, quæ viderant, opera, auditores ad credendum efficacius commoverentur. Notandum ergo, quod iterum dico, hic ea doceri, quæ perfectiſsimam vitæ regulam nobis exhibent, quæ tamen maximè apud nos Chriſtianos deſideratur, imò ita negligitur, quaſi nunquam fuiſſet data.

Cum verò primum præſtantiſsimi hujus ſermonis caput plurima eaque eximia, & multa nova præcepta veteribus Moſis oppoſita contineat, quæ uberiorem explicationem requirunt, pauca tantùm dicam de concionis capite ſecundo, ſeu Matthæi ſexto, quæ maximè ad pietatem pertinent & tamen hodie ita apud nos frigent, uti lites & contentiones fervent.

Inter hæc principem locum obtinet Oratio, quam holocauſtum eſſe Deo quam gratiſsimum & ab omni verè Chriſtiano frequenter offe-

offerendum nemini dubium esse potest. Cum enim oratio sit rerum universarum, quibus indigemus, quædam devota postulatio, ac de beneficiis acceptis obsequens gratiarū actio, certissimum est nos perpetuò orare debere, quandoquidem divini numinis subsidium nobis semper est necessarium, & ab ipsius munificentiâ & liberalitate quælibet bona quotidie suscipimus. Quæ cum ita sint, inter divina officia mihi videtur imprimis collocanda illa precandi formula, quam Dominus commendavit, *quæ non tantum propria orationis officia complexa est, venerationem Dei & hominis petitionem, sed omnem penè sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ, ut reverâ in hac oratione breviarium totius Euangelii comprehendatur*, ut loquitur Tertull. *quâ præceptorum suorum grande fecit compendium*, ut loquitur Cyprianus: commendavit, inquam, his ad discipulos suos verbis: *Cum oratis nolite fieri sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi in propatulo. Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt, putant enim quod in multiloquio suo exaudientur: nolite ergo assimulari iis, scit enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis ab illo. Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur*, &c. *Attolle oculos ad Patrem, qui te per lavacrum genuit, ad patrem, qui te per filium redemit, & dic Pater noster*, &c. *dic ergo & tu per gratiam Pater, ut filius esse merearis*; ut loquitur B. Ambrosius de sacram. lib 5. Frequenter ergo, non in multiloquio orandum esse, nos docet Christus. Perseverantis autem orationis efficaciam demonstrat parabola viri importuni, qui tres panes offerendos hospiti suo, mediâ nocte per improbitatem accipit. Ita & alibi non esse deficiendum in oratione demonstrat, cum perfrictæ frontis viduam proponit, quæ de adversario suo vindictam ab iniquo judice clamoribus assiduis tandem obtinet: sic videmus in scriptis Euangelicis Christum in horto Gethsamene frequenter orasse, nec dubitandum, quin etiam quotidie cum discipulis suis oraverit, more religiosorum Judæorum, qui tribus diei diversis horis Deum adorabant; præsertim cum ante cibum benedixisse, gratias egisse, & post hymnos in laudem

Tertull. & Cyprianus lib. de Orat. Dominica.

Luca 11.

Luca 18.

Dei

Dei cecinisse legatur: sic, inquam, Dominus reclusis sacris sui pectoris adytis, thesauros sapientiæ divinæ in *monte* expromens, voluit frequentes esse nostras orationes, quæ sunt Christianorum victimæ purissimæ in calamitatibus, in persecutionibus arma validissima & innocentissima. Addidit eodem loco Dominus duas precibus alas, ut loquuntur Patres, eleëmosynas & jejunium, quò velocius ad aures Dei ascenderent, quas videre licet etiam Act. 10. 30. 31. & 13. 3. & 14. 22. & 1 Corinth. 7. 5. ab Apostolis usitatas. Eleëmosyna autem est maximus charitatis actus Deo commendatissimus & acceptissimus, quo amorem erga proximum ostendimus. *quo nobis recondimus thesaurum, fundamentum bonum ad vitam æternam*; ut loquitur Paulus 1 Tim. 6. 19. Jejunio vero carnem nostram disponimus ad sanctiorem vitam, nobis detrahendo cibum & potum malorum infinitorum fomites. Christus Matth. 17. 21. & Anna Phannelis Lucę 2. 37. adjungunt precibus jejunium. Paulus de corpore suo velut edomito triumphabat. Iustino epistolâ ad Diognetum *anima dum cibo & potu malè tractatur, fit melior.* & Senecę epist. 7. *durius tractandum corpus, ne animo malè pareat.* Nam *opiparis obsoniis*, ajunt apud Philonem Esseni *irritari concupiscentiam belluam insaturabilem. Verbum herclè hoc verum est*, inquit in Eunucho Terentius, *sine Cerere & Libero friget Venus.* Quare Tertullianus *simplex* suadet *pabulum, purumque aquæ potum*, cui Seneca opponit *cibum discordem*. Objiciat mihi aliquis ex Paulo, corporalem exercitationem paululum habere utilitatis: sed à Christo habet jejunium quoque suam mercedem, Matth. 6. 14. non per se, sed quatenus pietati inservit, quæ promissiones habet vitæ præsentis & futurę. 1 Tim. 4. 8. 9. Vide modum jejunandi in primitivâ Ecclesiâ apud Tertullianum lib. de jejuniis adversus Psychicos cap. 2. Sed hìc semper sedulò curandum, quod ter eodem hoc capite monet Christus, ne in his laus captetur apud homines; & necessariò sciendum, quod breviter & benè monet Salvianus, *Indignum esse ad futuræ gloriæ comparationem omne opus humanum*, non tamen negligendum, sed ex charitate agendum. Cum verò velit Christus ut *Patrem adoremus in spiritu & veritate*, *quæ potest esse magis spiritualis oratio, quam quæ verè nobis data est, à quo & nobis Spiritus Sanctus missus est? Quæ vera magis apud patrem precatio, quam* Ioan. 4. Cyprian. de precat. domin.

quæ à filio, qui est ipsa veritas, de ejus ore prolata est? ut aliter orare quam docuit, non ignorantia sola sit, sed & culpa, quando ipse posuerit & dixerit: Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis. Oremus ergo fratres dilectißimi, inquit B. Cyprianus, *sicut magister Deus docuit. Orantes autem non infructuosis nec nudis precibus ad Deum veniant, inefficax est petitio, cum precatur Deum sterilis oratio.* Addatur ergo jejunium, *quod preces alit*, ut inquit Tertullianus: *quo vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentia languet, fugitiva abeunt voluptates, & oratio fit efficax*, ut habet Cypriano adscriptus lib. de jejunio & tentat. Jejunio accenduntur preces, & ut attentiores & fervidiores in iis fundendis simus, efficimur. Addatur eleëmosyna, *quæ est odor suavitatis, sacrificium acceptum & placitum Deo*, secundum Paulum: *nam quando quis miseretur pauperis, Deum fœnerat, & qui dat minimis, Deo donat, & spiritualiter Deo odorem suavitatis sacrificat*, ut loquitur Cyprianus. *Bona ergo oratio cum jejunio & eleëmosynâ*, ut est apud Tobiam. Eleëmosyna autem, ut diximus, est præcipuus charitatis actus, & charitas Petro, *operit multitudinem peccatorum*: *est vinculum perfectionis, est plenitudo legis, est præcepti finis*, Paulo: *est summum fidei sacramentum* Tertulliano: imo est *in Euangelio*, ut uno verbo dicam, *τὸ πᾶν*, Grotio. *Orationes & eleëmosynæ tuæ Corneli ascenderunt ad memoriam coram Deo*, inquit Angelus Dei, cum autem præcaretur horâ nonâ Cornelius erat jejunus, ut testatur coram Petro ipse Cornelius apud Lucam Actor. 10. Unum addam. *Oratio humiliantis, ipsa nubes penetrat*, ut loquitur Jesus Syrach. Quare Christus in monte Oliveti & villâ Gethsemane *positis genibus procidit in faciem*, cum oraret: Stephanus *positis genibus clamavit voce magnâ*: Cornelius *procidens ante pedes adoravit Petrum*: Paulus *positis genibus in litore Tyri cum suis Deum precatus est*: Ioannes *cecidit ut adoraret ante pedes Angeli*: quæ consuetudo familiaris est tam in Veteri quam Novo Testamento. Et nos miselli sedendo, quasi lassi precibus, cum despectu Majestatis divinæ tam frigidè tam irreverentèr magnum & bonum illum Deum in templis adorabimus? *Quod aßignatâ oratione aßidendi mos est quibusdam, non perspicio rationem*, inquit Tertullianus. *Imo contra scripturam fecerit, si quis in cathedrâ aut subsellio sederit. Siquidem irreverens est, aßidere sub conspectu contraque conspectum ejus, quem cum*

Tertull. de jejunio cap. 8.

Phil. 4.

Tob. 12. 19.

Matth. 26.
Luc. 22.
Act. 7. & 10.
Act. 20.
Apoc. 22.

Tertull. lib. de oratione cap. 12.

cum maximè verearis & venereris: quanto magis sub conspectu Dei vivi, angelo adbuc orationis astante, factum illud irreligiosissimum est, nisi exprobamus Deo, quod nos oratio fatigaverit. De tempore orandi Deum hæc habemus apud Danielem, *Tribus temporibus in die flectebat genua sua & adorabat confitebaturque coram Deo suo, sicut & ante facere consueverat.* In Actis Apostolorum ipsas orandi horas indicat B. Lucas; tertiam, quæ nobis est nona; Actor. 2. 15. sextam, quæ nobis est duodecima; Actor. 10. 3. & nonam, quæ nobis est tertia pomeridiana, Actor. 3. 1. & 10. 9. Idem monet Tertullianus lib. de jejuniis cap. 10. Orabant veteres genibus flexis domi in conclavi clauso ostio, Matth. 6. 6. & in conventibus aliquando præeunte Præposito, *in Apol. Iustini*, aliquando simul omnes sine monitore, ut ibidem *Iustinus, & Tertullian. Apolog. c. 30, quia de pectore orabant.* Diebus Dominicis & in Pentecoste, id est totis quinquaginta diebus post Pascha non nisi stantes orabant in primitivâ Ecclesiâ, ut docet Tertull. lib. de coronâ mil. & canon ultimus synodi Nicænæ. *Quando stamus ad orationem*, inquit Cyprian. de oratione cap. 13. Mos etiam fuit Judæis, uti cibum sumpturi, & eo sumpto precarentur Deum, quod ex lege Mosaicâ factum constat ex Philone. Paulus Burgensis est auctor solere Iudæos tum recitare VII. Psalmos, id est à Psalmo CXII, usque ad CXVIII. sic & in Novo Testamento Roman. 14. 6. & 1 Tim. 4. 5. Concludam verbis Leonis I. serm. 1. de jejunio decimi mensis: *Oratione*, inquit, *propitiatio Dei quæritur, jejunio concupiscentia carnis extinguitur; eleëmosynis peccata redimuntur.* sit igitur oratio nostra alata & munita jejunio, eleëmosynâ, & animi demissione, & penetrabit nubes, ascendetque ad aures omnipotentis Dei. Fui in hisce contra meam mentem prolixior, ne nescius esset prisci ritus, si fortasse pius quispiam delectaretur moribus antiquæ Ecclesiæ. Sed redeamus ad historiam.

Daniel 6. 10.

Carceri includitur ab Herode Antipa Ioannes Baptista, qui duos mittit è carcere ad Christum legatos, exploraturos functionem Christi. Nam intellexerat Joannes Christum magnas edidisse virtutes, & inaudita miracula: cæcos, surdos, mutos, claudos, paralyticos, leprosos sanasse, mortuos resuscitasse, idque solo verbo, & cum omnium summâ admiratione. Rogant autem discipuli Ioannis ab eo

A.C. 32.

Matth. 11.

Ioan. 1.33. 34. &c. eo missi ad Christum: *Tu es ille qui venturus est, an alterum exspectamus?* nam ob miracula à Christo facta, & à Prophetis in Veteri Testamento prædicta, Messiam illum jam venisse sciebat Ioannes, & suspicabantur discipuli, quibus Christus affirmando sic respondet: *Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes lætum accipiunt Euangelii nuntium, & beatus qui non fuerit offensus in me.*

A. C. 33. Matth. 14. Ioannes ex petitione Herodiadis capite truncatur ab Herode Antipa, qui paullo post ab Imperatore Caligula Lugdunum in Galliam relegatur. *Iosephus lib.* 18. *cap.* 7, Ioannem Baptistam justissimum esse confitetur, & illis attestatur quæ in Euangelio de illo litteris sunt conscripta. scribit autem & Herodem regno propter Herodiadem excidisse, cumque illâ Viennam in Galliam ejectum, ut loquitur *Eusebius lib.* 1. *cap.* 2. qui posuit Viennam pro Lugduno. hęc autem sunt verba *Iosephi*: *Videbatur quibusdam ex Iudæis propterea Herodis periisse exercitum, quod Deus admodum justè hâc pœnâ inflictâ Ioannem vocatum Baptistam sit ultus. Hunc enim Herodes occiderat virum bonum, & qui Iudæis virtutem exercere, atque inter sese justitiâ, & erga Deum pietate uti, ac baptismo in unum conciliari præcipiebat; nam hoc pacto & baptismum acceptabilem videri, non si ad peccatorum quorundam condonationem, sed si ad castimoniam corporis, animâ videlicet jam anteà per justitiam repurgatâ, usurpetur. Et cum multi coäcervarentur, (siquidem frequenter ac plurimum sermonis illius auditu delectabantur) metuens Herodes ne tanta persuadendi vis, quæ illi inerat, defectionis cujusdam caussam hominibus offerret, (nam nihil non illius videbantur facturi consilio) multò ratus est se facturum melius, si eum occideret, priusquam ab illo aliquid novitatis committeretur, quam si factâ postea rerum mutatione in periculum conjectus, pœnitentiâ duceretur. Et Iohannes quidem suspicione Herodis vinctus Mœcharunta in custodiam prædictam missus, ibidem occiditur.* Hęc ubi de Ioanne commemoravit, etiam Servatoris nostri in eadem historiâ sic meminit: *Erat autem eodem tempore Iesus quidam, vir sapiens, si tamen ille vir est dicendus,* &c. hæc narrat ex *Iosepho Eusebius* loco dicto. Vide autem reliqua ejus loci de Christo verba, & de iis doctorum virorum judicia, anno Christi 96.

De anno passionis Domini, ut & de natali, diversę etiam sunt

Patrum

Patrum & doctorum sententię. Quidam ex verbis Lucę 3. 23. anno ætatis 29 sub finem, alii 30 an. in initio eum baptizatum volunt. Et proinde ex *Danielis* 9. 27. statuunt Christum prædicasse tres annos cum dimidio à suo baptismo ad mortem usque crucis. Quia, ut inquit Propheta, *in medio septuagesimæ hebdomadis deficiet hostia & sacrificium* inter Iudæos per mortem Christi, & oblationem sui corporis pro salute generis humani, tam pro gentibus quam Israëlitis. Iam vero si sub finem 29 aut in initio 30 ætatis anni Christus baptizatus cœpit prædicare, & tres annos cum dimidio secundum Danielem suo functus est munere, necessariò mortuus est anno 33.

Anno verò Christi, secundum opinionem maximè receptam, 34, *Tiberii*, secundum *Eusebium* & *Baronium* 18. instituitur à Christo Cœna Dominica, in quâ corporis & sanguinis sui sacramentum singulis Apostolis distribuit, feriâ quintâ sub vesperam; feriâ verò sextâ (ut quidam opinantur Martii 23. alii aliter) seu die Parasceues, Pascha σταυρώσιμον in cruce celebravit. *quo pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus*: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sicut ovis ad occisionem ducitur, & quasi agnus coram tondente se obmutescit, & non aperit os suum*, ita mactatur immaculatus ille agnus pro peccatis generis humani: & eo die, quod notatu dignum, qui ex lege Mosaicâ Paschalis foret. *Quod duplici de caussâ Deo placuit; primò, ut sic ostenderetur hunc esse verum agnum Paschalem Veteris Testamenti typo adumbratum: deinde, ut ob tantam multitudinem, quæ Hierosolymam ob festum Paschatis confluxisset, plures forent testes hujus supplicii pariter & sacrificii. Vossius* Harmon. Euang. l. 1. c. 11.

A. C. 34. *Institutio cœnæ Dominicæ.* *1 Cor.* 5. *Ioh.* 1. 19. *Esaia* 53.

Hic observandum Christum celebrasse Pascha secundum legem Mosaicam, reliquos ex singulari Pharisęorum præcepto & traditione. Paulus Burgensis notat, quotiescunque Pascha in feriam sextam incideret, differri solitum esse in feriam septimam seu Sabbatum, ut dies ille celebrior esset. Quare eodem die quo comedit agnum Paschalem Christus, seipsum obtulit in altari crucis pro salute totius mundi.

Et ecce ipso diei meridie velum templi scissum, mota terra, petræ ruptæ, monumenta aperta, eclipsi præternaturali obscuratus sol. *Quo voluit Deus ostendere, quantoperè aversaretur Iudæorum scelus, nam* *Matt.* 27. *Luca* 23.

*ſole radios avertente, idque meridiano tempore, quo imprimis lucet: ſignificabatur eum nolle intueri tam atrox facinus. Etiam quia lux lætitiam parit, tenebræ triſtitiam: naturam ipſam quaſi triſtari hâc ſolaris luminis obſcuratione indicabatur. Et ut ſpiſſis tenebris Ægypti, Ægyptiorum cæcitas, ita hac ſolis obſcuratione cæcitas Iudæorum notabatur. Impletumque illud Amos,*8. Et erit in die illâ, dicit Dominus Deus, occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis. *Voſſius Harmon. Euang. lib. 2. c. 10. Dies iſte notatus eſt*, inquit Scaliger, *inſigni ſolis obſcuratione, ut clarè extat apud ipſos Euangeliſtas, item apud Tertullianum in Apolog. nam loquens* περὶ τοῦ σταυρωσίμου ἡμέρας, Eodem, *inquit*, momento dies, medium orbem ſignante ſole, ſubducta eſt. Deliquium utique putaverunt, qui id ſuper Chriſto prædicatum non ſciverunt. Et tamen eum mundi caſum relatum in veſtris archivis habetis, *& non ſolum in archivis tanquam acta publica, imo & in hiſtoriis: nam tam memorabilis caſus etiam Phlegon meminit, ut ſcribit Euſebius. Cujus hæc verba*: ſcripſit vero ſuper his & Phlegon, qui Olympiadarum egregius ſupputator eſt, in decimo quarto lib. ita dicens: quarto autem anno CCII. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio ſolis eſt facta. Dies horâ ſextâ ita in tenebroſam noctem verſa, ut ſtellæ cœlo viſæ ſint, terræque motus in Bithyniâ Nicænæ urbis multas ædes ſubverterit. *Hæc illa ſanè egregia tam celebris diei monumenta, Archiva Romana & Phlegon, inſignis temporum computator, Eclipſin autem ordinariam, id eſt, obumbrationem Lunæ,* ἐπιπρόσθησιν τῆς σελήνης *nullam eo anno fuiſſe anomalia latitudinis lunaris arguit. Extra ordinem ergo fuerunt horribiles illæ Solis tenebræ, ipſo Lunæ plenilunio: in quo aliquid de Lunâ etiam defeciſſe circiter ſolem occaſum epilogiſmus aſtronomicus oſtendit.* Hæc *Scaliger*. vide annotata *Grotij & Voſſium* Harmon. Euang. lib. 2. c. 10.

Scalig. de emendat. temporum l. VI.

Chriſtus vero reſurgit tertio die; quadraginta diebus cum Apoſtolis poſt reſurrectionem verſatur; quo tempore novies ſuis diſcipulis apparuit. Atqui hæc Chriſti reſurrectio magnum eſt noſtræ fidei fundamentum, imo eſt noſtra reſurrectio & vitæ æternæ firma poſſeſſio. *Reportantes finem, mercedem* habet *Beza*, *fidei noſtræ, ſalutem animarum.* 1 Pet. 1. 3. Et cum quadrageſimo die Apoſtoli, mandato Angeli veniſſent in Galilæam, Dominumque ibi inveniſſent, *adora-*

adoraverunt eum, quibus dixit Christus: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: docentes eos servare quæcunque præcepi vobis. Cumque essent defixis in cœlum oculis ecce duo viri astiterunt illis, amicti vestibus albis & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Illi vero egressi prædicaverunt ubique, Domino coöperante & sermonem confirmante per signa subsequentia.*

Matt. 17.
Baptismi institutio.
Act. 1.
Marci 16.

Quinquagesimo vero die, qui erat Pentecostes, venit Spiritus sanctus, & descendit super Apostolos in specie visibili, nempe linguarum ignearum, ad propagandam Christi doctrinam per universum orbem. Hoc die, & hoc modo donum linguarum accipiunt Apostoli; *nam statim loquuntur magnifica Dei variis linguis*, & Petrus primus concionem habet ad Iudæos; quâ refert Christum Messiam illis promissum à Deo per Prophetas, à Iudæis crucifixum, à Deo suscitatum, & se testes illius rei oculatos esse, &c. *& illo die accesserunt ad Ecclesiam ter mille animæ. Erant autem perseverantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione & fractione panis & precationibus, & invicem sumebant cibum*, in convivio Charitatis dicto Ἀγάπη, ad quod ditiores cibum conferebant, & pauperes unà manducabant. Hoc est initium accrescentis Ecclesiæ per prædicationem Apostolorum, quorum historiam, & miracula refert S. Lucas Euangelista, Medicus Antiochenus, Paulli assiduus comes, usque ad annum Christi 59. Qui eum pictorem fuisse volunt, *Simeonis Metaphrastæ* & *Nicephori Callisti* fabulas nobis obtrudunt. *Actor.* 3. Petrus & Iohannes claudum ad templi portam jacentem sanant. *Actor.* 5. fideles ditiores bona sua divendunt, pretium ad Apostolos deferunt. Ananias & Sapphira à Petro solo verbo exanimantur. *Actor.* 6. Aucto fidelium numero Apostoli convocarunt multitudinem discipulorum, qui ex eorum petitione elegerunt septem Diaconos, qui ministrarent mensis, qui postea, ut videbimus, distribuent, celebratâ Eucharistiâ populo corpus & sanguinem Domini.

Actor. 2.
Act. 2.41.

Hoc tempore institutum video regimen Ecclesiæ mixtum ad formam synagogæ, constans partim ex Aristocratiâ, partim ex Democratia;

cratiâ, nempe ex Apostolis, Presbyteris, Diaconis & multitudine discipulorum: & S. Stephanus unus Diaconorum lapidibus trucidatur, Paulo assentiente & vestes lapidantium custodiente, *Act.* 7. post quæ magna est per Iudæos secuta persecutio, ut & dispersio discipulorum: interim Ecclesia à Saulo devastatur. *Actor.* 8. Philippus Diaconus Samaritanos, & Eunuchum reginæ Candacis ad fidem Christi convertit, Azoti & Cæsareæ Euangelium adnunciat.

A. C. 36. Conspirabant omnes Iudæi contra Christianos, & præcipuè Saulus, qui amplissimâ sibi factâ à Pontifice potestate, cum ad illos opprimendos Damascum peteret, Christi voce aspectuque territus ac
Actor. 9. prostratus, ad Christum convertitur. Damasco in Arabiam proficiscitur, ubi triennium prædicat Euangelium. Cum in animo mecum reputare soleo populum tot beneficiis Dei obligatum, tot cladibus cum peccaret coërcitum, expertumque & misericordiam & severitatem Dei, nequaquam emendatum, & cum semper veniam erroris acciperet, semper peccasse post veniam: nihil mirum mihi visum fuit Christum ab his non esse receptum, cum jam inde ab initio toties in Dominum rebelles deprehendantur; magisque mirum existimavi, illis semper peccantibus, nunquam, si modo Deum imploraverunt, defuisse clementiam. Sed hi homines supra modum nefarii eò malitiæ & pertinaciæ devenerant, ut verum fuisse reipsâ ostenderint, quod de iis magistri Hebræorum veteres scriptum reliquerunt, nimirum, *Temporibus Meßiæ homines fore caninâ impudentiâ, asininâ contumaciâ, ferinâ crudelitate.* Traditio *R. Iudæ in Masoretâ, titulo de synedrio, c. Halec.* hæc habet: *quo tempore adveniet filius David, domus institutionis divinæ erit lupanar.* quæ quam verissima fuisse manifestè nobis indicat *Flavius Iosephus libris de bellis Iudaicis*, & Zelotarum, in urbe Hierosolymitanâ ante obsidionem, quam crudelissimæ seditiones, & immanissima scelera.

A.C. 39. Moritur Tiberius cum imperasset annos 22. succedit Cajus Ca-
aliis 37. ligula Imperator. De illo Tiberio sic *Tertullianus* in suo Apolo-
CALIGULA. getico, cap. 5. *Vetus erat decretum, ne qui Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probatus, ut M. Æmylius de Deo suo Alburno. facit & hoc ad caussam nostram, quod apud vos de humano arbitratu divinitas*

tas pensitatur: nisi homini deus placuerit, deus non erit, homo jam deo propitius esse debebit. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Christianum in seculum introivit, annuntiatum sibi ex Syriâ Palæstinâ, quod illic veritatem illius divinitatis (Christi) *revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativâ suffragii sui. Senatus, quia non in se probaverat, respuit. Cæsar in sententiâ mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Eadem è *Tertulliano* refert *Eusebius hist. Eccles. lib. 2. cap. 2. & in Chronico.*

Huic Imperatori Caligulæ, volenti ut in Hierosolymitano templo imago sua dedicaretur, Judæi mori malentes constanter restiterunt. *Ioseph. lib. 18. cap. 11.*

Hoc eodem anno à Baronio dicitur SanctusPetrus instituisse Ecclesiam Antiochenam, sed incertis auctoribus: cum *Actor. 11.* eò dicantur primò venisse viri Cyprii & Cyrenenses prædicantes Dominum Jesum;& ab Ecclesiâ Hierosolymitanâ missus Barnabas; qui & Paulum Tarsi inventum perduxit Antiochiam, Petri nullâ ibidem eâ in re factâ mentione. *Eusebius lib. 2. cap. 3.*

Petrus *Actor. 9.* Ecclesias Iudææ, Galilææ & Samariæ lustrans, An. C. 40.
venit ad sanctos qui habitabant Lyddæ, ubi in nomine Iesu sanat *seu potius*
Æneam paralyticum, & inde vocatus Ioppen, Tabitham à morte 38.
excitat; ubi aliquamdiu mansit apud Simonem coriarium,& crediderunt multi in Dominum.

Cornelius Centurio paganus seu potius nonIudæus & incircum- An. C. 41.
cisus, sed tamen uni Deo addictus, primus ex gentibus in Chri- *aliis* 39.
stum credidit. Is erat vir religiosus & timens Deum cum totâ domo suâ, *Actor. 10.* præstans plebi multas eleëmosynas & semper deprecans Deum. Is adhuc jejunus vidit per visum horâ fermè nonâ Angelum Dei introëuntem sibique dicentem: *Corneli. At ille eum videns timore correptus dixit: Quid est Domine?* qui respondit: *Orationes & eleëmosynæ tuæ ascenderunt in memoriam coram Deo*, & ab angelo monitus mittit suos Cæsareâ Ioppen ad Petrum: is in excessu mentis constitutus per visionem discit etiam gentibus prædicandum Euangelium: ideo sequitur missos à Cornelio, eique & aliis simul præsentibus annunciat Euangelium,& cum videret Petrus eos accepisse Spiritum San-

ctum, nam variis linguis loquebantur & Deum magnificabant, jubet eos baptizari. *Vide*, inquit ad hunc locum Grotius, *quam bonus sit Deus, qui tam benè utenti datis, & Angelum mittit & Apostolum, ut eum doceat eam viam, quæ posthac unica erat ad salutem, verbum crucis.*

Antiochiæ prima jaciuntur, ut diximus, Ecclesiæ Christianę fundamenta, *Actor.* 11. per Paulum & Barnabam. nam totum annum ibi commorantes docebant multos, & eorum discipuli primùm ibi vocati fuerunt Christiani.

A.C. 42. Hoc anno traditur Matthęus suum scripsisse Euangelium, Marcus anno 43. Lucas anno circiter 48. Ioannes jam nonagenarius anno 97. *Sic nobis fidem ex Apostolis Ioannes & Matthæus insinuant, ex Apostolicis Lucas & Marcus instaurant, iisdem regulis exorsi, quantum ad unicum Deum attinet creatorem, & Christum ejus natum ex Virgine, supplementum legis & Prophetarum. Viderit, cum si narrationum dispositio variavit, dummodò de capite fidei conveniat, de quo cum Marcione non convenit.* Tertullian. lib. 4. adversus Marcionem cap. 2.

Pilatus, multis divexatus calamitatibus, sibi ipsi manus infert, *& divinâ ultione sui ipsius fuit interemptor.* Eusebius lib. 2. cap. 7.

A.C. 43. *verò* 41. CLAUDIUS. C. Caligula cum regnasset annos tres & menses decem, post multa insaniæ documenta, occiditur. succedit patruus Claudius, Drusi filius, homo stolidus, qui regno Agrippæ addidit Judæam & Samariam, ita ut regnum Herodis antea divisum, jam totum possideret.

Actor. 12. Hic Hierosolymam veniens, ut Iudæis placeret, statim Christianos persequitur. Iacobum Zebedæi filium Ioannis fratrem gladio occidit, Petrum in carcerem conjicit, unde ab Angelo educitur. Nec diu crudelem ambitiosumque principem cœlestis ira pertulit: nam cum esset Cæsareæ, proque tribunali verba faceret, tanquam Deo sibi acclamari passus, subitâ numinis irâ, à vermibus in corpore natis, fœdè periit. Judæa deinde addita Syriæ proprios reges habere desiit, *Ioseph. lib.* 19. *cap.* 7. *Euseb. lib.* 2. *cap.* 10. Hic multa incerta Baronius producit; nam cum post hanc Agrippæ persecutionem dispersi essent Apostoli, ut opinatur, alii ad Iudæos, alii ad Gentes, eo tempore ab iis compositum fuisse symbolum Apostolorum conjectat, *ut singuli, quid prædicaturi essent, communi consilio constituerent*, quemadmodum loquitur, cum Ruffino in explicatione symboli,

Baro-

Baronius: sed ea ratio multis non placet: nam sic viderentur dubitasse Apostoli de fundamento sive capitibus religionis Christianæ. Atqui repleti erant Spiritu Sancto, non ignari Christum promisisse, se ducturum eos in omnem veritatem. Sed non tollit prudentiam humanam Spiritus Sanctus, imò ductu Spiritus Sancti eos in eum finem convenisse credibile est, ut Ecclesia haberet formulam, quam baptizandis exponeret. *Siquidem propterea* (Paulus) *Hierosolymam ascendit ad cognoscendos Apostolos & consultandos, ne fortè in vacuum cucurrisset, id est, ne non secundum illos credidisset, & non secundum illos Euangelizaret. Denique ut cum auctoribus contulit & convenit de* regulâ fidei, *dextras miscuêre, & exinde officia prædicandi distinxerunt, ut illi in Iudæos, Paulus in Iudæos & in nationes*, ut loquitur Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem cap. 2.

Sed nec ab Apostolis id Symbolum compositum fuisse credibile est, cum ejus non meminerit in Actis Apostolorum B. Lucas, nec alibi primitivæ Ecclesiæ Patres. Regulam fidei, eadem ferè comprehendentem, nobis reliquerunt multi Patrum: quando autem & à quibus hoc Symbolum, dictum Apostolicum, sit conditum, incertum est. Nicænum & Constantinopolitanum Concilium habuêre sibi peculiaria Symbola: hoc verò dictum Apostolicum, inquit Baronius, *Catholica Ecclesia ita semper est venerata, ut in sacrosanctis Conciliis œcumenicis, quasi basis quadam & fundamentum totius structuræ Ecclesiasticæ, consueverit imprimis recitari.* Utinam & hodie tantæ esset auctoritatis, ut ab omnibus crederetur sufficiens fundamentum fidei, ut olim de regulâ fidei locuti sunt patres! Bone Deus! quantæ remoræ essent sublatæ ad pacem inter Christianos promovendam. *Vossius dissertat. de symbolis.*

Hoc eodem anno multa incerta de profectionibus Apostolorum ad diversas regiones, ut & de itinere Petri Romam, refert Baronius ex Chronico Eusebii, anno secundo Claudii, sed eâ de re paullò post fusiùs.

Audiamus quam frigidè de incertâ hac Petri historiâ loquatur Petavius: *Interea per Iudæam ac Syriam ac longius quoque propagari pietas Christiana cœpit, incumbentibus eam in rem discipulis, præsertimque Petro & Paulo: quorum ille peragratâ Syriâ Antiochiæ sedem Pontificiam*

fixisse creditur. æquum est credere, inquit Baronius, *anno post passionem Christi 7. æræ communis 37. cui annos sex præfuit*, aliis septem: *Romam inde circa Claudii secundum migravit annum, ut in Chronico Eusebius; qui & annis viginti quinque Vrbis Episcopum Petrum fuisse* refert.
Euseb. 2. hist. Eccles. cap. 14. *Hujus sedis principium cadit in annum Claudii tertium*, Baronio Christi 45, *cum Paulus nondum eò pervenisset: qui in Asia, Græcia Macedoniaque interim procurabat Euangelium, atque anno post passionem Christi 25*, Neronis Baronio 3, *vinctus Romam adductus est*, ut testatur Hieronymus, qui est annus Christi Baronio 59. *Itaque diu ante Paulum Romam Petrus venit.* verba sunt Petavii posthac leniter examinanda.

Paulus & Barnabas, expleto eleemosynarum ministerio; quas fratres Christiani Hierosolymam per eos miserant, redeunt Antiochiam, assumuntque sibi Ioannem, cui cognomen erat Marcus, *Act.* 12. unde emissi à Spiritu Sancto, postquam cum jejunio orassent, & Domino ministrassent, abeunt Seleuciam, inde in Cyprum, Salaminem & Paphum, ubi Elymas magus excœcatur, & Sergius Paulus
A. C. 44. 42. proconsul convertitur. Ex Papho veniunt Pergen Pamphiliæ, & peragratis regionibus Antiochiam Pisidiæ, ubi in Synagogâ concionem habet, & Euangelium Christi annunciat Paulus, sed paullò post inde pulsi veniunt Iconium, *Actor.* 13. ubi lapidati confugiunt
A. C. 46. 44. Lystram & Derben, & in vicinam regionem, & undique prædicant Euangelium. Inde redeunt Antiochiam *Actor.* 14. Antiochiâ mittuntur Hierosolymam, ad Apostolos ac Presbyteros super motâ per quosdam ex Iudæâ venientes quæstione, *utrum sine circumcisione aliquis salvari posset.* Cum autem venissent Hierosolymam, convenerunt Apostoli & Presbyteri, ut despicerent de hoc
A. C. 51. aliis 48. negotio, *Actor.* 15. nullâ toto post hâc tempore factâ per Lucam Petri mentione.

Exod. 20. Matth. 22. 37. Celebratum ergo est concilium Apostolorum, in quo Petrus decidenda proponit, Iacobus decisionem pronuntiat. In eo antiquantur instituta Iudaica, & leges ceremoniales, exceptâ morali, quæ ad omnes pertinet, & est perpetua; cujus compendium est decalogus, & summa decalogi: *diliges Dominum* &c. Reliqua in gratiam conversorum Iudæorum & Gentilium decernuntur, respectu charitatis

&

& ædificationis, ne infirmi scandalum paterentur: sanè longè majori charitate quam hodiè.

Nota à Baronio statui dispersionem Apostolorum factam esse A. C. 44. post persecutionem ab Agrippa institutam, & eodem anno Petrum abiisse Romam; & cum huic concilio interfuerit vel præfuerit, nihil tamen de ejus abitu aut reditu Romam Lucas: sed audiamus ipsa verba: *Et quidam qui descenderant à Iudæâ docebant fra-* *Actor.* 15.
tres: nisi circumcidamini secundum morem Mosis, non potestis esse salvi. Cum orta ergo seditio, & disceptatio esset non exigua Paulo & Barnabæ adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas & quidam alii ex illis ad Apostolos ac Presbyteros Hierosolymam, super hac quæstione &c. *cum autem venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesiâ, & & ab Apostolis & Presbyteris* &c. Quis ex hisce & præcedentibus Lucæ verbis sibi poterit imaginari ante hoc Concilium fuisse factam Apostolorum dispersionem in omnes mundi regiones, & Petrum aut Antiochenam aut Romanam Ecclesiam instituisse, & in eâ sedem pontificiam erexisse, ut anno 45. loquitur Baronius: Ab hoc Concilio mittuntur literę Antiochiam, per manus Pauli, & Barnabę, Iudæ Barsabæ & Silæ fratribus, qui erant Antiochiæ, & in Syriâ & Ciliciâ: Paulus vero & Barnabas demorabantur Antiochię, docentes & annunciantes cum aliis compluribus sermonem Domini. quæ cum per hos Concilii legatos peracta essent, Paulus cum Sila perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias. Barnabas autem cum Marco navigat in Cyprum, & perambulantes *Actor.* 16.
diversas regiones, tradebant eis servanda decreta, quæ erant ordinata ab Apostolis & Presbyteris Hierosolymis. Post hæc in actis non meminit Petri Lucas, & pleraque, si non omnia, quę subsequuntur à Paulo facta narrantur, ut ego certum tempus dispersionis ex actis statuere nequeam. Hanc ergo post Concilium accidisse conjecturare liceat.

Decretum hujus Concilii Apostolici summâ prudentiâ & animi moderatione fuit constitutum, idque in gratiam conversorum ad Christi fidem, tam ex gentibus quam Iudęis. Gentes liberantur hoc decreto à jugo servitutis Iudęis imposito, & tamen jubentur abstinere ab immolatitiis, scortatione, sanguine, & suffocato, quę postrema

duo fortè idem volunt; nam & sanguinem continent suffocata: non autem hoc fit quod hisce comprehendantur omnia Euangelii pręcepta, sed ea tantum quæ disputationem excitare, & Iudæos offendere poterant, & impedire, quo minus Gentiles cum Hebręis in unam Ecclesiam coälescerent:, hoc modo ergo occurritur utrique nationi, ut utriusque una fieret societas. Prohibentur gentibus, quæ antea iis licita erant, immolatitia, ne sacrificia diis facta approbare viderentur: scortatio, ne castitas in gentilibus minor esset, quam in Hebræorum puellis. De suffocato & sanguine hæc habet Tertull. Apolog. cap. 9. *Erubescat error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus: qui propterea quoque suffocatis & morticinis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur, vel intra viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorum botulos etiam cruore distentos admovetis, certissimi scilicet illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Porrò, quale est, ut quos sanguinem pecoris horrere confiditis, humano inbiare credatis?* Esus vero sanguinis Gentibus prohibetur, quia illa lex exordio mundi nata, etiam data est Adamo, & Noë, & observata omnibus Israëlitis. *Grotius. Vide Tertull. de Monogam. cap.* 5. A lege ergo per Mosen Iudæis datâ, liberæ statuuntur gentes, sed non ab iis, quas Deus Adamo aut potiùs Noë præceperat. Hæc autem lex quo jure apud Christianos in desuetudinem abierit, vide apud commentatores in hunc locum. Ego, ut verum fatear, magnum invenio consensum in interdicti hujus Apostolici observatione apud primitivæ Ecclesiæ Patres: imo & etiamnum id observari in plurimis Orientis & Meridiei Ecclesiis ex diversis scriptoribus constat. De Græcis ex testimonio Nili, Archiepiscopi Thessaliæ, libello de primatu Papæ: de Moscovitis & Russis ex historiâ Sigismundi Baronis ab Herbersteyn: de Abyssinis ex Damiano à Goes de moribus Æthiopum: de Maronitis in Syriâ & Ægypto habitantibus, ex E. D. W. Brerevood de diversitate linguarum & religionum, sed præcipuè ex Claudio Becmanno, qui in exercitationibus suis Theologicis totam 26. in ejus defensione impendit. *Vide Curcellæi dissertationem de esu sanguinis.*

Gal. 2. Paullò post hanc Synodum Hierosolymitanam cum Petrus etiam venisset Antiochiam, Paulus palam illi restitit, propter simulationem

nem reprehensione dignam. Nam cum decreto Apostolico Gentes à Legis Mosaicæ jugo essent liberatæ, non incedebat recto pede ad veritatem Euangelii Petrus, qui gentes cogebat Iudaizare, *quod cum convixisset Ethnicis, postea à convictu eorum se separabat, respectu personarum, utique conversationis fuit vitium, non prædicationis: non enim ex hoc alius Deus quam creator, & alius Christus quam ex Mariâ, & alia spes quam resurrectio annunciabatur*, ut loquitur de præscript. cap. 23. Tertullianus. *sic ipse Paulus* 1 Cor. 9. *dicit se omnibus esse factum omnia, Iudæis Iudæum, non Iudæis non Iudæum ut omnes lucrifaceret*. Idem Tertullianus cap. sequenti, & adversus Marcionem lib. 4. cap. 3.

Omnia quæ sequuntur in Actis Apostolorum sunt Pauli cum Sila aut Timotheo, qui per Phrygiam, Galatiam & Mysiam venit Troadem, inde abit Samothracen, Neapolin & Philippos, ubi baptizatur Lydia & tota domus ejus *Actor.* 16. Post annuntiat etiam Christum Thessalonicæ, Berœę, inde Athenis, ubi cùm vidisset aram cum inscriptione *Deo ignoto*; hunc Deum se iis adnuntiare dicit: ubi utramque scribit epistolam ad Thessalonicenses. *Actor.* 17. Postmodum venit Corinthum, inde Ephesum, unde per Syriam properat Hierosolymam. Inde denuò abit, & peragratis multis regionibus Galatiâ, Phrygiâ venit Laodiceam, quo tempore Ephesum venit Apollo Iudęus, vir disertus, & benè institutus in viâ Domini. *Act.* 18. A. C. 56.

Claudius Imperator moritur, cum regnasset annos 13. menses 8. 54.
In Claudii vitâ Suetonius mentionem facit Christi sub nomine Chresti: sic, eum nuncupabant Pagani, sed verè Χρηστὸς erat Christus.

Reversus Hierosolymam Paulus, Iacobo & Præsbyteris narrat A. C. 58.
singula, quæ Deus fecisset inter Gentes per ministerium ipsius: Ubi capitur à Judæis in templo, & cum appellasset Cæsarem, à Festo mittitur Romam *Actor.* 21. *Cumque Romam venisset, mansit biennio* A. C. 59.
toto in suo conducto; & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad ipsum, prædicans regnum Dei, ac docens quæ sunt de Domino Iesu, cum omni fiducia, nemine prohibente. Verba sunt Lucæ & Actorum postrema. Scripsit idem ibidem Epist. ad Philippenses, Ephesios, Colossenses, Philemonem, secundam ad Timotheum.

Hic Euangelista Lucas, suis Apostolorum, Petri nempe & Pauli, nam aliorum tantum fit mentio, actis finem imponit, discedens à Paulo

Paulo in Achajam, ubi hunc librum scripsisse dicitur ab Hieronymo, cujus etiam stylum, quam aliorum Euangelistarum, tersiorem idem observat. De reliquorum Apostolorum itineribus & prædicationibus vix tenuis ad nos fama pervenit: & cum, quæ de iis scripta sunt, dubiæ & sublestæ sint fidei, relatione incertæ historiæ supersedeo. sed cum hoc eodem tempore Hierosolymorum Episcopus mortuus sit, pauca de illo referre operæ pretium duxi.

A C. 63. Tres fuerunt Jacobi, duo Apostoli immediatè à Christo vocati:
62. alter filius Zebedæi, frater Ioannis, ab Herode filio Antipæ gladio occisus est Hierosolymis, ut videre est *Act.* 12. qui primus fuit inter Apostolos Martyr, & hodie colitur in Hispaniâ, de quo vide an. C. 816. Alter erat Iacobus Alphæi, dictus à Marco minor, cujus etiam se fratrem Apostolus Iudas scribit: & qui secundum quosdam auctor est Epistolæ Catholicæ: sed si hoc verum esset, addidisset etiam Apostoli nomen, ut solent Petrus & Paullus in suis epistolis. Tertius est Iacobus ille, qui non Apostolus, sed unus ex septuaginta discipulis, Hierosolymorum electus est Episcopus, aut præpositus, aut primus presbyter: qui sub nomine servi Dei & Domini Iesu Christi scripsit Epistolam Catholicam ad duodecim tribus Iudæorum dispersas; cujus judicio *Actor.* 15. concilii Apostolici decretum stabilitur: cui ob eximias virtutes datum fuit nomen Justi; qui & dictus fuit frater Domini, quod filius esset Josephi ex priore uxore, unde & Maria mater Domini dicta est Maria Jacobi *Matth.* 27. 56. & *Marci* 15. 40. ut statuunt *Eusebius*, *Origines*, *Epiphanius* & alii. Is hoc anno moritur, à Judæis lapidibus Hierosolymis oppressus: in ejus locum succedit Symeon. *Vide Eusebium lib.* 1. *c.* 13. *& lib.* 2. *c.* 1. *&* 23. *& lib.* 7. *c.* 8. *Iosephum antiq. lib.* 20. *c.* 8. *Ignatium epist. ad Trallianos. Hieronym. de script. Eccles. & in Acta, & ad Galatas. Scaligers animadv. in Chronic. Euseb. Grotium in epist. Iacobi. Henric. Hammond. Dissert.* 4. *cap.* 3.

Hierosolymitana ergo fuit omnium Ecclesiarum prima: secutæ eam sunt Antiochena, Ephesina, Corinthiaca, Romana &c. sed in Hierosolymitanâ ipse Christus suam revelavit doctrinam, Dei sapientiam; ubi eandem & Christus & Apostoli multis confirmarunt miraculis: ubi Christus crucifixus est pro salute generis humani. ubi

Apostolis

Apostolis sub formâ linguarum ignearum Spiritus sanctus datus est: ita certè, ut qui primus ibidem fuerit electus Episcopus, summo jure dici possit & debeat successor Christi. Apostolis à Christo jam discedente dicitur Marci 16. *Ite per universum mundum, & prædicate Euangelium* &c. ita ut Apostoli acceperint mandatum generale: at ratione mandati specialis aliquis fuit hujus vel istius loci Episcopus. Gregorius Magnus de quorundam Apostolorum prædicatione sic loquitur hom. 16. in Euangelium: *In illo*, inquit *toto examine* (extremi judicii) *electorum omnium & reproborum multitudo deducitur, & unusquisque quid fit operatus. Ibi Petrus cum Iudæâ conversâ, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducet. Ibi Andreas post se Achajam, ibi Ioannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui judicis conversam ducet*: Paullò tamen aliter Eusebius. lib. 3. c. 1.

Reliquam de SS. Petro & Paulo historiam referam verbis Petavii: *Paulus à Nerone coram auditus & absolutus est, sed cum utriusque*, ut apparet, *Apostoli studio Romæ Christiana fides adolesceret, primus eam infectatus est Nero, qui cum Vrbi subjecisset ignem, anno imperii undecimo, æra Christianæ 64. falsò sceleris hujus in Christianos derivavit invidiam. Ideo comprehensi plerique, & horrendis affecti suppliciis: adeo ut nonnulli sebo, adipe ac pice obliti, facium instar, in usum nocturni luminis arserint. Eodem ferè tempore Simon Magus*, Actor. 8. *qui Samariæ Christianam religionem importante Philippo ei nomen dederat, & ad maleficas artes postea redierat, Romam advenit, ac præstigiis suis Romanis illusit, quem Petrus* (&, ut alii, Paulus) *à dæmonibus in altum sublatum, ac volitantem oratione suâ dejecit. Ob id Neronis jussu tam ille, quam Paulus capitis damnati sunt.* 3 kalend. Jul. A. C. 67. Neronis exeunte 13.

Prima persecutio sub Nerone. A.C. 66. 64.

Tac. an. 15. *cap.* 44. *Sueton.* 16. *Arnob. l.* 2. *ad Gentes. August. sermon. de Sanctis. Severus Sulpit. lib.* 2.

Reliquorum Apostolorum acta nullâ ferè certâ & fide dignâ historiâ comprehensa in obscuro latent. De Matthæo scribit Irenæus, scriptum ab eo tunc Euangelium, cum Petrus Romanam instituit Ecclesiam. Iacobum quoque minorem (Jacobum potius Justum) *fratrem Domini, qui primus Hierosolymorum antistes ab Apostolis ordinatus est, anno sedis suæ* 30. *Neronis* 7. *Iudæi peremerunt, quod in annum incidit Christi* 61. *Iacobo successit Simeon, Petro Linus, qui hactenus Chorepiscopus fuisse putatur*, id est, egisse Episcopum ruri.

Hieron. Euseb. Chro.

Vtriusque Cathedræ tempus auctoritate nititur: sed Romana intervallum

lum plures quam Antiochenæ testes habet: hujus enim solus vindex est Eusebius in Chronico, qui ad annum ultimum Tiberii initium ejus aßcribit, à quo septimo deinceps anno Romam profectum esse Petrum adnotat. Sed prior illa de Antiochensi sede lacinia germana non est; cum nec in veteribus libris appareat, & absurdè Petrum Antiochiæ doceat annos 25 mansisse. De Romanâ constantius antiqui loquuntur, cujus finis in nece Petri factus est, anno Christi 67. Neronis labente adhuc 13, & instante 14, sed is 14. computatur ab Hieronymo, qui Apostolos ambos eo ipso mortem obiisse scribit, eundemque numerat post paßionem Christi 37. Adhæc Petrum ait annis 25. Romanam sedem obtinuisse. Vnde videri *potest* circa *annum Christi 43 illius initium fecisse, Antiochenæ verò ante annos 6. Christi 37.* Hactenus Petavius: & vides quam circumspectè & timidè, quasi per conjecturas, de rebus incertis loquatur.

Baronius omnia ea, quæ de historiâ S. Petri in primo Annalium tomo tam prolixè proponit, quasi certa & indubitata statuit; quare pauca mihi hic eadem de re recensenda censui: non quod dubitem utrum S. Apostolus Petrus fuerit Romæ, utrum princeps fuerit Apostolorum; quis enim consensui universi orbis Christiani audeat refragari? sed tantum ut ostendam Baronium in dubiis sibi nimium adulari, &in multis nimium sequi sui animi affectionem. Ubi ad rationes solidiores respondere non datur, quod sæpè ingeniosè potest, ad posterorum incerta scripta confugit: quod lectori veritatis amanti, & ipsi sæpè Baronio ingratum est.

Baronius an. C. 39. Petrum factum Episcopum Antiochenum his verbis affirmat, sed non probat. *Cum post dispersionem discipulorum ob necem S. Stephani quidam eorum venißent Antiochiam, & multos ibidem Iudæos convertißent, omnium Apostolorum sententiâ*, ut æquum est credere, inquit Baronius, *factum est, ut Petrus Apostolorum princeps, totius Syriæ principi civitati atque Metropoli, cui & Palæstina & Hierosolyma subjacerent, præficeretur Episcopus.* Hæc Baronius. sed audiamus ipsa Lucæ verba, & quid ex iis statuendum sit quilibet judicet: *Et illi quidem*, inquit, *qui dispersi fuerant ex afflictione, quæ orta fuerat ob*
Act. 11. 19. *Stephanum, perambulaverunt usque ad Phœnicen & Cyprum & Antiochiam, nemini loquentes sermonem illum nisi solis Iudæis. Erant autem ex iis viri Cyprii & Cyrenenses, qui cum introißent Antiochiam loquebantur*

tur ad Græcos, prædicantes Dominum Iesum. Et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum. Pervenit autem rumor ad aures Ecclesiæ quæ erat Hierosolymis super his, & miserunt Barnabam (qui apud veterum quosdam meritò audit Apostolorum decimus quartus) *ut iret Antiochiam. Quo cum pervenißet, & vidißet gratiam Dei, gavisus est & hortabatur omnes ut proposito cordis perseverarent adhærere Domino. Nam erat vir bonus, ac plenus Spiritu sancto & fide: & addita est multa turba Domino. Profectus autem est Barnabas Tarsum, ut quæreret Paulum, quem cum invenißet perduxit Antiochiam. Accidit autem ut totum annum consuetudinem agerent cum eâ congregatione, docerentque turbam multam, & discipuli cognominarentur primum Antiochiæ Christiani.* Hæc Lucas. *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat,* inquit Tacitus, imò multò post tempore exstiterunt acta Pilati, ad quæ Christiani subinde provocabant. *Vide Tertullianum Apologet. cap. quint.* & *Epiphanium in Tessarescadecatitis.* *Tacit. Annal. xv.*

Quisnam hominum ex his Lucæ verbis sedem Antiochenam non potius tribuet Barnabæ, aut Paulo, quam Petro? Interim tamen dicit Baronius, omnium Apostolorum sententiâ, Petrum esse factum Antiochiæ Episcopum: quod si verum est, dicas Petrum ibidem circumcisionis, id est Judæorum, Paulum autem præputii, id est, gentilium fuisse Episcopum, ut etiam Romæ. Probare conatur suam opinionem Baronius ex loco mendoso & incerto in Eusebii Chronico, & lib. Pontific. *in Petro*, qui falsò asscribitur Damaso, & dicitur esse Anastasii, qui vixit An. C. 858. sed potius diversorum & certorum est, ut alibi benè judicat ipse Baronius.

At verò Ignatius, ipse Episcopus Antiochenus, epist. ad Antiochenam Ecclesiam inquit, *Mementote Euodii beatißimi Patris vestri, qui primus post Apostolos gubernacula vestræ Ecclesiæ sortitus est*; id est, post Petrum, Paulum, Barnabam, &c. Euodius factus est primus Antiochiæ Episcopus; secundus fuit dictus Ignatius. In actis non dicitur Petrus fuisse Antiochiæ, sed tantum à Paulo in epist. ad Galatas, *absoluto, scilicet ipso, de quo agit, conventu Apostolorum Hierosolymis celebrato, post annum Christi* *Gal. 2.*

59. inquit Baronius, cum Petrus ſedem Romanam inſtituiſſet anno 45, ſecundum Baronium.

Actor. 12. Anno C.44. Petrus ab Agrippa Hieroſolymis capitur, & in carcerem conjicitur; ſed nihil de Epiſcopatu Antiocheno. At Baronius ambiguis conjecturis poſt interfectum ab Agrippa Jacobum, incarceratum Petrum, univerſalem illam Apoſtolorum diviſionem, ſic loquitur, factam ſtatuit, *& antequam diſcederent, compoſitum fuiſſe à duodecim Apoſtolis per diverſas ſententias ſymbolum dictum Apoſtolorum. Petrum demum abiiſſe Romam, & ſingulos Apoſtolos ad ſingulas provincias profectos*, quę ex Nicephoro, Metaphraſte & aliis, qui vixerunt poſt ſeculum octavum, refert. Sed nulla horum omnium fit mentio apud Lucam, qui cum non neglexerit diſperſionem quorundam poſt mortem S. Stephani factam, hanc tam celebrem omnium Apoſtolorum diviſionem, tanquam veterno correptus, omiſiſſet? Quare ſanè longè veriſimilius eſt hanc Apoſtolorum diſperſionem accidiſſe poſt convocatum *Act.*15. Apoſtolorum concilium. Onuphrius Panuinus hiſtoriarum ille helluo, ſtatuit in additionibus ad Platinam in vitâ Petri Eccleſiam Antiochenam poſt Romanam fuiſſe inſtitutam à Petro, quia negat Petrum Iudęâ unquam antè exceſſiſſe. hac de cauſſâ cum novatoribus comparatur (cum ſit monachus Eremita Auguſtinianus, Romæ addictiſſimus) à Baronio.

Sed videamus hiſtoriam actuū Apoſtolorum, eamq; deducamus ad cap.15. quando habitum Concilium. cap.13. dicitur: *Antiochia Barnabas & Paulus mandato Spiritus ſancti eliguntur in opus, ad quod accerſiverat eos*, (verba ſunt Spiritus ſancti) *cumque illis eſſent impoſita manus, abierunt in Cyprum & Aſiam minorem, prædicatione Euangelii convertentes multos ad fidem Chriſti: peracto illo itinere redeunt Antiochiam, ubi cum quidam fratres, qui deſcenderant ex Iudæâ, docerent neminem ſine circumciſione poſſe ſalvari, ortâ magnâ contentione, mandatum eſt Paulo & Barnabæ proficiſci Hieroſolymam, & ſuper eâ quæſtione agere cum Apoſtolis & Preſbyteris* &c. Hęc eſt occaſio Concilii, ut auctoritate Apoſtolorum inſtans ſchiſma tolleretur. Finitâ ſynodo, in quâ abrogatę leges Ceremoniales, & conſtituta ſalus per Jeſum Chriſtum, remittuntur Paulus & Barnabas cum Iuda & Sila & epiſtola ſynodali ad fatres gentiles, qui erant Antiochię, in Syriâ & Ciliciâ &c. Poſt

hęc

hęc nihil in actis de Petro Lucas: sic tamen loquitur Baronius: *Sicut post necem S. Stephani universi qui erant Hierosolymis discipuli dispersi sunt (ut ait Lucas) prater Apostolos: ita etiam secundâ in Ecclesiam excitatâ persecutione, occisoque Iacobo, & Petro eodem supplicio condemnato, sed divinâ virtute elapso, factam esse Apostolorum dispersionem, seu potius dicere velimus divisionem*, par est credere. Ego candidè fateor cum Calvisio, me hęc conciliare non posse, salvis Actis Apostolicis. Quare quidam negant Petrum Romæ fuisse, vel saltem incertum statuunt, idque his rationibus, quarum prima est.

I. Nulla fit mentio itineris S. Petri Antiochiam aut Romam versus in actis Apostolorum.

II. Anno Claudii tertio & Christi 45. dicitur S. Petrus venisse Romam, ibidemque institutam ab eo fuisse Ecclesiam. S. Paulus venit Romam anno Neronis 3. Christi 59. Paulo obviam eunt fratres; ille se purgat primoribus Judæorum, integrum biennium Romæ prædicat Regnum Dei, & docet quæ sunt de Domino Jesu, nullâ factâ mentione Petri, qui tamen circumcisionis Apostolus erat.

III. Paulus scribit epistolam ad Romanos anno Claudii ultimo, in cujus capite postremo, multos Romanos, quosdam suos coadjutores, aliosque plures nominatim salutat, nihil de Petro.

IV. Cum Paulus Romam venisset, scribit ad Philippenses, ubi mentio fit Clementis; ad Colossenses, secundam ad Timotheum, ubi meminit Lini & aliorum; ad Philemonem, quem salutant concaptivi & adjutores, inter quos Lucas, sed ne gry de Petro. Quare ego cogor opinari Petrum serius, & circa finem vitę venisse Romam, *ut loquitur Eusebius lib. 3. cap. 1.*

V. Primis duobus ferè seculis nemo Ecclesiasticorum scriptorum hæc de Petro narrat. Ignatius Episcopus Antiochenus, qui vixit A. C. 71. epistolâ ad Mariam Cassab. dicit Clementem Petri & Pauli fuisse auditorem: sed hæc inter genuinas septem ejus epistolas ab Eusebio & Hieronymo non numeratur. Sic epistolâ ad Trallesios Anacletus & Clemens dicuntur ministrantes Petro, sed illa est interpolata, & in genuinâ illa verba non inveniuntur. Justinus Martyr, qui cum Simonem Magum Deum habitum referat, non tamen Petri meminit: is vixit A. C. 150. Nec Egesippus histo-

riarum Ecclesiasticarum primus scriptor qui vixit A. C. 177. ex quo diversa citant Eusebius & Hieronymus, sed nihil de Petro.

VI. Imò ipse Clemens Romanus in suâ epistolâ ad Corinthios sic de Petri & Pauli Martyrio loquitur: *Petrus non unum aut alterum, sed plures labores sustulit, atque ita Martyrium passus in debitum gloriæ locum ascendit. Paulus propter æmulationem in vincula septies conjectus, verberibus casus, lapidatus &c. sub Imperatoribus martyrium subiens, è mundo migravit, & in locum sanctum abiit patientiæ summum exemplar.*

VII. Ipse Petrus suam scripsit epistolam Babylone (erat enim Apostolus circumcisionis, ut Paulus præputii) non Romæ, ut vult Baronius, quare etiam creditur Babylone martyrium passus.

VIII. Præterea diversæ sunt opiniones de modo mortis Petri: Aliter Athanasius in primâ Apologiâ, aliter Eusebius, ut & Origines & Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum.

IX. Diversæ etiam sunt opiniones de successione. nam alii Linum, alii Clementem, alii alium successorem volunt. Alii Petrum & Paulum simul Episcopos Ecclesiæ Rom. fuisse statuunt, alterum circumcisionis, alterum præputii; & illius Clementem, hujus Linum fuisse successorem. quare Irenæus dicit à Petro & Paulo fundatam & constitutam Ecclesiam Romanam, *l.* 3. *c.* 3. *& Tertullianus* Petrum & Paulum Euangelium suo sanguine signatum Romanis reliquisse, *l.* 4. *advers. Marcionem. & de præsc. adversus hæret.* §. 36. *& Dionysius Corinth. Episcopus* plantationem Ecclesiæ Rom. Petro & Paulo tribuit. Et Cajus vir Ecclesiasticus, Petrum & Paulum Ecclesiam Romanam fundasse dicit, *apud Euseb. lib.* 2. *cap.* 25.

X. Variant etiam auctores de tempore functionis & mortis: nam alii eodem die & anno passum utrumque statuunt, alii eodem die, sed anno uno interjecto. De tempore functionis Eusebius aliter in Chronico, aliter in historiâ ecclesiasticâ, cujus verba lib. 3. cap. 1. Ecclesiast. histor. hęc sunt. *Petrus vero in Ponto, Galatia, Bithyniâ, Cappadociâ & Asiâ dispersis Iudæis prædicasse videtur, qui & circa finem vitæ* (nota finem vitę) *Romæ constitutus, capite demisso cruci est affixus.* In Chronicis sic Eusebius: *Petrus Apostolus cum primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ubi Euangelium prædicans* 25. *annis ejusdem urbis Episcopus perseverat, A. C.* 43. *Claudii* 2.

Ad

Ad verba, *Petrus Apostolus*, sic Scaliger: *Ita ut in omnibus scriptis codicibus legitur excudi curavimus, circumcisis cæteris, quæ in editionibus assuta erant, quæ satis in Græcis Eusebianis falsi convincuntur. Vt taceam quod totidem verbis à Cassiodoro & Mariano Scoto referuntur eo modo, quo à nobis edita sunt.* Ad verba, 25 *Annis ejusdem Vrbis Episcopus*, sic Scaliger: *Adjecta sunt ab Hieronymo, & ab eodem repetuntur in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum. Græca ea non habent. Ab assumptione Domini ad id tempus, quo Petrus fuit conjectus in vincula ab Herode Agrippa Aristobuli filio, Herodis Magni nepote, Petrus semper fuit in Palæstinâ aut Syriâ. Herodes Agrippa obiit quarto anno Claudii, quomodo igitur anno secundo Claudii profectus est Romam? quomodo viginti quinque annos perseveravit Romæ?* &c. Georgius Syncellus Eusebii Chronicon ad verbum exscripsit, & illa verba, de septem annis, quibus Antiochiæ egisset Petrus, non habet. Ita ut incertum quando & à quibus Ecclesia Antiochena sit fundata, & quando Petrus venerit Romam. Quare dicamus, ut Vossius alibi in simili casu, nempe de natali anno Christi: *de primi seculi scriptoribus nihil habemus quod huc pertineat, nempe qui Apostolos eorumque discipulos audierunt, quia eorum dicta factaque oculis, quasi adhuc obversarentur, vel auribus inhærerent, nihil magnoperè putabant talium scriptione opus esse, eoque magis gerendis rebus quam scribendis sese applicabant: vel si fortè de iis aliqua scripta fuerunt, ea per tam atrocia & tam frequentia persecutionum tempora periisse, mirum videri non debet.*

Quidquid sit, sub & post finem seculi secundi constans fuit apud omnes priscæ Ecclesiæ scriptores opinio, Petrum & Paulum Romæ Ecclesiam constituisse, & sub Nerone martyrio vitam finiisse an. C. 68. aut 69. Vide Onuphrii Panuinii tractatum de primatu Petri. Et sanè, ut verum fatear, nam dicendum quod res est, eminere pręcæteris Apostolis videtur Petrus, & *fuit* (utar verbis Casauboni) *in collegio Apostolorum, tanquam præses in Senatu. Is rem proponit deliberandam, mittit Senatores in suffragia, sententias colligit, & in negotiorum administratione, primas obtinet, sed auctoritatem in collegas non usurpat.* Ordine & honore eum fuisse primum, sæpe Patres affirmant, sed nihil de ejusdem dominatu in alios Apostolos. *Præcipuum nascentis Ecclesiæ membrum* à quibusdam dicitur, *Os, caput, princeps* appellatur, Act. 2. 14. & 10. 34.

Tertull. lib. de pudic. c. 21. latur, *qui primus clavem imbuit*, ut loquitur Tertullianus, *qui fundanda inter Iudæos & gentes Ecclesia dux fuit.* Primatum Petro multi tribuunt patres, ſed confeſſionis, fidei, & prædicationis Euangelii. Fundamentum Eccleſię vocant, ſed in doctrinâ, non in dominatione. Chryſoſtomus Petrum in Actis Apoſtolatu fungentem negat quicquam feciſſe ἀρχοντικῶς, pro imperio, ſed omnia de conſilio cæterorum Apoſtolorum. Et quæ fuerit tum temporis forma regiminis in Eccleſiâ, docent ipſa Acta apud Lucam, & præſertim cap. 1. 6. 15. & tempora ſequentia, quæ vide anno C. 261. *aut apud Cyprianum epiſtolâ* 68. 71. *& 76. &c.*

A C. 70. *aliis* 68. Hoc anno moritur Nero omnium hominum peſſimus, & *humani generis hoſtis*, & loquitur Plinius, qui *Romæ per ſævitiam ſanguinem Chriſtianorum ſeminavit*, ut inquit Tertullianus: primus enim Romæ inauditâ crudelitate Chriſtianos eſt perſecutus, ut videre eſt apud Tacitum, an. l. 15. Suetonium & alios. Perſecutio autem eſt *pala*, ut Tertull. loquitur lib. de fugâ in perſec. *quæ ſæpe Dominicam aream purgavit, Eccleſiam ſcilicet, & confuſum fidelium acervum eventilans, & diſcernens frumentum martyrum, & paleas negatorum.* Nec tantùm ſæviit in Chriſtianos Nero, ſed & ſibi ipſe mortem conſcivit, jam hoſtis à Senatu Romano declaratus: cum imperaſſet annos 13. menſes 7. ut habent Suetonius, Dio & alii. Imo & occidit matrem, fratrem, ſororem, uxorem, multoſque propinquos & ſenatores, & cum Lucano Lucani patruum Senecam, ſuum educatorem magiſtrumque: quem Fronto, nobilis olim Orator & Plutarchi nepos, *ſic exterminare omnes errores dicebat, ut aurea videatur ſecula reformare, & Deos ab humano genere exſulantes, ejus operâ revocatos hominibus contractâ ſocietate miſceri.* Lactantius meritiſſimè eum *morum & vitiorum publicorum & deſcriptorem veriſſimum, & reprehenſorem acerrimum* vocat, & *multa non planè imperitiâ ſeculari, ſed ſapienter ac penè divinitùs elocutum* affirmat. *Divina providentia eſt*, inquit Lipſius, *& in Seneca agnoſcimus, quem rigidæ virtutis magiſtrum unum pro omnibus Deus dedit, & unà cum ſacris noſtris doctoribus voluit prælucere. Quid ni cum illis? penè unum ex illis, ſi ipſis hoc credimus: & Tertullianus ſæpè noſtrum, Auguſtinus* Apoſtolis familiarem, *Hieronymus penè* Sanctorum numeris *ivit inſertum*, libro de ſcriptorib. Eccleſiaſt. ſed malè,

I. Lipſius manuduct. Stoic. Philoſ.

quod

quod ipse literarum Paulo & Senecæ asscriptarum stylus & dictio manifestè indicat. Eodem ferè tempore vixit Epictetus, *scriptorum pondere, etsi non numero vir magnus, qui totus à se & à Deo fuit*, ut inquit Lipsius. Origine quidem vilis, & corpore claudus, sed mente nobilissimus; de quo Leonidas sub personâ Epicteti hunc nobis reliquit versum, sed idiomate Græco:

Servus Epictetus sum natus, corpore claudus,
Irus pauperie. deliciæ superûm.

Natus Hierapoli in Phrygiâ, Romæ servus fuit Epaphroditi, qui Neroni fuit à corporis custodiâ, ut narrat Suidas. *hos duos viros*, qui simul Romæ vixerunt, *omnes eos amare credo, qui virtutem*, inquit Lipsius. scripsit autem egregium Enchiridium morale & ferè divinum Epictetus ipse: dissertationes vero ejusdem collegit Arrianus. miraberis, lector, tantas naturæ opes in homine Ethnico & servo. hæc obiter. De eodem Nerone sic Tertullianus in apologet. cap. 5. *Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, tum maximè Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse: sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.* Legem vero, proculdubio ab hoc Tyranno crudelissimo contra Christianos sancitam, habes apud Eusebium lib. 5. ubi de Apollonio Martyre agit: *Ille autem Deo carissimus Martyr, cum judex obnixè ab eo petiisset flagitassetque, ut fidei suæ rationem coram Senatu redderet, simul atque accuratissimam orationem apologeticam pro fidei, quam profitebatur, defensione coram omnibus recitasset, sententiâ Senatus securi percussus decessit è vitâ. Quippe vetus lex apud illos exstabat, Christianos qui semel in judicio comparuerant, nisi professionis suæ sententiam mutarent, omninò non liberos dimittendos esse.*

Post S. S. Petri & Pauli martyrium Linus Episcopatum Romanæ Ecclesiæ sortitus est, *ut narrat Ireneus lib. 3. cap. 3. & Eusebius lib. 3. cap. 2. & cap. 19.* Sed non omnes in hac Lini successione ejusdem sunt opinionis. Pro Lino citat Baronius epistolam Ignatii ad Mariam Cassab., quam ille statuit legitimam, sed quæ secundum alios Ignatio est asscripta. Alii post Linum Clementem secutum volunt, *& inter eos Augustinus epist.* 165. Onuphrius & alii Linum &

Cletum Petri coädjutores & Chorepiscopos fuisse dicunt, & Clementem ab ipso Petro Episcopum Romanæ Ecclesiæ prælectum & prærdinatum; quod unanimi ferè consensu Latini tradunt, ut Tertullianus, Ruffinus & alii. Sic de eo Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum: *Clemens, de quo Apostolus Paulus ad Philippenses scribens ait*, Cum Clemente & cæteris coöperatoribus meis, quorum nomina scripta in libro vitę, *quartus post Petrum Romanus Episcopus; si quidem secundus Linus fuit, & tertius Anacletus: tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem.* Idem adversus Jovinianum lib. 1. *ad hos & Clemens successor Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit &c.* Et in Esaia cap. 52. *De quo & Clemens Vir Apostolicus, qui post Petrum Romanam rexit Ecclesiam* &c. Eucherius Lugdunensis de contemptu mundi: *Clemens vetustâ prosapiâ senatorum, atque etiam ex stirpe Cæsarum,* (Domitiani patruelis fuit Flavius Clemens Martyr, de quo postea) *omni scientiâ refertus, omniumque liberalium artium peritissimus, ad hanc justorum vitam transiit; itaque in ea excellentèr effloruit, ut Principi quoque Apostolorum successor extiterit.* Audi Chronicon Alberti Stadensis, qui post varias diversorum opiniones de ordine & tempore primorum Pontificum, Lini, Cleti, & Clementis subjungit: *sed omnes periti temporum hos magis æstimant imitandos, qui Linum & Cletum dicunt sub Petro Chorepiscopos extitisse: Clementem vero, tradente Petro, jure legitimo successisse, & ideo ipsum primum Papam meritò appellatum.* Cum vero S. Petrus & S. Paulus simul, & non otiosè Romæ vixerint, & secundum multorum opinionem Clemens Petro successerit: à veritate non videbitur aliena quorundam sententia, qui Clementem Petro successisse statuunt in circumcisione, Linum vero Paulo in præputio ibidem Romæ, secundum verba Apostoli ad *Galat. cap.* 2. *v.*7.8. & postea Judæis & Gentilibus Christianis in unam eandemq; Ecclesiam redactis, solum Clementem præsidem, seu præpositum seu Episcopum Romanæ Ecclesiæ fuisse, quâ re commodè diversorum auctorum scripta conciliari posse videntur. *Vide Henrici Hammond dissertat.* 5. *c.* 1. §. 23. qui idem Antiochię evenisse contendit ex *epist. ad Gal.* 2. 9. & *epist. Ignatii ad Antiochen.* imo & simile obtinuisse Ephesi putat, nempe Joannem Judæorum Ephesi fuisse Episcopum

ſcopum, & Timotheum ibidem in Ethnicorum cætu fuiſſe ſucceſſorem Pauli: *Idem ferè de Corintho credendum*, inquit Hammond, *ſuadet Dionyſii antiquiſſimi Corinthiorum Epiſcopi laudatum teſtimonium, qui Corinthum æquè ac Romam non Pauli tantum, ſed & Petri φυτείαν*, plantationem, *fuiſſe affirmat*, &c. vide quid idem ibidem cum Illuſtri Grotio *ad Apocal.* 11. 3. de Eccleſiâ judicet Hieroſolymitanâ, ubi uterque magnâ cum veriſimilitudine ſtatuit Hieroſolymis duos fuiſſe conventus ſeu Eccleſias, alteram ex Iudæis Hebraicâ, alteram ex aliegenis, Græcâ linguâ loquentibus; ut probent, quindecim iſtos, à Chriſto ad Adrianeum excidium Epiſcopos, non in uno Iudæorum omnes, ſed diviſim, alios in Iudęorum, alios in Gentilium cœtu aut Eccleſiâ pręſediſſe. Succeſſerunt ergo in locum Pauli & Petri Epiſcopi Romani, quemadmodum & Antiocheni, quâ Epiſcopi, & utrique pręedicarunt Euangelium Chriſti: ſingularia vero ſunt quod non ſunt aſtricti ad hanc vel illam Eccleſiam Apoſtoli, Epiſcopi autem ad certam Eccleſiam erant alligati: Apoſtoli per totum terrarum orbem Epiſcopos conſtituerunt, Epiſcopi in ſuis eccleſiis ſuos ordinarunt preſbyteros; ita ut omnes Epiſcopi tum fuerint ſucceſſores Apoſtolorum quâ Epiſcopi; & omnes Eccleſię Apoſtolicę, ubi Epiſcopos conſtituerunt aut docuerunt Apoſtoli; ſed propter urbium amplitudinem, aliæ aliis illuſtriores. Ego cum Petavio candidè confiteri debeo, *Chriſtianas res illius temporis haud magnâ in luce verſari, ſcriptorum magis inopiâ, quam quia mandari, quod poſſet literis, exſtaret nihil. Nam neque parva, neque ſcitu indigna credibile eſt Apoſtolos & Chriſti diſcipulos toto orbe geſſiſſe: ſed pleraque fabulis & incertis narrationibus aſperſa ſunt.* Ut autem videamus quantoperè ſcripta iſtius ęvi pleraque fabulis & incertis narratiunculis ſint maculata, ut quam ſuaviſſimè loquitur Petavius, & quot & quantas habeant ψευδοφυάδας, quædam referam omninò falſa, quędam dubia & incerta, multa interpolata, idque omnium in Chriſtiana religione doctiſſimorum virorum conſenſu, quantumvis diſcordi.

Rationarii temp. l. 5. parte prima. cap. 5.

Læſit ſæpè animum meum inſana illa veterum quævis fingendi libido, quâ non parum damni rei Chriſtianæ illatum dubitari haud debet. Quis enim viro prudenti & cordato perſuadebit, res tam graves, tam ſerias, de ſalute nempè æternâ, per nugas, inep-

tias,& fabulas peragi debere? cur fidem Chriſti certam & indubitatam, tot miraculis per Chriſtum & Apoſtolos confirmatam, quiſquiliis & deliriis roborabimus? cur ſolidam & innocentem illam veritatem mendaciis conſpurcabimus? Agape pias fraudes, & officioſa mendacia. Veritas larvâ non indiget, fucum odit, per ſe ſatis luculenta, cui nihil addi poteſt, quo non corrumpatur. Mitis illius ſeveritas rancidas & aniles illas fabulas non admittit. ſi ab hoſtibus illa commenta prodiiſſent, ferendum eſſet; ſi ab amicis, non hoc factum credant homines otioſi & deliri, ſine magno pietatis detrimento. *An fas vobis* (inquit Job cap. 13. 7. amicos obrurgans) *proferre prava in gratiam Dei fortis, aut fraude uti ad ejus patrocinium? Abſit à me*, inquit Chryſoſtomus in Matthæum, *ut veritatem per mendacium velim ire confirmatum.* Et hæc quidem figmenta jam pridem quoque damnavit Cardinalis Damianus, ipſorum auctores acerbè redarguens his verbis: *Nonnulli ſe Deo deferre exiſtimant, ſi ad deſerenda laudis ejus inſignia falſitatis argumenta componant. Qui nimirum ſi egregii prædicatoris verba diligenter attenderent, talia non ſentirent. Ait enim Corinthiis:* Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, vana eſt fides veſtra, quoniam teſtimonium diximus adverſus Deum, quod ſuſcitaverit Chriſtum, quem non ſuſcitavit. *Secundum hæc ergo Apoſtolica verba falſus teſtis Dei merito dicitur, qui indiſcretè eum cupiens laudare, mentitur, & adverſus Deum proculdubio perhibet teſtimonium, quiſquis in ejus laude perverſâ molitur arte commentum.* Et quamvis multa ejuſmodi inveniantur ſcripta, nolui tamen in iis refutandis inutiliter tempus terere, indicare ea ſufficere credidi: ne quis piis illis impoſturis, & religioſis fraudibus ludificatus, in re tam magni momenti nimiâ credulitate decipiatur. Extra hiſtoriam Euangelicam & Acta Apoſtolorum ab Luca Euangeliſta deſcripta, pauciſſima hujus temporis certa ſcripta reperire potui: ſi alibi, hic locum habet illa Euripidis ſententia *in Helenâ*: Σώφρονος δ' ἀπιστίας οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς, id eſt, *prudenti incredulitate nihil eſt mortalibus utilius.*

Incerta autem & ſuppoſititia veterum ſcripta hęc ſunt:

Epiſtola Ieſu ad Agbarum, & Agbari ad Ieſum *apud Euſeb. lib.* 1. *c.* 14.

Canones Apoſtolorum, quamvis vetuſtiſſimi, & quidam Apoſtolici.

lici. Vide inter alios *Dallaum de pseudepigraphis Apostolicis lib* 3.

Liturgia Petri, Marci & Iacobi.

Protevangelium Iacobi. Evangelium Thomæ, Bartholomæi, Nicodemi.

Acta Apostolorum in genere.

Acta Pauli & Theclæ. *Vide Tertull. de baptis. c.* 17. *Eusebium l.* 3. *c.* 3.

Acta Theclę cum Gelasio Papa etiam rejicit Baronius: & quam historiam passionis Theclæ vocat, contendit esse genuinam. sed quis Lucam omisisse credere audet eam historiam, quæ Theclæ conversionem à Paulo peractam, & tam illustria miracula continet? &c.

Epistolæ Pauli & Senecæ. de quibus miror errorem *Hieronymi. Vide Augustinum de Civitate Dei lib. 6. cap.* 10. *& annotationes quas in August. addidit Vives.*

Dionysii Areopagitæ hodie exstant libri de Hierarchiâ Ecclesiasticâ, sed pro recentioribus habentur, ob ceremonias, quæ in illis continentur, ejusdem temporibus necdum usitatas. Valla, Erasmus, Cajetanus non putarunt esse genuinos. *rigidè tamen illos defendit Bellarminus*, ut loquitur Casaubonus: quod quibusdam erroneum videtur, 1. Quia Gregorius Magnus, qui vixit an. C. 600, primus eorum meminit. 2. Quia Eusebius nullam facit eorum mentionem. 3. Quia B. Hieronymus ait, se omnes libros Ecclesiasticos commemorare, quos inter tamen non enumerat Dionysium Areopagitam. 4. Quia non est stylus illius temporis, sed potius 4 aut 5 seculi. Casaubonus scriptorem vocat antiquissimum & elegantissimum, *quem vide exercit.* 16. *cap.* 43. & 150. *Bellarm. de script. ecclesiast. primi seculi. Rivet. Crit. sac. lib.* 1. *c.* 9. 10. 11. Vossio non est Augustino antiquior.

Sed cum tanta sit etiam inter doctissimos de hoc scriptore contentio, addam verba Ant. Mornacii Jurisconsulti Galli ad tit. Cod. de vet. jur. enucleando. parag. omnia meritò. *Quem librum* (de div. nom. & alterum de cœlest. Hierarchiâ) *S. Dionysio Areopagita tribuendum non esse, inter literatos omnes, veréque orthodoxos, constare semper vidimus, qui studio non scribunt, sed judicio. Ita vero sensit, & consignavit literis piissimus ille & doctiss. Nic. Faber, felicissimique Ludovici XIII. Gall. & Navarr. Regis præceptor., cujus memoria in benedictione est. Et cum in hanc ipsam eruditorum disceptationem*

O 3 *totum*

otum opus studiosè perlegissem, miratus sum non semel, cur tantoperè nitatur magnus Baronius adversus scriptores veteres, ut adstruat in Martyrologio ad 4. Octob. quod nullo antiquitatis vestigio fieri possit verisimile. Si enim Athenienfis Episcopus Dionys. Areop. divinum hoc condidisset, quis umquam dixerit suppressum nihilominus fuisse nomen tanti cœlestium interpretis ab iis, qui Græcè & Latinè de Christianâ fide scripserunt. Attingit quidem Gregorius Nazianzenus nonnulla ex libris de cœlesti hierarchiâ, & de divinis nominibus, oratione 2 in Pascha, sed ita, ut Græcus cum esset & Græca de rebus Christianis opera accuratè legisset, imo Athenis Philosophos ac Rhetores unà cum D. Basilio audivisset, ignorarit tamen usque adeo auctorem, quem hodie Athenienfem, eumque Areopagitam fuisse volunt, ut opus ex incerto auctore memoret. Quidam alius ante nos, *ait*, pulcerrimè ac sublimissimè &c. *Præterea defendi non potest, ita scripturum fuisse D. Augustinum de B. Dionysio Areopagita, si inscriptum ipsius nomen tanta lucubrationi vidisset, sique illud umquam didicisset mirus librorum helluo, qui omnes ad suam usque ætatem Christianos scriptores legerat: Græca enim cum parum intelligeret, legisse tamen eum adhibitis interpretibus ex variis operum ipsius locis comperi.* Nec defuerunt, *ait*, qui crediderunt, atque in iis nominatur quidam Dionysius Areopagites. *sic ille, nempe ut de gregario Christiano, quem aliàs proculdubiò ὡς ἐπ' ἀκροισι θαμίζοντα laudasset Vide si lubet tractatum B. Augustini tom. 6. de Epicureis & Stoicis, quibuscum Athenis egit Paulus: bonique consulant, quibus aliter videbitur: ἀγνὰς τὰς μύσας vocavit Orpheus; liberéque de re litteraria sentire, ac loqui, nemini criminosum, opinor, apud egregiè cordatos.* Hactenus Ant. Mornacius.

Liber de transitu Mariæ, Melitoni Episcopo Sardiũ falsò tributus.

Lini historia de passione Petri & Pauli. liber passionis Andrææ. Epistolæ Martialis, & ejusdem vita. Testamentum 12. Patriarcharum.

Constitutiones Apostolicę, Libri recognitionũ, Liturgia & epistolę Clementis Romani, exceptâ primâ ad Corinthios, à patribus multis plurimum laudatâ: quam jam pridem, judicio etiam magnorum virorum, genuinam nobis suppeditavit *Patricius Iunius Scoto-Britannus.*

Pastor seu Hermes est quidem liber lectu dignus, si cum judicio legatur. *Eusebius lib. 3. cap. 3. Tertull. lib. de pudicitiâ.*

Abdię certamen Apostolicum. Epi-

Epistolæ Decretales Clementi, Aniceto, Soteri, Telesphoro, Alexandro, & reliquis Episcopis Romanis usque ad annum ferè C.333. aut potius usque ad Siricium Papam an. C. 385. adscriptæ, de quibus, ut & de Isidori Mercatoris mercibus vide judicium Baronii tom. 9. an. C. 865. sect. 5.6.7. ubi candorem illius magni viri non satis possum exosculari, & prætérea vindicias pro sanctâ veteri Rom. Eccles. Blondelli: ubi fraudes hujus mercatoris luculenter detegūtur.

Martyrologium Romanum *Gavanto*, Liber Pontificalis de vitis & gestis Pontificum, qui tribuitur Damaso Papæ, incerti est auctoris, *Baron.*, *Bellarm.*, *Blondello*, &c.

Vide Decretum Gelasii Papæ & Concili Romani de apocryphis tomo Conciliorum primo: & Canum, Cajetanum, Erasmum, Rob. Cocum, Possevinum, Sculterum, Bellarminum, Rivetum, Usserium, Joannem Dallæum: qui tanquam periti artifices doctâ manu separarunt scoriam à materiâ puriore, plumbum ab auro Apostolico, si quid fortè oblevit adultera manus. Audiamus ipsum Baronium, ejusque verba an. C. 44. sect. 26. & 27. *De divisione, & profectione Apostolorum ad prædicandum Evangelium gentibus, hactenus res est investigatu perdifficilis, ac potius meâ sententiâ brevitate tractanda, quam fabulis & commentis exaggeranda.* (ut fecerunt Nicephorus & Metaphrastes seculo octavo) *quod verò pertinet ad res ab ipsis gestas, postquam ab invicem separati sunt semel, res quidem æquè est perobscura. Cum enim Apostolorum nomine tam facta quam scripta multa reperiantur esse supposititia; nec si quid de veris sincerisque scriptoribus narratum sit, integrum incorruptumque remanserit, in desperationem quandam animum dejiciunt, posse unquam assequi, quid verum certumque subsistat.*

Addam quod nunquam cogitaram; nempe dubiæ fidei etiam reddi illas Epistolas Ignatii, quę quondā ab Eusebio & Hieronymo, & aliis infinitis & magnis Romanæ Ecclesiæ scriptoribus, nunc à Casaubono, Vedelio & aliis habitæ semper genuinæ, quamvis interpolatæ. Duriora, fateor, in iis quædam mihi visa quondam; sed Cl. Salmasius & D. Blondellus tam multa argumenta contra has producunt epistolas, ut & me ambiguum reddiderint. Non tamen eas prorsus supposititias æstimare possum, sed multos in iis inveniri sermones intercalares, quædam assuta negare non debemus. Anno verò 1644. dedit nobis

nobis Usserius Armachanus Polycarpi & Ignatii epistolas unà cum veteri vulgatâ interpretatione Latinâ, ex trium manuscriptorum codicum collatione integritati suæ restitutâ; cui accessit & Ignatianarum epistolarum versio antiqua alia, ex duobus manuscriptis in Anglia repertis: Anno vero 1646 Ignatii epistolas Græcas & genuinas ex Bibliothecâ Florentinâ Isaacus Vossius, quibus accessit vetus translatio, antea ab Usserio edita. Vide præter Usserium & Isaacum Vossium, accuratam eâ de re dissertationem Henrici Hammondi S. S. Theologiæ professoris & presbyteri Anglicani, *Londini contra Blondellum* &c.

Polycarpus scripsit epistolam, quã Irenæus vocat perfectissimã, sed utrum sit germana, dubitare videntur Centuriatores Magdeburgens. at dabimus eam, ubi de illo sanctissimo martyre dicemus, ex editione Iacobi Usserii Armachani. Ita ut primus sit Justinus Martyr & philosophus, qui vixit A. C. 150. de cujus libris non dubitatur, quamvis quidam ab eo scripti jam non exstent, quidam etiam falsò illi ascribantur. Imo in plerisque antiquorum Patrum scriptis reperies multa interpolata, adulterata & supposititia; quod quam clarè nos doceat Erasmus noster Roterodamus, Bellarminus, Rob. Cocus, & cum illis multi alii, unicuique videre licet. Casaubonus exercit. primâ etiam Patrum aberrationes in historiis multis exemplis docet. *Vel hic locus*, inquit, *tanti Patris, & Theologi adeo præstantis* (Cyrilli Alexandrini) *fidem fecerit, viros sanctissimos & doctissimos, patres dico, Græcos & Latinos in historiâ ex iis quæ fidei non sunt graviter interdum hallucinari sive quod majoribus mentis curis inquirendæ harum rerum veritati non vacarint; sive quod primos sacrorum librorum interpretes (qui non potuerunt, iter nemini prius tritum ingredientes, non in multis cespitare) ἀβασανίστως, hoc est, inexploratè, aut non adhibito satis diligenti examine sint secuti.* Vide Casaubonum, qui ibidem tres tanti viri in historiâ sacrâ Veteris Testamenti errores gravissimos in uno loco commissos probat, sed, ut decet, summâ cum reverentiâ tanti Episcopi. *Hujus generis hallucinationes*, inquit idem cap. 26. *innumeræ cum in Patrum scriptis occurrant, neque illorum imperitia superstitione mixta est ferenda, qui modestè tales nævos indicari pati non possunt: neque rursus illorum inhumanitas, ac penè dixerim impietas, qui infestis animis monu-*

monumenta sanctorum virorum tractant; & propter humanos ejusmodi lapsus sese efferunt, illos deprimunt. Cum vero ejusmodi errores non paucos in antiquis etiam Patribus reperisset sanctitate & eruditione præstans Augustinus, magni judicii, & liberi ingenii nobis reliquit hanc de iis sententiam: *Quod in iis*, inquit, *divinarum scripturarum auctoritati congruit, cum laude eorum accipio: quod autem non congruit, cum pace eorum respuo.*

Quare ego cum magnis viris si quid in S. Scripturâ dubii fortè occurrat, eundum judico, non ad unum aut alterum, nec ad singularem alicujus Doctoris opinionem, sed ad consensum Patrum primitivæ Ecclesiæ, & sic procedere à Patribus ad Patres, ab Apostolorum discipulis ad discipulorum traduces: omnes viros pios & doctos, & sanctos Christi martyres, qui & amore Christi & veritatis flagrarunt & excelluerunt: quibus ego malo credere, quam recentioribus, quibusdam, quorum alii S. Litteris haud satis tribuunt auctoritatis: alii sibi imaginantes ante centum aut paullò plures annos cœpisse mundo apparere veram Ecclesiam, quæ nullo priori seculo fuerat visa; scripta Patrum veteris Ecclesię aut contemnunt aut negligunt, tanquam prę senio rancida & delira, aut tanquam fœda situ, veriquè effœta prę vetustate: quæ præ canitie antiquitatis periti venerantur. sed hoc semel notandum; primitivæ Ecclesiæ Patres magis studuisse pietati, quam addiscendis multis scientiis: qui malebant audire boni quam docti: qui nullam æstimabant eruditionem, quam quæ beatæ vitæ disciplinam juvabat: quibus tantum placebant ascetica, quantum nostris eristica. quare ego amo homines antiquâ virtute & fide: non quod *novellos doctores viros pios & eruditos rejiciam, sed cum antiquis conferam, ut hoc pacto cognoscam quid in scripturarum interpretatione constanter amplexa sit Ecclesia vetus: quid primò, quid deinde, quid postremò placuerit; atque ubi primis, ubi mediis, ubi ultimis temporibus, vel alii alios tulerint, vel anathema dixerint dissentientibus.* Vossius *præfatione de Natali Christi.* quantumvis in veteris Ecclesiæ doctrinâ præcipuè acquiescam. non quod ex Patribus eligere mihi velim fidei fundamenta; nam scio *mundum in malo positum*, & cogitationes hominum esse vanas, & magnos etiam errores, ut diximus, apud Patrum quosdam inveniri: sed mallem, ut selecta ex sacrâ scripturâ fidei

P principia

principia suo consensu & assensu tanquam fidi digni testes, & omni exceptione majores & boni fidique veritatis Christianæ custodes, approbent & confirment: & si quæ dubia aut obscura in eâ nobis occurrant, suo consensu lucem nobis præbeant: præterea mores, apud primos illos Christianos, viros dico Apostolicos, receptos & laudatos nobis sedulò imitandos, & consequenter ab iis vitæ & pietatis exempla petenda censeo: nam verè dixit *Beza*, se apud nostros plus quidem scientiæ, sed apud veteres illos Theologos plus conscientię reperisse; *& utcunque pulcrum sit audire doctum, pulcrius esse sciamus haberi prudentem, pulcerrimum autem esse pium.* Vossius de cognitione sui. Contrà, si dubii quid apud Patres, aut alios quoscunque scriptores Ecclesiasticos occurrit, confugiendum est ad Verbum Dei, tanquam ad sacram anchoram & tutissimum asylum, quod, consensu omnium Patrum, est *Dei Sapientia, regula doctrina & veritatis, columna & firmamentum fidei & Ecclesiæ, via salutis non dubia, & Regnum cœlorum*: cujus *plenitudinem* Tertullianus adversus Hermogenem c. 22. *adorat*; *rectissimè sciens*, ut loquitur, Irenæus, *quod scripturæ sint perfectæ, quippe à Verbo Dei, & spiritu ejus dictæ.* Deus enim Sacro Scripturarum instrumento perfectissimè nos instruere de voluntate sua voluit: hoc si negatur, in injuriam Dei redundare id cognoscimus; quod instrumenti & Testamenti imperfectio, vel sapientiæ vel amori deroget Dei instruentis & testatoris. *Hominis licet testamentum, tamen si sit comprobatum, nemo rejicit aut addit aliquid. Gal. 3.* Si quis discipulorum aut hæredum pluravolet, illi dicet Deus: *Quis postulavit hæc de manibus vestris? Incredibile enim est vel ignorasse Apostolos plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem regulis omnibus edidisse*, Tertullian. de præscript. cap. 17. Et *quod sit juxta Dei voluntatem* (in sacrâ scripturâ revęlatam) *quamvis videatur esse improbum, est tamen omnium optimum: Quod sit prater Dei voluntatem, quamvis videatur optimum, tamen est omnium pessimum & iniquissimum.* inquit S. Chrysost. Oratione 7. adversus Judęos. Leo M. ep. 93. cap. 12. *Quid opus est in corde concipere, quod lex non docuit, quod prophetia non cecinit, quod veritas Euangelii non prædicavit, quod doctrina Apostolorum non subministravit? Illi in vanum accipiunt nomen Catholici, qui ejusmodi impietatibus non resistunt. Divinus sermo*

Tertull. de præscript. hæret. cap. 22. & 27.
Iren. lib. 2. cap. 47.
Esaia 1.11.

sermo, ut inquit Magnus Gregorius; *sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refovet; habet in publico unde parvulos nutriat; servat in secreto unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe est fluvius (ut ita dixerim) planus & altus: in quo & agnus ambulet, & elephas natet.* Sic passim omnes veteris Ecclesiæ loquuntur Patres: B. Hieronymus sacrarum literarum studium eleganter extollit, in epistolâ ad Paulam & Eustochium his verbis: *Si quicquam est quod in hac vitâ sapientem virum teneat, & inter pressuras & turbines mundi æquo animo manere persuadeat, id esse vel primum reor meditationem & scientiam scripturarum. Cum enim à cæteris animantibus hoc vel maximè differamus, quod rationale animal sumus, & loqui possumus; Ratio autem omnis & sermo divinis literis contineatur, per quas & Deum discimus & quare creati sumus non ignoramus; miror quosdam extitisse, qui aut ipsi se inertia aut somno dantes, nolunt quæ præclara sunt discere, aut cæteros, qui id studii habent, reprehendendos putant.* Et idem epistolâ ad Lætam de institutione filiæ. *Pro gemmis*, inquit, *& serico divinos codices amet, in quibus non auri & pellis Babylonicæ vermiculata pictura, sed ad fidem placeat emendata & erudita distinctio. Discat primò psalterium; his se canticis avocet; & in proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat quæ mundi sunt calcare. In Iob virtutis & patientiæ exempla sectetur. Ad Euangelia transeat, nunquam ea positura de manibus. Apostolorum acta & epistolas totâ cordis imbibat voluntate. Cumque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriæ Prophetas, pentateuchum, & Regum & Paralipomenon libros, Esdræ quoque & Hester volumina. Ad ultimum sine periculo discat Canticum Canticorum, ne si in exordio legerit sub carnalibus verbis spiritualium nuptiarum epithalamium, non intelligens vulneretur. Caveat omnia apocrypha, & si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum memoriam legere voluerit, sciat non esse eorum, quorum titulis prænotantur, multaque his admista vitiosa, & grandis esse prudentiæ, aurum in luto quærere.* Et hic vides sanum Hieronymi judicium de scriptis pseudepigraphis paulo ante enumeratis. S. Augustinus in meditationibus sic loquitur: *Hujus rei gratiâ scripturarum sacrarum amœna prata ingredior, viridissimas sententiarum herbas exarando carpo, legendo comedo, frequentando rumino, atque congregando*

Gregor. in epist. ad Leandrum cap. 4.

gando tandem in altâ memoria sede repono; ut tali modo tuâ dulcedine degustatâ minus istius miserrimæ vitæ amaritudines sentiam. Nemo inter omnes Patres tam frequenter & tam fervidè populum ad Sacrę Scripturę lectionem exhortatur, quam optimus & felicissimus ille N.T. interpres Chrysostomus. sed absit curiositas, absit arrogantia: adsit humilitas & modestia suffulta precibus. Ipse Spiritus Sanctus *Psal.* 1. *v.* 2. beatum imprimis prędicat illum, *qui in lege Domini meditatur die ac nocte.* & Proverbiorum *cap.* 6. ait, *Beatus qui audit me & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei.* Similia habet integer *Psalmus* 119. & Paulus 2. *ad Timoth. cap.* 3. & auctor ad *Hebræos cap.* 4. *v.* 12. Dicam tribus verbis? Hęc est illa stella sapientū, quę nos ducit ad Christum: hęc est ille lapis Lydius, qui genuinum à spurio discernit: hęc est illa manna quę nos cælesti pabulo nutrit & refocillat.

Ut vero videamus, quinam libri sub nomine Sacræ Scripturę comprehendantur, producam canonem postremum Concilii Laodiceni in Phrygiâ Pacatianâ celebrati circa tempora Valentiniani Imperatoris & Damasi Papæ. Hæc autem sunt verba Canonis tomo primo Conciliorum Petri Crabbe. *Non oportet ab idiotis aut plebeiis Psalmos compositos & vulgares in Ecclesiis dici, neque libros, qui sunt extra Canonem legere, nisi solos Canoicos Novi & Veteris Testamenti. Quæ autem oporteat legi, & in auctoritatem recipi, hæc sunt.*

Genesis Mundi, Exodus ex Ægypto, Leviticus, Numeri, Deuteromion, Jęsu Nave, Judices, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenω̃n libri duo, Esdras, Liber Psalmorum numero 150, Proverbia Salomonis, Ecclesiastęs, Cantica Canticorum, Job, Hester, duodecim Prophetarum libri, id est, Osee, Amos, Johel, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Novum Testamentum, id est, Euangelium secundū Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, Actus Apostolorum, Canonicæ epistolæ septem, Jacobi una, Petri duæ, Joannis tres, Judæ una. Epistolæ Pauli Apostoli numero quatuordecim, ad Romanos, ad Corinthios prima & secunda, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippēses una, ad Colossenses una, ad Thessalonicenses duæ, ad Timotheū duæ, ad Titum, ad Philemonē, ad Hebræos.

Eundem numerum librorum Canonicorum Vet. Testam. habuerunt Hebræi, ut videre est apud *Iosephum lib.* 1. *adversus Appionem, & Eusebium histor. lib.* 3. *cap.* 10, *& lib.* 4. *cap.* 25; *& lib.* 6. *cap.* 24. quem

etiam approbant Melito, Origines, Cyprianus, Athanasius & alii. Innocentius primus Epistol. 3. ad Exsuperium Episc. Tholosan. anno fortè C. 407, dicitur addidisse huic canoni Laodiceno in Veteri Testamento, Machabæos, Sapientiam, Ecclesiasticum, Tobiam, Iudith. quorum Patres Laodiceni nullam faciunt mentionem: ut nec in Novo Testamento Apocalypseos. Inter Canones Ecclesiæ Africanæ, similis cum Innocentii epistola invenitur librorum V. T. numerus, idque tempore Bonifacii Papæ, id est, anno Christi fortè 420. Tomo Concilior. Crabbe & Binii in Concilio Carthaginensi tertio, Canone 47. ubi hæc annotat Crabbe & cum eo Binius: *quamquam ille Canon in præsenti exemplari tanquam hujus Concilii capitulum habeatur, in aliis tamen certis Conciliorum libris dicitur esse Carthaginensis Concilii tertii 24 Capitulum, celebrati post consulatum Honorii duodecimum, Theodosii octavum, quorum annus currit sub Bonifacio Papa.* sed vide *Christ. Iustellum in Notis ad Canonem* 24. *Cod. Græc. Ecclesiæ Africanæ. pag.* 411. Ipse Bellarminus fatetur hos libros inter Canonicos primùm receptos à Concilio Carthaginensi tertio, & inter Patres ab Augustino, qui huic concilio interfuit: reliquos primitivæ Ecclesiæ Patres & ipsum Hieronymum hos omisisse. Vide *Hieronymum præfatione in lib. Salomonis*, & *in prologo Galeato. Ruffinum in expositione Symboli*, *Gregorium primum*, quo Pontificum nemo celebrior, *moralium in Iob lib.* 19. *cap.* 17. qui Gregorii locus manifestè indicat epistolam Innocentii ad Exsuperium, cujus supra meminimus, esse suppositițiam, ut sunt plurimæ aliæ Isidori mercatoris adulterinæ merces. Et quatenus pro Canonicis eos haberi senserit Augustinus, idem explicat *lib.* I. *contra Gaudentium cap.* 21. ubi scripturam Machabæorum receptam dicit ab Ecclesiâ, *si sobriè legatur, idque maximè propter Machabæos, qui pro lege Dei, sicut veri martyres, à persecutoribus tam indigna atque horrenda perpessi sunt.* Præterea duo priores libri inter Canonicos cœperunt haberi Concilio Carthaginensi, si fides Latinæ editioni; nam Græci codices nil tale habent, ut nec Cresconii collectio. Et si illi libri inter Canonicos recepti fuissent, haud eos *non Canonicos* appellasset Gregorius, *sed tamen ad plebis ædificationem editos*, ut habet loco prędicto. Vide animadversiones Scaligeri in Chronicon Eusebii ad annum 1829,

Bellarm. de verbo Dei lib. 1. cap. 10

Et Vossium de histor. Græcis lib. 4. *cap.* 14. in Iasone Cyrenęo. Sed redeamus ad historiam.

Hoc eodem anno C. 70, ut diximus, mortuus est Nero, sub quo Iudæi, præsidis sui Cestii Flori injurias non ferentes, rebellare cœperunt; contra quos Vespasianus à Nerone missus, multis gravibusque pręliis devictos, coëgit intra muros Hierosolymæ confugere. Quo tempore Iudæos laborantes discordiis civilibus, gravissimo & exitiali bello aggrediuntur Romani, Sectæ Pharisæorum, Sadducæorum, & Essæorum, & inter hos novæ sectæ Hillelis & Sameæ populum distrahebant; funesto profectò statu urbi Hierosolymitanæ & populo Iudaico. Ante obsidionem Hierosolymæ, *die octavo Aprilis, cum quæ ad Pascha festum opus præpararentur, lux splendida noctu orta in templo, horâ noctis nonâ, id est tempore matutino, eaque lux duravit ad dimidiam horam. Eodem die bos, cum sacrificandus esset, agnum peperit, & Orientalis porta ænea, quæ vix à viginti viris claudi poterat, quæ pessulos plures in saxum demissos habebat, horâ noctis sextâ sponte patescit: sic eodem anno, vicesimo primo Maij, hebdomade ante Pentecosten, ante solis occasum, visi sunt in aëre urbi circumfusæ acies armatæ & ferrei currus. Et festo die Pentecostes noctu, cum sacerdotes ingrederentur templum, audita vox est,* MIGREMUS HINC. Josephus. Flavius ille Iosephus Mathathiæ filius, qui nobis hanc de bello Iudaico scripsit historiam, gliscente seditione, dux Galilæorum ab Hierosolymitanis factus, multa prudenter ac fortiter gessit, usque dum captâ Jotapatâ, vivus in manus Romanorum venit: hinc custodię datus fuit, ut ad Neronem mitteretur, quo cognito, postulavit ut cum Vespasiano loqui posset, Tito filio & duobus amicis præsentibus. Ibi ille Vespasiano Imperium prædixit. Cujus etiam rei meminit Suetonius, hisce verbis: *Et unus ex nobilibus captivis Iosephus, cum conjiceretur in vincula, constantissimè asseveravit, fore ut ab eodem brevi solveretur, verum jam Imperatore.* Nimirum vaticinium propheticum de Messia Rege, quem iis temporibus Iudæi etiamnum exspectabant, Vespasiano accommodabat: eamque vanissimam interpretationem, eventu postea comprobatam fuisse, gentiles putabant, quibus ignotum erat regnum spirituale, quod per universum orbem habet Sospitator noster Iesus. Ipsissima Iosephi ad Vespasianum verba

verba adfert ipse *lib.3. de bello Iudaico c.14.* Vossius in Ioseph. Vaticinii hujus meminimus ex Suetonio & Tacito in nostris prolegomenis.

Mortuo Nerone Imperium capessit Galba, imperavit menses septem, & anno sequenti an. C. 71. periit, cum Otho acclamatus esset Imperator: qui tres tantum menses imperavit: cum Vitellius Imperatoris nomen usurpat, & ad Bebriacum levi prælio Othonis vincit exercitum, qui civilium armorum pertæsus, sibi ipse mortem intulit. Vitellius post Othonem imperium octo menses gessit. Cum autem Flavius Vespasianus in Iudæâ per trium principum cædes fluctuans, adjuvantibus Ægypti & Syriæ præfectis, incertum imperium suscepisset, Vitellius seipsum interemit. *A. C. 71. aliis 69.*

Decem annos summâ æquitate & clementiâ imperium rexit Vespasianus, sola in eo culpabatur pecuniæ cupiditas, quam tamen excusare solebat ærarii fiscique inopiâ, asserens quadringenties millies opus esse, ut Respublica stare posset. Ea summa ad nostratem pecuniam redacta coronatos circiter efficiet 107500000. Petavius.

Hoc anno successit Evodio, primo Episcopo Antiochiæ, Ignatius, qui martyrio mortuus est anno Trajani undecimo, Christi 110.

Bellum Iudaicum Imperatore Vespasiano confectum est, ad quod, adhuc privatus, à Nerone missus erat, ut jam dictum. Id à seditiosis quibusdam ortum habuit, quorum dux Eleazarus Pontificis Ananiæ filius: qui sub specie religionis arma moverunt contra Romanos. Dein strage suorum efferata gens, contra Romanos pertinacius contendit. Cestius Gallus Syriæ Legatus Hierosolymam obsidens, cum magnâ copiarum suarum cæde in fugam agitur anno Neronis 12. Christi 67. Victores Hierosolymam reversi, cum alios belli duces eligunt, tum Iosephum Mathathiæ filium. an. C. 69. Vespasianus per Galilæam ac Iudæam arma circumferens, præter oppida pleraque, ducem ipsum belli Iosephum in potestatem suam redigit; à quo illi prædictum est imperium. Postremo caput gentis Hierosolymam aggressus, mox interruptam, Neronis aliorumque principum cæde, obsidionem, per Titum filium jam Augustus instaurat, anno imperii 2. Christi 72. per Azymorum dies, ac demum Aug. 5. die Templo succenso urbs est capta, ipso die Sabbati, ut Dio refert, & cum veteribus etiam docet Scaliger: non Paschatis, ut Eusebius & Sulpitius. Ea clades Iudaica genti ac nomini exitium attulit, tantaque & tam *Vid. Ioseph. verba lib. 3. c.16. de bello Iudaico. Tacitum lib. 5. Historiarum.*

multi-

multiplex vis calamitatis fuit, ut appareret ob unius filij Dei indignissimam necem pœnas istas esse persolutas. Nam & horrenda fames inclusos mœnibus in eam rabiem impulit, ut humanis vescerentur carnibus, ac natorum etiam corpora matres absumerent, & undecies centena millia, quod fando vix auditum erat, unâ illâ obsidione perierint: capta autem & vendita C. millia. Vrbs ipsa denique solo æquata, cui & aratrum victor impressit, anno imperij tertio, Christi 73. Vespasianus cum Tito filio de Iudæis triumphavit, ac tum Iani templum occlusit, & Pacis ædificare cœpit. Vespasianus asserens Imperatorem stantem mori oportere, in legationibus obeundis ex morbo obiit, anno imperij decimo, Christi 81. Succedit Titus, Imperatorum optimus, amor & deliciæ generis humani appellatus. Idem Petavius. *Res admiranda est*, inquit Cunæus Reip. Hebr. l. 2. cap. 15. *ac singularis quædam divini judicij nota, id quod Rabbini observarunt, quibus studium est vetera & recentiora contendere, atque omnia scrutari quam subtilissimè. Recitabo verba ex Chronico quod Seder Olam Rabbi Iose dixit*: Quemadmodum meriti remuneratio, etiam post longum tempus, recidit ac revolvitur in eundem diem; ita & peccati. Atque id experimento compertum est. Nam cum antea vastaretur templum, erat extremum Sabbati: & rursus extremum septimi anni erat. præterea erat septimana stationis Joärib, & nonus mensis Ab. Et ita fuêre hæc quoque in secundo excidio. In utroque autem Levitæ stabant in cathedrâ, recitabant quoque oden hanc: *Retribuet illis iniquitatem suam. Admirandâ hâc actione toti mundo indicatum est, Deum Sabbatha illa Iudaica unà cum templo & ceremoniis sublata voluisse*, & punire ac vindicare secundum justitiam suam peccata Judæorum, & præcipuè ingratitudinem ac enormem crudelitatem, quâ Christum servatorem suum exceperunt. quod manifestè liquet ex inauditâ illâ strage tam dilecti quondam Deo populi, quâ simul & semel dispositione verè divinâ radicitus evulsa & funditus eruta est tam populosa gens, quondam peculium Dei. Vaticinium Danielis de 70 hebdomadibus terminari in excidio Hierosolymitano censet *Calvisius & plurimi alij.*

Cum vero urbe Hierosolymitanâ dirutâ expletum fuerit Domini Jesu Christi vaticinium, ut lapis super lapidem non remanserit; *Lucæ 19.* quod factum testatur Iosephus, & aratrum excisæ urbi fuerit impressum,

pressum, ut urbs esse desierit, nec alicui secundum leges illi solo licuerit quicquam superstruere. quæri posset ubi fuerit interim Ecclesia Hierosolymitana, cujus continuata sit per nota nomina Episcoporum successio. Eusebius refert Ecclesiam illam cum reliquiis illius Apostolici seculi Pellam, urbem Decapoleos in Cœlesyria traductá esse. Epiphanius sentit Apostolos & Ecclesiam Hierosolymitanam, imminente urbis excidio, monitu Angeli ex urbe se seduxisse, atque Pellam se contulisse, inde iterum post excidium rediisse, ibique quædam ædificia construxisse. *Nos vero*, inquit Scaliger, *non dubitamus diu Pella Ecclesiam fuisse, eamque Æliam tempore Trajani Imperatoris se contulisse, cum ei per hostes Christianismi ibi tutò manere licuit.* Hic obiter nota eos, qui primi in Palæstinâ Christi fidem sunt amplexi, dictos fuisse Nazaræos, ex nomine Domini nostri, qui vulgò Nazarenus vocabatur; ut videre est *Act.* 25. 5. planè sicut illi, qui linguâ Græcâ Christum sunt amplexi, dicti sunt Χριστιανοὶ, *Act.* 11. 26. Illi Nazarǣi ritus Iudaicos, traditâ à majoribus consuetudine, etiam observabant, Apostolis non prohibentibus. Et narrat Sulpitius in Palæstinâ Christianos penè omnes ad Trajani usque tempora idem fecisse.

Ioseph. bell. Iud. lib. 7. c. 1.
Leg. 21. D. quib. mod. usufr.
Euseb. lib. 3. Ecclesf. hist.
Epiphan. contra hæresin Nazaræorum.
Scaliger an. 2140 animadvers. in Chron. Eus.
Sulpit. hist. sac. lib. 2.

Anno Christi 80 mortuus videtur Linus, suæ sedis anno 12. expleto, & Titi secundo juxta Eusebium. Petavius illi tantum tribuit annos 11. menses 2. Baronius sub Vespasiano eum Martyrium consummasse mavult, sed non affirmat, *cum diversa à diversis scribantur,* inquit, *nec quicquam certi habeatur, quod omni ex parte subsistat.* A. C. 80.

Mortuo Lino succedit Cletus, quem Anacletum vocat Irenæus, qui à multis cũ Lino creditur fuisse Chorepiscopus, vivis adhuc Apostolis. A. C. 81. *alii* 79.

Mortuo Vespasiano, ut diximus, succedit filius Titus, ille Iudæorum domitor, ille mundi amor; qui tam comis & liberalis fuisse dicitur, ut nulli quicquam negaret. Hoc cum reprehenderent amici, respondisse fertur, neminem à vultu principis tristem discedere oportere. Addidit & illud, recordatus quod nihil cuiquam muneris aut officii contulisset: *Amici diem perdidi.* sed audi, quæso, Hieronymum in epistolâ ad Galatas cap. 6. de hujus Imperatoris verbis, *Amici diem perdidi: Breve est*, inquit, *vitæ istius curriculum: hoc ipsum quod loquor, quod dico, quod scribo, quod emendo, quod relego, de*

tempore meo mihi aut crescit aut deperit. Titus filius Vespasiani, qui,in ultionem Dominici sanguinis, subversis Hierosolymis Romam victor ingressur est, tanta dicitur fuisse bonitatis, ut cum quadam nocte serò recordaretus in cœnâ, quod nihil boni illâ die fecisset, dixerit amicis: HODIE DIEM PERDIDI. *Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cum otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die judicij? Quod si hoc sine lege, sine Euangelio, sine Salvatoris & Apostolorum doctrinâ naturaliter & dixit & fecit, quid nos oportet facere?* Hactenus Hieronymus. Res admiranda, & dignissima ut eam singulis vesperis attento animo considerent omnes Christiani.

Hoc eodem anno ex Vesuvio monte Campaniæ ingens vis flammarum, ac mox cineris erupit, quæ in Africam, Syriam, Ægyptum *Dio in Tito.* & Romam usque pervasit, ut Solem obscuraverit, duasque, urbes, Herculanum & Pompejos penitus obruerit, & Plinium naturalis historiæ scriptorem, qui cognoscendi cupiditate eò venerat, fu-
A.C.81. mo flammisque necaverit. *Plin. epist. ad Tacitum 16. lib. 6.*

Urbs Roma, incendio divinitus immisso, tribus diebus totidemque noctibus conflagrat. Dio.

A.C.83. Moritur Titus, ut fama fuit, veneno per fratrem propinato, cum summo omnium bonorum dolore, succedit frater Domitianus, omnium ferè Principum teterrimus.

A.C.93. Moritur Martyrio Cletus Episcopus Romanus, cui succedit Clemens, Faustini filius, ille antiquus S. S. Petri & Pauli auditor & discipulus.

Secunda persecutio. Hoc etiam anno Baronio, Petavio seriùs, persecutio auctore Domitiano in nomen Christianum ardere cœpit, in quâ plurimi præcipuique Christianorum perierunt, & Sanctus Joannes Apostolus *Romæ ferventi oleo immersus, nullum doloris signum dedisse dicitur* à Tertulliano, Origine & Hieronymo, & in Patmon insulam relegatus, scripsit Apocalypsin.

A.C.95. Hoc anno à Clemente Romano scripta est illa insignis, *admiranda* Eusebio, *potentissima* Irenæo epistola ad Corinthios, diro schismate laborantes. *Euseb. lib. 3. cap. 2. Irenæus lib. 3. cap. 3. Clemens Alexand. Strom. 4.* Illustris illa certè, & omnium judicio approbata, & planè digna admiratione epistola, quæ hactenus injuriâ tempo-

rum

rum maximo Ecclesiæ damno excidisse penitus visa erat, jam in lucem prodiit operâ doctissimi, & hâc occasione felicissimi viri Patricii Junii Scoto-Britanni: cujus epistolæ encomia quamvis apud Irenæum *lib.* 3. *cap.* 3. & Eusebium ex Egesippo, omnium antiquissimo inter Christianos scriptore *lib.* 3. *cap.* 12. invenire licet; apud ipsum tamen Junium videbis innumera. Vide epistolam Grotii ad virum amplissimum Hieronymum Bignonium, epistolarum ad Gallos 154. ubi post multa firma argumenta sic concludit: *Ha sunt causa cur ego hanc epistolam non modo genuinam arbitror, sed & nulla in eâ manus adultera vestigia agnoscam.*

Hæc autem Clementis epistola tota moralis veram spirat Christi & Apostolorum doctrinam, sanctitate morum, animi demissione & sincero concordiæ pacisque in Ecclesiâ amore flagrantem; quæ inter cætera hæc habet: *Nonne unum Deum & unum Christum habemus? nonne unus est spiritus gratiæ, qui super nos effusus est, & una vocatio in Christo? per quam omnipotens Deus omnes ab initio justificavit: & omnibus, qui credunt & sperant in Deum, per sanguinem Christi redemptio futura est:* Et *quemadmodum futuram resurrectionem nobis continuò ostendit, cujus primitias Dominum Iesum Christum fecit, quem à mortuis suscitavit, sic idem rerum omnium opifex resurgere eos faciet, qui in bona fidei confidentiâ religiosè illi inservierunt.* Ubi efficaci consilio, tamquam præsenti remedio ad acquirendam in Ecclesiâ pacem, exhortatur seditiosos, *ut pleni charitate* sic loquerentur: *Si propter me seditio, contentio & schismata orta sunt, emigrabo, abibo quocunque volueritis, & quæ à plebe mandantur faciam, solum Christi ovile cum constitutis supra se presbyteris in pace degat.* Presbyteros colendos & honroandos dicit, & simul plebis auctoritatem adjungit; nam in electione Presbyterorum & Diaconorum dicit constitutos Episcopos &c. *cum universæ Ecclesiæ consensu*, quemadmodum factum vidimus in Diaconis in Actis Apostolorum. Unum adducam locū ex Clementis epistolâ pag. 57. *Apostoli nostri per Iesum Christum Dominum nostrum cognoverunt contentionem de nomine Episcopatus orituram: atque ob hanc caussam perfectâ præscientiâ præditi constituerunt prædictos; descriptas deinceps ministrorum officiorum vices reliquerunt, ut in defunctorum locum alij viri probati succedere, eorumque munia exsequi possent.* De quo

loco vide contendentes D. Blondellum in apologiâ pro sententiâ B. Hieronymi de Episcopis, & H. Hammond dissertatione quintâ pro jure Episcoporum contra Blondellum & Salmasium. Iste est *Clemens Papa*, inquit Boxhornius, *qui septem Urbis regiones divisit notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum curiosè, unusquisq; per regionem suam, diligenter perquirerent.* Verba sunt Guilielmi de Nangis Monachi S. Dionysii in Chronico, quod MS. legitur in Bibliothecâ Regiâ Londinensi. Albertus Stadensis in Chronico: *Clemens fecit septem regiones dividi notariis Ecclesiæ, qui gesta martyrum scriberent, unusquisque in suâ regione. Non est mihi dubium*, inquit idem Boxhornius, *quin ad eos notarios referenda sit Cardinalium Ecclesiæ Romanæ, qui nunc ita appellantur, origo: nam ut regiones cœli, sic & Urbis, dicta sunt cardines.* Idem *Clemens Papa sanctiss.* (verba sunt Hugonis de S. Victore in chronico MS. quod extat & legitur in Anglicâ Bibliothecâ Ecclesiæ Lichfeldensis) *atque sapientiss. multos viros magnificos ad collocandum Dominicæ fidei fundamentum destinavit, Lugdunensibus Fotinum, Turonensibus Gratianum, & alios plures.* Horum ministerio per Galliam Christiana religio propagata est. *Boxh.*

Hoc anno Flavius Iosephus, historicus Iudæus, commentarium
A.C. 96. de antiquitatibus Iudaicis, viginti libris distinctum, Romæ absolvit,
aliis 94. *in quibus comprehendit historiam sacram à Genesi usque ad Machabæos, & deinde addit reliquam historiam usque ad sua tempora.* Bellarminus. Scripsit præterea de bello Iudaico lib. 7. contra Appionem lib. 2. de Machabæis seu de imperio rationis lib. 1. De quo sic Vossius histor. Græc. lib. 2. *Sunt quibus usque adeo fides ejus suspecta est, ut planè susque deq; habeant, quid Iosephus dicat, dummodo vel alterius qualicunq; auctoritate, vel minutâ ratiunculâ defendere contrarium sibi posse videantur. Contra magnus Scaliger Prolegomenis ardui operis de emendatione Temp. censet, ubique elucere Iosephi & eruditionem & fidem, in tantum, ut non solum in rebus Iudaicis, sed etiam externis, tutius ei credatur, quam omnibus Græcis & Latinis. Illustre apud eum de Christo testimonium habemus in duodevigesimo Antiquitatum libro, unde illud etiam citat Hieronymus in ecclesiasticorum scriptorum catalogo, item Suidas in Ἰώσηπος. Mirum vero non meminisse ejus Photium in excerptis suis cap.* 76. Eusebius Ecclesiast. historiarum lib. 1. cap. 12. citat Josephi de Joanne Baptista & Christo testimonium. Aliqui locum hunc credunt esse suppositititium & Josepho insertum: sed si placet audiamus verba Hieronymi:

ronymi: *Hic in* 18. *libro antiquitatum manifestißimè confitetur, propter magnitudinem signorum Christi à Pharisæis interfectum, & Ioannem Baptistam verum Prophetam fuisse, & propter interfectionem Iacobi Apostoli dirutam Hierosolymam. Scripsit autem de Domino in hunc modum. Eodem tempore fuit Iesus, vir sapiens, si tamen virum eum oportet dicere, erat enim mirabilium patrator operum, & Doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimos quoque tam de Iudæis, quam de gentibus habuit sui sectatores, & credebatur esse Christus. Cumque invidiâ nostrorum Principum cruci eum addixisset Pilatus, nihilominus qui eum prius dilexerant, perseverarunt. Apparuit enim eis tertio die vivens. Multa & hæc & alia memorabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus, & usque hodie Christianorum gens, ab hoc sortita nomen, non defecit.*

Blondellus ea, quæ de Iesu Christo & B Ioanne Baptista apud Iosephum inveniuntur, dolo malo à Christianis intrusa censet. *Restat*, inquit, *vestigium fraudis. Tempore Originis legebatur, ob cædem Iacobi de quo* Act. 15. *&* 21. *excisa Hierosolyma: hæc verba citat Origines adversus Celsum: item Hieronymus in catalogo, & Eusebius in historiâ suâ. nunc non apparent in Iosepho: ergo jam correctiora habemus exemplaria, quam illi. sed restant & alia fraudis vestigia: nam tota illa lacinia de Ioanne Baptista intrusa est, & si auferatur, sensus constat. Itaque apparet Christianos secundi seculi, qui libros Sibyllinos, nova Euangelia, nova Acta, novas Apocalypses invenerunt, fraudes disseminasse, & dum putarent hâc viâ Ethnicos ad Christianismum allicere, magnum scandalum Iudæis & Ethnicis dedisse.* Contra autem judicat Bellarminus *de script. Eccles. Lib.*18.*antiquit.cap.*9.inquit,*reddit Christo mirabile testimonium, affirmans eum fuisse plus quam hominem, & verè Christum, in operibus magnificum, in verbis veracißimum, & à Pilato quidem occisum, sed tertiâ die resurrexisse. Quod autem Hebræi dicunt, testimonium illud de Christo in suis libris non haberi, & ideo videri superadditum à Christianis, facilè refelli potest. Nam Hebræi non habent Iosephum filium Matthathiæ, qui Græcè scripsit libros antiquitatum, de quo nos loquimur; sed Iosephum filium Gorionis, qui aliquid simile scripsit Hebraicè. proinde non est mirum si Iudæi in suo Iosepho hoc testimonium non habeant, cum in nostro habeatur, & non sit superadditum, sed verum & genuinum Iosephi testimonium. Certè S. Hieronymus & Eusebius viri doctißimi, qui omnes penè libros*

Baronius an. 34. *&* 72.

 bros

bros legerunt veterum scripturarum, nunquam hoc de Christo testimonium Iosepho tribuissent, nisi scivissent verè ab illo auctore scriptum esse. Vide Vossium lib. 2. de histor. Græc. cap. 8. de hoc Iosippo Gorionide.

A.C. 97. *aliis* 95. *Vid. Euseb. lib.* 3 *c* 33. Anno C. 93. pulsus quidem in exilium est Euangelista Ioannes à Domitiano, at hoc anno, quam vidit, scripsit Apocalypsin. *Irenæus.* Canonicam eam esse probat Baronius auctoritate patrum tam Græcorum quam Latinorum.

Clemens Papa hoc anno relegatur in Chersonesum Tauricam, ut habet *Onuphrius*, & succedit Euaristus, ut habet *Irenæus*, *& Eusebius* qui loco Cleti statuunt Anacletum, quibus huic tempori proximis fides potissimum habenda est. *Platina, Onuphrius, Baronius, Bellarminus* post Clementem collocant Anacletum ex Dàmaso, seu libro Pontificali, qui quam sit scriptor incertus certò omnes antiquitatis periti norunt. Vide *Onuphrium in Clementem & Anacletum apud Platinam*, ubi inter cætera hæc habet: *Cæterum cum in singulorum ferè Pontificum annis à Platina dissentiam, qui eos longâ, difficili & operosâ supputatione formavi, & nimis fastidiosum esset unicuique Pontifici meam sententiam adjungere, in libri fine brevem omnium Romanorum Pontificum catalogum, cum annorum, quibus unusquisque sedit, numero adjiciam ex vetustis probatisque auctoribus à me constitutum,* &c. sic inter omnia veterum scripta, nihil incertius inveni, quam ea, quæ de vitis & rebus gestis Pontificum posteris relicta sunt.

Fuit eodem tempore alius etiam Clemens, dictus Flavius Clemens, patruelis Cæsaris Domitiani, & Consul Rom. qui accusatus Atheismi, quod Deos gentiles colere nollet, à Domitiano occiditur: ut & Flavia Domitilla, quę aliis est uxor Flavii Clementis jam dicti, aliis filia sororis ejusdem. quidquid sit, in eo conveniunt, fuisse Domitiani consanguineam, & ab eo, propter fidem in Christum, in insulam relegatam, & postea sub Trajano in novâ persecutione martyrio affectam. Vide *Suetonium*, *Dionem*, *Eusebium*, *Baronium.* His adde Nereum & Achilleum, Flavię Domitillę libertinos seu Eunuchos, qui etiam relegati in insulam Pandatariam ibidem sub Trajano martyrium sunt consecuti. sed horum martyrio addita videntur quędam non genuina. *Vossius.*

Occidi-

Occiditur Domitianus, succedit Nerva: qui mitior in Christianos, eorum exsules postliminio restituit, vetabatque ne quis in eos, tantum quod Christiani essent, sæviret. Hujus edicti vigore ex insulâ Patmo rediit Ephesum Euangelista & Apostolus Joannes. A. C. 98. *aliis* 96. *Dio in Nerva.*

Hoc anno creditur suum Euangelium edidisse Joannes, in quo ita divinitatem Christi probat, ut reliqui Euangelistæ humanam ejus naturam docent, idque præcipuè contra Cerinthum & Ebionem hæreticos. Quare paucis eorum & quorundam aliorũ errores referam. A. C. 99. *aliis* 97.

Hoc ferè tempore diversæ hæreses regnarunt, quarum aliæ oppugnarunt Christi divinitatem, aliæ vero ejusdem humanitatem negarunt. Circa tempora Apostolorum Cerinthus sub Christi nomine emersit, docens Jesum non virginis, sed Mariæ & Iosephi filium: nec Deum sed hominem tantum, in quem postea baptizatum Christus columbæ specie descenderit & virtutem ad adnunciandum Patrem acceperit; & eundem Christum à Iesu in crucem acto recessisse, nec nisi solum Iesum passum esse, Christum autem impassibilem extitisse. Impossibile enim judicabat quemquam ex virgine posse nasci. hunc postea secutus Carpocrates quidam paria confirmabat, Gnosticorum videlicet magister & coryphæus factus, qui solam animam Christi in cœlos receptam dicebat, corporum resurrectione penitus rejectâ. Cerinthum postea & Hebion est sectatus, legalium ceremoniarum observantissimus cultor; qui & ipse Christum ante Mariam non fuisse, sed ex eâ genitum tantum hominem statuebat, perfectum tamen ante alios, & virtute multâ donatum. Ajebat autem fidem ad salutem non sufficere, nisi & legis à Deo datæ opera omnia huic adjicerentur. Hunc postea secutus est Theodotus Bysantinus, ille coriarius, ab Victore Episcopo Romanæ Ecclesiæ excommunicatus. Hic discipulos habuit Asclepiodorum & Theodotum trapezitam; à quibus Natolius seductus, relictâ Ecclesiâ, factus est Hebionitarum Episcopus, qui tamen postea facti pœnitens per Zepherinum Papam ad Ecclesiam reversus est. hos Artemon secutus est, & postmodum Paulus Samosatenus, Episcopus Antiochenus, à synodo Episcoporum multorum celebratâ Antiochiæ condemnatus an. 272. Postea, anno nimirum 347 in Concilio Sardicensi ab orthodoxis, & an. 357. in concilio Sirmiensi

Iren. lib. 1. cap. 25.

Euseb. lib. 5. cap. 25.

Sirmiensi ab ipsis Arrianis (id est ab omnibus Christi fidem profitentibus) ob eandem labem exauctoratus & condemnatus est Photinus. *Irenaus lib. 3. c. 3.* ut etiam narrat Eusebius lib. 3. c. 25. *historiam memoriâ dignam literis tradidit, tanquam ab Polycarpo acceptam; quâ refert Ioannem Apostolum aliquando lavandi gratiâ balneum esse ingressum, & cum Cerinthum intro lavare cognovisset, mox ab eo loco resiliisse, ac foras effugisse, nec sub eodem tecto esse cum illo sustinuisse, idque ipsum illis, quos secum habebat, significasse ac dixisse: fugiamus ne & balneum in nos corruat, in quo Cerinthus est veritatis hostis.* Crede idem dictum de ejusdem discipulis. Adversus quorum dementiam Ioannem ipsum, Episcoporum Asiæ rogatu, divinam Christi nativitatem ab aliis tectius paulò & obscurius relatam, diserte & luculenter in Evangelio suo postremum edito exposuisse B. Hieronymus auctor est, ut videre licet in *præfatione in Matthæum, & lib. de scriptoribus Ecclesiast. in Iohanne.* Cæteri Euangeliorum scriptores satis habuerunt Christi divinam naturam tacitè indicare ex admirabili ipsius conceptione, ex infinitâ illâ & liberrimâ vi ad facienda miracula; quorum si magnitudinem consideremus, omnem exsuperat vim naturæ. Imperium enim promptissimum exercuit *Christus* in aquas, ventos, arbores, pisces, morbos, mortem ipsam. nimirum tota illi serviit natura; cum Deum creatorem & Dominum suum agnovit. Iam quam miracula illa multa, quam varia! nimirum non hic, illic patrata, non subinde, sed serie continuâ, præsertim in omnis generis morbis, vel tactu, vel solo etiam verbo sanandis. Quid præterea iis certius? ut ostendit quod non in angulis contigêre; sed tam multa, tam populosa adiit loca, ut undique magno ad eum studio accurreretur. Iustrata illi omnis Iudæa, Samaria, Galilęa utraque, & terra cis Iordanem. Vel Hierosolymorum magnitudinem cogitemus, & istic agentium multitudinem; pręsertim Paschali festo: quo ut ex Flavio Iosepho scimus, non minus istic erat, quam vicies sexies centena virorum millia. Præterea Deitatem Christi Euangelistæ iidem ostendunt ex introspectu cogitationum alienarum, ex his quæ circa mortem, resurrectionem, & ascensum in cœlum acciderunt, ex promisso denique perpetuæ pręsentię: mittendi Spiritus Sancti: remittendi peccata: judicandi genus humanum.

At Iohannes pro usu temporum, & ipso initio Dei nomen ei assignandum & vim ex ęterno fonte manantem apertè tradendam existimavit. Neque tantum hoc modo, sed & expressâ collatione cum Iohanni primum Baptistæ, deinde Mosi, post & Abrahamo prætulit.

Quemadmodum præcedentes Christi divinitatem, sic sequentes quidam hæretici ex Cabalâ Iudaicâ Platônisque philosophiâ ejusdem humanitatem oppugnabant. nam omnes primi hæretici fuerunt aut Iudæi aut Philosophi, qui ex Iudaicâ & Christianâ religione faciebant miscellaneam, ex utraque compositam. Horum primus & Apostolorum temporibus proximus fuit Saturninus natione Syrus & Antiochenus, qui Christum in solidâ substantiâ corporis non fuisse, sed phantasma tantum exstitisse, & quasi passum fuisse affirmabat. Quod & Basilides Alexandrinus sentiebat, Christum non Creatoris, sed alius virtutis filium esse dicens, & non illum, sed illius loco Simonem esse crucifixum. Valentinus Platonicus Christò carnem è cœlo delatam tribuebat, & deteriorem Angelis Christi conditionem iis objiciebat, qui carnem illi nostræ similem tribuebant. quare eam non natam ex Virgine, sed transmissam per Virginem, sicut aqua per fistulam funditur, affirmabat. Hęc opinio aliquamdiu magnâ pertinaciâ defensa, fautores habuit Alexandrum, Ptolomæum, Marcum &c. qui omnes Christum non humanâ sed cœlesti carne vestierunt: fuit ejusdem ferè opinionis Cerdon, ejusque discipulus Marcion, contra quem scripsit Tertullianus. similem errorem ferè sequebatur Lucanus, Apelles &c. qui etiam solius animę resurrectionem statuebant, ut & Gnostici Cerinthi & Carpocratis successores. Ita persona Christi *quoddam velut fidei Christianæ principium*, jam tum primis illis temporibus à diversis acriter & impiè oppugnata est, aliis hominem negantibus, quem Deum tamen esse agnoscebant, aliis Deum haud credentibus, quem hominem non poterant diffiteri; aliis denique, ut in omnes formas hęresis facilè sese vertit, utramque & divinam & humanam in Christo naturam confundentibus. *Irenæus, Tertullian. Eusebius, Epiphanius, Theodoret. Vossius, Boxhornius & alij.* Erant etiam hæretici dicti Nicolaitę, quos nomen habuisse ab uno primorum Diacônorum Nicolao satis inter veteres constat, sed an mala illa dogmata ab illo fluxe-

 rint,

Irenaus l. 1. c 27. Euseb. l. 3. c. 26. Clemēs Alexand. 3. Strom. Epiphan. hæres. 25.

rint, an vero falsò ſub ejus nomine fuerint venditata, non item. Mihi veterum teſtimonia conferenti media placet ſententia, quæ hæc eſt: Nicolaum accuſatum ζηλοτυπίας, quod, uxorem pulcram habens, uſitata illa inter primos Chriſtianos utriuſque ſexus pacis oſcula non ſatis ferret, in contrarium cucurriſſe, & exemplo Laconum & Catonis uxoris ſuæ uſuram permiſiſſe aliis, planè quaſi in eo, quod marito & uxore volentibus fieret, non peccaretur. ſed hàc apertâ ſemel contra Euangelicam caſtitatem feneſtrâ, poſtea, ut ſolent non ſtare ubi incipiunt mala, quaſvis fuiſſe admiſſas libidines. *Grotius.*

Moritur Nerva, ſuccedit Trajanus, Italicæ in Hiſpaniâ natus.

Claudit hoc anno primam Oceani ſui partem Illuſtris ille annalium conditor Baronius. Annales eos vocat, cum potius ſint ingens volumen diſputationum Theologicarum, & ut plurimum pro traditionibus, ut ille vocat, Apoſtolicis. Paucæ ſunt res geſtæ, quas certâ annorum ſerie continere ſolent annales. Nam quæ hoc primo ſeculo extra S. Scripturam & Acta Apoſtolorum, à Baronio referuntur, aut parvi ſunt momenti, aut incerta. Traditiones verè Apoſtolicas nemo pius Chriſtianus rejicit; quæ non ſunt quicquid traditur à veteri quadam Eccleſiâ, non quodcunque unus & alter ſcriptor Eccleſiaſticus, cæteris non repugnantibus, retulerunt: ſed quod ab Apoſtolorum ævo, per univerſas Eccleſias, ab iis, vel diſcipulis eorum fundatas, per omnia, vel ſaltem prima aliquot ſecula conſtanter decurrit. Id eſt, ut loquitur Lirinenſis, *quæ ſemper & ubique & ab omnibus credita & obſervata ſunt.* Idem vult illud tantoperè decantatum Auguſtini teſtimonium: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi Apoſtolicâ auctoritate traditum, rectiſſimè creditur.* Multa traduntur à Nicephoro, Metaphraſte, Damaſceno & aliis, ſed quâ fide videt & ſæpè monet ipſe Baronius, vir, ubi lubet, oculatiſſimus. Ad omnes ejus quæſtiones, quæ ferè ſunt infinitæ, reſpondere non eſt mei inſtituti: ego malo res geſtas producere; nam exēpla felicius & efficacius docent. Si autē quiſpiam eas deſideret, legat doctiſſimas exercitationes Caſauboni, & ſcripta aliorum polemica. Meus ſcopus eſt inveſtigare, quænam ſint veræ & Apoſtolicæ traditiones, quæ tribus primis & puriſſi-

purissimis à Christo nato seculis præcipuè observatę fuerunt, & videre in ipsis fontibus limpidissimas, & non turbatas humanis institutionibus aquas: videre, inquam, *originales illas consuetudines*, ut loquitur S. Augustinus, à principio nascentis Ecclesię natas, & ab ipsis Apostolorũ temporibus, *non interruptâ serie temporum, certâ connexionis successione* observatas. Ut tribus verbis dicam, Traditio ea vera est, quod ab omnibus, omni tempore, & omni loco observatum est. Præterea inquirendum proposui, utrum plura ad salutem aut creditu aut factu necessaria in primitivâ hac Ecclesiâ statuantur, quam ea, quæ habet Sacrosancta Scriptura divinitus inspirata. Ad Historiam. *August. lib. de bapt. contra Donatist. & contra Faust. Manich. lib. 28*

Trajanus à Nerva adoptatus hoc anno cœpit imperium, bellicæ rei peritus imprimis ac strenuus, prudens, moderatus, & mitis Imperator, ut Optimi cognomen, omnium & ipsius Senatus consensu meruerit. *Amicis eum culpantibus*, ait Eutropius, *quod nimis circa omnes comis esset, respondit: Talem se velle esse Imperatorem privatis, quales sibi esse Imperatores privatus optasset.*

Oracula Gentilium, id est, responsa dæmonum redduntur muta: quod etiam agnovit ipse Porphyrius apud Eusebium Præparationis lib. 5. c. 1. *Ex quo*, inquit, *Iesus coli cœptus est, publicam Deorum opem nemo sensit.* sed audiamus Vossium: *Etiam vidimus, quam oraculum Iovis Ammonis consuli soleat à populis Asia longè remotis, sed jam Strabonis ætate negligi cœpit, ut indicat lib. 11.* Itaque oraculum Ammonis propemodum est desertum, quod in honore prius fuit. *Magis etiam neglectum tempore Plutarchi, uti satis liquet ex iis, quæ scripsit de oraculorum defectu. Nempe quantò magis perrumperet lux Euangelij, tantò minus pretium erat tenebricosis Dæmonum oraculis.* Vossius. sed audiamus potius ipsum Plutarchum: *Cum autem loqui desivisset Ammonius*, inquit Plutarchus, *tum maximè, inquam ego, age Cleombrote, dic nobis aliquid de oraculo Ammonis, magna enim & percelebris fama divinitatis ibi quondam percrebuit; nunc vero videtur prorsus emarcuisse. Tacente autem Cleombroto atque in humum despiciente, haud oportet, inquit Demetrius de Ammonicis rebus interrogare, neque ullo pacto ambigere, cum & hoc evanuisse oraculum, imo autem, uno alterove exceptis, omnia passim oracula defecisse videamus. Hæc autem scripsit Plutarchus*, addit Theodoretus Serm. 10. de oraculis, *postquam generis humani servator* *De Idolat. l. 1. c. 32.*

Deusque noster in humanitatem descendit. Ipsum itaque tempus manifestè ostendit, quam in caussam referenda sit miraculorum ista cessatio. Itaque temporibus Theodosii senioris despicatui planè erat illud oraculum, unde Prudentius:

Nec responsa refert Libycis in Syrtibus Ammon.

Quare Arnobius lib. 1. *Christi nomen auditum noxios fugat spiritus, imponit silentium vatibus, aruspices inconsultos reddit.* Vide Tertulliani apologeticum adversus gentes cap. 23. Cyprianum ad Demetrianum c. 6. Julium Firmicum cap. 29. de errore profan. relig. Lactant. lib. 2. cap. 15. & lib. 5. cap. 21. Athanas. in vitâ Antonii, Nazianz. carm. 61. *Vel sola nomine Christi -- Dæmonas ejeci &c. hæc Vossius.* Obiter his addam historiam ex prædicto Plutarchi tractatu de defectu oraculorum: ubi narrat tempore Tiberii Imperatoris, sub quo Christus crucifixus est, gubernatorem quendam Ægyptium nomine Thamum, apud insulas Echinadas in mari Ionio, ex insulâ Paxis ter cum tam magno clamore fuisse vocatum, ut obstupesceret, & respondenti indicatum, ut cum ad Palodes portum Epiri pervenisset, nunciaret magnum Pana obiisse; Thamum vero eo delatum ad terram retulisse, ut acceperat, nempe magnum Pana esse mortuum; & auditum, ubi tacuisset, non unius, sed multorum cum stupore confusum gemitum. Præterea navigasse quendam circa insulas Britanniæ vastas ac desertas, dæmonibus ac heroibus dicatas, ibique ingentes tempestates & prodigia in aëre fuisse, iis vero cessantibus dixisse insulares, aliquem sorte humanâ majorem decessisse. *Hæc Plutarchus.* qui eo animo hæc narrat, ut ostendat per Panos mortem defectum oraculorum: sed quarè per magnum hunc Pana non posset intelligi Christus? sub Tiberio Christum mortuum omnibus constat, & Thamum à Tiberio Cæsare ob hujus rei rumorem ad se vocatum narrat Plutarchus: Pan, quod Græcè est Omne seu universum, à Gentilibus totius naturæ credebatur auctor, & universi Deus: idem de Christo jure dicitur, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Alterum saltem verum statui potest; aut per Christi adventum, superato Diabolo, pulsos Paganorum Deos, & simul magnum Pana; quem Arcades tanquam universæ materiæ Deum colebant: aut per magnum illud numen designari Christum, cum

cum eodem ferè tempore circa insulas Britannicas in aëre auditum fuerit, aliquem forte humanâ majorem occubuisse. Videatur pseudomantes Luciani, (qui callidus fuit Deorum gentilium risor) ad Celsum; & ipse Celsus, qui scripsit contra magos in ludibrium sacerdotum gentilium, ut etiam contra Christianos. Contra Celsum octo scripsit libros Origines, lectu omninò dignos; nam verba Celsi candidè profert.

S. Johannes Apostolus & Euangelista, & propheta, & trium epistolarum & Apocalypseos admirandus scriptor, omnium Apostolorum novissimus Ephesi moritur: cui succedit Onesimus, Phryx natione, Pauli discipulus. De Iohanne Euangelista Hieronymus in epistolam ad Galatas lib. 3. cap. 6. hanc refert historiàm. *Beatus Ioànnes Euangelista*, inquit, *cum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, & vix inter discipulorum manus, ad Ecclesiam deferreretur, nec posset vocem in plura verba contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli alterutrum diligite. Tandem discipuli & fratres qui aderant, tadio affecti quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare idem semper loqueris? qui respondit dignam Iohanne sententiam: Quia praceptum Domini est, & si solum fit, sufficit.* Et verè, nam dilectio comprehendit legem, Prophetas & Euangelium, comprehendit eximiam probitatem & innocentiam, imitatur Deum, & in perpetuum nos ei commendat. Quid aliud postulat à nobis Deus in Veteri Testamento, quid in novo Christus, Apostoli, & post eos Christi & Apostolorum discipuli, quam fidem & dilectionem, in quibus totus consistit Christianismus? *Nam in Iesu Christo*, inquit Paulus Gal. 5. *neque circumcisio quicquam valet, neque praputium, sed fides per dilectionem operans. Et quemadmodum absque spiritu corpus mortuum est, ita & fides absque factis.* Iac. 2. Cum vero hodiè, proh dolor! dilectio omnis exulet, & in cœlum, unde venit, reversa videatur; si redirent Apostoli, fidemne in terris inventuri essent? viderent immania inter reges Christianos bella, invenirent diras, exitiales & æternas inter Theologos contentiones, Charitatis nihil. Vide quam magnis etiam laudibus in suâ insigni ad Corinthios epistolâ dilectionem prosequatur Romæ Episcopus Clemens pag. 63.

Qui anno 102. in Chersoneso Tauricâ, quo fuerat relegatus, martyrio coronatur, ut inquit *Baronius*, cum sedisset annos 9. menses sex. Multa huic viro Apostolico asscribuntur, ut constitutiones Apostolicæ, libri recognitionum, Liturgia & epistolæ Clementis decretales, ut diximus, sed quia non sincerum Apostolicæ doctrinæ characterem tenent, ut inquit *Eusebius lib. 3. cap. 35.* historiæ Ecclesiasticæ, rejiciuntur, & nihil certi habemus præter illam eximiam ad Corinthios epistolam, de quâ supra, & ita *Eusebius* lib. dicto cap. 24. *Clementis epistola apud omnes indubitata habetur; quam in personâ Romanæ ecclesiæ ad Corinthios exaravit, in quâ ille multis sensibus ex epistolâ ad Hebræos scriptâ adductis, imo & ipsius, quibusdam dictionibus usus clarissimè probat, non esse syngramma hoc ad Hebræos scriptum recens & novum. Quapropter visum est illud non immeritò accensendum esse reliquis Apostoli scriptis. Cum enim Hebræis Paulus scripto hoc patriâ linguâ locutus sit, alii Lucam Evangelistam, alii Clementem hunc epistolam illam interpretatum esse dicunt: id quod magis veritati consonum ob hoc esse videtur, quod & consimilem dictionis characterem utraque, & Clementis & ea quæ ad Hebræos est, epistola continet, & ipsi utriusque sensus non adeo procul inter se distant.* Vide Nicol. *Cusanum Cardinalem lib. 3. de Concordant. Catholic.* & *Bellarminumde scriptor. Eccles. Riveti Criticum sacrum*, *Dallæum de Pseudographis Apostolicis & Pseudisodorum Blondelli*.

A. C. 103. Clementi succedit secundum Baronium Anacletus, Episcopus Romanus: sed Irenæus, Eusebius, Epiphanius, Hieronymus Euaristum statuunt quartum, & Cletum & Anacletum, unũ & eundẽ esse volunt.

Eusebius lib. 3. cap. 30. Persecutio adversus Christianos non omninò cessat, quamvis fuerit lenior, ut ex epistolâ *Plinij* Secundi (qui erat proconsul Bithyniæ, & ex sorore nepos prioris Plinii) ad Imperatorem Trajanum, & rescripto ejusdem liquet: in quibus Christianorum illius temporis vitam, disciplinam & mores integerrimos conspicere licet, descriptos ab Ethnico, quem tamen, nescio quam sinistro commento, non tantum Christianum, sed & Martyrem fuisse scribit in suo Chronico Flavius Dexter. sed relinquamus nugatoribus suas fabulas, & videamus quid de hoc *Plinio* verè dixerit Tertullianus Apolog. cap. 2. & *Eusebius* hist. Eccles. lib. 3. c. 27. & in Chronico Eusebii Hiero-

Hieronymus, anno *Trajani* decimo: *Plinius secundus cum quandam Provinciam* (Pontum & Bithyniam) *regeret, & in magistratu suo plurimos Christianorum interfecisset, multitudine eorum perterritus, quæsivit de Trajano quid factu opus esset, nuncians ei præter obstinationem non sacrificandi, & antelucanos cœtus ad canendum Christo & Deo, nihil apud eos reperiri. Præterea ad confœderandam disciplinam vetari ab his homicidium, furtum, adulterium, fraudem, perfidiam & cætera scelera. Tunc Trajanus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere.*

Hoc *Trajani* rescriptum vehementer exagitat in suo Apologetico adversus Gentes *Tertullianus*: sed adducam potius ipsam *Plinij* epistolam ad *Trajanum*, ut ex Pagano cognoscamus mores veterum Christianorum. *Plinius* Secundus epist. lib. 10. epist. 97. *C. Plinius Trajano Imp. S. Solemne est mihi, Domine, omnia de quibus dubito ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nunquam, ideo nescio quid aut quatenus aut puniri soleat, aut quæri; nec mediocriter hæsi, sitne aliquod discrimen ætatum, an quamlibet teneri, nihil à robustioribus differant; deturne pœnitentiæ venia, an ei, qui Christianus fuit, desiisse non prosit: nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur. Interim in iis, qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum: Interrogavi ipsos an essent Christiani, confitentes iterum ac tertiò interrogavi, supplicium minatus, perseverantes duci jussi; neque enim dubitabam, qualecunque esset quod faterentur, pervicaciam certè & inflexibilem obstinationem debere puniri. fuerunt alij similis amentiæ, quos, quia cives Romani erant, annotavi in Vrbem remittendos: mox ipso tractu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negarunt se esse Christianos aut fuisse, cum præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent*, (dicebantur *libellatici*, qui pecuniâ judices corruperant, ne Diis sacrificarent: alii negabant Christum, & Diis gentium sacrificabant, qui dicebantur *Thurificati*) *præterea maledicerent Christo*: (qui dicebantur blasphemi, quos gentiles abjuratâ fide, convitia in Christum

stum conjicere compellebant:) *quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani. ergo dimittendos putavi. Alij ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt,& mox negaverunt: fuisse quidem, sed desiisse, quidam ante triennium &c. Omnes & imaginem tuam, Deorumque simulacra venerati sunt; ii & Christo maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpa sua, vel erroris: quod essent soliti stato die ante lucem convenire; carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem: seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium, quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secundum mandata tua* ἑταιρείας (id est, sodalium conventus) *esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ ministræ* (diaconissæ) *dicebantur, quid esset veri, & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam & immodicam; ideo dilata cognitione ad consulendum te decurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est, quæ videtur sisti & corrigi posse. Certè satis constat propè jam desolata templa cœpisse celebrari, & sacra solennia diu intermissa repeti; passimque venire victimas, quarum adbuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus.* Huic *Plinij* epistolæ hoc dat rescriptum *Trajanus. Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum qui Christiani ad te delati fuerunt, secutus es. neque in universum aliquid quod quasi certam formam habeat constitui potest. Conquirendi non sunt, si deferantur & arguantur puniendi sunt: ita tamen, ut qui negaverit se esse Christianum, idque re ipsâ manifestum fecerit, id est supplicando Diis nostris, quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentiâ impetret. Sine auctore vero propositi libelli nullo crimine, locum habere debent. Nam & pessimi exempli, nec nostri seculi est.*

Mitior Trajanus in Christianos quam quidam Christiani.

Hoc est illud Trajani Rescriptum, quod tam acriter impugnat Tertullianus Apologetici adversus gentes cap. 2. nam cum Trajanus

nus Plinio rescribit, puniri oportere eos qui in Christianâ religione persisterent, ita adversus hanc sententiam argutè disputat: O, inquit, *sententiam necessitate confusam! negat inquirendos esse innocentes, & mandat puniendos ut nocentes: Parcit & sævit: dissimulat & animadvertit. Quid te ipsum censurâ circumvenis? si damnas, cur non & inquiris? si non inquiris, cur non & absolvis?* &c.

Sed examinemus hanc Plinii Secundi ad Trajanum epistolam, & ex eâ audiamus summam confessionis prędictorum Christianorum hujus temporis, statim post obitum Ioannis Apostoli, & simul discamus genuinam & ingenuam Ecclesiæ primitivæ faciem ex docto gentili. Cum Apostoli jussu Angeli in Galilæam venissent, & ibidem Christum invenientes adorassent, postremis his verbis eos allocutus est: *Data est mihi omnis potestas & in cælo & in terrâ: Euntes ergo in universum mundum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, & prædicate Euangelium omni creaturæ, docentes eos servare, quæcunque præcepi vobis.* Jam vero docebit nos Plinius, homo paganus, in hac suâ epistolâ, quæ, & quomodo secundum mandatum Christi, gentes docuerint Christi & Apostolorum discipuli; hæc enim per minas & tormenta Plinio Secundo Proconsuli Christiani confessi sunt: *Quod essent soliti stato die ante lucem convenire: carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento, non in scelus aliquod obstringere; sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse: rursusque coëundi ad capiendum unà cibum, promiscuum tamen & innoxium: quod ipsum facere desiisse post edictum* (Plinii) *quo secundum mandatum* (Trajani) *ἑταιρείας esse vetuerat.* In primo capite confessionis hęc sese offerunt: *Quod Christiani suos haberent conventus: idque die statâ: atque hoc ante lucem.* Sermo hic est de conventibus sacris, quorum exemplâ etiam habemus in Apostolorum Actis, & apud Justinum in apologia pro Christianis ad Antoninum Pium Imperatorem. Admodum autem est verisimile, conventus hos indici solere per ministras vel ministros, à quibus tempus & locus significaretur: non certè ligni pulsatione, ut putat Amalarius de offic. Ecclesiast. cap. 21. Nam hoc non licuisset, nec hoc introductum est nisi post Constantinum

Magnum. Etsi vero quotidie *Act.* 2. dicantur convenire Christiani, tamen solemnes magis cœtus habuerunt statâ die, quæ erat Dominica: ut videre est ex Justini Apologiâ, ubi, ut melius à gentilibus intelligeretur, diem Solis appellat: primùm sabbatorum, more Hebręo, nuncupat Paulus: Dominicam diem vocat primitiva Ecclesia, idque præeunte Sancto Ioanne Apostolo Apocalypf. 1. 10. Addit Plinius hunc conventum fieri solere ante lucem: unde Tertullianus Apologet. cap. 2. & de coronâ militis cap. 3. appellat antelucanos Christianorum cœtus, & lib. 2. ad uxorem loquitur de convocationibus ad orandum nocturnis, idque metu persecutionis. Quod etiam sępè fiebat in cryptis seu specubus, & locis subterraneis, unde usus cereorum & lucernarum, quæ consuetudo postea etiam in multas Ecclesias ad hæc usque tempora permanavit, & etiam observatur interdiu, cum sacra peragunt: vel ob morem in primitivâ Ecclesiâ, cum noctu seu ante lucem convenirent, vel etiam quia Judæi & gentiles religionis caussâ, tam interdiu quam noctu, lucernas accendere solent. In lucis, id est sylvis opacis & tenebrosis, sua habebant sacella & idola pagani, in quibus multis luminibus ad cultum religionis amplificandum sacra fiebant. quod & hodie apud Indos fieri nautæ & Indicæ societatis Mercatores abundè testantur. In his fortè etiam, ut in multis aliis, secuti sunt mores Judęorum aut gentilium Christiani, ut per ceremoniarum similitudinem plurimos Christo lucrifacerent; *superstitione gentili in religionem conversâ*, inquit Baronius. Secundo confessionis capite etiam tria consideranda veniunt: *Quod carmen dixerint Christo, idque ut Deo: & quod illud dixerint secum invicem.* Per carmen intelligit cantum: & moris fuisse apud Christianos in primitivâ Ecclesiâ, Psalmis & Hymnis Deum colere, docent passim Patres, factumque id ex præcepto Pauli Coloss. 3. 16. *Verbum Christi*, inquit *inhabitet in vobis opulenter cum omni sapientiâ, docentes & commonentes vos invicem Psalmis, hymnis & cantionibus spiritualibus, cum gratiâ canentes in corde vestro Domino.* Psalmi autem continent quævis moralia, hymni tantum laudes Dei. Subdit Plinius *carmen Christo quasi Deo cecinisse.* Unde vides Christum judicio primorum Christianorum fuisse Deum. Eusebius lib. 5. cap. 25. hæc habet: *Denique quot Psalmi & cantiones*

ab

ab initio à fidelibus fratribus scripti, qui Christum verbum Dei, & Deum esse suo cantu celebrant. Antiquissima Patrum hæc fuit δοξολογία: Gloria Patri, Filio cum Spiritu Sancto, seu Spiritui Sancto, quod unum & idem esse volunt iidem Patres. Quod carmen seu hymnum *secum invicem* canerent Christiani, eò respicit, quod non solus caneret Sacerdos, sed alii quoque ex conventu. *Tertullianus Apologet. cap.* 39. postquam de Agape dixerat: *post aquam*, inquit, *manualem & lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere.* De usu Psalmorum in Ecclesiâ, sic loquitur prefatione in Psalmos B. Ambrosius: *Mulieres*, inquit, *Apostolus in Ecclesiâ tacere jubet: Psalmum etiam benè clamant: hic omni dulcis ætati, hic utrique aptus est sexui: hunc veterani tristes in cordis sui jucunditate respondent, hunc juvenes sine invidiâ lascivia cantant: hunc adolescentes sine lubrica ætatis periculo, & tentamento voluptatis concinunt: juvencula ipsa sine dispendio matronalis pudoris psallunt: puellula sine prolapsione verecundia, cum sobrietate gravitatis, hymnum Deo inflexa vocis suavitate modulantur: hunc tenera gestit pueritia, hunc meditari gaudet infantia, quæ alia declinat ediscere. Ludus quidam est ille doctrinæ majoris profectus, quam cum seria traditur disciplina. Quantum laboratur ut in Ecclesiâ fiat silentium? cum lectiones leguntur, si unus loquatur obstrepit universis; cum psalmus canitur, ipse sibi effector est silentii; omnes loquuntur, & nullus obstrepit. Psalmum reges sine potestatis supercilio resultant; in hoc se ministerio David gaudebat videri; Psalmis cantatur ab Imperatoribus, jubilatur à populis, certant clamare singuli, quod omnibus proficit* &c. Eodem ferè modo loquitur Augustinus epistolâ 119, ad Ianuarium, cap. 18. & 19. Tertium confessionis caput est bipartitum: *quod se sacramento* seu juramento *obstrinxerint Christo*, fortè per sacerdotem, *ne furtum, latrocinium, adulterium committerent, ne fidem fallerent, aut depositum abnegarent*: quę omnia comprehenduntur præceptis decalogi. Justinus in causâ simili, Apologiâ pro Christianis secundâ, hæc habet verba: *Præpositus verba facit exhortatoria, populum ad imitationem rerum honestarum invitans.* Et: *quotquot persuasi credunt hæc, quæ docemus, vera esse, & ad eum modum vivere pollicentur* &c. hoc idem est ad quod hic *sacramento se obstringunt*, seu fide spondent se ita victuros, ut fuerint quasi obligati

& fœdere inter se devincti ad actionem virtutis. Quartum caput est, quod post sacramentum illud, *potestas fuerit abeundi, & redeundi ad capiendum cibum promiscuum & innoxium.* Ergo hic non habuêre locum epulæ Thyesteæ, nec promiscui concubitus &c. quæ objiciebantur Christianis: sed hac occasione, quia Gnostici & Nicolaitæ impii hæretici, & titulo seu nomine tenus dicti Christiani, promiscuam hanc commixtionem amplectebantur. At vero redibant ad convivium illud charitatis, quod vocabatur Ἀγάπη, cujus meminit in epistolâ Apostolus Iudas, ubi, secundum Tertullianum in Apolog. *inopes refrigerio juvantur.* Hoc convivium apud alios claudebat, apud alios inchoabat Eucharistia, seu Cœna Dominica: & quamvis ejus disertè non meminerint in hac confessione dicti captivi, poterant illi fortasse non satis intellexisse religionem, à quâ deficiebant. Superest quintum confessionis caput, quo fatentur se hæc quondam quidem fecisse, *sed jam ea facere desiisse, propter Plinii edictum* ex mandato Trajani promulgatum; quo ἑταιρίαι, id est sodalium conventus vetabantur: ex quibus sæpè conspirationes & tumultus in populo oriuntur. Post hanc quorundam confessionem, Plinius, ut veritatem melius cognosceret, duas ministras seu diaconissas tormentis subjicit. Illarum usus erat in baptismo mulierum, tum etiam tempore persecutionis ad corroborandos & solandos miseros, pauperes, ægros, incarceratos: tertiò ad custodiendas portas templi, quibus egrederentur fœminæ. *sed nihil aliud inveni,* inquit Plinius, *quam superstitionem pravam & immodicam.* At religionis Christianæ ignarus Plinius, superstitionem illam vocat religionem, quæ manibus pedibusque omnem arcet superstitionem. sed in vitâ mali nihil repperit, quod damnaret; ergo vides morum innocentiam apud illius temporis Christianos singularem, quam si imitaremur, cessarent omnes nostri temporis lites, turbæ, pugnæ. Qui plura volet, videat commentarium Vossii in hanc Plinii epistolam.

A. C. 109. Symeon filius Cleophæ, consobrinus Domini, secundus Hierosolymorum Episcopus, annorum 120. gloriosâ pro Christi nominis confessione, crucis supplicio moritur. *Euseb. lib. 3. cap. 29. ex Egesippo.*

Vide

Vide eodem capite ejusdem *Egesippi* judicium de statu puro Ecclesiæ hujus temporis, & hæresibus ipsam Ecclesiam porrò turbantibus. *Ad ea usque tempora*, inquit, *virgo pura & immaculata aut incorrupta mansit Ecclesia iis, qui salutaris prædicationis sanum canonem corrumpere conati sunt; si tum aliqui fuerunt, in obscurâ aliquâ caligine ad id usque temporis delitescentibus. Postquam autem sacer Apostolorum chorus differentem sortitus est finem, & generatio illa præteriit, quæ divinam sapientiam ipsis auribus audire meruerat, tum impii erroris conspiratio, per seductionem illorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cœpit: qui etiam, quia nemo superstes erat ex Apostolis, jam nudo vertice contra veritatis prædicationem, falsi nominis scientiam ex adverso prædicare conati sunt.* Hactenus Egesippus. sed errat; nam & ipsi Apostoli diversas viderunt hæreses, & post eos secutæ sunt plures, quas dabimus post pauca Eusebii testimonia ex historia Ecclesiastica. Ex quibus discemus, quis sit ille sanus salutaris prædicationis canon, illa divina sapientia, illa veritatis prædicatio, & ex quibus haurienda. Lib. 3. Ecclesiasticæ historiæ cap. 22. hæc habet de canonicis Novi Testamenti libris: *Priore loco ponenda est sancta illa quadrijuga Euangelistarum scriptura, quam Apostolorum acta sequuntur. Post hæc subjungendæ sunt epistolæ Pauli, illis subjiciatur, quæ prior Ioannis esse fertur, similiter & quæ Petri est authentica, post has ordinetur apocalypsis Ioannis, quam & Iustinus Ioannis Apostoli esse testatur: Et hæc quidem scripta pro indubitatis habentur. Quibus vero contradicitur, tametsi multis sint cognita, sunt hæc: Epistola quæ Iacobo tribuitur, & epistola Iudæ, & posterior Petri, & altera cum tertiâ Ioannis &c. Inter adulterina seu notha censeantur Acta Pauli, & liber qui dictus Pastor &c. Adhæc apocalypsis Ioannis, si videtur, quam nonnulli, sicut dixi, reprobant, alii vero certis & indubitatis scripturis adjudicant. Iam vero & Euangelium quod ad Hebræos est, inter ista connumerant, quo potißimum delectantur hi, qui ex Hebræis Christum receperunt.* De hac epistolâ etiam dicitur dubitare Ecclesia Romana: sed vid. Eusebium lib. 3. cap. 24. lib. 6. cap. 13. & 24. Hieronymum ad Dardanum, Sulpitium Sacræ historiæ lib. 2. *His autem omnibus contradicitur*, inquit Eusebius & sic pergit: *Necessariò verò & horum catalogum fecimus, ut discernamus inter ea scripta, quæ secundum ecclesiasticam traditionem nec ficta*

Euseb. lib. 4. cap. 18.

nec dubia, sed vera sunt, & ea quæ præter ista, legitima quidem Novi Testamenti scripta non sunt, sed contradictionem patiuntur, & tamen à multis Ecclesiasticis leguntur, ut scire queamus & illa, quæ sub nomine Apostolorum, sive velut Petri, sive Thomæ, sive Matthiæ, vel aliorum præterea Euangelia &c. ab hæreticis proferuntur, quorum nullam uspiam vel Ecclesiasticæ functionis scriptor mentionem in commentariis suis facere dignatus est. Porrò & Phraseos character à consuetudine Apostolicâ variat, & ipsa sententia & propositum eorum, quæ in illis adferuntur, plurimum à veritate rectæ doctrinæ discrepant, & quod hæreticorum sint virorum commenta perspicuè convincunt. Quapropter ne quidem inter adulterina ponenda, sed tanquam omninò absurda & impia aversanda sunt.

Idem Eusebius lib. 3. cap. 10. refert ex Josepho lib. 1. contra Appionem in initio, Judæos tantum libros 22. Veteris Testamenti agnoscere, à quorum canone Christianorum canon diversus esse non potest; *Reipsa vero patet*, inquit preterea apud Eusebium Josephus, *quomodo nos scripturis nostris afficiamur. Cum enim tantum interea temporis sit elapsum, nemo tamen illis vel adjicere, vel adimere, vel mutare quicquam ausus fuit. Omnibus autem Iudæis ex primavâ ætate confestim hoc inseritur, ut arbitrentur hæc scripta, Dei esse dogmata, inque illis permaneant, ac pro illis cupidè, si ita necesse sit, moriantur.*

Vide etiam apud Eusebium lib. 4. cap. 25. Melitonis Episcopi Sardensis de libris Veteris Testamenti Canonicum testimonium, & plerosque antiquissimos patres, qui circiter annum 400 vixerunt, ut & synodum Laodicenam can. 59. Lib. 5. cap. 14. apud Eusebium veretur Apollinarius Hierapolitanus scribere contra Montanum hæreticum, *ne quibusdam Euangelii Novi Testamenti doctrinæ, scribendo aliquid superaddere videretur, cui nec adjici, nec adimi quicquam potest ab eo, qui vitam secundum Euangelium instituere cupit.*

Hegesippus lib. 4. cap. 21. apud Eusebium dicit se cum multis & variis Episcopis, cum Romam proficisceretur, collocutum, sed eandem apud omnes doctrinam deprehendisse. *In singulis autem successionibus & civitatibus ita se habet, sicut lex & Prophetæ & Dominus prædicant*, inquit.

Idem Eusebius cap. 18. lib. 5. ex Ireneo narrat Polycarpum (quem audiverat in Asiâ) cum iis versatum fuisse, qui Christum viderant,

&

& cum de virtutibus & doctrinâ Domini recensuisse cuncta consona S. S. Scripturæ. Contra eos, qui Sacras Scripturas vilipendunt, hæc verba reperies cap. 25. ejusdem libri. *Vel enim divinas Scripturas à Spiritu Sancto dictatas esse non credunt, & sunt infideles; vel seipsos putant Spiritu Sancto sapientiores, quâ re quid aliud faciunt, quam quod insaniunt.* Hactenus Eusebius.

Ipsis etiam Apostolorum temporibus, ut an. C. 99. diximus, à non unâ hæresi, Christianæ & Apostolicæ Ecclesiæ doctrina oppugnata est. Adeo ut hæresis antiqua sit, & veræ doctrinæ propè coæva. Simon Magus hæreticorum πατὴρ καὶ δημιουργὸς vixit tempore S. Petri, secundum Lucam in actis Apostolorum, & fundamenta jecit Gnosticorum. Hunc secuti sunt Menander, Saturninus, Basilides, & alii ejusdem discipuli, qui omnes tandem in unam Gnosticorum hæresin coäluerunt, receptis etiam in societatem Manichęis. quamvis autem antiqua sit hæresis, antiquior tamen est doctrina, a qua hæresis deflexit. Neque deflectere hęc ab illâ potuisset, nisi recepta jam illa fuisset, à quâ discessit. *Boxbornius.* Audiamus quęso Tertullianum lib. de præscript. adversus hæreticos, c. 29. declamantem. *Ante hæresis, quam vera doctrina est?* inquit. *sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit: post rem similitudo succedit. Cæterum satis ineptum, ut prior in doctrinâ hæresis habeatur; vel quoniam ipsa est, quæ futuras hæreses cavendas prænunciavit. Ad ejus doctrina Ecclesiam scriptum est, imò ipsa doctrina ad Ecclesiam scribit: Etsi Angelus de cœlo aliter Euangelizaverit, citra quam nos, anathema sit. Vbi tunc Marcion, Ponticus, Nauclerus, Stoicæ studiosus? ubi tunc Valentinus Platonicæ sectator? Nam constat illos, neque adeo olim, fuisse Antonini ferè principatu. & in Catholicam primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec sub Episcopatu Eleutheri benedicti, ob inquietam semper eorum curiositatem, quâ fratres quoque vitiabant, semel & iterum ejecti: Marcion quidem cum ducentis sestertiis suis, quæ Ecclesiæ intulerat, novissimè in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt. Postmodum Marcion pœnitentiam confessus, cum conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus, si cæteros quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est. Oportebat enim hæreses esse, nec tamen ideo bonum hæreses, quia esse eas oportebat:*

Act. cap. 8. *Euseb.* 2. *hist. eccles.* 12 *Sulpit. lib.* 2.

Ante Christiani quam Christus inventus?

bat. Quasi non & malum oportuerit esse: nam & Dominum tradi oportetebat, sed væ traditori: ne quis enim hinc hæreses defendat. Si Apellis stemma retractandum est, tam non vetus & ipse, quam Marcion institutor & præformator ejus? sed lapsus in fœminam desertor continentiæ Marcionensis, ab oculis sanctissimi magistri Alexandriam secessit. Inde post annos aliquot regressus non melior, nisi tantum quâ non jam Marcionites in alteram fœminam impegit, illam virginem Philomenem (quam supra edidimus) posteà verò immane prostibulum & ipsam, cujus energemate circumventus, quas ab ea didicit, Phanerosesis scripsit. Adhuc in seculo supersunt, qui meminerint eorum, etiam proprii discentes & successores ipsorum, ne se posteriores negare possint. Quanquam de operibus suis, ut dixit Dominus, revincuntur. Si enim Marcion Novum Testamentum à vetere separare non posset, nisi quod unitum fuit, unitum ergo ante quam separaretur, postea separatum, posteriorem ostendit separatorem. Item Valentinus aliter exponens, & sine dubio emendans, hoc omninò, quicquid emendat, ut mendosum retrò, alterius fuisse demonstrat. Hos ut insigniores, & frequentiores adulteros veritatis nominamus. Cæterum & Nigidius nescio quis, & Hermogenes, & multi alii qui adhuc ambulant, pervertentes vias Dei, ostendant mihi quâ auctoritate prodierunt. Si alium Deum prædicant, quomodo ejus Dei rebus & literis & nominibus utuntur, adversus quem prædicant? si eundem, quomodo aliter? Probent se novos Apostolos esse: dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum: sic enim Apostolos solet facere, dare præterea illis virtutem eadem signa edendi, quæ & ipse. Volo igitur virtutes eorum proferre, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, quâ Apostolos in perversum æmulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt. Sed ab excessu revertar ad principalitatem veritati, & posteritatem mendacitati deputandam, ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ bonum semen frumenti à Domino seminatum primò constituit, avenarum autem sterilis fœni adulterium ab inimico diabolo posteà superducit. Propriè enim doctrinarum distinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscien-

tiæ

tiâ competit ad defendendam sibi veritatem. Cæterum si quæ audent se interserere ætati Apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis tradita, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem & antecessorē. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert: sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum *ibidem. Perinde utiq; & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis post blasphemias inlicitum est? sed etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolicâ comparata, ex diversitate & contrarietate sua pronunciabit neq; Apostoli alicujus auctoris neque Apostolici: quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent: ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis didicerunt aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum præferant, ut multò posteriores, quæ denique quotidie instituuntur; tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreses ad utramque formam à nostris Ecclesiis provocatæ, probent se quaquâ Apostolicas. Sed adeo nec sunt; nec possunt probare quod non sunt: nec recipiuntur in pacem & in communicationem ab Ecclesiis quoquo modo Apostolicis: scilicet ob diversitatem Sacramenti, nullo modo Apostolicæ. Adhibeo super hæc ipsarum doctrinarum recognitionem, quæ tunc sub Apostolis fuerunt, ab iisdem Apostolis & demonstratæ & dejeratæ. Nam & sic facilius traducentur; dum aut jam tunc fuisse deprehenduntur, aut ex illis, quæ jam fuerunt, semina sumpsisse. Paulus in primâ ad Corinthios epistolâ notat negatores & dubitatores resurrectionis. Hæc opinio propria Sadducæorum; partem ejus usurpant Marcion & Apelles & Valentinus, & si qui alii resurrectionem carnis infringunt. Ad Galatos scribens invehitur in observatores & defensores circumcisionis & legis; Hebionis hæresis est. Timotheum instruens, nuptiarum quoque interdictores sugillat, ita instituunt Marcion & Apelles ejus secutor. Æquè tangit eos, qui dicerent factam jam resurrectionem; id de se Valentiniani*

T *asseve-*

asseverant. sed & dum genealogias indeterminatas nominat, Valentinus agnoscitur: apud quem Æon ille, nescio qui, novi & non unius nominis generat è suâ Charite Sensum & Veritatem: & hi aquè procreant duos, Sermonem & Vitam: dehinc & isti generant hominem & Ecclesiam; estque hæc prima ogdoas Æonum: exinde decem alii, & duodecim Æones reliqui, miris nominibus oriuntur in meram fabulam triginta Æonum. Idem Apostolus cum improbat elementis servientes, & aliquem Hermogenem ostendit, qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparat, & ita matrem elementorum Deam faciens, potest ei servire, quam Deo comparat. Ioannes vero in Apocalypsi idolothyta edentes & stupra committentes jubetur castigare. Sunt & nunc alii Nicolaitæ, Caiana hæresis dicitur. At in epistolâ eos maximè Antichristos vocat, qui Christum negarent in carne venisse, & qui non putarent Iesum esse Filium Dei; illud Marcion, hoc Hebion vindicavit. Simoniana autem Magiæ disciplinâ angelis serviens, utique & ipsa inter idololatrias deputabatur, & à Petro Apostolo in Simone damnabatur.

Hæc sunt, ut arbitror, genera doctrinarum adulterinarum, quæ sub Apostolis fuisse ab ipsis Apostolis discimus; & tamen nullam invenimus institutionem, inter tot diversitates perversitatum, quæ de Deo creatore universorum controversiam moverit. Nemo alterum Deum ausus est suspicari: facilius de filio quam de patre hæsitabatur; donec Marcion, præter creatorem, alium Deum solius bonitatis induceret. Apelles creatorem angelum, nescio quem, gloriosum superioris Dei, faceret Deum legis & Israelis, illum igneum affirmans: Valentinus Æonas suos spargeret, & unius vitium in originem deduceret Dei creatoris. His solis & his primis revelata est veritas divinitatis, majorem scilicet gratiam & pleniorem dignitatem à diabolo consecutis, qui Deum etiam sic voluit æmulari, ut de doctrinis venenorum, quod Dominus negavit, ipse faceret discipulos super magistrum. Eligant igitur sibi tempora universæ hæreses, quæ quando fuerint, dum non intersit quæ quando, dum de veritate non sint; utique quæ sub Apostolis non fuerunt, eas dicere fuisse non possunt. Si enim fuissent, nominarentur & ipsæ, ut & ipsæ coërcendæ. Quæ vero sub Apostolis fuerunt, in suâ nominatione damnantur. Si vero eadem aliquanto nunc expolitiores, quæ sub Apostolis rudes, habent exinde suam damnationem: sive alia quidem illa fuerunt, alia autem postea oborta sunt, & quasdam ex illis opinio-

opiniones usurparunt, habendo cum eis consortium prædicationis, habeant necesse est etiam consortium damnationis: præcedente illo fine supradicto posteritatis, quo etsi nihil de damnatitiis participarent, de ætate solum præjudicarentur, tanto magis adultera, quanto nec ab Apostolis nominatæ. Unde firmius constat has esse, quæ adhuc tunc nuntiabantur futuræ.

His definitionibus provocatæ à nobis & revictæ hæreses omnes, sive quæ postera, sive quæ coëtaneæ Apostolorum, dum modo diversæ: sive generaliter sive specialiter notatæ ab eis, dummodo prædamnatæ; audeant respondere & ipsæ aliquas præscriptiones ejusmodi adversus nostram disciplinam. Si enim negant veritatem ejus &c. Vide totum hunc librum, & præcipuè cap. 46. item Irenæum, Epiphanium, Augustinum, Theodoretum de hæresibus prolixè scribentes.

Ignatius Episcopus Antiochenus, Polycarpus Smyrnensis, & Papias Hierapolitanus synchroni fuerunt, Apostolorum discipuli. Ignatius è Syriâ Romam missus, propter confessionem Christi, factus est cibus bestiarum, ut ipse loquitur epist. ad Romanos. fuit hic post Evodium Antiochiæ Episcopus, *qui cum Apostolis ipsis multum versatus est*, ut inquit Socrates Histor. Eccles. lib. 6. c. 8, *Visionem vidit Angelorum, Sanctam Trinitatem hymnis alternâ vice decantatis collaudantium, & formam canendi, in eâ visione expressam, Ecclesiæ Antiochenæ tradidit: Unde illa traditio in omnibus Ecclesiis recepta est.* Miror unde hæc habeat Socrates, cum nihil eâ de re nec Irenæus, nec Eusebius dicant, qui tamen Ignatii cum laude meminerunt: & aliam antiphonarum & Psalmorum, qui in Ecclesiâ alternis canuntur, originem narret Theodoretus his verbis: *Verum admirabile hoc par Flavianus & Diodorus, sacerdotes, functionis jus nondum consecuti, cum populo versabantur, dieque ac noctu instigabant omnes ad pietatis fervorem. Hi primi in duas partes divisi, in cœtibus Psalmos accinentium instituerunt, alternis Davidicam melodiam decantare. Quod Antiochiæ fieri cœptum* (sub Constantio) *pervagatum usque quaque est, & ad fines orbis terrarum pervenit.* *lib. 2. cap. 24.*

His Joannes Chrysostomus, Episcopus Constantinopolitanus, occasione Arrianorum, hymnos noctu alternatim canentium, quædam cantica in laudem sanctissimæ Trinitatis addidit. In Ecclesia Mediolanensi *hymni & Psalmi ut canerentur secundum morem partium* *Socrat. lib. 6. c. 8. Sozom. l. 8. c. 8.*

Orientalium, ne populus mæroris tædio contabeſceret, cum Iuſtina Arriana Valentiniani Imperatoris mater Ambroſium perſequeretur inſtitutum eſt, ut loquitur Auguſtinus in confeſſionum lib. 9. c. 7 *& ex illo in hodiernum detentum, multis jam, ac pœnè gregibus tuis, & per cæteras orbis partes invitantibus.* In Eccleſiâ vero Romanâ ſcribit Platina, Pontificem Damaſum ad annum ferè 396. inſtituiſſe *ut Pſalmi alternis vicibus in Eccleſiâ canerentur, in fineque eorum hæc verba ponerentur: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto &c.* Idem docet Genebrardus in Liturgiâ cap. 20, ex Sigeberto & Rudolpho Tangienſi. huic Damaſi inſtitutioni multa addidit Gregorius Magnus, de quibus in ejuſdem vitâ. Gregorius Turonenſis narrat apud Gallos Injurioſum. 15 Epiſcopum Turonenſem, hujus officii ſaltem ex parte auctorem exſtitiſſe: ſic enim refert Hiſtoriarum lib. 10. *Hic inſtituit tertiam & ſextam in Eccleſiâ dici, quod modò Dei nomine perſeverat.* Sed tunc temporis iſtę preces in Galliarum Eccleſiis admodum variè celebrabantur, ad lubitum nempe Prę ſulum cujuſlibet diœceſis: ſępè etiam paſtorum uniuſcujuſque Parochiæ: donec Zacchariâ Papâ poſtulante & Carolo Magno Imperante, quemadmodum patet in Capitulariis, officia Romana per Gallias ad annum ferè 796. admiſſa ſunt, refragantibus licet Epiſcopis, qui ſua jura, feſta, ritus, intacta atque inviolata ſervare contendebant. Unde cum ab ipſis obtineri non potuiſſet, ut in univerſum officia Romana reciperent, conceſſum eſt, ut unuſquiſque Epiſcopus in ſuâ diœceſi peculiaria quædam retineret & obſervaret: unde divinorum Officiorum maxima diverſitas apud Gallos ad hæc uſque tempora permanſit ac perdurat. *Caſſander* vir priſcæ antiquitatis peritiſſimus.

Epiſtolas ſeptem Ignatius nobis reliquit, quarum primus meminit Polycarpus in ſuâ epiſtolâ ad Philippenſes, poſt eum Irenęus adverſus hæreſes lib. 5. ſub finem: tum Origines homiliâ 6. in Lucam; ſed Euſebius lib. 3. c. 22. & 23. & Hieronymus in catalogo ſcriptor. Eccleſiaſticorum, numerum epiſtolarum, & earum inſcriptiones nobis tradiderunt: ſunt autem apud eos genuinæ numero ſeptem tantum. Prima ad Smyrnęos, 2. ad Polycarpum, 3. ad Epheſios, 4. ad Magneſios, 5. ad Philadelphios, 6. ad Trallianos, 7. ad Romanos: ſed neſcio, quo malo (inter Eccleſiaſticos homines olim & pridem familiari,

miliari,quo veterũ scriptis addere aut adimere,quę volebãt,consueverunt) plurimũ accreverit numerus epistolarũ illarum; eas asscriptas hodie vocãt,reliquas interpolatas,corruptas,adulteratas appellãt.

Baronius Epistolas Ignatii duodecim admittit, quarum quinque primus meminit Damascenus, qui vixit an. C. 700. & doctioribus Ignatio asscriptæ censentur. de his duodecim ita Baronius: *post tot tantaque scripturarum naufragia, divino planè consilio ad postremam ætatem incorrupta ac integra servata sunt.* Vocat eas *promptuarium traditionum, quæ ad Ecclesiæ ritus, mores & disciplinam spectant* &c. sed ego, me herclè, in genuinis reperio oppidò paucas, asscriptæ & interpolatę nullius sunt auctoritatis. Vide Usserium Armachanum in epist. Polycarpi & Ignatii cap. 3. & 5. *Incorruptas, integras, & numeratas esse S. Ignatii epistolas, magnâ inprimis Dei providentiâ factum* asserit Baronius: *cum tamen, qui ab ejus se vestigiis ægrè divelli patiatur, Martialis Mastræus, eas ab hæreticis & à Græculis posterioribus alicubi interpolatas & depravatas fuisse, sine omni circuitione profiteri nihil dubitaverit.* Verba sunt Jacobi Usserii. Errores etiam vidit in ejusdem Ignatii epistolis Bellarminus; imo quidam inter scripta apocrypha eas referre conati sunt. Nam ita sunt auctæ numerò, ita interpolatę spuriis; ita assutæ falsis, ut sibi non sint similes. Pauci antehac viderunt illud discrimen inter genuinas, asscriptas & interpolatas sanctissimi Martyris epistolas, quod jam manifestè apparet, operâ Jacobi Usserii, & Isaaci Vossii, qui se genuinas ex bibliothecâ Medicæa producere affirmat, & antiquorum testimoniis, & veteri versioni Usserii congruentes, unâ ad Philippenses exceptâ, *quam neque vetus versio agnovit, neque fortasse codex Florentinus*, ut inquit Vossius. Vide Henricum Hammondum S. S. Theologiæ Professorem & Presbyterum Anglicanum; anno 1651. Londini impressum pro Ignatio contra Cl. Salmasium & D. Blondellum (ut ante meminimus) animosè decertantem. Incorruptas & integras, ut diximus, vocat Ignatii epistolas Baronius, quando ex iis elicere conatur Ecclesiæ traditiones; si verò quid opinioni ipsius adversari contingit, sui immemor, quas modò incorruptas dixit, modò depravatas appellat. Apud Ignatii interpolatorem, in epistolâ ad Philadelphenses, hæc

inveniuntur verba. *Non detraho autem cæteris beatis, qui nuptiis copulati fuerunt, quorum nunc memini. Opto enim Deo dignus ad vestigia eorum in regno ejus inveniri: sicut Abraham & Isaac & Iacob, sicut Ioseph & Isaias & cæteri Prophetæ, sicut Petrus & Paulus & reliqui Apostoli, qui nuptiis fuerunt sociati; qui non libidinis caussâ, sed posteritatis subrogandæ gratiâ conjuges habuerunt.* Baronius ad annum 57. in hæc verba de Paulo, ubi aliquot exemplaria nunquam à se visa produxit, inquit: *Novatores ut quoquo modo suæ ipsorum incontinentiæ Paulum cogant astipulari, depravatâ Ignatii martyris epistolâ ad Philadelphios, inter eos quos ille recenset fuisse conjugio obligatos, post Petrum addiderunt Paulum & alios Apostolos. sed perfacilis est ejusmodi strophæ atque figmenti detectio. Qui enim antiquiores vel Græcos vel Latinos codices pervestigant, quorum alii in bibliothecâ Vaticanâ & Sfortianâ, alii alibi hic Romæ sunt, additum esse nomen intelligent. At non tantum nostrates codices vetustiores ab omni imposturâ liberi id apertè demonstrant, sed & peregrini, in quos tamen nulla pravitatis labes irrepsit: at ille, venerandâ antiquitate nobilis, qui asservatur in amplissimâ bibliothecâ invictissimi Regis Pannoniarum Matthiæ Corvini: haud dubium quod & alii omnes, eodem tempore æquales, eandem germanam contineant lectionem. Non negamus in quibusdam Græcis codicibus, sed haud antiquitate cum aliis conferendis, additum legi Paulum, sed sine dubio ab illis Græcis recens exscriptis, qui quod uxores retineant cum sacerdotio, Paulum in defensionem suæ ipsorum incontinentiæ velint habere consortem. Deinde,* inquit Usserius de Baronio, *quasi re præclarè admodum gestâ, hoc attexit quasi epinicium: Atqui appello judicium omnium rectè sentientium: quibusnam major est adhibenda fides, antiquioribus an recentioribus exemplaribus?* Ad hæc ita respondet Jacobus Usserius Armachanus: *Atqui ego appello judicium omnium, qui Baronium norunt: quantum illi tribuendum sit in manuscriptis Græcis censendis; propè etiam dixerim, vel legendis. imo conscientiam appello omnium, qui vel micam judicij relictam habent, an non omnibus ille ludibrium debeat, qui de exemplaribus manuscriptis, quæ neq; conspexit unquã ipse, neque de quibus vel fando inaudierat, tam confidenter pronunciat recentiora esse codicibus ab eo commemoratis, in quibus Pauli nomen inter conjugatos negat comparuisse. Et quomodo ille nobis fidem faciet, Hungaricum, verbi gratia, codicẽ* venerandâ antiquitate nobilem, *quem* asservari in amplissimâ bibliothecâ in-

victissimi

victissimi Regis Pannoniarum Matthiæ Corvini *suaviter somniavit (ac si adhuc ille in Budensi Matthia regis bibliothecâ reperiri posset, ante tot annos à Turca direptâ) antiquiorem fuisse* antiquissimo Ferdinandi Augusti, sive Augustanæ bibliothecæ codice, *ex quo Græcam Ignatij editionem (quæ Pauli nomen hic habet) primum fuisse evulgatum, confirmat in præfatione latina suæ interpretationis Hieronymus Vrlatnius? Et adhuc ulterius longè progressus, utcunque in illis ipsis Romanis codicibus, quos & vetustiores,* & ab omni imposturâ liberos *commendat, ut Pauli tantum nomen absuisse doceat: Thrasonicâ tamen nescio quâ fiduciâ fretus affirmare audet*, Novatores *inter eos, quos Ignatius recenset fuisse conjugio obligatos, post Petrum addidisse* Paulum & alios Apostolos. Et paulo post pergit Usserius: *sed quid pluribus hic opus? cum negare non possit ipsa impudentia, tum in aliis vetustis Latinis exemplaribus, quæ in bibliothecis extant, tum in iis, ex quibus vulgatæ editiones expressæ sunt, quas in ipso Papatu excusas nobis dederunt, Faber Stapulensis, Iudocus Clichtoveus & Symphorianus Champerius; non alios modo Apostolos, sed etiam Paulum ipsum inter conjugatos recenseri.* His addit Usserius exemplar vetustissimum Alexandri Petavii, Senatoris Parisiensis, & alterum antiquum in publicâ Balionensis Collegii apud Oxonienses bibliothecâ repositum, in quibus Pauli, & reliquorum Apostolorum vocabula, clarè exhibentur, & Eusebius histor. eccles. lib. 3. cap. 27. ex Clemente Alexandrino hæc habet: *Clemens vero cujus verba jam legimus, post prædicta propter ipsos, qui nuptias reprobabant, eos ex Apostolis, qui in conjugiis fuissent probantur, recenset, dicens: An etiam Apostolos reprobant? Petrus enim & Philippus filios procrearunt: Philippus etiam filias suas viris nuptum dedit. Et Paulus non detrectat in epistola quadam, salutare conjugem suam, quam non circumduxit, ut ad ministerium expeditior esset.* Sed benè rejicit Baronius auctoritatem epistolæ depravatæ aut interpolatæ ad Philadelphenses, nam genuina controversa illa verba non habet. Et quamvis Paulum inter conjugatos etiam numerat Clemens Alexand. seductus tamen mihi videtur, incerto Pauli ad Philippenses loco, nam vox συζυγος significat quidem uxorem, sed etiam συνεργόν, collegam, sociam. Quare nihil certi habet locus Pauli 1 Cor. 9. vers. 5. præsertim cum di-

Clemens Strom. 3.
Philip. 4. 3.
1 Cor. 9. 5.

cat

cat idem eadem epistolâ cap. 7. v. 7. *Volo omnes homines esse, sicut meipsum.* Et v. 8. *dico non nuptis & viduis, bonum est, ut sic maneant sicut & ego.* quod idem monet Usserius.

Ego,ut paucis dicam,non possum satis mirari magni illius viri Baronii incogitantiam,tum quod tanto cum imperio de multis non visis Ignatii exemplaribus judicet, tum quod tantâ animi impotentiâ tam Græcos, quam alios in Europâ Christianos incontinentiæ accuset. Quid respondebunt Græci? Universo orbi notum esse, omnes ἀγάμυς & μισογάμυς apud Italos, & ipsos Romanos, non esse μισογύνας, ne quid gravius dicant de illis, apud quos *multa fiunt, quæ nec illis ipsis possunt placere, qui faciunt*, ut loquitur B. Cyprianus epist. ad Donatum. Ego illis mallem dare consilium, quod olim Romanis suis, licet alio intuitu, Metellus Numidicus, in oratione quam censor habuit, dedit: *Si sine uxore*, inquit, *possemus Quirites esse, omnes eâ molestiâ careremus; sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commodè, nec sine illis ullo modo vivi posit, saluti perpetuæ potius, quam brevi voluptati consulendum.* Ideo benè cum S. Paulo Lactantius: *Quisquis illos affectus frænare non potest, cohibeat intra præceptum legitimi tori.* Nam *honorabile est inter omnes conjugium & cubile impollutum: scortatores autem & adulteros judicabit Deus.* Heb. 13.3. Clemens Alexand. Strom. lib. 3. ad locum Pauli 1 Cor. 7. 7. *Quid vero*, inquit, *an non licet etiam eis, qui ex Deo placent uxori, Deo gratias agere? annon permittitur etiam ei, qui uxorem duxit, unà cum conjugio etiam sollicitum esse de iis quæ sunt Domini? sed quemadmodum quæ non nupsit sollicita est de iis, quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu: ita etiam quæ nupsit & de iis, quæ sunt mariti, & de iis quæ sunt Domini, est in Domino sollicita, ut sit sancta corpore & spiritu. Ambæ enim sunt sanctæ in Domino, hæc quidem ut uxor; illa vero ut virgo.*

Jam in nostram doctrinam pia aliquot dogmata ex epistolis sanctissimi martyris excerpere liceat; hæc habet epistolâ ad Trallianos: *Obsurdescite igitur, quando vobis sine Iesu Christo loquitur quis: qui ex genere David, qui ex Mariâ, qui verè natus est, comedit & bibit; verè persecutionem passus est sub Pontio Pilato, verè crucifixus & mortuus est, aspicientibus cœlestibus, terrestribus & infernalibus: qui & verè resurrexit à mortuis, resuscitante ipsum Patre ipsius: qui & secundum similitudinem*

tudinem nos credentes ipse sic resuscitabit Pater ipsius in Christo Iesu: sine quo verum vivere non habemus. Ibidem: *Deprecor igitur vos (non ego, sed charitas Iesu Christi) solo Christiano alimento utimini: ab alienâ herbâ recedite, quæ est hæresis,* &c. Ad Philadelphenses: *Mihi autem principium est Iesus Christus: in approximabilia principia, crux ipsius, & mors & resurrectio ipsius, & fides quæ per ipsum,* &c. Ad Ephesios: *Fides autem vestra, Dux vester: charitas autem via referens in Deum, secundum omnia ornati in mandatis Iesu Christi* Ibidem: *Quorum nullum vos latet, si perfectè in Iesum Christum habeatis fidem & charitatē, quæ sunt principium vitæ & finis: principium quidem fides, finis vero charitas: hæc autem duo in unitate facta Deus est: alia vero omnia in bonitate sequēda sunt.* Ad Smyrnenses: *Totum enim sunt fides & charitas, quibus nihil præpositum est* &c. Traditiones, quas tantoperè jactat in Ignatii epist. Baronius, paucissimæ sunt, & à ritibus ac disciplinâ Ecclesiæ Romanæ hodiernæ ferè differentes. Ad Philadelphenses: *Studete igitur unâ gratiarum actione uti: una enim est caro Domini nostri Iesu Christi, & unus calix in unionē sanguinis ipsius, unū altare, & unus Episcopus cum presbyterio* &c. Agit Ignatius de Eucharistiâ sub utraque specie, ut loquuntur, cum in Ecclesiâ Romanâ tantum usurpetur sub unâ. Ad Magnesios: *Non amplius sabbatizantes, sed secundum Dominicam viventes*; quæ institutio etiam apparet in epistolis Pauli & Apocalypsi Ioannis. Ad Smyrnenses. *Omnes Episcopum sequimini, ut Iesus Christus Patrem: & Presbyterium, ut Apostolos* &c. ad Ephesios: *Episcopum igitur ut Dominum oportet respicere. Ipse quidem Onesimus superlaudat vestram divinam ordinationem, quoniam omnes secundum veritatem vivitis, & quoniam in vobis neque una hæresis habitat; sed neque auditis aliquem amplius quam Iesum Christum, loquentem in veritate.* Plurimum, mehercle, differunt hæ sententiæ Ignatii à doctrinâ Baronii, ne dicam Gregorii septimi. Ignatius singularum Ecclesiarum Episcopis & Presbyteris tantam tribuit auctoritatem, quantam soli Episcopo Romano Baronius, ita ut plurimum hic derogetur veritati dictatuum Gregorii septimi, Pontificis maximi. Cum Ignatio eodem ferè modo loquitur in suâ epistolâ ad Philippenses Polycarpus: *Subjecti estote,* inquit, *Presbyteris & Diaconis, sicut Deo & Christo.* Ascribitur hic unicuique Episcopo & Presbytero summa in suos greges auctoritas, ut major excogitari

non possit: Cyprianus idem pluries innuit, & inter cętera in epistolâ 55. ad Cornelium. *Singulis*, inquit, *pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Deo redditurus.*

A. C. 111. Hoc anno diro terræ motu concutitur Antiochia, cum ventis insolitis, fulminibus, mari cum turbine fervescente, & summâ caligine, ita ut omnia fuerint rupta, collisa, convulsa, prostrata, imo nihil non calamitatis ac miseriæ sustinuerit Antiochia. *Dio in Trajano.*

A. C. 112. Moritur martyrio Anacletus, succedit Evaristus, Episcopus Romanus. Qui titulos in urbe Româ Præsbyteris distribuit, & septem Diaconos in ordinem redegit, & plebis accusationem in Episcopum recipi noluit. *Platina ex Damaso.*

Papias Hierapolitanus Episcopus, Polycarpus Smyrnęus, & Ignatius Antiochenus Ioannis Apostoli insignes fuerunt auditores, ut loquitur Chronic. lib. 2, Eusebius. Papias vero, ut idem lib. 3. cap. 36. Eccles. historiæ, *tanquam ex vivâ traditione ad se relatâ, & peregrinas quasdam Servatoris parabolas, & doctrinas cum aliis nonnullis fabulosis adjicit, in quibus etiam millenarios quosdam annorum post resurrectionem mortuorum futuros dicit, in quibus regnum Christi in hac terrâ corporaliter consistere debeat, quæ illum ex eo suspicatum esse puto, quod Apostolicas disputationes non rectè acceperit, nec quæ ab illis per hypodigmata dicta sunt, ritè consideraverit, eo quod admodum modico esset judicio præditus, sicut ex ejus libris indicium capi potest. Attamen quam plurimis post se Ecclesiasticis viris ejusdem erroris caussam dedit, qui ad antiquitatem ipsius respexerunt, utpote Irenæo, & si quis alius consimilia sensisse deprehenditur.* His adde Justinum, Tertullianum, Lactantium, &c.

A. C. 118. (margin, beside "quitur Chronic.")

Apocal. 20. (margin, beside "mortuorum futuros")

Euseb. lib. 3 *c.* 25. Ante Papiam Cerinthus hęreticus, inquit Eusebius, *per revelationes, velut à magno Apostolo scriptas, portentosa quædam nobis, quasi per Angelos sibi ostensa mentitus, attulit, regnum Christi post resurrectionem terrenum futurum, & carnem nostram denuo Hierosolymis concupiscentiis ac voluptatibus carnis servituram dicens.* Anno Christi 411 denuo quidam prodierunt Chiliastæ, & inter eos Sulpitius Severus, vir genere & doctrinâ nobilis, ut videre est in dialogo, cui Gallo nomen, ut inquit Hieronymus in Esaiæ cap. 36. quem vide de Chiliastis in cap. 47. ejusdem Esaiæ & cap. 19. Matth. & in præf. l. 18. in Ezech.

Ezech. Post Dionysium Alexandrinum apud Eusebium lib. 7. cap. 22. & 23. an. C. 263. eos refutarunt Greg. Nazianzenus & Basilius, dum eam Apollinaris sententiam ut ridiculam, & sacro Euangelio adversantem, rejicit in epistol. 74. ad Occidentales. *Denique opinio hæc uti pugnat cum communi sensu Christianorum*, inquit celeberrimus Voetius disput. Theolog. parte 2, *& communi consensu doctorum antiquorum & recentiorum, ita nimis convenit cum somniis Iudaicis, Mahumedicis & Cerinthianis. De sensu fidelium constat ex S. Literis, Symbolis, conciliis, confessionibus, catechesibus, & piorum omnium, inprimis Martyrum, praxi. Nusquam videas in Scripturâ, in Symbolis, in scriptis Patrum, in Actis Martyrum, in libellis Practicis, in adhortationibus ad Martyres, consolationem hanc ex pace regni millenarii, aut peculiari resurrectione Martyrum, adversus persecutiones, tormenta, mortem inculcari, aut à fidelibus prætendi. Quin contra videmus tanquam fabulas perstringi ab Augustino lib. de Civt. Dei l. 20. c. 7. & lib. de hæres. c. 8. Hieronymo locis propè infinitis, Theodoreto*, &c. *Recentiores commentatores in Apocalypsin, qui mihi quidem noti sunt, Protestantes uno ore hanc fabulam rejiciunt.* Vide de regno mille annorum, aut de prosperitate Ecclesiæ tractatum Mosis Amyraldi & Petri de Launay Gallicè conscriptos, & Anonymi de regno Ecclesiæ glorioso Latinè.

Eusebius ex Irenęo refert Papiam fuisse Ioannis auditorem, & Polycarpi sodalem. *Ipse vero Papias*, inquit Eusebius l. 3. c. 36. *in proœmio librorum suorum, haudquaquam Apostolos se audivisse aut vidisse significat, sed ea quæ fidei sunt ab eorum familiaribus didicisse, his verbis: non detrectabo ea, quæ aliquando à senioribus didici, cum explicationibus eorundem contexere, certus de illorum veritate. Non enim, ut vulgus hominum, iis qui multa dicunt, sed qui vera docent, oblector: Neque his, qui aliena & nova præcepta, sed his, qui quæ à Domino fidei tradita, & ab ipsâ veritate profecta sunt adferunt: si quis Senior aut Presbyter mihi fortè occurrebat, qui cum Apostolis conversatus esset, dicta Apostolorum ab eo diligenter sciscitabar, quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus & cæteri Apostoli & discipuli Domini dixerunt. Cogitabam enim me non tantum utilitatis ex libris, quantum ex vivâ & permanente voce relaturum* &c.

Moritur Trajanus, sub quo limites Imperii Romani latissimè, in A. C. 119.
Oriente ad Tigrim fluvium, in Occidente trans Danubium fuêre

V 2 extensi;

extensi; sed ut postea videbimus, brevi mole ruet suâ. Succedit Adrianus in Imperio & persequendis Christianis, ut à Nerva Trajanus, sic à Trajano adoptatus: Vir ingenio varius, tam ad virtutes quam vitia factus.

A. C. 121. Evaristus moritur martyr, succedit Alexander Episcopus Romanus. Hic instituit ut aqua, quam sanctam appellamus, sale admixta, interpositis orationibus, & in templis & in cubiculis ad fugandos dæmones retineretur. Voluit quoque aquam admisceri vino in consecratione, quo significatur Christum Ecclesiæ conjunctum esse: mandavit quoque oblationem ex azymo fieri, non ex fermentato, ut antea consuetum erat. *Platina & Onuphrius, recentes scriptores.*

Templi urbisque Hierosolymitanæ vix vestigia restabant, cum Hadrianus Cæsar, multis post Titum annis, in eodem solo Æliam suam, & pro templo veri numinis, quoddam exstruxit templum Iovis Capitolini. Ad hoc in fronte portæ, quâ Bethlemum iter erat, suem posuit marmori insculptam, ut Iudæos malè ureret intuitu exosissimi animalis. Hoc memoriæ proditum est ab eruditissimo Eusebio. lib. 4. cap. 6. *Cunæus* de Rep. Hebr. *Quæ res Iudæorum animos ita commovit, ut ad arma conversi, atrocius quam unquam aliàs bellum concitarint, duce Barchocheba, qui se Meßiam esse jactabat, & latrociniis potius quam bello rem gerebat. Contra quos Adrianus cum alios belli peritos Imperatores, tum Iulium Severum è Britanniis accivit, à quo paulatim oppreßi Iudæi & internecione deleti sunt. Cæsa Iudæorum eo bello quingenta octoginta millia, Dio scribit, præter innumerabilem multitudinem, quam fames, morbus, aut incendium absumpsit: adeo ut Palæstina penè ad solitudinem redacta sit. Ex illo tempore Hierosolymam adire Iudæis sub pœnâ mortis vetitum est; nisi quod uno quotannis die, quo Jerosolyma à Tito diruta fuit, lugendi gratiâ adire concessum est.* Petavius. Hunc ingressum magno redimi solitum à Iudæis, testis est Hieronymi locus egregius in cap. 2. Sophoniæ: sic pretium persolvebant Iudæi, ut tristes urbis suæ ruinas conspicerent non sine lacrymis: nec hoc aliter suo tempore Iudæis licuisse testatur Hieronymus ibidem. *Non vexavit eos Nabuchodonozor, neque Titus, sicut Adrianus Cæsar.* verba sunt Salmanticensis, *Belli hujus finis fuit.* A. C. 137.

Spartian. Dio Xiphil. Euseb.

Eusebius Histor. Eccles. lib. 4. cap. 5. refert se ex scriptis quibusdam accepisse, quindecim fuisse Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopos, usque ad vastationem Iudæorum ab Imperatore Hadriano factam; eosque omnes fuisse origine Hebræos, sed religione Christianos,

ſtianos, & brevi tempore vixiſſe. Hic *non improbabili conjecturâ*, cujus paullò ante meminimus, ſtatuit Henricus Hammond, verbis ejuſdem loquor, *ut etiam alibi, ſic & Hieroſolymis, poſt excidii ſaltem ſub Tito tempora, Gentilibus jam tum non paucis civitatem occupantibus, & ad fidem demum Chriſti converſis, ſuum à Iudais diſterminatum fuiſſe cætum, cui licet ad Marci illius tempora Hebræi Epiſcopi præſiderent (eodem planè exemplo, quo & Paulus Hebraus ipſe ex Hebræis, Romæ, Antiochiæ, Corinthi, Epheſi, Gentiles ad fidem à ſe vocatos aliquandiu gubernabat, & quo Timotheus, circumciſus & ipſe, Gentilibus Epheſinis præponebatur) poterant tamen fideles Hebræi, ut aliis multis, ſic & ipſâ, quâ utebantur, linguâ ab alienigenis diſjuncti, præſertim cum ab ipſis Helleniſtis, id eſt, Græcè loquentibus Iudaïs quadantenus diviſi eſſent,* Act. 6. 1. *ſuum etiam cœtum ſeparatum, atque à Gentium fidelibus diſtinctum, ſub Epiſcopo ſuo uſque ſervare. Quâ in re conjecturæ noſtræ,* ſic pergit Hammond, *ſuffragium ſuum tuliſſe* Hugonem Grotium τὸν πάνυ, *ex annotationibus poſthumis ad* Apocal. 9. 3. *nuper editis gratulor; ſic enim ille de duobus teſtibus: Duo Chriſtianorum genera ex multitudine Æliam deducta exſtiterunt, ex Iudaïs orta & alienigenis. Qui cum diverſâ linguâ loquerentur, Iudæi Hebraicâ, alienigenæ Græcâ, neceſſariò & duos fecere conventus ſive Eccleſias. Hi duo illi conventus (putarim potius Epiſcopi horum conventuum) vocantur teſtes duo, quia illuſtre Deo teſtimonium præbebant. Et quia facti ex Iudaïs Chriſtiani, opponebant ſe aliorum Iudæorum vitiis, ſicut olim Moſes fecerat, ideo Moſi comparantur, & quia vocati ex Gentibus, idololatriam oppugnabant, ideo Eliæ comparantur, qui Idololatriam & olim deſtruxerat. Tempus autem & hic expreſſum terminatur in principio motus Iudaici, qui fuit ſub Adriano. Atque inde futurum erit, ut quindecim iſti à Chriſto ad Adrianeum excidium Epiſcopi, non in uno Iudæorum omnes, ſed diviſim, alii in Iudæorum, alii in Gentilium cœtu aut Eccleſiâ (id eſt in cathedrâ non unâ ſed geminâ) præſederint. Neque nobis opus erit, ut ad Euſebii βραχυβιότητα, aut ad perpetuam D. Blondelli ſeniorum præſidentiam confugiamus. Iudicent viri Docti.* Hactenus Henr. Hammond, diſſert. 5. c. 1.

Alexander Epiſcopus Romanus Martyrio moritur, Extant ejus acta, inquit Baronius, ſed quod in multis aliis accidit, nimiâ antiquitate mendoſa, Succedit Sixtus. A. C. 132.

Jejunii quadrageſimalis inſtitutionem Sixto tribuit Baronius,

 cam-

eamque probare conatur ex epistolâ Ignatii ad Philippenses esse traditionem Apostolicam: sed nescire vult vir Illustrissimus eam sancto Martyri perperam adscriptam, ut & illum locum Augustini epist. 86. ad Casulanum: *Ego in Euangelicis & Apostolicis literis, totoque instrumento, quod vocant Novum Testamentum, animo id revolvens, video praceptum esse jejunium; quibus autem diebus oporteat jejunare, & quibus non oporteat, pracepto Domini & Apostolorum non invenio definitum.* Et hæc ejusdem verba epist. 119. ad Januarium: *Quod scripsisti quosdam fratres ita temperare se à carnibus edendis, ut immundos qui comederint arbitrentur, apertissimè contra fidem sacramque doctrinam est.* Et tamen sic loquitur B. Hieronymus epist. ad Marcellam contra Montanistas: *Quare nos unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno tempore nobis congruo jejunamus*, &c. sed cum illius observationis non inveniatur certa probatio, ab Ecclesiâ institutam quadragesimam vult Maldonatus.

Apud primitivæ Ecclesiæ patres sæpenumero fit mentio Jejunii Paschalis, quod observatum est diversimodè in diversis Ecclesiis. Τεσσαρακοστῆς apud Græcos prima fit mentio concilii Nicæni can. 5. quæ est apud Originem homil. 10. in Levit. fortè est Ruffini, nam ibidem Origines *Christiano libertatem jejunii concedit, observantiæ superstitionem rejicit.* vide locum. sed inter Latinos Patres quadragesimę nemo, quod sciam, meminit ante S. Ambrosium, qui vixit an. C. 380. Diversitatem illius jejunii prioribus fuisse seculis nos docet Irenæus apud Eusebium lib. 5. cap. 23. epist. ad Victorem Papam, qui vixit an. 194. *Alii sibi unum diem esse jejunandum putant, alii duos, alii plures, alii quadraginta horas diurnas & nocturnas, computantes diem suum. Et ista jejunantium varietas non nostro demum tempore, sed multò antea apud eos cœpit, qui ante nos præter accuratam diligentiam, ut verisimile est, rerum habenis potiti, simplicem & vulgatam consuetudinem posthabuerunt ac mutarunt, nihilominus pacem retinuerunt, & retinemus etiamnum, & dissonantia illa jejunii fidei concordiam commendat.* &c. Idem docet Socrates historicus, qui vixit in initio quinti seculi, & hæc habet lib. 5. cap. 21. *Iejuniorum rationem*, inquit, *quæ ante Pascha fiunt, aliter ab aliis observatam esse facile est reperire Nam qui sunt Romæ, tres septimanas ante Pascha, Sabbato & Dominico exceptis, simul*

jeju-

jejunant: (obiter hoc dicam, errat hic Socrates, nam Sabbatis Romæ jejunabatur) *qui autem in Illyrico & totâ Græciâ, quique Alexandriæ habitant, ante sex septimanas jejunia, quæ ante Pascha fiunt, ordiuntur, illudque tempus quadragesimam nuncupant. Alii præter horum consuetudinem septem septimanas ante illud festum initium jejunandi facientes, quamvis quindecim dies solum, quibusdam intervallis interpositis, jejunent, nihilominus tempus illud quadragesimam vocant. Vnde non mediocris me capit admiratio, quâ ratione isti, licet de numero dierum dissentiant, omnes eodem nomine quadragesimam appellent. Alii aliam caussam hujus nominis suopte ingenio excogitatam tradunt. Quin etiam non de numero dierum solum discrepant, verum etiam de abstinentiâ à cibis variam sequuntur rationem, nam alii cum piscibus volucres etiam manducant, easque ex aquâ (ut est apud Mosen) nasci asserunt. Alii à fructibus duris integumentis involutis, & ab ovis temperant: alii arido pane solo vescuntur. alii ne illo quidem. Sunt qui cum ad horam nonam jejunarint, variis ciborum generibus utuntur. Aliâ ratione apud alias gentes jejunatur: cujus rei caussæ prope sunt infinitæ. Ac quoniam nemo de eâ præceptum literarum monumentis tradidit, perspicuum Apostolos liberam potestatem in eâdem cujusque arbitrio permisisse, ut quisque nec metu nec necessitate inductus, quod bonum sit ageret. Hanc disparem jejuniorum rationem in Ecclesiis esse cognoscimus.* Ex his Irenæi & Socratis verbis manifestum est hos jejunandi ritus fuisse adiaphoros, & proinde non ab Apostolis, sed à singulis Ecclesiis pro rationum diversitate institutos; & tamen ubivis aliquod jejunium ante Pascha fuisse observatum, certum est, & præcipuè in hebdomade magnâ seu sanctâ, quæ diversis ritibus ad pietatem excitandam pertinentibus fuit celebris, qui passim apud Patres occurrunt.

Tertullianus rigidus morum censor, errore Montani seductus severiorem accipit disciplinam, & lib. de jejuniis adversus *Psychicos* cap. 1. & 2. (sic cum contumeliâ orthodoxos appellat) his verbis eos ridet, quasi jejunia odissent: *Arguunt nos*, nempe orthodoxi, *quod jejunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperam producimus, quod etiam Xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne, & omni jurulentiâ & uvidioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus vel potemus: novitatem igitur objectant* &c. *Certè in*

Euangelio

Euangelio illos dies jejuniis destinatos putant, in quibus ablatus est sponsus: & hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum abolitis legalibus & Propheticis vetustatibus. Lex & Propheta usque ad Ioannem. Itaque de catero indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio nova disciplina pro temporibus & causis uniuscujusque. sic & Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum & in commune omnibus obeundorum jejuniorum: proinde nec stationum. qua & ipsa quidem dies habeant quarta feria & sexta: paßivè tamen currant, neque sub lege pracepti neque ultra supremam diei: quando & orationes ferè concludat de Petri exemplo, quod Actis refertur. Xerophagias vero novum affectati officii nomen, & proximum Ethnica superstitioni, quales castimonia Apim, Isidem & magnam Matrem certorum eduliorum exceptione purificant, cum fides libera in Christo ne Iudaica quidem legi abstinentiam quorundam ciborum debeat: semel in totum macellum ab Apostolo admissa, detestatore eorum, qui sicut nubere prohibeant, ita jubeant cibis abstinere à Deo conditis, &c. *Iaculantur deinde & Esaiam pronunciasse: non tale jejunium Dominus elegit, id est non abstinentiam cibi, sed opera justitia, qua subtexit: & ipsum Dominum in Euangelio ad omnem circa victus scrupulositatem compendio respondisse; non his commaculari hominem, qua in os inferantur, sed qua ex ore proferantur, cum & ipse manducaret & biberet* &c. sequentibus verbis videtur velle indicare jejunii modum ab Orthodoxis usitatum, ejusdem libri cap. 13. *Prascribitis constituta esse solemnia huic fidei, scripturis vel traditione majorum, nihilque observationis amplius adjiciendum ob illicitum innovationis: state in isto gradu si potestis. Ecce enim convenio vos & prater Pascha jejunantes citra illos dies, quibus ablatus est sponsus, & stationum semijejunia interponentes, & vos interdum pane & aquâ victitantes, ut cuique visum est, denique respondetis hac ex arbitrio agenda, non ex imperio.* & cap. 14. *Si omnem in totum devotionem temporum & dierum & mensium & annorum erasit Apostolus, cur Pascha celebramus annuo circulo in mense primo? cur quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus? cur stationibus quartam & sextam dicamus? & jejuniis Parasceuen?* sic autem respondet pro se & suis Tertullianus: *Quantula est apud nos interdictio ciborum? duas in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet sabbatis & Dominicis, offerimus Deo, abstinentes ab iis qua non rejicimus,*

cimus, sed differimus. Amarulentus luxuriam & ingluviem exprobrat orthodoxis Tertullianus, quia secundas nuptias permittebant, & severiorem Montani disciplinam non admittebant: sed quemadmodum jejunia moderata, non tetrica, & sine ostentatione observanda voluit Christus, sic secundum Christi & Apostolorum exemplum libera videtur sua instituisse jejunia vetus Ecclesia, in omnibus Christi & Apostolorum accurata & sedula imitatrix.

Id tamen etiam consuetudine in Ecclesiâ receptum erat, ut ob imminentem vel præsentem aliquam cladem ab Episcopis jejunia indicerentur: ut testatur Tertullianus lib. adversus Psychicos cap. 13. *Benè autem, quod Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent, ex aliquâ sollicitudinis Ecclesiasticæ causâ.*

Audiamus ergo de modo jejunandi magnos magistros, & primò S. Chrysostomum in Matth. 13. homiliâ 47. *Vides*, inquit, *quia vita recta magis cæteris omnibus juvat. Rectam autem vitam appello, non jejunandi laborem, nec cilicii aut cineris lectulum: sed si pecuniam non aliter quam oporteat despicias, si charitate ardeas, si famescentes pane tuo nutrias, si superior irâ sis, si gloriam inanem non concupiscas, si invidiâ non detinearis. Hæc enim ipsius documenta sunt: non enim dicit jejunium ipsius esse imitandum, quamvis illos quadraginta dies posset proponere; sed discite à me, quia ego sum mitis & humilis corde. Imo vero dixit contra: Omne quod vobis apponitur comedite. Hæc dixi, non quia jejunium mihi non placet, quod magnis soleo efferre laudibus, sed quia doleo, si cæteris neglectis, satis ad salutem vobis jejunium existimetis: quod in choro virtutum ultimum certè sortitur locum.* B. vero Hieronymo *jejunium non est virtus, sed fundamentum virtutum*, nam pietati plurimum inservit, *quare & suam habebit mercedem.* Matth. 6. 18.

Esaia 58.

Addam generalem jejunandi regulam, quam nobis exhibet epistolâ ad Demetriadem prædictus Hieronymus; ut videamus Τὴν λογικὴν λατρείαν Pauli, Rom. 12. 1. *Neque vero immoderata tibi imperamus jejunia, & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur, & ante ægrotare incipiunt, quam sanctæ conversationis jecêre fundamenta. Philosophorum quoque est sententia;* μεσότητας ἀρετὰς, ὑπερβολὰς κακίας εἶναι. *quod Latinus ita potest sermo resonare; moderatas esse virtutes, excedentia modum atque mensuram, inter vitia*

deputari. Vnde & unus de septem sapientibus μηδὲν ἄγαν, id est, ne quid nimis: quod tam celebre factum est, ut comico quoque versu expressum sit. Sic debes jejunare ut non palpites, ut comitum tuorum non porteris vel traharis manibus, nec in lectione, nec in Psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias. Vides cultum rationalem apud illos Patres, & per illud dictum, *Ne quid nimis*: i. e. tum ne per nimiam ciborum penuriam fames nobis preces turbet, & esuriens ventriculus, per solitum earum partium consensum, pias cerebri meditationes ad abdomen revocet: tum ne nimia cibi & potus copia suis vaporibus mentem obnubilet, & ut solet, torporem inducat, & somnum potius nobis imperet, cum in precibus & omnibus sacris functionibus vigiliæ & vegeta animi attentio requiratur: *sitis igitur sobrij & vigilantes ad orandum.* 1 Petri 4. Quare nostris moribus, proh dolor, potius dicendum esset: sic prandere, sic cœnare debes, ut non palpites, ut comitum tuorum non porteris vel traharis manibus, nec in lectione, nec in Psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias.

Quidquid sit, jejunium præcipit Christus Matth 6. jejunarunt cum precibus non semel Apostoli, jejunavit statim ab Apostolis & Orientalis & Occidentalis Ecclesia, jejunarunt alii plùs, alii minùs, sed omnes ante festum Paschatis, ut se precibus & divinis cogitationibus aptiores redderent. *Infirmitas enim carnis*, ut inquit Salvianus, *vigorem mentis exacuit, ut affectis artubus vires corporis in virtutes transferantur, ut animorum non turpibus flammis medullæ exæstuent, non malesanam mentem latentia incentiva succendant, non vagi sensus per varia oblectamenta lasciviant: sed sola exsultet anima, læta corpore affecto, quasi adversario subjugato.* Hoc unum lubens addo, hic sollicitè curandum esse, ne quis in his & similibus famam sanctimoniæ aucupetur. *Matth. 6.* & ne quid superstitionis admisceat, ad quæ mala facilè dilabimur miseri: sed redeamus unde recessit oratio.

Salvianus lib. 1. de Provid. Divina.

Jejunium Paschale est vetustæ institutionis, & ut ego opinor ab Apostolis introductum, ex verbis Christi *Matth. 9.* 15. sed quando, & quomodo, & à quo sit instituta sequentium seculorum quadragesima, quæ tamen in Ecclesiâ diu obtinuit, non satis certò constat. Cum verò in diversis Ecclesiis, ut vidimus, fuerit diversa, dubitare quis posset, utrum ab horis quadraginta, cujus jejunii meminit Irenæus, apud

apud Eusebium, an verò à totidem diebus, Paschale hoc jejunium, quadragesimæ acquisiverit nomen *Dies quadraginta solemne sunt jejunij tempus, ut ex Mosis & Eliæ historiâ apparet: quo multi pertinere putant dies quadraginta Ninivitis ad pœnitentiam datos: unde mos ad Christianos videtur derivatus. Certè in Æthiopiâ aliisque Ecclesiis, etiam nunc jejunium, quod rigidissimè exercent, Ninviticum appellatur: sed quadraginta dies, quibus aqua creverant in cataclysmum, & dies totidem, quibus portare peccata populi jussus est Ezechiel, sunt qui non improbabiliter huc referunt.* Grotius.

Præter prædictum Paschale jejunium erant etiam in Occidentali Ecclesiâ jejunia alia, dicta integra, cum abstinebant usque ad auctoritatem demorantis stellæ, ut loquitur Tertullianus, seu quæ producebantur in serum, & illa designabantur vocabulo jejunii: alia autem erant dimidiata, Tertulliano dicta semijejunia, quę etiam appellabantur stationes, cum ad nonam usque cibum non sumebant, quasque observabant diebus Mercurii & Veneris: quibus diebus Eucharistia non dabatur manducanda, præterquam circa nonam, id est sub finem stationis seu jejunii, ut ea distinguit *Gabriel Albaspinus*, alii aliter.

Quâ tempestate Adrianus existimans se Christianam fidem loci injuriâ perempturum, in templo, & loco Dominicæ passionis Dæmonum simulacra constituit. Et quia Christiani ex Iudæis potissimum putabantur, (namque tum Hierosolymæ non nisi ex circumcisione habebat Ecclesia sacerdotem seu Episcopum) *militum cohortem custodias in perpetuum agitare jussit, quæ Iudæos omnes Hierosolymæ aditu arceret. Quod quidem Christianæ fidei proficiebat; quia tum penè omnes in Palæstinâ, Christum Deum sub legis observatione credebant: Nimirum id Domino ordinante dispositum, ut legis servitus à libertate fidei atque Ecclesia tolleretur Ita tum primum Marcus ex Gentibus apud Hierosolymam Episcopus fuit.* Christiani ex Judæis facti, Hierosolymis dicebantur Nazaræi, & colebant Deum cum legis observatione: cum autem ex Edicto Adriani, Hierosolymâ & ex totâ Iudæâ Iudæi pellerentur, Christiani Iudaizantes leges ceremoniales omittunt, ut à persecutione militum liberarentur, qui non distinguebant inter veros Judæos, & Christianos legis observatores: hâc occasione jugum legis abjiciunt Christiani Hierosolymis, &

A. C. 138. *Sulpit. Severus hist. sac. lib.* 2.

& in Palæstinâ.

Sulpit. hist. sacra lib. 2. *Quarta sub Adriano persecutio numeratur, quam tamen postea exerceri prohibuit: injustum esse pronuncians, ut quisquam sine crimine reus constitueretur.* Sulpit. Sever. Nam hoc edicto non tantum vetuit Adrianus inquiri Christianos, sed etiam oblatos, nullius criminis reos, tantum quod Christiani, puniri noluit. Vide Justinum Martyrem Apologiâ 2. & Eusebium histor. lib. 4. c. 8. Præterea narrat idem Eusebius Adrianum à Sereno Graniano Præfecto illustrissimo literas pro Christianis accepisse, quæ illam complectebantur sententiam: *sibi iniquum videri, Christianos, nullo objecto crimine, indictâque caussâ, quò populi clamoribus satisfiat, neci dare*; atque Adrianum deinde Minucio Fundano, Asiæ Proconsuli, rescripsisse præcepisseque, ut neminem Christianum absque justo crimine intentato, & accusatione rectè verèque ad ipsum delatâ, morte mulctaret. Verba epistolæ quæ ad rem faciunt hæc sunt. *Si à quoquam Christiani homines in judicium vocentur, ostendaturque aliquid contra leges designasse, tum ita, prout criminis ratio & modus postulat, decidas statuasque. At me Herculè, si quisquam, quo eos calumnietur, illud tentaverit, tu ejusmodi hominem pro nequitiâ & crudelitate severè coarguito, atque adeo sedulò prospicito, ut debitas pœnas luat.* Refert hoc Adriani rescriptum ad Minucium Fundanum Asiæ Proconsulem Eusebius lib. 4. cap. 9. & in annum 10. Adriani in Chronicis, quem vide.

Quadratus Apostolorum discipulus, & Atheniensis Pontifex, Ecclesiæ nomine Hadriano principi, Eleusinæ sacra invisenti, librum pro nostrâ religione tradidit, & tantæ admirationi fuit, ut persecutionem maximam illius excellens sedaret ingenium: ut habet Hieronymus epist. ad Magnum. Vide eundum lib. de script. Eccles. Hęc inter cętera etiam inveniuntur in apologiâ ejus verba: *nam nonnulli ab eo* (Christo) *sanitati restituti, ac à mortuis excitati hactenus nobiscum sunt commorati*: quasi dicat, quæ à Christo miraculosè facta sunt, illa etiamnum insident omnium memoriis, & nunc etiam exempla eorum dari possunt.

Quin etiam Adrianum cogitasse, in omnibus civitatibus templa Christo facere, scribit Lampridius in Alexandro Severo, hoc uno tantum argumento, quod sine simulacris jusserat fieri; quod à veritate quam sit alienum, jam docuit Sulpitius in sacrâ historiâ, & videre est apud *Casaub.* in eundem Lampridium, quantumvis id affirmare videatur in Augustam historiam *Salmasius*. Vide

Petitum,

Petitum, qui etiam Lampridio eâ in re fidem negat.

Adrianus moritur ex fluxu sanguinis; succedit Antoninus Pius adoptatus, patriâ Nemausiensis, sub quo Imperatore fœlix fuit Ecclesiæ status: nam fides & religio Christiana hoc tempore toto terrarum orbe, longè latèque incredibili modo fuit propagata: *Quia ne unum quidem* (ut ait Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone) *est genus mortalium, sive Barbarorum, sive Græcorum, sive etiam aliorum omnium, quocunque appellentur nomine, vel Amaxobiorum, vel Nomadum, domo carentium, vel in tentoriis viventium, & cum pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen Iesu crucifixi supplicationes & gratiarum actiones Patri fabricatori rerum omnium non fiant.* *Euseb. hist. lib. 4. c. 13.*

Irenæus, qui eodem vixit seculo, lib. 1. cap. 2. accuratè fidem Christianam seu Catholicam, quæ est omnium nationum mundi, describit, & sic pergit cap. 3. *Hanc prædicationem cum acceperit, & hanc fidem, ut prædiximus, Ecclesia, & quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, & similiter credit eis, videlicet quasi unam animam habens, & unum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet & tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, virtus tamen traditionis una & eadem est; & neque hæ, quæ in Germaniâ fundatæ sunt Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Iberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libyâ, neque hæ quæ in medio mundo sunt constitutæ: Sed sicut Sol, creatura Dei, in universo mundo idem & unus est, sic & lumen & prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque qui prævalet valdè in sermone, ex iis qui præsunt Ecclesiis, alia quam hæc sunt dicet: Nemo enim supra magistrum est; neque infimus in dicendo denunciabit traditionem, cum enim una & eadem fides sit, neque is qui multum de eâ potest dicere amplius, neque is qui minus, minus denunciat.*

Tertullian. in Apolog. cap. 37. qui vixit ad finem ejusdem seculi, adversus Gentes: *Si enim & hostes exsertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantæcunque, unius tamen loci, & suorum finium gentes, quam totius orbis? Externi sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula,*

castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum, sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? si non apud istam disciplinam magis occidi liceret quam occidere, &c. Idem in Judæos cap. 7. *In quem enim alium universæ gentes crediderunt, nisi in Christum, qui jam venit? cui enim aliæ gentes crediderunt; Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum & Asiam & Pamphiliam, immorantes Ægyptum & regionem Africæ, quæ est trans Cyrenem, Romani & incolæ, tunc & in Hierusalem Iudæi & gentes cæteræ, ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes, & Britannorum inaccessa loca Romanis, Christo verò subdita, & Sarmatarum & Dacorum & Germanorum & Scytharum, & abditarum multarum Gentium, & Provinciarum & Insularum vobis ignotarum, quæ enumerare minus possumus? In quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat, utpote ante quem omnium civitatum portæ sunt apertæ, & cui nullæ sunt clausæ, ante quem seræ ferreæ sunt comminutæ, & valvæ æreæ sunt apertæ: quanquam & ista spiritualiter sint intelligenda; quo præcordia singulorum variis modis à diabolo obsessa, fide Christi sint reserata: attamen perspicuè sunt adimpleta, utpote in quibus omnibus locis populus nominis Christi inhabitet.* Idem ibidem: *Quid de Romanis dicam, qui de legionum suarum præsidiis Imperium suum muniunt, nec trans ipsas gentes porrigere regni sui vires possunt? Christi autem regnum & nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus, supra nominatis, colitur, ubique regnat, ubique adoratur*, &c. idque sine vi, sine armis & contra omnem vim, sed cum virtute Dei.

Origines homiliâ ad Ezechielem 4. *Confitentur & miserabiles Iudæi, hæc de Christi præsentiâ prædicari: sed stultè ignorant personam, cum videant impleta, quæ prædicta sunt. Quando enim terra Britanniæ ante adventum Christi in unius Dei consensit religionem? quando terra Maurorum? quando totus simul orbis?*

Arnobius lib. 2. *Virtutes sub oculis positæ, & inaudita illa vis rerum, vel quæ ab ipso fiebat palam, vel ab ejus præconibus celebrabatur in orbe toto, eas subdidit appetitionum flammas, & ad unius credulitatis assensum mente unâ concurrere gentes & populos fecit, & moribus dissimillimas nationes.*

nationes. Enumerari enim possunt atque in usum computationis venire ea, quæ in India gesta sunt apud Seras, Persas & Medos: in Arabiâ, Ægypto, in Asiâ, Syriâ, apud Galatas, Parthos, Phrygas: in Achajâ, Macedoniâ, Epiro: in insulis & Provinciis omnibus, quas sol Oriens atque Occidens lustrat: ipsam denique apud Dominam Romam.

Athanasius in epistolâ Synodicâ apud Theodoretum lib. 4. cap. 3. *Ecclesias Christianas commemorat Hispaniæ, Britanniæ, Italiæ, Galliæ, Dalmatiæ, Mysiæ, Macedoniæ, Græciæ, Africæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Isauriæ, Ægypti, Libyæ, Ponti, Cappadociæ.* Vide Theodoretum adversus Græcos sermone 7. & 9. Chrysostomum homiliâ posteriore in Pentecosten, & oratione egregiâ, *Christum esse Deum.*

Fuit quidem Christus ex posteritate Davidis (secundum Prophetias de Messia) & ex virgine natus est Bethlemi, & dogma suum facere cœpit in Galilæâ, ubi omne genus morbos sanavit; cæcis visum, claudis gressum, mortuis vitam dedit; sed unum hoc præ cæteris excellit, illa videlicet tam subita & universalis gentium ad Christi fidem conversio: cujus effectus in hunc usque diem durat; Ex Davidis, Esaiæ, Zachariæ, Oseæ vaticiniis manifestissimum est, Messiam non tantum Judæorum, sed & aliarum gentium magistrum fore: per ipsum collapsuros cultus falsorum Deorum, & ad unius Dei cultum perducendam ingentem multitudinem alienigenarum; sed hoc stupendum maximè, id factum esse per piscatores, homines indoctos, simplices, rudes, ut loquitur B. Augustinus de Civit. Dei l. 22. c. 5. idque non cogendo, sed docendo, non vi & scelere sed fide & patientiâ, ut passim loquuntur Patres. Et hæc est illa feracissima, mirabilis, & incredibilis congregatio gentium, à Jacobo Patriarcha Messiæ prædicta: quam confirmat *Genes.* 49. ipse Christus Matth. 24. 14. *Et prædicabitur*, inquit, *hoc Euangelium* 10. *omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.*

Liceat hic mihi de Apostolis eorumque discipulis, primitivæ Ecclesiæ doctis & piis Patribus, & sanctissimis Christi martyribus dicere, quod divinus ille scriptor ad Hebræos de veteris Testamenti heroibus: nimirum, quod *per fidem expugnaverunt regna, operati sunt justitiam, assecuti sunt promissiones, occluserunt ora leonum, exstinxerunt*

runt vim ignis, effugerunt acies gladii, validi facti sunt ex imbecillitate, effecti sunt robusti in bello, incursiones averterunt exterorum, mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos. Alij vero distenti sunt, aspernati redemptionem, ut potiorem sortirentur resurrectionem. Alij rursus ludibriis & flagris explorati sunt, insuper & vinculis & carcere, lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, occisione gladij occubuerunt. Oberrarunt in ovillis & caprinis pellibus, destituti, pressi, affecti, quibus indignus erat mundus; in desertis errantes & montibus ac speluncis & cavernis terræ. Quorum testes sunt innumeri in scriptis Patrum, & historicorum Ecclesiasticorum primitivæ Ecclesiæ: ne quid dicam de veterum Martyrologiis. Quare jure meritòque exclamat hâc de caussa Apostolus: *O altitudo divitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus*, &c.

A. C. 142. Sixtus moritur Martyr, qui in celebratione mandavit, ut Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth cantaretur: nuda primò hæc erant, & omnia simpliciter tractabantur. Petrus enim ubi consecraverat, oratione Pater noster, usus est. Auxit hæc mysteria Jacobus Episcopus Hierosolymitanus: auxit & Basilius, auxere & alii. Nam Cælestinus Missæ introitum dedit, Gregorius Kyrie eleyson, Gloria in excelsis Deo Telesphorus, collationes Gelasius primus, epistolam & Euangelium Hieronymus, Alleluja vero sumptum est ex Ecclesia Hierolymitana. Symbolum ex concilio Nicæno: mortuorum autem commemorationem Pelagius invenit. Thus Leo tertius, Osculum pacis Innocentius primus. Ut caneretur Agnus Dei, Sergius Pontifex instituit. *Platina. Vide etiam Polydorum lib. 5. cap. 10. de rerum inventoribus*: succedit Telesphorus Episcopus Romanus. Hic instituit cani in Ecclesia *Gloria in excelsis Deo*, sed nocte tantum natalis Domini. *Sigeb.*

Telesphorus, *inquit Gavantus*, instituit ut dicatur in Missa hymnus Angelicus, *Innocent. III. lib. 2. cap. 20. & epist. 1. ejusdem Telesphori, idem asserunt Damasus, Rabanus, & alii apud Durandum.* Idem jussit non cantari Missam ante horam tertiam, *Amalarius lib. 3. cap. 42. de cons. dist. 1. Nocte & ibidem cap. Et hoc.* sed de solenni intellexit. *Durandus.* sub eodem lumina fuisse ad missam adhibita

scribit

scribit *auctor Breviarii Chronolog. Tertullianus meminit adversus Valentinianos cap.* 2. *&* 3. puto ad literam, quia in cryptis fiebat Missa. *Gavantus comment. in rub. missal. parte* 1. *tit.* 20. sed omnia incertis probationibus. Platina & alii huic Telesphoro tribuunt institutionem Jejunii septem septimanarum, incertis etiam auctoribus, ut hujus temporis multa. Hujus erroris caussam docet nos Jos. Scaliger animadvers. in Chronicon Eusebii his verbis: *Intruserunt in textum editores de quadragesimæ jejunio, à Telesphoro instituto. Consilium nostrum est scriptorum codicum fidem sequi; quorum nullus ista habet: neque Marianus, neque Beda, neque Isidorus.* Nec apud omnes in primitivâ Ecclesiâ eadem fuit hujus jejunii observatio, ut diximus de Sixto Papa, & manifestè apparet ex epistolâ Irenæi ad Victorem, de quâ supra.

Vide etiam diversarum ecclesiarum diversas consuetudines in baptismo, cœnâ Dominicâ, jejunio, conjugio sacerdotum, Paschatis observatione, &c. apud Socratem lib. 5. cap. 21. & Sozomenum lib. 7. cap. 19. apud Eusebium epistolam Constantini Imperatoris, & Augustinum epist. 86. ad Casulanum & 118. ad Ianuarium, quarum verba quædam citata sunt an. C. 136. His adde Petavium in annotationibus Epiphanianis pag. 359. *Nulla est,* inquit, *ab Apostolis edita sanctio, quâ jejunium eo die,* loquitur de Sabbato & die Dominicâ, *prohiberetur, ut Augustinus asserit epistol.* 118. *ubi in rebus hujusmodi negat quicquam esse vel scripturæ sacræ auctoritate, vel universalis Ecclesiæ traditione determinatum: sed ejus, in quâ verseris, Ecclesiæ consuetudini obtemperandum esse.* (Sic Ambrosius Romæ ad normam Romæ Sabbato jejunavit, Mediolani ad morem Mediolani & Ecclesiæ Orientalis, cujus ritus in multis sequebatur.) *Quâ quidem præscriptione tanquam spurius & alienus canon ille rejicitur, qui inter Apostolicos sexagesimus sextus numeratur:* Clericus qui Dominico die vel Sabbato (uno duntaxat excepto) jejunare deprehensus sit, deponatur: Laicus excommunicetur. *Non potest hoc ab Apostolis communi esse decreto constitutum. At si Apostolicus ille canon est, ἢ τὸ σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου, ab otiosis Græculis intexta sunt, nec melioris notæ sunt, quæ in Apostolicis constitutionibus*

August. ep. 86. ad Casulan., & ad Ianuar. 118.

tionibus leguntur lib. 7. cap. 24. ubi τὰ σάββατα καὶ τὰς κυριακὰς ἑορτάζειν *præcipit: quod ab Apostolis toti Ecclesiæ nunquam esse præscriptum, sanctißimorum Patrum consensus approbavit. Alia est Ignatii ratio; qui ad Philippenses scribens, non universalis Ecclesiæ jura constituens, epistolâ 4. ista pronuntiat:* εἴ τις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἑνὸς σαββάτου, οὗτος Χριστοκτόνος ἐστίν. Hæc Petavius. Illa eadem ad Philippenses epistola hæc etiam verba continet. *Festivitates ne dehonestetis, quadragesimale jejunium ne spernatis.* Institutio jejunii quadraginta dierum tribuitur ab aliis Sexto, & ab aliis Telesphoro, ut diximus, qui post Ignatium viginti annis & amplius Episcopi Romæ electi sunt. His de caussis, & multis aliis, illa ad Philippenses Ignatio asscripta epistola, spuria, adulterina & omnino supposititia à doctioribus habetur: quos consule.

Obiter hoc addam. In veteri Ecclesiâ dicebatur non esse die Dominicâ jejunandum, ne dies lætitiæ per jejunium fiat dies tristitiæ: sed, posito casu, cur non liceret in obsessâ, aut alio modo periclitante civitate, precibus & jejunio apud Deum instare, ut civitatem liberare dignaretur: sic ob eandem causam, nempe, quia eo die à mortuis resurrexit Christus, die Dominicâ incurvare genua ad orationem prohibitum erat canone postremo Concilii Nicæni. An non hodie hæc omnia licita, imo convenientia judicantur ex placito cultus rationalis secundum Paulum?

A. C. 143. Hoc anno & aliquot sequentibus, diversarum hæresium diversi vixerunt auctores, quorum absurdas doctrinas ex Irenæo, Tertulliano & Eusebio adferemus; *adversus quos victoria est, sententia eorum manifestatio*, ut inquit Irenæus lib. 1. cap. 35.

Fons omnium hæreticorum fuit Simon Magus, tempore Apostolorum exortus, ut diximus, à quo proruperunt Menander, Saturninus, Carpocrates, Basilides, Valentinus, Marcion, & innumeri alii, qui omnes in dubium vocarunt mysteria incarnationis Domini, & se nuncuparunt Gnosticos; γνῶσις autem significat cognitionem, quasi præ cæteris omnium rerum notitiam habuissent, cum tamen ignorantiâ & inscitiâ suâ veram de Domino Iesu cognitionem ejurasse visi sint. *Quorundam hoc inter cætera erat parodoxon; Nosce: sed ne ulli noscaris. Hoc est utere quibuslibet voluptatibus & libidinibus, sed ne*

vulgo illæ innotescant, ut loquitur alibi Vossius. Antehàc subinde pauca de iis delibavimus, sed jam paullò fusiùs insanias & deliria quorundam aperiemus, ut visis stultissimis eorum opinionibus, & nugacissimis commentis, veritas sacræ scripturæ nobis clarius effulgeat. Et hæc est indoles talium hominum, ut, quo magis delirent, eo magis sapere sibi videantur: ita ut mirum non sit ipsos in erroribus obriguisse, qui ex incertis nugis certam sibi sapientiam imaginati, se Gnosticos superbè & stolidè appellarunt. Miraberis, aut potius ridebis aniles & stultas eorum fabulas, imò obstupesces ad tam horrenda & fatua deliria, ad tam fœda & impia facinora. Incredibile enim tibi videbitur, in re tam seriâ, tam vana & vesana somnia animos hominum subire potuisse. Videbis hic specimen humanæ infirmitatis, & quantum sit in rebus inane, ut alibi loquitur D. Blondellus; & quantæ sint tenebrę, quando Deus nos nobis relinquit: quanta sit vanitas eorum, qui recedunt à simplicitate regulæ fidei: quam deploranda sit conditio eorum, qui incertam cognitionem adepti, sibi sapientes esse volunt. Hic discere possumus quam noxia & detestabilis sit homini arrogantia, ut deducamus mentes nostras in obsequium fidei, & fiamus ejusdem servi, ut ab illâ & per illam libertatem consequamur: nisi enim nobis diffidamus, & tota nostra spes in Domino posita sit, nunquam animos nostros vera Domini cognitio illuminabit; nunquam verè γνωστικοὶ dici poterimus, nunquam veram de Deo scientiam adipiscemur, quam sibi falsò illi hęretici vendicabant. Primus, ut diximus, & parens horum omnium fuit Simon ille Magus, cujus in Actis notissima fit mentio, qui per artes magicas populum Samarię in Palæstinâ ita dementaverat, ut ausus fuerit dicere se summam esse virtutem, id est, summum Deum, seu summum Patrem. Pręterea se esse Deum, qui in Samariâ apparuerat tanquam Pater, in Iudeâ, tanquam Filius, in reliquis nationibus tanquam Spiritus Sanctus. Cum dicerent Christiani eum non posse esse Christum, quod is fuerit per Iudęos Hierosolymis crucifixus, respondebat, Iudæos crucifixisse Phantasma, non verò ipsum Christum. Imò dicebat se illud sublimissimum esse Numen, quod apud omnes nationes, cujuscunque essent religionis, summum erat. Vide præterea multas ineptias, quas de suo scorto

Selene aut Hebene Tyriâ, quam circumducebat, narrant Irenæus adversus hæreticos lib. 2. cap. 20. Tertullianus lib. de animâ cap. 34. Epiphan. hæresi 21. Theodoret de fabul. hæret. in Simone. Simoniani, ab hoc Simone sic dicti, imaginem ejus ad figuram Jovis, & Selenes ad figuram Minervæ habebant & adorabant. *Utrum autem huic Simoni Mago Romæ à Claudio fuerit erecta statua, ut quidam volunt, jure dubitatur: cum lege XII. tabularum cautum esset, ne quis novos Deos haberet. Verisimile est Christianos illos deceptos fuisse, quia Romæ inter duos Pontes statuæ erant insculptum: Semoni Deo Sanco: cujus meminit Ovidius in fastis, qui forte putarunt esse Simoni Deo sancto.* Vossius. Affirmant illud Justinus Apologiâ ad Antoninum, Irenæus lib. 1. cap. 20. Tertull. in apologetico cap. 13. Vide de hac quæstione disputantem Baronium an. C. 44.

Inter cæteros illius Simonis discipulos fuit Basilides, qui portentosas produxit fabulas, & de Jesu nullam faciebat mentionem. Ille autem reliquis sublimior videri voluit, & θεογονίαν Hesiodianæ similem finxisse videtur: dicebat enim Deum genuisse Filium nomine νοῦν, illum λόγον, illum φρόνησιν, illam duas filias σοφίαν & δύναμιν: ex hac δυνάμει primum cœlum factum esse, ex hoc reliquos cœlos esse factos numero 365, & quodlibet cœlum habere suum Deum seu dominum nomine ἀβρόξαν. Nonnulli volunt hoc esse mirabile nomen, ut pro amuleto esset iis, qui illud inscriptum chartæ, atque linteo involutum ex collo suspenderent. Quod si autem literas computemus, in nomine ἀβραξὰς seu ἀβρασὰξ colligere licet numerum 365. nam σ. valet 200, ϱ. vero 100, ξ. 60. α. 1. atqui sunt tria alpha, ex quibus resultat numerus ternarius, βῆτα valet 2. hinc igitur fit numerus 365. Dicit autem Basilides certamen esse obortum inter istos cœlorum dominos, & singulos partem quandam mundi occupasse, quam gubernarent: Deum Israëlis postea voluisse solum coli & omnem dignitatem sibi vindicare; quod cum reliqui Dii ferre non possent, conspirasse ait omnes, atque eâ ex re magnam contentionem fuisse inter angelos illos. Deinde ait populum Judaicum sæpè vapulasse ideo, quod non solum colere vellent Deum suum Israëliticum, qui sibi soli cultum exhiberi cupiebat. Tandem, inquit, princeps Deus eorum misertus noluit ista amplius

pati,

pati, & misit filium suum νοῦν seu Messiam in terras, ut Judæos populum suum in libertatem vindicaret, sed tandem & ille exosus factus est Iudæis, & ab iis captus: sed cum νοῦν in omnes formas sese mutare posset, evasit ex eorum manibus. at Simon Cyrenæus, qui coactus erat crucem ferre, pro Christo est crucifixus, namque cum Christum seu νοῦν esse putabant. Cæterum Basilidis vita erat satis profana. *Vossius.*

Gnostici & in iis Carpocras seu Carpocrates hæretici iisdem temporibus vixerunt. hi volebant uxores esse communes, & promiscuos concubitus: & opera dabatur ne ulla conciperet; quod si autem contingeret ut infans aliquis nasceretur, tundebatur infans in mortario,& pipere condiebatur, ac lacte coquebatur, atque ita puerulum devorabant, quod suum Pascha vocabant. Alias horrendas & obscœnas earum impietates vide apud veteres de hæresibus scriptores. Ob hos hæreticos Christiani tum temporis malè audiebant, & promiscui concubitus, & epulæ Thyestææ iis objiciebantur, quæ persecutionibus occasionem præbebant, atque ita illæ hæreses plus Ecclesię quam ipsæ persecutiones nocuerunt.De his omnibus videatur MinuciusFelix in erudito suo dialogo,qui Octavius inscribitur.

Valentinus fuit Philosophus Platonicus, qui Romam profectus an. 143. vel 144. ibidem declaratus est hæreticus. Ille ex θεογονίᾳ Hesiodi & Euangelio Joannis voluit novam conflare religionem, quam vocabat πλήρωμα Deorum. faciebat autem triginta Deos seu Æonas atque eos in tres ordines distinguebat.

Primus ordo deorum erat ὀγδοὰς, id est numerus octonarius.

Secundus erat δέκας, id est numerus denarius.

Tertius ordo dicebatur δωδέκας, id est, numerus duodenarius.

Statuebat etiam combinationes Deorum, quorum alii essent mares, alii fœminæ. primam combinationem volebat esse βυθὸν & Σιγὴν. id est, profunditatem & silentium, quibus ille naturam Dei designare volebat, quia Deus est profundus & inenarrabilis: Ex concubitu βυθοῦ & Σιγῆς prognatum esse Νοῦν, sive Mentem & vitam, quia Deus est ipsa mens & ipse fons vitæ. Itaque videtis vanum istum hominem, & impiè curiosum, ex singulis Dei attributis singulos fecisse Deos. Postea ex Mente & vitâ prognatum fuisse

λόγον, seu Sermonem & veritatem: itaque hac in parte accedebat ad sententiam Christianorum, qui à S. Joanne Euangelista docti erant, λόγον fuisse ab initio & factum carnem. Hac in parte accedebat ad phrases Christianorum, sed alieno prorsus animo, quia distinguebat λόγον à Christo & Christum ex triginta Æonibus, & ex postrema ferè combinatione ortum volebat: Jesum vero esse perfectionem omnium Æonum, & apparuisse, ut annunciaret non tantum mysteria quædam, sed admoneret Deum, qui erat Creator orbis, quem volebant esse Deastrum respectu illorum Æonum, ut agnosceret supra se Numen summum, & incomprehensibile, quod vocabant βυθόν. Itaque vocabant Christianos, qui in unum Deum, patrem Iesu Christi, Creatorem cœli & terræ, credebant, tanquam simpliciores & ignaros veritatis, quibus opus esset superno lumine, quod eos ad agnitionem veritatis deduceret. Dicebat distingui totum statum divinitatis non tantum re, sed & loco: volebat Æones suos congregatos fuisse in πληρώματι sive plenitudine; extra plenitudinem illam esse locum intermedium inter ipsam & hunc orbem: Δημιουργὸν habitare in orbe à se condito: in spatio illo medio matrem ejus, quam vocabat Ἀχαμὼθ & σοφίαν, id est sapientiam: ex defectu Æonum ortum dicebat Δημιουργὸν: volebat enim Æones ex cupiditate videndi βυθὸν in ipsum πλήρωμα ascendere voluisse & defecisse, illos autem cum defecissent, extra plenitudinem projectos esse, & ibi aliquamdiu habitasse, donec veniret Iesus, qui ipsos doceret. Volebat Iesum esse perfectionem ab omnibus Æonibus superioribus: cum vero anxietate animi Æones illi defecissent, cohibitos fuisse, ne rursus introirent in plenitudinem, & custodes ipsis adhibitos ὅρον, sive terminum, & σταυρὸν sive crucem. De cruce nugatur; nam nolebat Jesum passum nisi δοκητικῶς, id est, putativè, & in phantasmate, cum haberet corpus impassibile. Secta ergo illa cum distingueret Jesum à Christo, de reconciliatione generis humani per mortem ejus non cogitavit: nec de incarnatione Christi rectè sensit, sed voluit Jesum habuisse figuram carnis, non tamen carnem, nihil habuisse veri hominis, sed hominem secundum dici (prout loquuntur in scholis) fuisse, non vero secundum esse. Vanissima hæc secta, quæ Christum tanquam Phantasma apparuisse docuit, tanquam

quam spectrum brevi evanuit: & reliquæ cum illâ, *quas solummodò demonstrasse, destruere est*, ut loquitur Tertullianus lib. adversus Valentinianos cap. 3. *Blondellus*.

Idem ille Valentinus ad præveniendum, ne Christiani vitam pro religione ponerent, solebat dicere, Deus non vult sanguinem hircorum, multò minus ergò hominum, quid ergò hinc ad Christum redundare credimus, si vitam pro religione effundimus? quod dogma multis imbecillis Christianis ob effugium martyrii placuit. Vide Tertull. lib. ad Martyres, Cyprian. de exhort. martyrii, &c.

Caini laudabant Cainum, ut præstantiori sanguine ortum atque Abelum: deinde etiam Cainum & Iudam dicebant fuisse homines sanctissimos: Abelum vero & Noachum fuisse homines perditos, quia illi coluissent sævum illum ac truculentum Deum Israëlis, à quo alii abhorrebant.

Marcion fuit Ponticus, filius Episcopi, qui ob concubitum cujusdam fœminæ excommunicatus, & ex domo paternâ ejectus, incidit in Cerdonem hominem hæreticum, qui statuebat duos Deos, bonum & malum: Dominum Jesum dicebat filium esse boni Dei, oppositi illi Deo, cujus opus est cœlum & terra: cum enim videret proprietates divinas quodammodo inter se pugnare, justitiam, quâ inclinat in vindictam peccati, & misericordiam, quâ in remissionem peccati, ille non poterat hæc conciliare: hinc dividebat Deum justum à misericordi, malum à bono, quasi bonitas justitiæ adversaretur; quare rejiciebat Vetus Testamentum. Hic dicebat etiam Christum non natum esse, sed visum esse nasci: non crucifixum esse, sed visum esse crucifigi. Hic porrò docebat carnem esse malam, quia à malo illo Deo esset condita: quare neminem volebat baptizari, nisi qui cælibem ageret vitam: neque mortem carnalem esse refugiendam ob Christianam religionem, quia caro esset mala & perniciosa. Atque ideo etiam factum esse, ut multi Martyres ex hac hæresi exstiterint. Denique nihil boni ab hoc Deo dicebat proficisci; quod si autem illi de pane objiceretur & aqua, annon illa essent bona, & an iis non uteretur? Respondebat: verum quidem est quod ea ab hoc Deo proveniunt, sed quia sine iis non possum vivere, utor illis, quatenus necessitas urget. Siquis hisce nugis & fabulis

bulis delectatur, videat prædictos patres, & animadvertet ex sententiæ aut hæreseos relatione, ejusdem confutationem. Totus in hoc est Irenæus in suo opere adversus hæreses Valentini & similium, & Tertullianus lib. de præscriptionibus adversus hæreticos, lib. adversus Valentinianos, Hermogenem. De animâ adversus Philosophos & hæreticos. De carne Christi adversus quatuor hæreses, De resurrectione carnis Adversus Marcionem, Gnosticos, Praxeam, ne quid dicam de sequentium seculorum scriptoribus, & præsertim de Panario Epiphanii.

Florinus Ecclesiæ Romanæ presbyter eo devenit erroris, ut ea quæ vetantur, negaret esse mala, nam ea Deo tanquam auctori tribuebat, lapsus in hęresim Valentini, cujus discipuli se vocant spiritales, quod perfectam de Deo se habere cognitionem opinarentur, alios vocant Spychicos, id est animales. quare se salvari dicebant non per operationem, sed quod essent naturaliter spiritales, & quamvis omnia agerent, quæ vetantur, non tamen se amittere spiritalem substantiam. *Irenæus lib.* 1. In hunc Florinum sic invehitur Irenæus apud Eusebium: *Hæc dogmata Florine, sanam sententiam non habent. Hæc dogmata dissentiunt ab Ecclesiâ, & in maximam impietatem eos conjiciunt, qui ipsis obtemperant. Hæc dogmata ne hæretici quidem, qui sunt extra ecclesiam, unquam ausi sunt pronunciare. Hæc dogmata tibi, qui ante nos fuerunt presbyteri, qui & Apostolorum discipuli extiterunt, non tradiderunt. Vidi enim te, cum puer adhuc in Asiâ inferiore apud Polycarpum essem, splendidè in palatio Imperatoris agentem, & ut te illi probares satagentem. Etenim quæ tunc gesta sunt, melius quam quæ nuper acciderunt, in memoriâ retineo. Quæ namque à puero discuntur, unâ cum ipsâ mente coalescunt, illique adunantur, ita ut locum ipsum commemorare queam, in quo beatus Polycarpus sedens disserebat, deinde & ingressus illius & egressus, & vitæ characterem & corporis speciem, denique & sermones quos fecit ad multitudinem, & quomodo se cum Iohanne ac reliquis, qui Dominum viderunt, conversatum esse dixerit, & sermones eorum memoraverit, & quæ ex illis de Domino audierit, & de virtutibus ejus ac doctrinâ, tanquam ex illis, qui ipsi verbum vitæ viderant percepta & cuncta sanctis scripturis consona recensuerit. Hæc tum temporis per misericordiam Dei mihi coöperante studiosè percepi, & non charta, sed cordi meo retinenda inscripsi,*

Euseb lib. 5. cap. 18.

scripsi, ac perpetuò per gratiam Dei sincerè rumino, possumque coram Deo testificari, beatum illum & Apostolicum presbyterum, si tale, quid audisset, reclamaturum & aures suas obturaturum, proque consuetudine sua dicturum fuisse: Bone Deus, in quæ me tempora servasti, ut ista patiar? Quin & ipsum locum declinaturum, in quo vel sedendo vel stando hujusmodi sermones audisset. Hæc Irenæus apud Eusebium.

Hoc anno proponit & adducit Baronius ex Irenæo & Tertulliano eximia dogmata, quibus vera à falsis, orthodoxi ab heterodoxis, Catholici ab hæreticis distingui possunt & debent. *His*, inquit, *Irenæus provocans ad omnium antiquarum Ecclesiarum & Romanæ potissimum, ab Apostolis manantem traditionem, ad omnes hæreses prosternendas, usus est armis. Hoc sicut nihil est validius, ita nec fuit antiquius apud omnes: cum vetus illa ubique in Ecclesia consuetudo usúsque semper viguerit, ut ad dignoscendas hæreses à fide sincera, ut admixta metalla discriminantur ab auro ad lapidem Lydium, ad Catholicam Ecclesiam, utrisque perlatis, quid adulterum quidve purum esset appareret.* Verè quidem Baronius, sed attende lector, sub nomine Ecclesiæ Catholicæ forte ludit vir Illustriss.; nam sic vocare solet solam Ecclesiam Romanam, quæ tempore Irenæi, pars tantum erat Ecclesiæ Catholicæ, quamvis excellens & principalis, ut loquitur cum Irenæo Cyprianus: cui parti seu membro soli hoc seculo omnia à quibusdam tribuuntur. Ad illam nos ablegat S. Irenæus, quemadmodum etiam ad alias, non ut de fide semel accepta ad nutum disponant, sed ut ostendant, quam sinceram ab Apostolis Petro aut Paulo Romana, aut ab aliis aliæ Ecclesiæ acceperint, consimilem & communem cum ea, quæ ab aliis Ecclesiis per omnes Apostolos & per universum orbem erat recepta. Quare omnes illę Ecclesię Catholicam, id est, universalem constituunt Ecclesiam, quę omnes & universę unam & eandem servant fidei Catholicę regulam ab Irenęo, Tertulliano & aliis patribus dilucidis verbis posteris dictatam & relictam, & ab omnibus omnium seculorum, post natum Christum, Patribus & doctoribus approbatam & sanctè conservatam: *quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit*, ut Tertullianus: cui secundum Irenęum *peritia Theologorum nihil potest addere, imperitia nihil detrahere.* Hęc est illa fides salutifera,

A. C. 146.

Irenæus lib. 3. c. 3. & 4.

ra, quæ non tantum Iudæis, sed & gentibus in Christum credentibus vitam æternam pollicetur. Hanc eandem fidem Catholicam nobis quam accuratissimè, ut diximus, descriptam ab Irenæo, & Tertulliano, & aliis, exhibebimus, ut unusquique parata habeat arma ab Apostolicorum virorum temporibus nobis tradita, contra omnem omnium hæreticorum imposturam, *& omnes eos qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt*, ut loquitur Irenæus lib. 3. cap. 3.

Audiamus primo Irenæum Episcopum Lugdunensem, sanctissimum Martyrem, lib. 1. cap. 2. veram Catholicæ Ecclesiæ, id est, omnium nationum mundi fidem ab Apostolis per universum mundum & *ad extrema terræ* dispersis, *ubique Domino coöperante & per miracula sermonem confirmante*, doctam, paucis & solidis verbis delineantem: *Ecclesia*, inquit, *per universum orbem, usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis & ab eorum discipulis eam accepit fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, & maris & omnium quæ in iis sunt: & unum Iesum Christum Filium Dei incarnatum pro nostrâ salute: & in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas prædicavit dispositiones Dei ad adventum, & eam quæ est ex Virgine generationem, & passionem & resurrectionem à mortuis, & in carne in cœlos ascensionem, dilecti Iesu Domini nostri, & de cœlis in gloriâ Patris adventum ejus, ad recapitulanda universa, & ad resuscitandam omnem carnem humani generis, ut Iesu Christo Domino nostro, & Deo, & Salvatori, & Regi secundum placitum Patris invisibilis omne genu curvetur cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei, & judicium justum in omnibus faciat, spirituales quidem nequitias & angelos transgressos, & apostatas factos, & impios, & injustos, & iniquos & blasphemos homines in æternum ignem injiciat: Iustis autem & æquis & præcepta ejus servantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentiâ vitam donans, incorruptionem loco præmii conferat, & claritatem æternam circumdet.* Idem lib. 3. cap. 4. *Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat sequi ordinem traditionis, quam crediderunt iis quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi adsentiunt multæ gentes barbarorum eorum, qui*

in

in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes: In unum Deum credentes, fabricatorem cœli & terræ, & omnium quæ in iis sunt, per Iesum Christum Dei Filium: Qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quæ esset ex virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo, & passus sub Pontio Pilato, & resurgens, & in claritate receptus, in gloria venturus salvator eorum qui salvantur, & judex eorum qui judicantur, & mittens in ignem æternum transfiguratores veritatis, & contemptores Patris sui & adventus ejus. Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum Barbari sunt, quantum autem ad sententiam & consuetudinem & conversationem propter fidem sapientissimi sunt, & placent Deo, conversantes in omni justitiâ, castitate & sapientiâ.

Sequatur Irenæum Tertullianus libro de præscriptionibus adversus hęreticos, cap. 13. *Regula autem fidei, ut jam quod credamus profiteamur, illa est, quâ creditur unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxerit per verbum suum primò omnium emissum: Id verbum Filium ejus appellatum, in nomine Dei variè visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremò delatum ex Spiritu Dei Patris & virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex eâ natum hominem, & esse Iesum Christum: exinde prædicasse novam legem, & novam promissionem regni cœlorum, virtutes fecisse: fixum cruci, tertiâ die resurrexisse: in cœlos ereptum sedere ad dexteram Patris: misisse vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat: venturum cum claritate ad sumendos sanctos in vitæ æternæ & promissorum cœlestium fructum; & ad prophanos judicandos igni perpetuo, factâ utriusque partis resuscitatione, cum carnis resurrectione.* Cap. sequenti quæstiones à ratione fidei excludit, & sic pergit: *Hæc regula à Christo, ut probabitur, instituta, nullas apud nos habet quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & hęreticos faciunt: Cæterum manente ejus formâ in suo ordine, quantumlibet quæras & tractes, & omnem libidinem curiositatis effundas, si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari. Est itaque frater aliquis Doctor gratiâ scientiæ donatus: est aliquis inter exercitatos conversatus tecum curiosus, tecum tamen quærens: novissimè ignorare melius est, ne,*

 quod

quod non debeas, noris, quia quod debeas nosti. Fides, inquit, tua te salvum
Luc.18.42. *fecit. Non exercitatio scripturarum: fides in regula posita est: habes legem & salutem ex observatione legis: exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti: certè non obstrepant, aut quiescant adversus regulam. Nihil ultra scire, omnia scire est.* Idem similem adfert fidei normam lib. de velandis virginibus cap. 1. *Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis & irreformabilis: Credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem mundi conditorem, & Filium ejus Iesum Christum natum ex Virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertiâ die resuscitatum à mortuis, receptum in cœlis, sedentem nunc ad dextram Patris, venturum judicare vivos & mortuos, per carnis etiam resurrectionem. Hâc lege fidei manente, cætera jam disciplinæ & conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet & proficiente usque in finem gratiâ Dei.* Idem de præscriptionibus cap. 20. *Statim igitur Apostoli ex auctoritate prophetiæ, consecuti vim Spiritus Sancti, ad virtutes & eloquium primò per Iudæam contestatâ fide in Iesum Christum & Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, & proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes; sic omnes primæ & omnes Apostolicæ, dum omnes unam probant unitatem. Communicatio pacis & appellatio fraternitatis & contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alio ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio. Hanc igitur dirigimus præscriptionem: Si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit; quia nec alius Patrem novit nisi Filius, & cui Filius revelavit: nec aliis videtur revelasse Filius quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam vivâ, quod ajunt, voce, quam per epistolas postea: si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ*

cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspirat, veritati deputandam, id sine dubio tenendum, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò omnium doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum & Apostolorum & Christi & Dei. Ibidem cap. 36. *Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ: percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem & repræsentantes faciem uniuscujusque. Proximè tibi est Achaja, habes Corinthum: si non longè à Macedonia habes Philippos, habes Thessalonicenses: Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum, si Italiæ adjaces habes Romam unde nobis quoque auctoritas præsto est. Statu fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatus: ubi Paulus Ioannis exitu coronatus: & Apostolus Ioannes antequam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit*, Ecclesia scilicet Romana. *Vnum novit Deum, creatorem universitatis, & Iesum Christum ex Virgine Maria Filium Dei creatoris, & carnis resurrectionem: legem & Prophetas cum Euangelicis & Apostolicis literis miscet & inde potat fidem eam: aquâ signat, Sancto Spiritu vestit, Eucharistiâ pascit, martyrio exhortatur & ita adversus institutionem neminem recipit*: & cap. 22. *Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, & diversitate & contrarietate suâ pronunciabit neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque Apostolici: quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis disciverunt, & aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quæ denique quotidie instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur, pro consanguinitate doctrinæ.* & cap. 27. *Vnde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio adversus Apostolos aut protulit aut recepit?* & cap. 6. *Nos Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignarunt, quod sumus illi sunt. Itaq; etiamsi angelus de cœlis aliter Euangelizarit, anathema diceretur à nobis.* Et c. 22. *Solent dicere non omnia Apostlo-*

Apostolos scisse, eâdem agitati dementiâ, quâ rursus convertunt: omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse, in utroque Christum reprehensioni subjicientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit. Quis enim integræ mentis credere potest, aliquid eos ignorasse, quos Magistros Dominus dedit, individuos habitos in comitatu, in disciplinatu, in convictu, quibus obscura quæque seorsim differebat, dicens: illis datum esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ Petram dictum, claves regni cœlorum consecutum, & solvendi & alligandi in cœlis & in terris potestatem? Latuit & Ioannem aliquid dilectißimum Domino, pectori ejus incubantem, cui soli Iudam traditorem præmonstravit? &c. & paullo post: *Dixerat planè aliquando, multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis ea modo sustinere, tamen adjiciens: Cum venerit ille spiritus veritatis, ipse vos deducet in omnem veritatem: ostendit illos nihil ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos per spiritum veritas repromiserat, & utique implevit repromissum, probantibus actis Apostolorum descensum Spiritus Sancti.* & cap. 27. statuit *incredibile esse vel ignorasse Apostolos plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem regulæ omnibus edidisse.* Ubi prçterea refutat multa hæreticorum argumenta contra plenitudinem S. Scripturæ, objecta & eorum doctrinam ita describit, quasi Theologiam nostram Scholasticam omnibus suis coloribus quam exactissimè nobis depingere voluisset. *Hæ sunt doctrinæ hominum,* inquit cap. 7. *prurientibus auribus natæ de ingenio seculi, quam Dominus stultitiam vocans, stulta mundi in confusionem etiam philosophiæ ipsius elegit. Ea est enim materia sapientiæ secularis, temerariæ, interpres divinæ naturæ & dispositionis. Ipsæ denique hæreses à philosophiâ subornantur. Inde Æones & formæ nescio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus, melior de tranquillitate: à Stoicis venerat. Et uti anima interire dicatur ab Epicureis observatur. Et ut carnis restitutio negetur, de unâ omnium Philosophorum schola sumitur. Et ubi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est. Et ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Eadem materiæ apud Hæreticos & Philosophos volutantur, iidem retractatus implicantur. Vnde malum & quare? Vnde homo & quo modo? Et quod proximè Valentinus proposuit, unde Deus? scilicet de enthymisi & ectromate.*

mate. Inferunt Aristotelem, qui illis dialecticam instituit, artificem struendi & destruendi versipellem, in sententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit: Hinc illæ fabulæ & genealogiæ indeterminabiles, & quæstiones infructuosæ, & sermones serpentes velut cancer; à quibus nos Apostolus refrenans, nominatim Philosophiam testatur caveri oportere, scribens ad Colossenses cap. 2. Videte ne quis vos circumveniat per Philosophiam, & inanem seductionem secundum traditionem hominum, præter providentiam Spiritus Sancti. (quæ sunt Sacræ Scripturæ divinitus inspiratæ, quæ secundum omnes Patres sunt unica fidei & doctrinæ & morum regula) *Fuerat Athenis, & istam sapientiam humanam, affectatricem & interpolatricem veritatis de congressibus noverat, ipsam quoque in suas hæreses multipartitam varietate sectarum invicem repugnantium. Quid ergo Athenis & Hierosolymis? Quid Academiæ & Ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint qui Stoicum & Platonicum & dialecticum Christianismum,* & Scholiasticam Theologiam *protulerint. Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangelium, cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, nihil esse quod ultra credere debeamus. Venio itaque ad illum articulum, quem & nostri prætendunt, ad ineundam curiositatem, & hæretici inculcant ad importandam scrupulositatem: Scriptum est, inquiunt, quærite & invenietis. Quando hanc vocem emisit Dominus, recordemur. Puto in primitiis ipsis doctrinæ suæ, cum adhuc dubitaretur apud omnes, an Christus esset. Et cum adhuc nec Petrus illum Dei Filium pronuntiasset, cum etiam Ioannes de illo certus esse desiisset. Meritò ergo tum dictum est, Quærite & invenietis, quando quærendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat: & hoc quantum ad Iudæos. Ad illos enim pertinet totus sermo sugillationis istius, qui habebant ubi quærerent Christum. Habent, inquit, Mosen & Heliam, id est, legem & Prophetas Christum prædicantes: secundum quod & alibi apertè: scrutamini, inquit, scripturas, in quibus salutem speratis, illa enim de me loquuntur. Hoc erit quærite & invenietis,* &c. Idem de velandis virginibus cap. 1. *Veritati nemo potest præscribere, non spatium temporis, non patrocinia personarum, non privilegium regionum.*

gionum. Ex his enim ferè consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in usum per successionem corroboratur, & ita adversus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se non consuetudinem cognominavit: Si semper Christus & prior omnibus æquè veritas sempiterna & antiqua res. Viderint ergo quibus novum est quod sibi vetus est. Hæreses non tam novitas, quam veritas revincit. Quodcunque adversus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo.

Cyprian. lib. de idol. vanit.

Addamus his tertium, nempe Cyprianum sanctissimum Martyrem, qui nobis serie historicâ eandem in Christo fidem, refert, & modum, quo per illum salutem consequamur, indicat. *Quid vero Christus sit & quo modo per ipsum salus venerit, sic est ordo, sic ratio. Iudæis primum erat apud Deum gratia: sic olim justi erant, sic majores eorum religionibus obediebant. Inde illis & regni sublimitas floruit & generis magnitudo provenit. sed illi negligentes disciplinarum postmodum facti, & fiduciâ patrum inflati, dum divina præcepta contemnunt, datam sibi gratiam perdiderunt. Quam verò fuerit illis profana vita, quæ contracta sit violatæ religionis offensa, ipsi quoque testantur, qui etsi voce tacent, exitu confitentur, dispersi & palabundi vagantur, soli & cœli sui profugi, per hospitia aliena jactantur. Nec non Deus ante prædixerat fore, ut vergente seculo & mundi fine jam proximo, ex omni gente & populo & loco, cultores sibi allegeret Deus multo fideliores qui indulgentiam de divinis muneribus haurirent, quam acceptam Iudæi contemptis religionibus perdidissent. Hujus igitur gratiæ disciplinæque arbiter & magister, sermo & Filius Dei mittitur, qui per prophetas omnes retrò illuminator & deductor humani generis prædicabatur. Hic est virus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus & gloria: hic in virginem delabitur; carnem Spiritu Sancto coöperante induitur: (manuscripti habent carnem Spiritus Sancti induitur) Deus cum homine miscetur, hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem. Quod homo est esse voluit Christus, ut & homo possit esse, quod Christus est. Sciebant & Iudæi Christum esse venturum: nam hoc illis semper Prophetis admonentibus adnunciabatur: sed significato duplici ejus adventu, uno qui exercitio & exemplo hominis fungeretur, altero, qui Deum fateretur, non intelligendo primum adventum, qui in passione processit occultus; unum tantum credunt, qui erit in potestate manifestus. Quod autem Iudæorum populus*

pulus hoc intelligere non potuit, delictorum meritum fuit: sic erant sapientia & intelligentia cæcitate multati, ut qui vitâ indigni essent; haberent vitam ante oculos, nec viderent. Itaque cum Christus Iesus secundum à Prophetis ante prædicta, verbo & vocis imperio dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos purgaret, illuminaret cæcos, claudis gressum daret, mortuos rursus animaret, cogeret sibi elementa famulari, servire ventos, maria obedire, inferos cedere: Iudæi qui illum crediderant hominem tantum, de humilitate carnis & corporis, existimabant magum, de licentia potestatis. Hunc magistri eorum atque primores, hoc est, quos & doctrinâ ille & sapientiâ revincebat, accensi irâ, ac indignatione provocati, postremò detentum, Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romanâ Syriam procurabat, tradiderunt, crucem ejus ac mortem suffragiis violentis ac pertinacibus flagitantes. Hoc eos facturos & ipse prædixerat, & prophetarum omnium testimonium sic ante præcesserat, oportere illum pati, non ut sentiret tantum mortem, sed ut vinceret: & cum passus esset, ad superos denuò regredi, ut vim divinæ majestatis ostenderet, fidem itaque rerum cursus implevit. Nam & crucifixus, prævento carnificis officio, spiritum sponte dimisit, & die tertio rursus à mortuis sponte surrexit. Apparuit discipulis suis talis ut fuerat, agnoscendum se videntibus præbuit, simul junctus & corporalis substantia firmitate conspicuus, ad dies quadraginta remoratus est, ut de eo ad præcepta vitalia instrui possent, & discerent quæ docerent. Tunc in cœlum circumfusâ nube, ut hominem quem dilexit, quem induit, quem à morte protexit, ad Patrem victor imponeret, jam venturus è cœlo ad pœnam diaboli, & ad censuram generis humani, ultoris vigore, & judicis potestate: per orbem vero discipuli magistro & Deo (alij, non magistro sed Deo) monente diffusi, præcepta Dei in salutem darent, ab errore tenebrarum ad viam lucis adducerent, cæcos & ignaros ad agnitionem veritatis oculårent. Ac ne esset probatio minus solida, & de Christo delicata confeßio, per tormenta, per cruces, per multa pœnarum genera tentantur. Dolor, qui veritatis testis est, admovetur, ut Christus Dei Filius, qui hominibus ad vitam datus creditur, non tantum præconio vocis, sed & paßionis testimonio prædicaretur. Hunc igitur comitamur, hunc sequimur, hunc habemus itineris ducem, lucis principem, salutis auctorem, cælum pariter & patrem quærentibus & credentibus pollicen-

licentem. Quod est Christus, erimus Christiani, si Christum fuerimus imitati. *sic Lactantio* religiosissimus Dei cultus est, imitari: *sic Bernardo,* imitando Christum potius consequeris, quam legendo: *sic per lucem naturæ inquit Seneca*: Si Deos (*utinam Deum dixisset*) vis propitios, esto bonus; satis eos coluit, quisquis imitatus est.

Nunc vidimus quomodo contra errores nos muniant, & adversus hæreses nos arment prædicti Patres: *quapropter assumite*, inquit Paulus Ephes. cap. 6. *universam armaturam Dei* &c. *super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia jacula illius ignita extinguere*, &c. Quare qui se invulnerabilem contra omnes veritatis hostes volet, confidat huic fidei, *quæ semel data sanctis*, quam à Christo Apostoli, ab Apostolis Apostolici & primitivæ Ecclesiæ patres acceperunt. Post verbum ergo Dei ad eos confugiendum tanquam ad primævam veritatem, ubi regula fidei nobis abundè, nudè & simpliciter ob oculos ponitur, quæ hodie symbolo Apostolorum dicto comprehenditur, & Maldonato est & *historica & miraculorum & justificans.*

Hoc symbolum quare tribuatur Apostolis, quando, & à quibus conditum sit, à multis dubitatur. Continet tamen secundum plurimos Ecclesiæ patres, & omnium Christianorum doctissimos, fidei articulos ad salutem creditu necessarios & sufficientes. Et in eo præ cæteris symbolis excellit, quod ordine meliori sit compositum, quod dilucidâ brevitate multa & necessaria comprehendat, (de articulo *descendit ad inferos* jam nihil dico) & quod verbis Sacræ Scripturæ magis accuratè insistat. Dicitur autem symbolum Apostolorum, ut hoc obiter moneam, non quod eodem ordine, & eisdem verbis ab Apostolis sit conscriptum, ut quidam malè opinantur, sed maximè cum mente & ipsis Apostolorum verbis conveniat, & proinde sit verè Apostolicum. Non esse ab Apostolis compositum etiam docet vox symbolum, quod vocabulum in primâ illâ & nascenti Ecclesiâ, in hac significatione non fuit in usu, sed potius Regula seu expositio fidei: Tum quoque, quod hujus symboli nullam facit mentionem in Actis Lucas, nec in suis scriptis Justinus, nec Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, nec ulli patrum primitivæ Ecclesiæ, seu potius trium seculorum ante Constantinum, & Symbolum Concilii Nicæni, nec ulli historiæ Ecclesiasticæ scriptores. *Vide Vossii dissertationem de symbolis.*

S. Augustino dicitur *fidei sacramentum; regula fidei brevis & grandis:*

grandis: brevis numero verborum, grandis pondere ſententiarum: puſillis & magnis communis: omnes perfectione credendi, deſiderio confitendi, fiduciâ reſurgendi confirmans. Hæc fidei Catholicæ recepta norma Eccleſiam conſtituit Catholicam, *in qua magnoperè curandum eſt,* inquit Vincentius Lirinenſis, *ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, & ab omnibus creditum eſt: hoc etenim eſt verè proprièque Catholicum, (quod ipſa vis nominis ratioque declarat) quod omnia verè univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem & conſenſionem. Adnunciare autem aliquid Chriſtianis Catholicis, præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nunquam licet, nunquam licebit. Et ille eſt verus & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui corpus Chriſti diligit, qui divinæ religioni, qui catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cujuſpiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philoſophiam: ſed hæc cuncta deſpiciens, & in fide fixus & ſtabilis permanens, quidquid univerſaliter antiquitus Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognoverit, id ſolum ſibi tenendum credendumque decernit, quicquid verò deinceps ab aliquo uno, præter omnes & contra omnes ſanctos novum & inauditum ſubinduci ſenſerit; id non ad religionem, ſed ad tentationem potius intelligat pertinere.* Audiamus inter recentiores Uſſerium Armachanum, qui in ſuâ coram Rege Jacobo habitâ concione an. C. 1624. noſtris in Eccleſiâ turbis maximè graſſantibus, duplicem ſtatuit fidem; unam Catholicam, *quæ*, ut loquitur Caſaubonus in prolegomenis ad exercitationes Baronianas, *in maximi momenti capitibus doctrinæ, arcano divinæ providentiæ beneficio, ut plurimum eſt conſentiens*: alteram Theologicam, *quæ in plurimis aliis religionis articulis diſſentiens, tam implacabiles produxit diſcordias, ut in mutuam videatur conjuraſſe perniciem*, ut idem ibidem. *Videtur etiam Apoſtolus*, ut inquit Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. in initio, *adnunciare duplicem fidem, vel potius unam, quæ augmentum ſuſcipit & perfectionem: nam communis quidem fides*; quâ & lac appellat Paulus, *ſubjicitur tanquam fundamentum*, quæ eſt fides Catholica *Fundamentum autem aliud nemo poteſt ponere*, ut loquitur Paulus 1 Cor. 3. 11. *præter hoc, quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus.* Huic qui *ſuperſtruit, aurum, argentum, pretioſos lapides*, bona opera, perfectam & vivam reddit fidem. Appoſitè & eleganter S. Auguſtinus: *Domus Dei*

credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur. Et hic eſt conſenſus Patrum. qui vero lignum, fœnum, ſtipulas, fidem producit humanis traditionibus, inordinatis affectibus, & Judaicis aut philoſophicis opinionibus conſpurcatam, & per ἐθελοϑρησκείαν ſeu ſuperſtitiones ſqallentem & pollutam. Et quemadmodum fides Chriſtiana in credendo & agendo conſiſtit, ſic in iiſdem ſita eſt ſuperſtitio. Superſtitio in credendo ortum habet ex commentis humanis & Theologiâ Scholaſticâ, cum quid judicatur creditu neceſſarium, quod per ſe non eſt, & ſine cujus cognitione ſalvari poſſumus. Nam cum *Dominus*, ſecundum Salomonem, *in ſimplicitate cordis ſit quærendus*, Theologi quidam nobis proferunt Chriſtianiſmum *Stoicum, Ariſtotelicum, dialecticum*, ut jamjam locutus eſt Tertullianus, & ex eo tam multa placita, tam varios nobis cudunt & protrudunt articulos, ut vix quiſpiam ex vulgo toto vitæ tempore eos legere, ne dicam intelligere poſſit; inter quos etiam ſunt quęſtiones *de libero arbitrio, prædeſtinatione & perſeverantiâ ſanctorum*, ut ait Molinęus *en ſes ouvertures ſur l'unité, &c*, & nos docet antiqua praxis Eccleſię univerſæ. Atque ea vocatur ſuperſtitio Theologica, ſeu ſpeculativa; quam diſtinctionem obſervavi in ſcriptis Irenicis Theologorum Tranſylvanię apud Cl. Virum, D. Ioan. Duræum. Altera ſuperſtitio in agendo verſatur, & eſt importunus, ineptus, & inanis Dei cultus, & hęc appellatur practica, Phariſaica, aliquando etiam anilis ſuperſtitio, cum quis alio modo colit Deum quam pręceperit, ad quam non immeritò referri poteſt *otium illud ſabbaticum*, tantoperè hodie decantatum. Hic autem Apoſtolus inter fidei fundamentum, & alia fundamento ſuperſtructa accuratè diſtinguit. Illud ſi deſerueris, actum eſt de te, periiſti: illud ſi retinueris, & ligna & fœnum & ſtipulam ſi superędificaveris, jacturam quidem facturus es, ſed operis ſuperſtructi, non verò ſalutis. *Si cujus opus exuſtum fuerit, damnum faciet, ipſe verò ſalvabitur*, inquit Apôſtolus, ſervato vero fundamento, fide nimirum in Chriſtum. Audiamus, inquam, Uſſerium, magnum illum primatem in concione de unitate fidei in Eccleſiâ Catholicâ: *Rerum copiam*, inquit inter cætera eximia, *continet verbum Dei, & quæcunque in eo inveniuntur, ſunt digna ut addiſcantur: ſed omnes Chriſtianos poſſe unanimiter in omnium veritatum patefactarum confeſſione conventre,*

re,

re optandum quidem, sed sperandum non est. Nibilominus diversitas judicii humani in eo, quod pertinet ad fidem Theologicam, non dissolvit unitatem seu consensum, quem Christiani unà pariterque habent in fundamentis fidei Catholicæ. Vnitas fidei, de quâ loquimur, est Catholica & universalis unitas, & ejusmodi, ad quam unusquisque verus Christianus pervenire potest. donec perveniamus, *inquit Apostolus*, in unitatem fidei. *Quemadmodum una communis est salus, ita una & communis est fides, quæ tam pretiosa est in fidelium minimo, quam in Apostolorum summo. Haud enim putandum est cœlum solummodò fabricatum præparatumque subtilibus & doctis: propterea præter latam illam scientiæ mensuram, quam unusquisque habere nequit, esse debet regula fidei pusillis magnisque communis: quæ veluti ex paucis propositionibus constare debet (nam simplex hominum genus multa portare non potest) ita etiam necessarium est capita illa fundamentalia esse ejus ponderis & efficaciæ, ut hominem possint ad salutem reddere sapientem: Ita tamen ut, quamvis docti in aliis rebus vulgares & plurimos Christianos superent, & inter doctos quidam præ cæteris excellant, respectu harum veritatum fundamentalium, quæ sunt commune & necessarium omnium Ecclesiæ filiorum pabulum, ibi non tantum sit unitas, sed etiam talis æqualitas inter omnes Christianos, qualis quondam erat inter Israëlitas in manna congregatione, ubi nec qui plus colligeret, habuit amplius, nec qui minus comparaverit, reperit minus. Præterea quamvis alter alterum in multis superet, si modo in fundamentalibus conveniant, & adsit peccatorum pœnitentia, & verum seriumque animi propositum observandi mandata Dei; quicunque eo pervenerit, vivit sub gratiâ, & à communione sanctorum excludi non potest.* Hactenus Usserius. Quare ego non possum satis mirari quorundam fastum, seu potius imprudentiam, quâ rigidi quidam homines sibi solis adeo placent, ut à communione aliorum Christianorum abhorrere videantur: quasi verò cum Donatistis ipsi soli essent populus Dei, ipsi soli saperent, & secum omnis sapientia esset moritura. Longè prudentiorem cum multis bonis, nuper se ostendit, in oratione de communione Ecclesiarum, Ioannes Hoornbeeck, in quâ summis elogiis felicissimam illam trium Ecclesiarum, Augustanæ, Helveticæ & Bohemicæ communionem & consensum in Sindomiriensi conventu an. 1570. institutum, & Posnæ & alibi confirmatum extollit, & tandem cum summâ animi affectione &

Paulus Ephes. 4. 13. Iudæ v 3. Tit. 1. 3. 2 Pet. 1, 2.

Aug. ep. 57.

1 Cor. 3. 12. 13. &c.

gaudio sic exclamat: *O factum bene! O praclarum facimus, quod omnes probent, nulli non imitentur, inter Ecclesias vel Confessiones, quas non tum sed semper, non ibi solum at ubique & apud omnes oporteat istum in modum esse confœderatas! Benedicit talibus pacificationibus anima mea, mihique interesse videor Eulogiis & acclamationibus, ubi eas lego, neque aliam mihi mentem unquam opto, quam qua Ecclesiarum unioni ubique semper benè cupiat, precetur, studeat.* Utinam omnibus Christianis semper illa eadem esset mens, idem desiderium! sed si qui aliter sunt animati, eos hortatur Paulus, *ut ambulent ita, ut dignum est vocatione, quâ vocati sunt, cum omni summissione ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes se invicem per charitatem, studentes servare unitatem Spiritus per vinculum pacis. Vnus enim est omnium Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater.* Imitemur itaque Apostolos, qui ob dissensiones Ecclesiarum in doctrinâ non statim ruperunt vinculum charitatis, & statuamus, quod statuendum est, in hac carnis infirmitate vix consensum obtineri posse in omnibus doctrinæ articulis, & sufficere, *si modo conveniamus in capitibus fidei* fundamentalibus, ut loquitur Tertullianus adversus Marcionem lib. 4. cap. 2. in reliquis *unusquisque in suo sensu abundet*, aut *consilio suo remittatur*, ut loquitur Ambrosius, *aut mentem suam sequatur*, ut Beza. Sanctissimi Apostoli & fratres Jacobus & Joannes, paulò ante Christi passionem offenderunt suos collegas: inter Paulum & Barnabam, Christi eximios discipulos, vehemens orta est exacerbatio: Judæi pertinaces legis Mosaicæ observatores turbarunt Ecclesiam Antiochenam, ex paganis conversis constantem; separatam tamen Ecclesiam statim conciliarunt Apostoli Hierosolymis congregati: Galatas seductos, & in Judaismum relapsos, cum nollent obedire decreto concilii Apostolorum, Paulus suâ auctoritate compescuit & pacavit: scissos & divisos Corinthios, quorum quidam etiam resurrectionem mortuorum negabant, Apostolus in Euangelicâ doctrinâ confirmavit, nunc Apostolicâ corripiens & minitans auctoritate, nunc paterno affectu blandiens & exhortans: Paulum secutus est Pauli & Petri discipulus & successor Clemens Romanus epist. ad eosdem Corinthios: Ecclesiæ Asiaticæ, post seculum Apostolicum, cum Romana

Paulus ad Ephes. 4. 5.

na contenderunt de celebratione Paschatis: Africanæ & Ponticæ Ecclesiæ rejiciebant Baptismum hæreticorum, admittebat eum Romana: Post casum Ethnicismi integræ Ecclesiæ ægrè tulerunt concilium Nicænum usum fuisse contra Arrium voce Consubstantialis, rejectâ à septuaginta patribus Concilii Antiocheni contra Paulum Samosatenum. Variæ etiam fuêre contentiones de nominibus *Naturæ, substantiæ, hypostaseos, personæ*. Ipse Sanctus Augustinus, qui gratiam Dei contra Pelagium animosè defendit, multos in Ecclesiâ habuit adversarios, ut Massilienses, Adrumetinos, & alios, nullum tamen iis dixit Anathema, imo & fraternitatis nomen quam amicissimè apud eos, ut & Donatistas usurpavit: Et patrum primitivæ Ecclesiæ opinio circa gratiam & liberum arbitrium, & Augustini in quibusdam mutata, ad hoc usque seculum conservata est libera, ita ut unicuique suâ sententiâ frui licuerit. Hodie vero ex atroci charitatis defectu utraque rejicitur, quamvis in diversis Ecclesiis. Ego à consensu priscæ Ecclesiæ discedere non possum, quæ magnâ prudentiâ utramque opinionem tolerandam judicavit, & semper tolerandam suadet charitas Christiana; præsertim cum utraque pars in suis concionibus, sedulò & fervidè populũ excitet ad pietatem, quæ habet promissiones vitæ præsentis & futuræ. Hæc omnia hodie habent locum apud omnes illos Christianos, qui in fundamentis fidei & salutis conveniunt, qui etiam facilè conciliari possent, si modo tantum apud eos esset charitatis, quantum est odii. Vident hoc multi apud Anglos, Germanos & Gallos Theologi, vident hoc omnes illi, qui intelligunt articulum de justificatione esse articulum stantis & cadentis Ecclesiæ; ut loquuntur apud Duræum Theologi Transylvani, de quâ duo, duorum Cardinalium, præclara dabo testimonia, nequid de reliquis Christianæ religionis sectis, aut antiquorum Patrum sententiâ dicam. B. Bernardus, (ut ex Guilielmo scriptore vitæ ejusdem narrat Hosius Cardinalis in confessione Catholicæ fidei) *fateor*, inquit, *non sum dignus ego, nec possum propriis meritis regnum obtinere cælorum, verum duplici jure id obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet Patris, & merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vendicans non confundor. Sed & Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis,*

sic

sic pergit Hosius, *interrogationes quasdam præscripsisse dicitur infirmis, in extremis constitutis, inter quas extrema est: Credis te non posse nisi per mortem Christi salvari? Respondet infirmus, Etiam. Tum illi dicitur; Age ergo, dum superest in te anima, in hac solâ morte fiduciam tuam constitue: in nulla aliâ re fiduciam habe, huic morti te totum committe, hâc solâ te totum contege, totum immisce te in hac morte, totum confige, in hac morte totum involve. Et si Dominus Deus voluerit te judicare, dic: Domine mortem Domini nostri Iesu Christi objicio inter me & tuum judicium, aliter tecum non contendo. Et si tibi dixerit, quia peccator es, dic: Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi pono inter te & peccata mea. Si dixerit tibi, quod meruisti damnationem, dic: Domine mortem Domini nostri Iesu Christi obtendo inter me & mala merita mea, ipsiusque meritum offero pro merito, quod ego debuissem habere, nec habeo. Si dixerit quod tibi est iratus, dic: Domine mortem Domini nostri Iesu Christi oppono inter me & iram tuam.* Sic etiam eleganter satis de caussâ justificationis formali loquitur Cardinalis Contarenus in tractatu de justificatione: *Quoniam*, inquit, *ad duplicem justitiam pervenimus per fidem, justitiam inhærentem nobis, & charitatem ac gratiam, quâ efficimur consortes naturæ divinæ, & justitiam Christi nobis donatam & imputatam, quoniam inserti sumus Christo, & induimus Christum; restat inquirere utrânam debeamus niti, & existimare nos justificari coram Deo, id est, sanctos & justos haberi. Ego prorsus existimo piè & Christianè dici, quod debeamus niti, niti, inquam, tanquam re stabili, quæ certò nos sustentat, justitiâ Christi nobis donatâ; non autem sanctitate & gratiâ nobis inhærente. Hæc etenim nostra justitia est inchoata & imperfecta, quæ tueri nos non potest, quin in multis offendamus, quin assiduè peccemus. Idcirco in conspectu Dei non possumus ob hanc justitiam nostram haberi justi & boni, quemadmodum deceret Filios Dei esse bonos & sanctos: sed Christi justitia nobis donata, & vera & perfecta justitia est, quæ omninò placet oculis Dei, in quâ nihil est quod Deum offendat, quod Deo non summoperè placeat. Hâc ergo solâ, certâ & stabili nobis nitendum est, & ob eam solam credere nos justificari coram Deo, id est justos haberi, & dici justos.* Et idem: *Experimento videmus viros sanctos, qui quantò magis in sanctitate proficiunt, tantò minus sibi placent, ac propterea tantò magis intelligunt, se indigere Chri-*

sto,& justitiâ Christi sibi donatâ, ideoque se relinquunt, & soli Christo incumbunt. Hoc non ob eam accidit caussam, quod facti sanctiores animis plus videant quam prius, neque quoniam facti sunt animo demissiori & humiliori: imò quantò magis in sanctitate proficiunt, tantò majori sunt animo, tantò sunt perspicaciores. Quamobrem facti perspicaciores, intuentur sanctitatis & justitiæ ipsis inhærentis tenuitatem, cum qua perspiciunt multas maculas, quæ eorum oculos factos perspicaciores magis offendunt: & propterea reipsâ cognoscunt, non sibi nitendum esse sanctitate, charitate & gratiâ sibi inhærente: sed confugiendum sibi esse ad Christum, & ad gratiam Christi ipsis donatam, quâ nitantur & incumbant. Hactenus Contarenus. Bona quidem hæc omnia: sed prǽfervidi & prǽposteri zeli cœcus impetus prǽcipites nos agit, ægritudo multorum mentes furiosè turbans, & obstinatis animis omnia sursum deorsum miscens. Quare *seriò curandum, ut zelus noster sit verè zelus Dei, & secundum scientiam, & ignis sacer*, inquit Spanhemius. *Studendum quoque, ut quo se extendere non potest canon fidei, eò se extendat Canon charitatis, hoc est, ut qui de aliorum fide & sincera pietate fiduciam habere non possumus æquè ac de nostra, judicio tamen charitatis infirmos etiam fide adeòque & sanctitate habeamus pro fratribus, quousque non apertâ impietate seipsos communione Ecclesiæ externa indignos prorsus esse testantur. Scala, quâ in cœlum ascenditur, gradus habet; qui non in mediâ parte consistit, sæpe in imâ consistit, inde deturbatus planè arcetur ab ingressu cœli, admissus verò sensim ad altiores scalæ gradus admitti, & in societatem Ecclesiæ ascendere potest. Expendant hic etiam fratres cum animis suis, an non alios charitatis characteres proponat Apostolus* 1 *Cor.* 13. 5. 7. quippe quæ non cogitat malum, omnia credit, omnia tegit, omnia sperat, omnia sustinet, *quæcunque tegi, credi, sperari & sustineri ullâ ratione possunt. Proclivis admodum in rigore nimio lapsus, & publicanus poenitentiam professus, quamvis nondum actibus crebris pietatis & charitatis testatur, despici tamen non potest, nisi cum pietatis & charitatis dispendio. Non omnium liberorum in domo eadem dona, profectus, robur, nec in domo Dei filiorum ejus* χαρίσματα *eadem; nec idem in omnibus* μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ χριστοῦ. *Et in cœlo diversæ magnitudinis stellæ sunt, stellæ tamen omnes, & in firmamento: sic & in hoc Eccle-*

si e cœlo diversa esse possunt membra, quamvis sive luce fidei, sive calore zeli, sive sanctitatis gradibus disparia. Nec desiit filius hominis ambulare inter candelabra septem, quamvis diversis lampadibus instructa, imo quarum multa excitabant fœtorem, ut patet ex concionibus illis στηλοτεύτικαις, querelisque quas Iohannes audivit de cœlo. Nec ob misturam illam cum alieno metallo desiêre vocari candelabra illa aurea à S. Spiritu, Apoc. 1. 12. *denominatione sumptâ à meliori, si non à majori: prout Apostolus electos ac sanctos vocat cœtus, in quibus tamen infirmi multi reperiebantur & carnales.* Hæc Fred. Spanhemius in epist. ad Davidem Buchananum.

A. C. 140. Hoc anno floruit Justinus Martyr doctrinâ, sanctitate & zelo religionis celebris, natus Neapoli, civitate Palæstinæ, seu potius Samariæ, quæ olim dicta Sichem, patre Prisco Bacchio: educatus in studiis Philosophiæ Platonicæ: qui non sine miraculo ad Christum conversus videtur. Nam cum aliquando in rusculum quoddam solitarium & maritimum cogitaret, ad littus progressus, incidit in senem incognitum, sed aspectu non contemnendum, gravem & prudentem Philosophum, qui eum interrogare quid hic loci ageret? cui respondit Justinus; se meditari ea quæ ad Philosophiam pertinent: tum senex illi dicere, non à Philosophis, sed à Prophetis & Apostolis sapientiam esse petendam. quamobrem domum reversus, ad lectionem S. Scripturæ se contulit, & factus est Christianus. Hæc ipse refert in dialogo cum Tryphone Iudæo in initio. Unde postea abiit Ephesum, & inde Romam, ubi multos ad fidem Christianam convertit Gentiles. In hoc colloquio probat Iustinus à Mose & Prophetis prædictam Christi nativitatem, doctrinam, miracula, mortem & duplicem adventum, tum etiam eundem illum Christum esse Deum, & apparuisse Abrahamo, Jacobo, Mosi, &c. Præterea *non temerè, sed cum judicio*, ut ait Eusebius lib. 4. cap. 7. *relictâ Philosophiâ gentili, ad Christianam transiit*, quia fidelium, in perferendis Martyriis, incredibilem vidisset constantiam. Hæc habet ipse Iustinus apologiâ ad Senatum Romanum: *Itaque quia mortem contemnimus, licet benè de nobis sentire. Nam & ipse, cum Platonicâ disciplinâ delectabar, & audirem Christianos calumniis appeti,* (tria enim grandia vitia objiciebant Christianis Ethnici, Atheismum, epulas Thyesteas

Thyeſtæas & concubitus inceſtos) *nec mortem horrentes, nec aliud quicquam cæteris terribile: cogitabam eſſe impoſsibile tales vitiis ſervire ac voluptatibus. Quis enim voluptati deditus ac intemperans, aut ſuaviter veſcens humanis carnibus, poſſet morte gaudere, ut privetur ſuis deliciis, ac non conaretur potius perpetuò hic vivere, & magiſtratus fallere, tantum abeſt, ut ſeipſum ad necem prodat?* Converſus ergo ad fidem Chriſti, *in habitu Philoſophi divinam diſpenſans doctrinam*, ut inquit Euſebius lib. 4. cap. 11. *commentariis pro fide Chriſti decertavit*, pro cujus etiam gloriâ mortem, quam ſibi ipſe in Apologiâ ad Antoninum Imperatorem prædixerat, glorioſiſſimam perpeſſus eſt.

Opera ejus multa recenſentur ab Euſebio hiſtoriæ Eccleſ. lib. 4. cap. 18. & Hieronymo lib. de Scriptoribus Eccleſ. quorum non pauca temporum injuriâ interciderunt. Hęc autem etiamnum ſuperſunt: Dialogus Epheſi habitus cum Tryphone Iudæo de veritate religionis Chriſtianæ; Apologia pro Chriſtianis ad Senatum Romanum, & Apologia altera, quæ tamen fuit prior, ad Antoninum Pium, Oratio parænetica ad Gentes. Epiſtola ad Zenam & Serenum, & illa ad Diognetum, utrum ſint Iuſtini à quibuſdam dubitatur: illa eſt tota moralis, hæc agit de religione Chriſtianâ, & dicit ſe ea quæ docet ab Apoſtolis accepiſſe, qui ab ipſo Chriſto ea didicerint.

Hoc anno ſummâ cum animi libertate, & valdè intrepidè ſcrip- A.C. 150.
ſit ſuam Apologiam pro Chriſtianis ad Antoninum Pium: Apologiam profectò digniſſimam, ut non ſemel integra cum animi attentione legatur: Apologiam, inquam, quæ verum eſt priſcæ antiquitatis κειμήλιον, & pretioſiſſima primitivæ Eccleſiæ ſupellex. In qua luce meridianâ clarius, accuratam Sacræ Scripturæ conſpicies epitomen, quæ ſimul nobis exhibet, inſtitutæ à Chriſto & Apoſtolis Eccleſiæ præclariſſimum exemplar, &. pulcerrimam ideam.

Quare cum Iuſtinus, in hac ſuâ Apologiâ ad Antoninum, referat non tantum doctrinam & mores Chriſtianorum, ſed & ritus initiandi & baptizandi Chriſtianos, item precandi, Euchariſtiam ce-

lebrandi, die Dominico conveniendi, &c. operæ pretium judicavi ex eo, & aliis primitivæ Ecclesiæ patribus, paucis & breviter formam priscæ Ecclesiæ proponere: quæ quamvis suis temporibus ordine Chronographico passim tradatur, malui tamen etiam eam totam continuâ serie dare, quo facilius lector integram & nudam, uno obtutu, simul conspiciat, quæ in historiâ nostrâ diversis locis per partes demonstratur.

FORMA

FORMA VETERIS,

Primitivæ & Catholicæ

ECCLESIÆ,

quâ interna, quâ externa.

CUm plenitudo temporis, ab æternâ Dei ſapientiâ conſtituta, ut viſibilis Hieruſalem cum externâ & ceremoniali Iudaica religione ceſſaret & evaneſceret, adveniſſet; ejuſdem interitus, & inſtitutio novæ & Chriſtianæ religionis ad producendam internam & ſpiritalem vitæ ſanctitatem, (quæ eſt tanquam nova & cœleſtis Hieruſalem) fuit admodum admiranda: ita ut ex eo manifeſtum fiat, id ab æternâ Dei providentiâ, & divinâ prædeſtinatione profectum, & ſecundum Dei virtutem omnia gubernantem, ſine vi, imo contra omnem vim humanam, peractum eſſe. Quare in primitiva Chriſti illâ Eccleſiâ eminet & emicat ſingularis quidam ſplendor & gloria, quæ in ſequentibus ita non invenitur, ſed peculiaris & propria eſt illi antiquæ Eccleſiæ, quæ ab ipſo Dei Filio extrinſecus inſtituta & fundata, deinde ab Apoſtolis ſuis ſuperſtructa eſt: tanquam divinum & æternum exemplar, ſecundum quod omnes ſequentes & poſteriores Eccleſiæ Chriſti formari, & à quo fidei, vitæ morumque regulam accipere & mutuari debent; ita etiam ut ipſæ illud exemplar fieri nequeant. Nam illa primitiva Eccleſia certa quædam continet privilegia, quibus omnes ſequentes extrinſecus neceſſariò deſtituuntur. Nimirum, externa præſentia, & corporalis converſatio Legiſlatoris & Legatorum ſuorum: manifeſta & viſibilis illa miſſio & acceptio Spiritus Sancti feſto Pentecoſtes: communicatio & diſtributio Spiritus Sancti & divinæ veritatis per Jeſum Chriſtum ejuſque Apoſtolos; cum hodierni Doctores (quoad externam doctrinam) eam non immediatè à Chriſto aut ab Apoſtolis, ſed ex Sacrâ Scripturâ hauriant & conſequantur: & poſtremò miſſio & prædicatio, confirmata per miracula & ſigna ſubſequentia: quod donum miraculorum non tantum ad Apoſtolos, ſed & ad Apoſtolo-

rum discipulos viros Apostolicos, est traductum, imo & postea duravit centenis aliquot annis in Ecclesiâ illâ veteri, ut videre est apud plurimos Patres. Præterea ad majorem hujus sempiterni exemplaris, & divini priscæ Ecclesię fundamenti confirmationem, considerandа venit qualitas hujus Legislatoris, & Legatorum suorum, secundum hominem: & deinde altius ascendendum ad divinitatem ejusdem, & cœlestem virtutem, quâ ejus legati, eorumque discipuli aliquot donati & condecorati fuerunt. His jam dictis prærogativis cum excellat præ cæteris primitiva illa Ecclesia, in eâ omnia accuratè sunt perpendenda, & anxiè observanda, quæ ab exordio nascentis Ecclesiæ per cœlestem illum Legislatorem instituta sunt:

August. in Matth. 11. 28. qui est Veritas, Vita & Via. Errare igitur non vis? ille est vera & unica via: falli non vis? ille est sapientia Dei patris sui & cœlestis veritas: mori non vis? ille est ęterna & beata vita. Divinam illam sapientiam, & cœlestem illam veritatem exemplo & verbis docuit in primitivâ illâ Ecclesiâ ut diximus, Christus & Apostoli, eamque, nobis passim in Sacrâ Scripturâ, quæ est columna & fundamentum & fidei & Ecclesiæ juxta Irenæum, tradiderunt, & præcipuè tribus

Matth. 5. 6. 7. illis apud Matthæum capitibus, in quibus Christus ipse doctrinam Euangelicæ perfectionis proponit suis discipulis, in qua summa hominis felicitas consistit.

Hâc unâ, inquam, concione, *In monte* Patribus dicta, diu à Philosophis quęsitam sed nunquam inventam nobis patefecit viam, quâ itur ab beatam vitam; sed eâ conditione eam proposuit, ut fidelibus & Euangelio obtemperantibus vitam ęternam, & beatam immortalitatem promittat, contra vero infidelibus & immorigeris mortem sempiternam prædicat: quam doctrinam non tantum infinitis miraculis confirmavit, sed & morte suâ vitam illam beatam nobis acquisivit. Cum vero jam instaret mors Christi, & brevi Pascha nostrum ipse futurus esset, post multos eximios sermo-

Ioan. 13. 14. 15. 16. 17. nes habitos ad Apostolos & apud Euangelistam Ioannem memoratos, in sacratissima sua cœna, mysticum illud instituit sacrificium, quo

Matth. 26. obtulit suum corpus & suum sanguinem, hostiam, inquam, εὐχαριστίας, εὐλογίας, μνημοσύνης. Nam *eâ nocte*, inquit Paulus, *qua Dominus*

Marci 14. Luca 22. 1 Cor. 11. *Iesus traditus est, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit, ac dixit: Accipite, edite, hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur, hoc facite*

cite in meam commemorationem. Ad eundem modum & poculum, peractâ cœnâ dicens: Hoc poculum Novum Testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem. Quotiescunque enim comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec venerit: & cum hymnum cecinissent, abierunt in montem Oliveti: ubi Christus proditione Judæ à Judæis captus est, & postridie in arâ crucis verè suum corpus obtulit & sanguinem pro salute generis humani effudit. Eodem die sepultus, tertio verò die à morte resuscitatus est, cui similem resurrectionem per gratiam Dei & mortem Christi & nos exspectamus in illo die. Post resurrectionem, cum quadraginta dierum tempore aliquoties Apostolis apparuisset, loquitur iis de regno Dei, de vita, inquam, illa beata, & postquam iis promisisset adventum Spiritus Sancti, *eritis mihi*, inquit, *testes non solum Hierosolymis, verum etiam in universa Iudæa Samariâque, denique usque ad extrema terræ. Et data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes servare omnia, quæcunque præcepi vobis.* Postquam Dominus hæc Apostolis dixisset, & regulam fidei paucis his verbis dedisset, & duo illa præcipua fidei Christianæ sacramenta Baptismum & Cœnam Domini instituisset, quadragesimo à resurrectione die, *videntibus Apostolis, in altum sublatus, receptus est in cœlum, & consedit à dextris Dei*, &c.

Matth. 26. 29.
Act. 1. 8.
Matth. 28. 18.

Christi mortem, resurrectionem & doctrinam, Apostoli in Actis quâvis occasione apud quosvis multis verbis prædicant, *Domino ubique coöperante, & sermonem confirmante per multa miracula & signa subsequentia.* Ipso festo Pentecostes, quinquagesimo à Christi resurrectionis die, replentur Apostoli Spiritu Sancto, & Petrus tantâ efficaciâ Iudæis in urbe Hierosolymitanâ Christum prædicat, ut eorum ter mille conversi & baptizati sint. *Erant autem perseverantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precationibus*, inquit Lucas: ubi quatuor consideranda veniunt, in hoc Christianorum conventu, ab Apostolis, secundum præceptum & exemplum Christi instituto, in quo consistit forma Ecclesiæ externa. Primò *doctrina Euangelica*, dixerat enim Christus paulo ante ascensionem in cœlum, *docete eos servare omnia quæ præcepi vobis*. secundò com-

Marci 16. 20.
Act. 2. 42. & 13. 2.
Matth. 28. 20.

communicatio, quâ indicatur mutua charitas, tantopere à Christo & Apostolis commendata, cujus magna pars est eleëmosyna, qualis tum temporis erat illa communio bonorum & possessionum, factâ societate quâdam, more Essenorum, quâ viri fœminæque, divites pauperesque de communi & publico vestiebantur, & mensas habe-

Matth. 26. 26. bant communes. Tertiò, *fractio panis*, id est communio corporis & sanguinis Domini, à Christo vesperâ ante obitum suum instituta, quæ aliquoties in Actis ab Apostolis fractio panis nuncupatur.

Coloss 3. 16. *2Pet.* 3. 15 *Ioan.* 17. *Matth.* 26. 29. Quartò, *preces*, gratiarum actiones, laudes, hymni, psalmi, victimæ Christianorum purissimæ, quibus etiam Christus suam cœnam clausit.

A.C. 103. Hi ritus ab Apostolis recepti etiam in cœtu Christiani populi sequentibus seculis sunt observati, ut videre est multis in locis, sed præcipuè in memorabili illâ Plinii ad Imperatorem Trajanum epistolâ, ubi post quorundam Christianorum examen à Plinio institutum, hæc eorum fuit facta confessio: primo *quod essent soliti stato die ante lucem convenire*: secundò, *carmen*, id est hymnum seu psalmum *Christo, quasi, Deo secum invicem, dicere* seu canere: Tertiò, *se sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent*: Quartò, *iis peractis morem sibi discedendi fuisse: rursusque coëundi ad ca-*

A. C. 150. *piendum cibum, promiscuum tamen & innoxium*, id est, ad convivium charitatis, Græcè ἀγάπην, quæ claudebatur aut potius inchoabatur memoriâ mortis Christi, *Iudæ* 12. *Act.* 2. 42. *&c.* Vide epist. Plinii.

Justinus Martyr longè manifestiùs modum celebrandi conventus Christianorum nobis indicat Apologiâ pro Christianis ad Antoninum Pium, ubi sic loquitur sanctus ille Martyr: *Cæterum quomodo nos Deo dicaverimus per Christum exponemus, ne quid malitiosè*

Κατήχησις. *dissimulare videamur. Quotquot persuasi credunt hæc quæ docemus vera esse, & ad eum modum vivere pollicentur: ante omnia discunt precibus &*

Pœnitentia. *jejuniis petere à Deo præteritorum peccatorum veniam, nobis unà preces jejuniaque jungentibus. Deinde ad aquam à nobis ducuntur, & renascuntur modo renascendi, quo & nos renati sumus. Nam in nomine Patris om-*

Baptismus. *nium Dominique Dei, & servatoris nostri Iesu Christi, & Spiritus Sancti in aquâ tunc lavantur: cum venimus ad gratiam baptismi*, inquit Origi-

nes

nes Homilia octava in Exodum, *solum confitemur Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.* Iustini tempore, ut lactis & mellis gustatio, ita & unctio nondum videtur fuisse cognita, sed à lavacro homines statim adducti ad cœtum, in quo & preces & Dominicæ passionis Sacramentum celebrabatur. Et pergit Iustinus: *Rationem ejus rei hanc accepimus ab Apostolis. Quoniam prima nativitas nec scientibus nec volentibus nobis obvenit, ex complexu parentum, humoreque genitali, & accesserunt mali mores ex educatione: ideo ne permaneamus vel necessitatis vel ignorantiæ Filii, sed fiamus potius voluntatis & scientiæ, adipiscamurq; remissionem peccatorum præteritorum per hoc lavacrum, invocatur supra cupientes renasci, & à peccatis resipiscentes, nomen Dei, patris omnium & Domini, invocatur etiam Iesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi nomen, & Spiritus Sancti, qui prophetarum præconiis de Iesu Christo prædixit omnia, atque hoc in lavacro mersati lustrentur.* Et: *nos vero sic ablutum & institutum ad fratres, quos vocant, adducimus, ubi cœtus fiunt, ut tam pro nobis, quam pro recens illustrato precemur, quo inveniamur per veram doctrinam, & bona opera digni observatores custodesque mandatorum; & ut æternam salutem assequamur: post precationem nos salutamus osculo mutuo, deinde affertur Præsidenti panis & calix aqua dilutus: quibus acceptis laudem & gratiarum actionem Patri omnium offert per nomen Filii, Sanctique Spiritus, atque ita Eucharistiam aliquamdiu celebrat. post preces & Eucharistiam totus cœtus accinit, Amen. Absolutâ gratiarum actione Præsulis, & ominatione totius plebis diaconi quos vocamus, dant singulis præsentibus partem panis & calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio, atque etiam deferre sinunt absentibus, hoc autem alimentum apud nos vocatur Eucharistia: ad quod nemo admittitur, nisi qui credit, veram esse nostram doctrinam, ablutus regenerationis lavacro, in remissionem peccatorum, & sic vivens, ut Christus docuit,* &c. *Sicut in rudibus areis,* inquit Lactantius, *priusquam serere incipias, evulsis sentibus, & omnium stirpium radicibus amputatis, arva purganda; sic de nostris animis prius vitia detrahenda, & tum demum virtutes inserenda, de quibus seminata per verbum Dei fruges immortalitatis oriantur.* Pergit Iustinus narrare modum celebrandi conventum illius temporis Christianorum, proximè ab obitu Apostolorum; ut ex hac Iustini Apologiâ & Plinii prædictâ epistolâ & Actorum cap. secundo videre & cogno-

Illuminatis. *Osculum pacis.* *Eucharistia.*

cognoscere liceat, quam simplex tum fuerit Christiana religio, & quæ vitæ innocentia. Adhæc quam atrox gentilium persecutio, quam flagrans Christianorum erga Deum & Christum amor, quæ constantia, quæ patientia; & quid pulcrius, quid utilius, quid magis salutare, quam nosse Ecclesiæ tempora statim post Christi excessum adhuc pura, & mox à morte Apostolorum adhuc integra, & ab omni humanâ additione libera. Hoc est secundum votum B. Augustini, *videre Christum in vitâ, Paulum in ore*: imò hic cum S. Paulo dicere possumus, *hæc à Domino accepimus.*

Die solis, sic pergit Justinus, *tam urbani quam rustici conveniunt, præleguntur* sacra biblia, *prophetarum & Apostolorum scripta*; & sic loquitur cum iis Deus. *post quæ præpositus habet concionem, quâ populum ad honestam & piam vitam exhortatur: Deinde surgunt, & Deum precantur*: & sic congregati loquuntur cum Deo. *finitis precibus, Eucharistia seu cœna Domini in pane & vino aquâ mixto celebratur, quando à præposito multæ preces & gratiarum actiones proferuntur: Diaconi vero consecrata distribuunt: & datâ eleemosynâ finitur conventus.* Vide Irenæum lib. 4. cap. 34. Tertullianum Apologet. cap. 39. Originem adversus Celsum lib. 1. Laodiceni Concilii can. 19.

Habes formam primitivæ Ecclesiæ externam & simplicem, à Christo & Apostolis, ut vidimus, institutam, ab Apostolorum discipulis etiam observatam. Interna vero priscæ & Catholicæ Ecclesiæ forma est, Regula fidei à Christo Matth. 28. 18. paucis & postremis verbis instituta, & ab Apostolis & Patribus ejusdem veteris Ecclesiæ, ex Euangelio & Apostolorum scriptis collecta; quæ est sermo brevis, paucis verbis complectens summam eorum, quæ homini Christiano ad salutem creditu sunt necessaria & sufficientia: *quæ non urbis uniusve ætatis sensus est, sed orbis & seculorum omnium est consensus*, ut alibi loquitur Vossius: quam ubivis pertinaci constantiâ continuatam admirabundus conspicio, & hilari cogitatione complector: quia non est egressa de finibus suis, ut disertè ait B. Hieronymus de verâ Ecclesiâ, sed in tanto variarum opinionum diluvio ad montes Sacræ Scripturæ se recepit, ibidemque salva se continet: nam illa una doctrinæ regulam figit, ut alibi loquitur Augustinus. Sic & B. Chrysostomus, cum alibi, tum ex professo in homiliâ in

Acta 33.

Acta 33. tractans illam quæstionem, quo pacto vera Ecclesia inter plures Societates, quæ hoc sibi nomen vendicant, possit discerni: duo docet esse instrumenta judicandi, & quæstionis hujus decidendæ; primò quidem verbum Dei, tum autem antiquitatem doctrinæ, non ab aliquo recentiore excogitatæ, sed ab ipso nascentis Ecclesiæ principio semper cognitæ. Talis est hæc regula fidei, quam exhibemus, quæ è fonte S. Scripturæ manans, per consensum Ecclesiæ veteris, tanquam per canalem, ad hæc tempora derivata est.

Hæc habet in suâ epistolâ ad Corinthios *Clemens Romanus*, qui vixit an. 95. & fuit Petri & Pauli discipulus & successor; ubi ad contentiosos quosdam fratres sic loquitur Apostolicus martyr: [a] *nonne unum Deum & unum Christum habemus? nonne unus est Spiritus gratiæ, qui super nos effusus est, & una vocatio in Christo?* Vides fidem: [b] *per quam omnipotens Deus, omnes ab initio justificavit,* [c] *quâ omnibus qui credunt & sperant in Deum per sanguinem Christi redemptio futura est.* [d] *Et, quemadmodum futuram resurrectionem nobis continuò ostendit, cujus primitias Dominum Iesum Christum fecit, quem à mortuis suscitavit,* [e] *sic idem rerum omnium opifex resurgere eos faciet, qui in bona fidei confidentiâ religiosè illi inservierunt.* Christus Matth. 25. Johan. 5. & alibi.

[a] Pag. 60.
[b] Pag. 41.
[c] Pag. 17.
[d] Pag. 33.
[e] Pag. 45.

Ignatius, Joannis Evangelist. σύγχρονος, fuit Episcopus Antiochenus annis ferè 40. martyrio mortuus an. C. 110. hæc habet, ad Philadelph, epistolâ genuinâ: *Præcipuum quid habet Euangelium, præsentiam salvatoris Domini nostri Iesu Christi, passionem ipsius & resurrectionem.* Et certè, in duobus his capitibus morte & resurrectione Christi, velut fundamentum totius Christianismi & compendium nostræ fidei continetur: quam ob rem tam accurati sunt Euangelistę, in describenda Christi passione, morte, sepultura, resurrectione, & narrandis diversis ejusdem apparationibus. Idem epist. ad Trallesios editionis Usserii & If. Vossii: *Obsurdescite igitur, quando vobis sine Iesu Christo loquitur quis: qui ex genere David, qui ex Maria; qui verè natus est, comedit & bibit: verè persecutionem passus est, sub Pontio Pilato verè crucifixus & mortuus est, aspicientibus cœlestibus & terrestribus & infernalibus, qui & verè resurrexit à mortuis, resuscitante ipsum patre ipsius: qui & secundum similitudinem nos credentes ipse sic resuscitabit pater ipsius, in Christo Iesu; sine quo verum vivere non habemus.*

Polycarpus Ignatii coœtaneus, sed longævus, & à Joanne constitutus Episcopus Smyrnensis, martyr moritur an. C. 169. *non solum ab Apostolis edoctus, & conversatus cum multis ex iis, qui Dominum nostrum viderunt, sed & ab Apostolis in Asiâ, in eâ, quæ est Smyrnis Ecclesia, constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in primâ nostrâ ætate in epistola ad Philippenses perfectissima*, ut loquitur Irenęus lib. 3. cap. 3. cujus pars hæc est. *Quia fidei vestræ firmitas à principio usque nunc permanet, & fructificat in Domino Iesu Christo, qui sustinuit pro peccatis*

Act. 2. 24. *nostris usque ad mortem: quem resuscitavit Deus, dissolvens dolores in-*

1 Pet. 1. 8. *ferni. Quem cum non videritis, nunc diligitis: in quem nunc non aspicientes creditis: credentes autem gaudebitis gaudio inenarrabili & glorificato (in quod multi desiderant introire) scientes quia gratiâ salvi facti estis,*

Ephes. 2. 8. *non ex operibus, sed in voluntate Dei per Iesum Christum. Propter quod*

1 Pet. 1. 13. *succincti lumbos vestros servite Deo cum timore, & in veritate: dimisso*

Psalm 2, 11 *inani vaniloquio & multo errore. Credite ergo in illum, qui resuscitavit*

1 Pet. 1. 21. *Dominum nostrum Iesum Christum ex mortuis & dedit ei gloriam & sedem in dextra sua: cui subjecta sunt omnia cœlestia & terrestria & subterranea: cui omnis spiritus servit; qui venturus est judicare vivos & mortuos: cujus sanguinem requiret Deus ab iis, qui non crediderunt in eum, qui & resuscitavit eum à mortuis: qui & nos resuscitaturus est in vitâ, si fecerimus voluntatem ejus, & ambulaverimus in mandatis ipsius, & dilexerimus, quæ ipse dilexit, abstinentes ab omni injustitia &c.*

Justinus etiam martyr, & intrepidus athleta Christi, ex Philosopho Platonico ad fidem Christi conversus, hęc habet in Apologiâ ad Antoninum Pium an. C. 150. cujus supra meminimus: *Rerum omnium opificem colimus, non victimis & libaminibus illi ingratis, sed precibus, laudibus & gratiarum actionibus: tum eum, qui nos hæc docuit, & ad hoc natus est, Iesum Christum, crucifixum sub Pontio Pilato, agnoscimus veri Dei Filium, & loco secundo colimus: tertiumque ordine Spiritum propheticum. Duos autem adventus Christi pronunciarunt Prophetæ, alterum jam præteritum, in specie hominis passibilis & contemptibilis: alterum, quando cum majestate Angelorumque legionibus de cœlo venturus prædicatur; excitaturus è mortuis corpora omnium, qui unquam nati sunt, hominum: & dignos quidem induturus immortalitate, iniquos vero unà cum malis geniis missurus in nunquam finiendum incendium*, &c.

Ire-

Irenæus Episcopus Lugdunensis & martyr, Polycarpi discipulus, qui vixit an. 180. lib. 1. c. 2. *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis eorumque discipulis eam accepit fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem: & in unum Iesum Christum Filium Dei, incarnatum pro salute nostrâ: & in Spiritum sanctum, qui per Prophetas prædicavit dispositiones Dei, & adventum, & eam, quæ est ex carne generationem, & passionem, & resurrectionem à mortuis, & in carne ad cœlos ascensionem dilecti Iesu Domini nostri, & de cœlis adventum ejus ad recapitulanda universa, & resuscitandam omnem carnem generis humani &c. ut spirituales quidem nequitias, & Angelos transgressos, & impios injustos & blasphemos homines in æternum ignem injiciat: Iustis autem & æquis, & præcepta ejus servantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia, vitam donans, incorruptionem loco præmii conferat, & æternâ claritate circumdet.*

Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, vir doctissimus, Pantæni discipulus, Originis magister, an. C. 203. Pædagog. lib. 1. cap. 6. *Ipse autem Dominus salutis æqualitatem apertissimè revelavit, cum dixit: Hæc est enim voluntas Patris mei, ut omnis, qui contemplatur filium, & credit in ipsum, habeat vitam æternam, & resuscitabo ipsum in novissimo die. Quatenus ergo fieri potest, in hoc mundo, quem per novissimum diem significavit, qui eousque servatur dum cessaverit, nos perfectos esse factos credimus; fides enim est doctrinæ perfectio: & ideo dicit, qui credit in filium habet vitam æternam; si ergo qui credidimus habemus vitam æternam, quid reliqui est ultra vitæ æternæ possessionem? sed cum illud quod futurum est credere præceperimus, post resurrectionem quod factum est recipimus; ut illud impleatur quod dictum est: fiat secundum fidem tuam. Vbi autem fides, hic promissio; promissionis autem perfectio est requies. Quapropter cognitio quidem est in illuminatione: finis autem cognitionis requies, quod quidem extremum expetendum intelligitur.*

Tertullianus presbyter Carthaginensis lib. de præscript. adversus hæretic. cap. 13. qui vixit an. 204. *Regula fidei est, ut jam hinc quid credamus, profiteamur, illa scilicet, quâ creditur, Vnum omnino Deum esse, nec ullum præter mundi conditorẽ, qui universa de nihilo produxerit, per verbũ suum primò omnium emissum: Id verbum, filium ejus appellatum, in nomine Dei variè visum Patriarchis & Prophetis semper auditum, postremo delatum*

ex Spiritu Dei Patris & virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex eâ natum hominem, & esse Iesum Christum: exinde prædicasse novam legem, & novam promissionem regni cœlorum, virtutes fecisse: fixum cruci: tertiâ die resurrexisse: in cœlos ereptum, sedere ad dexteram Patris: misisse vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat: venturum cum claritate ad sumendos sanctos in vita æterna & promissorum cœlestium fructum, & ad profanos judicandos igni perpetuo, factâ utriusque resuscitatione cum carnis resurrectione. Et idem lib. de velandis virginibus cap. 1. *Regula fidei una est, sola immobilis & irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem,* &c.

Origines Adamantius, qui vixit an. 226, vir excellentis ingenii & doctrinę, & Martyr, Clementis Alexandrini discipulus, hęc habet in procœmio lib. 1. περὶ ἀρχῶν: *Species eorum, quæ per prædicationem Apostolicam manifestè traduntur, ista sunt: Primò quod unus Deus est, qui omnia creavit atque composuit, quique ex nullis fecit universa, Deus à primâ creaturâ & conditione mundi omnium justorum, Deus Adam, Abel, Seth, &c. & quod hic Deus in novissimis diebus, sicut per Prophetas suos ante promiserat, misit Dominum nostrum Iesum Christum, primò quidem vocaturum Israël, secundò vero etiam gentes, post perfidiam populi Israël. Hic Deus justus & bonus, Pater Domini nostri Iesu Christi, legem & Prophetas & Euangelia ipse dedit, qui & Apostolorum Deus est, & Veteris & Novi Testamenti. Tum deinde quia Iesus Christus ipse, qui venit, ante omnem creaturam natus est ex Patre; qui cum in omnium conditione Patri ministrasset (per ipsum enim omnia facta sunt) novissimis temporibus seipsum exinaniens homo factus est: incarnatus est, cum Deus esset, & homo mansit, quod Deus erat. Corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens, quod natum ex virgine de Spiritu sancto est. Et quoniam hic Iesus & natus & passus est in veritate, & non per imaginem, communem hanc mortem verè mortuus est: verè enim à mortuis resurrexit, & post resurrectionem conversatus cum discipulis suis, assumptus est. Tum deinde honore ac dignitate Patri ac Filio sociatum tradiderunt Spiritum sanctum: sanè quod iste Spiritus sanctus unumquemque Sanctorum vel Prophetarum, vel Apostolorum inspiravit, & non alius Spiritus in veteribus, alius vero in his, qui in adventu Christi inspirati sunt, manifestissimè in Ecclesiis prædicatur. Post hæc jam quod anima substantiam vitamque habens*

habens propriam, cum ex hoc mundo discesserit, & pro suis meritis dispensabit, sive vitæ æternæ ac beatitudinis hæreditate potiturâ, si hoc ei sua gesta præstiterint: sive igni æterno ac suppliciis mancipanda, si in hoc eam scelerum culpa detorserit. Sed quia erit tempus resurrectionis mortuorum, cum corpus hoc, quod in corruptione seminatur, surget in incorruptione: & quod seminatur in ignominiâ, surget in gloriâ.

Cyprianus, Episcopus Carthaginensis & Martyr, qui vixit an. 250. epistolâ 73. cap. 2. *Nunquid eundem adserit, quem & nos Deum, Patrem creatorem? nunquid eundem unum filium Christum, de Maria virgine natum, qui sermo caro factus sit, qui peccata nostra portaverit, qui mortem moriendo vicerit, qui resurrectionem carnis per semetipsum primus initiaverit, & discipulis suis, quod in eadem carne resurrexit, ostenderit? Longè alia apud Marcionem & alios hæreticos est fides.*

Videmus ergo veteris Ecclesiæ in fidei regulâ magnum consensum, à quo vir pius & prudens non facilè discedet. Et hic animadversione maximè dignum est, priscæ Ecclesiæ patres non tam viles fuisse animas, quales à quibusdam piæ antiquitatis ignaris malè æstimantur, cum plerique fuerint viri sancti & docti, ut videre unicuique licet, qui positis affectibus eorum scripta legere volet. Præterea primis seculis multi eorum donis miraculorum floruerunt. *Alii enim dæmones ejiciebant, visiones & dictiones propheticas habebant, alii per manus impositionem ægros sanabant, alii per jejunium & supplicationem Ecclesiæ mortuos resuscitabant. Et quemadmodum hæc charismata gratis à Deo acceperant, ita & gratis subministrabant: non invocationibus Angelicis, nec incantationibus, nec aliquâ pravâ curiositate, sed mundè & purè & manifestè orationes dirigentes ad Dominum, qui omnia fecit, ita ut qui mortui resurrexerant, nobiscum multis annis perseveraverint*, verba sunt Irænei lib. 2. cap. 57. & 58. Apud quos ergò tam manifestè & tam efficaciter Spiritus sancti donum miraculorum viguit, an apud illos viros pios, & sanctos Christi martyres, per eundem Spiritum sanctum in omni veritate Christi & Apostolorum doctrinam, & veram illam fidei regulam conservatam dubitabimus? Et nobis in hoc mundi senio, qui non nisi rixas & pugnas spiramus, plenius & copiosius hanc doctrinam suppeditatam persuadebimus? Absit, absit.

Quam

Quam produximus ergo, est illa fides, quam ab initio accepimus, & habemus traditam & servatam in Catholicâ & sanctâ Ecclesiâ usque in hodiernum diem à beatis Apostolis, qui viderunt ipsi, & ministri fuerunt verbi, prædicatam ex lege & Prophetis & Novo Testamento, ut loquuntur omnes omnium ferè seculorum patres, perpetuo & admirando consensu. Hæc est illa *fidei regula à Christo & Apostolis instituta, quæ nullas apud nos habet quæstiones*, ut loquitur Tertullianus lib. de præsc. cap. 14. *nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt. Cæterum manente ejus forma in suo ordine, quantumlibet quæras & tractes, & omnem libidinem curiositatis effundas, si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari, Est itaque frater aliquis Doctor, gratiâ scientiæ donatus; est aliquis inter exercitatos conversatus tecum curiosus, tecum tamen quærens, novissimè ignorare melius est, ne quod non debeas noris, quia quod debeas nosti. Fides, inquit,* Luc. 18.42. *tua te salvum fecit, non exercitatio scripturarum: fides in regula posita est; habes legem & salutem ex observatione legis: exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti. Certè aut non obstrepant, aut quiescant adversus regulam. Nihil ultra scire, omnia scire est.* Hæc est illa ὑγιαίνουσα διδασκαλία, quam tot locis Apostolus commendat, quæ facit Ecclesiam Catholicam, & quam tota Catholica Ecclesia amplectitur: quam Orientalis & Occidentalis Ecclesia laudat & suam esse gloriatur; quam in Occidente & Romana, & omnes ab eâ separatæ Ecclesiæ, suæ fidei regulam agnoscunt. De qua ita loquitur Concilium Tridentinum sessione tertiâ: *Symbolum fidei*, quod vocamus Apostolicum, & simile est cum regulâ fidei primitivæ Ecclesiæ, *quo Sancta Romana Ecclesia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui Christi fidem profitentur, necessariò conveniunt, ut firmamentum firmum & unicum, contra quod portæ Inferni non prævalebunt*, &c. Quod Gersoni est *omnium credendorum ad salutem spectantium compendiosa collectio*. Idem de hoc Apostolico Symbolo sentiunt & pronuntiant, omnes reliquæ in Europâ Ecclesiæ reformatæ, ut videre est in liturgiis Ecclesiæ Augustanæ, Gallicanæ, Anglicanæ, & Belgicæ tam Contra-Remonstrantium quam Remonstrantium, in quibus nec Baptismus, nec Cœna Dominica sine hujus Symboli professione celebratur.

bratur. Eodem modo loquitur de sui seculi Ecclesiis Tertullianus lib. de præsc. cap. 36. *Age jam*, inquit, *qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque. Proximè tibi est Achaja? habes Corinthum: si non longè es à Macedoniâ, habes Philippos, habes Thessalonicenses: Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde quoque nobis auctoritas præsto est, felix statu Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus Dominicæ passioni adæquatus, ubi Paulus Ioannis exitu coronatus*, &c. *Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserârit: Vnum novit Deum Creatorem universitatis, & Iesum Christum ex Virgine Maria, Filium Dei Creatoris, & carnis resurrectionem: Legem & Prophetas cum Euangelicis & Apostolicis literis miscet; & inde fidem potat, Aquâ signat, Sancto Spiritu vestit, Eucharistiâ pascit, martyrio exhortatur, & ita adversus hanc institutionem neminem recipit.* Vides antiquam Ecclesiæ Romanæ fidem, pro quâ gratias agit S. Paulus Deo, *quod fides eorum annunciata esset in toto mundo*; seu, quod fama ejus per universum mundum pervagaretur, Rom. 1. 8.

Et, si quid ego benè judico, omnia creditu necessaria in ordine ad Christianam doctrinam, in formulâ & summario illo Apostolico comprehensa sunt, quod non solummodo ut regulam fidei, sed etiam uti symbolum & tesseram Christianæ religionis primævis Episcopis, seu priscis Ecclesiis Apostoli tradiderunt. Ita ut certò statuendum sit, quidquid Deus non necessarium duxit, in eo fuisse omissum, quicquid vero necessarium judicaverit, fuisse ab iis in illâ fidei normâ constitutum. Nam ad illorum curam & officium pertinebat, totam Dei voluntatem declarare, & alios ducere, sicut ipsi ducti erant, in omnem veritatem. Omnes sequentium seculorum Patres, idem de hac regulâ fidei seu symbolo Apostolico judicant, ut constans inveniatur ea de re omnium consensus ad hæc usque tempora, *ut videre licet in meâ Synopsi*. Unum tantum dabo locum B. Augustini ex homil. 42. *Cum tenueritis Symbolum, ut non obliviscamini, quotidie dicite quando surgitis, & quando vos collocatis ad somnum, reddite symbolũ vestrum, reddite Domino, commemorate, non pigeat vos repetere, bona est repetitio, ne surrepat oblivio. Ne dicatis dixi heri, dixi hodie, sed quotidie dico: cõmemora*

fidem tuam, inspice te: sit tanquam speculum, symbolum tuum. Ibi te vide si credis omnia, quæ te credere confiteris: & gaude quotidie in fide tua; sint divitiæ tuæ, sint quotidiana quodammodo indumenta mentis tuæ, nunquid quando surgis te vestis? sic & commemorando symbolum tuum vesti animam tuam, ne fortè eam nudet oblivio. Vis plura? Princeps & fundamentalis doctrina è tribus Catholicæ Ecclesiæ Symbolis, Apostolico, Nicæno seu Constantinopolitano & Athanasiano eruta, secundum Georgium Calixtum hæc est: *Credo in Iesum Christum, qui sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, unde venturus est judicare vivos & mortuos. Credo carnis resurrectionem, & vitam æternam.*

Credo in Dominum Iesum Christum, cujus regni non erit finis: & exspecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi.

Christus Servator noster, qui conscensis cœlis sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, unde venturus est, ut judicet vivos & mortuos. Ad cujus adventum omnes homines resurgent cum corporibus suis & reddent de factis suis rationem, & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui mala, in ignem æternum.

Unanimis ille omnium Patrum consensus, præcipuè ortum habet ab Apostolo Paulo, 1 Cor. 15. 1. *Notum autem vobis facio fratres Evangelium quod euangelizavi vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salutem consequemini, quo pacto adnunciarim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis inprimis, quod & acceperam: Quod Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris, secundum scripturas, & quod sepultus sit & quod resurrexit tertio die secundum scripturas*, &c. Et v. 13. *Porro si resurrectio mortuorum non est, ne Christus quidem resurrexit, inanis videlicet est prædicatio nostra, inanis autem est & fides vestra: nunc autem Christus resurrexit ex mortuis, primitiæ eorum, qui dormierant, fuit. Postquam enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum; quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes vivificabuntur.* Nam *is traditus fuit propter peccata nostra, & excitatus est propter justificationem nostri* Rom. 4. 25. &c.

Hæc est illa doctrina Euangelica, priscâ, simplici & nudâ veritate munita. Hæc est fides primitivæ, Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ, quam viri Apostolici, Apostolorum discipuli ab Apostolis,

Apo-

Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit. Hi sunt illi ritus, illæ cæremoniæ à Christo & Apostolis institutæ.

Videbimus sequentibus seculis ad lucrifaciendos Christianos, singulari Patrum prudentiâ, ad imitationem Pauli Actor. 17. multa Iudæorum & Paganorum instituta ad pios usus in Ecclesiam Christianam introducta, quæ, consideratâ re, loco, tempore, circumstantiisque aliis, aut cum generalibus Christi præceptis conveniunt, vel saltem pietatem non lædunt: quæ etiam in diversis Ecclesiis diversa sæpè reperiuntur: *sed dissonantia illa rituum, fidei concordiam commendabat*, ut loquitur Irenæus ad Victorem Papam apud Euseb. l. 5. c. 22. *Quæ licet non sequamur*, inquit B. Hieronymus, *damnare tamen non possumus, quia multi Ecclesiasticorum virorum & martyres ea secuti sunt, & unusquisque in suo sensu abundet, & Domini cuncta judicio reserventur.* *Sit ergo*, inquit Augustinus epistolâ 86. ad Casulanum, *una fides universæ, quæ ubique dilatatur, Ecclesiæ, tanquam intus in membris, etiamsi ipsa fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in fide verum est, impeditur. Omnis enim pulcritudo filiæ regis intrinsecus, illæ autem observationes*, illæ cęremonię, illi ritus, *quæ variè celebrantur, in ejus veste intelliguntur. Vnde illi dicitur; In Fimbriis aureis circũ amictâ varietate, sed ejus quoque vestis ita diversis observationibus varietur, ut non adversis contentionibus dissipetur.* Comment. 4. in Hieremiam tom. 4.

Fides illa, *semel data sanctis*, ut loquitur in epistol. Catholicâ Apostolus Judas, nullo tempore augeri aut minui potest: ut passim loquuntur Patres; illa ab initio plena patefacta est, tota tradita est, & perpetuò mordicusque retinenda instar *depositi*. 1 Timoth. 6. & 2 Timoth. 1. legamus igitur vestigia majorum, & ad ipsum fontem accedamus, & si quis volet quid novi nobis obtrudere, eodem adversus illos utamur argumento, quo Dominus adversus Iudæos usus est, *ab initio sic non fuit. Hoc est illud fundamentum*, ut inquit Paulus 1 Cor. 3. 11. *præter quod aliud nemo potest ponere, quam quod positum est. Si quis superstruit super hoc fundamento aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: cujusque opus manifestum fiet, dies enim declarabit quod in igne revelatur, & cujusque opus quale sit ignis probabit: si cujus opus manserit, quod superstruxit, mercedem accipiet: si cujus opus exustum fuerit, damnum patietur,*

Dd 2 *ipse*

ipse vero salvus fiet. Vis addam ipsum illud fundamentum ex ipsoPaulo? *Propè te verbum est, in ore tuo, in corde tuo. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus; nempe si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum excitavit à mortuis, salvus eris.*

Tu quid salute majus quæris? gloriam nempe & splendorem: mihi verò maximum est ut salver, & futura effugiam tormenta: Tu per viam incedis minimè tritam & incessu difficilem, ego vero per regiam & quæ multos salvavit. Ut loquitur ad dictum Pauli locum, magnus ille Theologus Gregorius Nazianzenus in Orat. de modestiâ servandâ in discept. Irenæus adversus hæreses lib. 5. sub finem, cum plurimas & ineptissimas hæreses exposuisset & refutasset, earumque cœcitatem & incertitudinem demonstrasset, sic pro Ecclesiæ priscæ veritate & certitudine concludit: Irenæus, inquam, ille, (qui statim post tempora Apostolorum vixit, & ipse *multos fratres audivit*, ut ipse ibidem testatur, *in Ecclesiâ Prophetica habentes charismata, & per spiritum universis linguis loquentes, & abscondita hominum in manifestum producentes ad utilitatem, & mysteria Dei enarrantes, quos & spiritales Apostolus vocat, (secundum participationem spiritus existentes spirituales)* hæc habet prædicto libro: *Eorum autem, qui ab Ecclesiâ sunt, semita, circumiens mundum universum, quippe firmam habens ab Apostolis traditionem, & videre nobis donans omnium unam & eandem esse fidem, omnibus unum & eundem Deum Patrem recipientibus, & eandem donationem spiritus scientibus, & eadem meditantibus præcepta, & eandem figuram, quæ est erga Ecclesiam, ordinationis custodientibus, & eundem exspectantibus adventum Domini & eandem salutem totius hominis, id est, animæ & corporis sustinentibus, & Ecclesia quidem prædicatio vera & firma, apud quam una & eadem salutis via in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei, & propter hoc sapientia Dei, per quam salvat homines, in exitu canitur, in plateis autem fiducialiter agit, in summis muris prædicatur, in portis autem civitatis constanter loquitur. Ubique enim Ecclesia prædicat veritatem; & hæc est ἑπτάμυξος lucerna Christi bajulans lumen. Qui ergo relinquunt præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt, non contemplantes quantò pluris sit idiota religiosus, à blasphemo & impudente Sophista. Tales*

sunt

sunt autem omnes haretici, & qui se plus aliquid prater veritatem invenire putant, sequentes ea, qua pradicta sunt variè & multiformiter, & imbecillè facientes iter, de iisdem non semper easdem sententias habentes, velut cæci à cæcis circumducuntur, justè cadent in sublatentem ignorantia foveam, semper quarentes & nunquam verum invenientes. Sed dicit aliquis: *si divinis eloquiis, sententiis, promißionibus utuntur haretici, quid facient catholici homines & matris Ecclesia filii? quonam modo in scripturis veritatem à falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnoperè curabunt, quod in principio Commonitorii istius sanctos & doctos viros nobis tradidisse diximus: ut divinum canonem secundum Vniversalis Ecclesia traditiones, & juxta catholici dogmatis regulas interpretentur: in quâ item Catholica Apostolicaque Ecclesia sequantur necesse est universitatem, Antiquitatem, Consensionem. Et si quando pars contra Vniversitatem, novitas contra vetustatem, unius vel paucorum errantium dissensio, contra omnium vel certè multò plurium catholicorum consensionem rebellaverit, praferant partis corruptioni Vniversitatis integritatem: in quâ eadem Vniversitate novitatis profanitati Antiquitatis religionem: itemque in ipsâ Vetustate, unius sive paucißimorum temeritati, primùm omnium generalia, si qua sunt Vniversalis Concilii decreta praponant. Tunc deinde si id minus est, sequantur quod proximum est, multorum atque magnorum consentientes sibi sententias Magistrorum: quibus, adjuvante Domino, fidelitèr, sobriè & sollicitè observatis, non magnâ difficultate noxios quosque exsurgentium hareticorum deprehendemus errores. Hic jam consequens esse video, ut exemplis demonstrem, quonam modo prophana hareticorum novitates, prolatis atque collatis veterum magistrorum concordantibus sibimet sententiis, & deprehendantur & condemnentur. Qua tamen antiqua sanctorum Patrum consensio, non in omnibus divina legis quastiunculis, sed solùm, certè pracipuè, in* FIDEI REGULA *magno nobis studio & investiganda est & sequenda.* Vincentius Lirinensis in suo elegantissimo de prophanis vocum novitatibus libello. *Nobis curiositate opus non est post Christum, neque inquisitione post Euangelium. Cum credimus, nil desideramus ultra credere. Hoc enim credimus, non esse quod ultra credere debeamus.* Tertullianus lib. de præscript. cap. 8.

Sed ideo, dicet preterea aliquis, *simplices notamur apud illos & hoc tantū*

non etiam sapientes : quasi statim deficere cogatur à simplicitate sapientia,
Math. 10. *Domino utramque jungente*: Estote prudentes ut serpentes, & simplices, ut columbæ. *Aut si nos propterea insipientes, quia simplices, nunc ergo & illi non simplices, quia sapientes? nocentissimi autem qui non simplices, sicut stultissimi qui non sapientes. Et tamen malim in eam partem, meliori sumi vitio, si fortè præstat minus sapere, quam pejus; errare, quam fallere.*
Sap. 1. *Porro* facies Dei exspectat in simplicitate quęrẽtes, *ut docet ipsa Sophia, non quidem Valentini, sed Salomonis. Deinde infantes testimonium Christi sanguine litaverunt. Pueros vocem, qui crucem clamant? nec pueri erant, nec infantes, id est simplices, non erant. Repuerascere nos & Apostolus jubet*
1 Cor. 14. *secundum Deum, ut malitiâ infantes per simplicitatem, ita demum sapientes*
Math. 3. *sensibus simus, divinæ sapientiæ ordinem de simplicitate amandō. In sum-*
Gen. 3. *ma Christum columba demonstrare solita est, serpens vero tentare. Illa & à*
Gen. 8. *primordio divinæ pacis præco: Ille à primordio divinæ imaginis prædo. Ita facilius simplicitas sola Deum & agnoscere poterit & ostendere, prudentia sola*
Gen. 3. *concutere potius & prodere.* Tertullianus lib. adversus Valentinianos cap. 2. Quare rectè monet B. Cyprianus, *Dei arcani perspici non posse, & ideo fidem nostram simplicem esse debere*, &c. l. 3. ad Quirinum c. 53.

Quorsum igitur tam frequentes, tam crudeles, inter Christianos ejusdem fidei, disceptationes? quorsum tam acerbæ & atroces verborum pugnæ? *Discite a me*, inquit Christus, *quia ego sum mitis & humilis corde*, &c. Tota salus Christianorum *in credendo & colendo* consistit, ut graviter olim dixit magnus Athanasius, Oratione, Unum esse Christum: *Totus Dei cultus est, benè credere, & benè agere*, ut inquit Petrus Molinæus lib. 1. adversus Perronium cap. 46. *cujus prioris summarium est, symbolum, posterioris Decalogus.* Quæ duo præcipua religionis Christianæ capita accuratè observata, legitimos producunt matris Ecclesiæ filios, homines religiosos & pios.

Pietas autem est, ut hoc addam ex optimo Gerardo Vossio, *ars artium & scientia scientiarum, quæque sola habet promissionem vitæ æternæ: ut propterea sine ea satius fuerit nunquam vidisse hanc vitam. Ea autem partim est credendorum*, de quibus diximus. *partim sperandorum, partim faciendorum; unumquemque examinare se oportet, habeatne fidem, & spem & charitatem.*

Primò ergo despice, an credas omnia à Deo esse creata, atque ejus prudentiâ

dentiâ gubernari universa, ei te omnia debere, in hoc fiduciam reponere, etiam in adversis, quæ bono tuo immittat vel permittat. Credasne item in verbum, quod pro nobis carnem assumpsit, inque eâ pro peccatis nostris passum fuit, ac die illo veniet è cœlis ad judicandum vivos & mortuos. Credasne etiam in Spiritum Sanctum per quem sanctificamur, & membra sumus corporis mystici, cujus caput est Iesus Christus. Hinc vide an speres à Dei misericordiâ, per & propter Iesum Christum remissionem omnium peccatorum, & vitam æternam; uti in se credentibus Christus promisit; sperare igitur hoc licet, si conscius tibi sis quod verè credas. Vt hic quoque locum habeat illud Sallustii : suus cuique animus ex conscientiâ spem præbet. *Sed vera fides non est, nisi sit viva & efficax per charitatem : ut porrò expendere quemque oporteat an habeat charitatem. Vide igitur an Deum Creatorem ames ante omnia : quod non est, si magis ames honores, opes, voluptates carnis; nec enim possumus pariter Deo & Belial inservire: Vide an ames æternum Dei Filium, quod non facis, nisi propter eum paratus sis mundo renunciare, ac potius vitam profundere, quam eum abnegare. Vide etiam an ames proximum, quod non est, si tuis solum commodis studeas, multò minus, si parentibus & aliis publicè aut privatim præfectis, neges honorem debitum: si alienum effundas sanguinem: si alterius thorum macules: si fraude, aut vi, aliena occupes bona : si nomini alieno detrahas: atque adeo si irâ, odio, invidiâ, libidine, alioque affectu velut œstro percitus, tale quid animo concupiscas, utcumque delictum consistat intra cogitationem, quam homines scire non possunt. Vide denique an cum hisce & cæteris vitiis assiduè pugnes, atque in hac pugnâ magis magisque vitia superes. Nam ut B. Augustinus ait,* Ipsa virtus, (*pietatem quoque hoc nomine complectitur*) quid hic agit nisi perpetua bella cum vitiis, nec exterioribus, sed interioribus, nec alienis, sed planè nostris. *Nec cessare in pugnâ hac fas est nobis, quia cum callido & valido hoste negotium est nobis, qui nunquam cessat lacessere: ut si nos paullum cessemus resistere, languidiusve agamus, facilè succumbamus. Scitè illustrat illud B. Hieronymus in tertio contra Pelagianos:* Quomodo qui adverso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, & fluentibus aquis quo non vult ducitur; sic humana conditio, si paullum se remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit. *Quotiescunque ergo à carne, mundo & Satana sollicitamur ad peccandum,*

nun-

nunquam animum sic remittamus, ut amittamus: sed in eo assidui simus, ut carnem rationi, rationem subdamus Deo: donec illic simus, ubi nullum amplius erit certamen, sed pax æterna & BEATA VITA. Vossius libello de cognitione sui. Concludam verbis Tertulliani de præscriptionibus adversus hæreticos cap. 32. *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia, habens Polycarpum ad Ioanne conlocatum refert: sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proinde utique & cætera exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis post blasphemiam inlicitum est? sed etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata & diversitate & contrarietate suâ pronuntiabit, neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque Apostolici: quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciverunt, & aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum præferant, ut multò posteriores, quæ denique quotidiè instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes non minus Apostolicæ deputantur, pro consanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreses ad* utramque formam *à nostris Ecclesiis provocatæ, probent se quaquà putant, Apostolicas,* & cap. 37. *Mea ergo est possessio, quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res, sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Ego sum hæres Apostolorum.* & cap. 38. *Et quid contrarium in nostris? quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei, & in scripturis deprehensum detractione vel adjectione, vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt. Hâc ergò fidei lege manente, cætera jam disciplinæ & conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet & proficiente usque in finem gratiâ Dei.* idem de velandis Virginib. cap. 1.

Cum

Cum vero in ritibus primitivæ Ecclesiæ multa occurrant, quæ hodie in usu non sunt,& proinde tyronibus in Patrum lectione minus versatis fastidium parere possent, dabo iis aliquam lucem, ut obscuriora,quia inusitata,clarius innotescant. Exordium sit veterum Liturgia,Synaxis & Eucharistia Græcis,Latinis Communio,Collecta, & Missa dicta; quæ voces quamvis idem significent, diversas tamen & easdem actiones invicem conjunctas comprehendunt, ut doctrinam Christi, Dei laudes,& gratiarum actiones,precationem,& Symbolorum consecrationem. Audiamus ergo Iustinum Martyrem de ritu celebrandi conventum Christianorum in Apologiâ pro Christianis ad Imperatorem Antoninum Pium scriptâ,de quâ paullò antè diximus.

Die Solis urbanorum ac rusticorum cœtus fiunt, inquit, *ubi Apostolorum commentaria Prophetarumque scripta, quoad fieri potest, prælegun-tur. Deinde cessante Lectore, Præpositus verba facit exhortatoria, populum ad imitationem honestarum rerum invitans. Post hæc consurgimus omnes* (nam stantes orabant & communicabant) *& preces profundimus; quibus finitis, offertur panis, vinum & aqua. Tum Præpositus*, προεστὼς *Græcè, quantum potest preces fundit & gratiarum actiones, plebs vero Amen accinit. Inde consecrata distribuuntur singulis & absentibus*, præsertim infirmis, tanquam necessarium viaticum, *mittuntur per Diaconos. Ditiores*, sic pergit Iustinus, *si libeat, pro suâ quisque voluntate conferunt, collecta deponuntur apud Præpositum: is subvenit pupillis, viduis & propter morbum aliamve necessitatem egentibus, vinctis quoque ac peregrinis, & in summâ curator fit omnium inopum. Conventus autem hos die Solis facimus, quoniam hac die Deus depulsis tenebris, formatâque materiâ mundum creavit: Iesus Christus quoque noster Servator eâdem die resurrexit à mortuis.* sive, quia eo die Deus mundum condidit, & redemit Christus. Idem ferè ordo in communione celebrandâ describitur à Dionysio Areopagita.

Liturgia seu Missa veteris Ecclesiæ. Tertull. apolog. cap. 20. & 31. & ad Scap. c. 2.

Vides Liturgiæ morem antiquum, quem in suis cœtibus observarunt Christianorum primi, ut videre est 1 Cor. 16. tum & quomodo dies solis,id est Dominicus illis sacer fuerit,quo primum facta lectio Sacræ Scripturæ,deinde à Præposito sermo ad populum habitus, & subsecutæ preces à stantibus, demum sanctæ Cœnæ communio, quæ omnia claudit cura pauperum. Quando Iustinus dicit

precibus finitis panem & vinum offerri, oblationes intelligit eas, quæ antea & ad Eucharistiæ usum fieri solebant. Adferebant enim secum fideles panem & vinum, ex quibus Eucharistia administrabatur, & distributebatur populo. Has oblationes Latini etiam sacrificium, Græci προσφορὰν vocabant panis & vini, sed quam singuli & plerumque ditiores tam viri quam fœminæ in usum S. Cœnæ Deo faciebant. Inde in Liturgiâ Iacobi, Sacerdos offerens sancta dona hanc orationem dicit: *Deus &c. benedic oblationi, & eam admitte super cœleste altare tuum; memento (ut bonus & humanus) eorum qui obtulerunt, & propter quos obtulerunt.* Liturgia Chrysostomi appellat *sacra munera*. Cyprianus lib. de eleëmosynâ & opere: *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ Corbonam omninò non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.* Et Augustinus: *Oblationes, quæ in altario consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de alienâ oblatione communicaverit.* Ante inchoatam cœnæ administrandæ actionem, Catechumeni, quia illi nondum baptizati, (nec nisi baptizatis communio impartiebatur) & pœnitentes & energumeni præmissâ ab Episcopo pro iis precatione, altâ Diaconi voce admoniti jubebantur exire, & à dimissis eisdem dicta fuit postea tota illa actio Missa: post quod fores templi claudebantur, & iis clausis sacrum peragebatur, seu sancta cœna celebrabatur cum solis fidelibus; id est, primò precatio, post communio, quæ dicitur secunda oblatio, cum gratâ passionis Dominicæ commemoratione fiebat, quæ ipsa etiam sacrificium dicebatur, & in quâ præcipuus erat Dei cultus, ut videre est apud August. disput. contra Faustum Manichæum lib. 20. cap. 21. & alios. Usus salutandi per osculum pacis, cujus etiam meminit Iustinus, diu in Ecclesiâ fuit innocuus, sed tamen propter abusus postea cessavit. Confirmat hanc consuetudinem à Justino descriptam Canon 19. Synodi Laodicenæ; his verbis: *Quod oporteat seorsim primum post Episcoporum homilias & Catechumenorum orationem peragi; & postquam exierint Catechumeni, eorum qui pœnitentiam agunt fieri orationem; & cum ii sub manum accesserint & secesserint, fidelium preces fieri hoc pacto: unam quidem primam silentio, secundam autem*

Oblatio prima.

August. de temp. serm. 215.

Vide Iustinum Apolog. dictâ.

Oblatio secunda.

autem & tertiam cum elocutione perfici: deinde sic pacem dari, deinde Episcopo presbyteros pacem dare, tum Laicos pacem dare, & sic sanctam peragere oblationem, & solis licere sacratis accedere ad altare & communicare.

Gabriel Albaspinus de veteribus Ecclesiæ ritibus lib. 1. cap. 5. negat ejusmodi oblationes in usum Eucharistiæ à populo factas, quod tamen affirmant Baronius, Bellarminus, Pamelius. Rationes Albaspini sunt, incertum Papæ Pii decretum, & quia panes fermentati non erant apponendi ad corporis Christi consecrationem, cum azymis usus sit Christus. Ego nullam video apud Patres primitivæ Ecclesiæ fieri mentionem panis azymi, & cum B. Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium urgere non desinat in calice vino addendam esse aquam, ex traditione Dominicâ, ut ait, de pane non fermentato nihil omnino movet. Et tametsi panis azymus fuerit, quo usus est Christus, non propterea mihi videtur opus esse ut nos simili utamur pane: nam cum cœnam institueret Christus, ex lege Mosaicâ, non alius panis quam azymus in ædibus esse poterat, ex interdicto Mosaico. *quare summâ prudentiâ & charitate sic suam de utendo pane azymo tuetur consuetudinem Ecclesia Romana, ut Græcos non damnet contrarium morem servantes; ut legitur in Concilio Florentino, & sæpè repetit Gennadius. Ecclesia Genevensis etiam nunc in azymis sacrosanctam Eucharistiam celebrat. Græci vero rem naturâ suâ & confessione Romanorum ἀδιάφορον, id est indifferentem, vertunt, summo revera cum errore, in fidei dogma.* Casaub. exerc. 16. cap. 12.

Baronius an. C. 57. celebrandæ Sacræ cœnæ ritum hoc modo describit: *Populus panem & vinum in Ecclesiâ offerebat, eaque reponebantur in Gazophylacio seu secretario. Diaconus oblationes ad altare deferebat. His per Diaconum sacerdoti Deo offerendis ad altare portatis, præmissis precibus aliisque ritibus, ipse sacerdos præscriptis verbis, quæ Apostolus benedictionem appellat 1 ad Cor. 10. dicens:* Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? *sacrificium conficit. Prolatis igitur his, quæ ad consecrationem spectant, verbis, sacerdos in altum elevat sacrificium. sic itaque oblato sacrosancto illo sacrificio, sacerdos prius, ac mox deinde cuncti fideles participant, secundum illud ejusdem Apostoli:* Panis, quem frangimus, nonne partici-

patio corporis Christi est? *sumpturis sanctam Eucharistiam tabella quadam apponebantur, velut mensulæ, sicut hodie linteamina. Postquam illa tanquam voce præconis acclamata essent*, sancta sanctis: *sacerdos sanctam Eucharistiam impartiens quid daret contestabatur, dicens*: Corpus Christi. *accipiens idipsum verum esse profitebatur, dicens*: Amen. Quare autem Baronius præponat calicis consecrationem, cum Christus in suâ cœna postposuerit, non video; nisi quod fortè sit formula celebrandæ cœnæ posterioris ævi. quod ex eo verum esse puto, quia omnes veterum liturgias inspexi apud Cassandrum, & alios nec alium ordinem, quam quem Christus instituit, invenire potui: & tamen antiquum ritum in conficiendâ, offerendâ & distribuendâ eucharistiâ se velle producere promittit ibidem Baronius, cum recentiorem esse indicet elevatio, & mutata oblationis & distributionis forma, nam ita pergit: *Dabat sacerdos in manus cuiusque sacram Eucharistiam*, quod apud Iustinum fecit Diaconus, *quam sic ille summa cum reverentia ori admovebat. Viris tantum nudâ manu accipere concessum, feminis non nisi linteamine, quod dicitur Dominicale*. sed hoc serius, & primum accidit circa tempora Gregorii Magni, ut videre est canone 36. & 42. synodi Antisiodonensis. Postmodum & hodiè apud quosdam & viris & feminis à presbytero ori communicantis imponitur. *Licebat*, sic pergit Baronius, *etiam particulas Eucharistiæ domum ferre, ibi asservatas singulis diebus participare; quod velle videtur locus epistolæ Basilii ad Cæsaream Patritiam, quod primò cum pœna anathematis prohibitum videtur, circa Hormisdæ Papæ tempora*. Damasi debuisset dicere, an. C. 381. in Synodo Cæsaraugustanâ Can. 3. Idem repetitum concilio Toletano. I. can. 14. *Viguit tamen*, pergit Baronius, *& diu post ea tempora illa consuetudo in Ecclesiâ Orientali. Romana & Hispanicæ Ecclesiæ quotidie Eucharistiam accipiebant, Orientales semel aut bis in anno, circa Pascha nimirum & natalem Domini*: quamvis contra mentem Patrum Orientalium, ut Basilii, Chrysostomi & aliorum, qui hanc in populo negligentiam non semel redarguunt. *sed deficiente populi Christiani zelo, quæ prius erat & dicebatur communio, fieri cœpit spectaculum & acroama*. Casaub. *Ex prædictis illud certum redditur*, inquit Baronius, *quod etsi fideles olim in Ecclesiâ sub utraque specie communicarent, tamen cum in privatis do-*

mibus

mibus ſuis Euchariſtiam acciperent, ſub unâ tantum ſpecie panis aſſumere conſueverant. ſed hæc communio imperfecta erat, nec ita à Chriſto inſtituta, quare etiam poſtea prohibita, ut diximus.

Audiamus de uſu venerabilis hujus Sacramenti Auguſtinum epiſt. 118. ad Ianuarium. cap. 2. *Alii quotidie communicant corpori & ſanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi ſabbato tantum & Dominico: alibi tantum Dominico: & ſi quid aliud hujuſmodi animadverti poteſt, totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes: nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quamcunque fortè devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum eſt.* & cap. 3. *Neuter enim eorum exhonorat corpus, & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum ſacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit, Zachæus & ille centurio, cum alter eorum gaudens in domum ſuam receperit Dominum: alter autem dicit: non ſum dignus ut intres ſub tectum meum: ambo Servatorem honorificantes, diverſo & quaſi contrario modo, ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſequuti. Valet etiam ad hanc ſimilitudinem, quod in primo populo unicuique manna ſecundum propriam voluntatem in ore ſapiebat, ſic in ore cujuſque Chriſtiani ſacramentum illud quomodo ſumatur æſtimandum. Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum ſolum non vult cibus ille, ſicut manna faſtidium.*

Cum autem apud Auguſtinum ſacramenti fiat mentio, obiter monebo ſacramentum & μυϛήριον eſſe apud patres ſynonyma, ac utroque tum laxè & generatim ſignificari rem ſacram arcanam, tum anguſtè & ſpeciatim rem ſacram arcanam, ſymbolicam. Quod verò utrumque ſtrictiſſimè in Eccleſiâ uſurpetur pro re arcanâ, ſacrâ, ſymbolicâ, gratiam ſpiritualem ſignante & efficaciter obſignante, id eſt ab Eccleſiæ Doctoribus: qui cum hujuſmodi ſigna propriam in ſacris litteris appellationem non haberent, generis iis nomen accommodarunt. Eſt quidem hoc vocabulum ἄγραφον eâ ſignificatione, & tamen κατ' ἐξοχὴν eo deſignantur Baptiſmus & *Sacramentum quid.*

 S. Cœ-

S. Cœna: cum inter omnia sacra symbola non dentur præstantiora. *Vossius.* de quibus sic loquitur Augustinus: *Dominus noster Iesus Christus, sicut ipse in Euangelio loquitur, leni jugo & levi sarcina nos subdidit: unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit: sicut est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur*, &c. Cyrillo Hierosolymitano, Ambrosio & plerisque Veterum, qui de sacramentis ex professo scripserunt, tria numerantur Sacramenta, Baptismus, Chrisma seu confirmatio, & Cœna Dominica.

Augus. ep. 118. ad Ianuar. c. 1.

Cassander Liturg c 1.

Baronius an. C. 34. antiquum Judæorum ritum distribuendi sub finem cœnæ Paschalis panem & vinum producit his verbis: *Cæterum ut quæ scripta sunt ab Euangelistis de sacratissimæ Eucharistiæ institutione facilius intelligantur, operæ pretium existimavi hic intexere, quæ in antiquo Hebræorum libro rituali habentur. In Canone enim eorum hæc continentur. In Paschali convivio, posterior quæ esset mensa, non ut in aliis dierum festorum secundis cœnarum mensis bellaria apponerentur, sed tantum à lege institutus cibus. Nimirum primo loco embamma ex intybis & lactucis agrestibus factum, aliisque rebus conditum: inque eum primo paterfamilias intingebat offam azymam, mox cæteri: sic consumebatur. Deinde idem paterfamilias tortam azymam, sed ut aliis volunt dimidiam, sub mappâ hactenus servatam, in frusta frangebat, in tot particulas eam dividens, quot essent in cœnâ discumbentes, sicque divisam singulis porrigebat: quo facto ipse poculum degustatum tradebat proximo, ille secundo, donec poculum per totum convivium circumferretur. Insuper, quoniam secundæ illæ mensæ Iudæorum erant ob accepta beneficia ad gratias Deo agendas potissimum comparatæ; cum in cæteris secundis mensis esset usitata quædam communis benedictionis formula, in Paschali mensâ secundâ, post illam benedictam, cum distribueretur torta azyma, hæc verba idem paterfamilias dicebat: Iste est panis ærumnæ, quem comederunt patres nostri in terrâ Ægypti, quisquis esurit, accedat & peragat Pascha. Post hæc idem accepto poculo benedicebat his verbis: Benedictus es Domine, qui fructum vitis creasti. sicque delibatum, ut dictum est, poculum tradebat proximo, ille secundo, & sic deinceps. Prædicta hæc ex Rituali veteri Iudæorum*

Ritus Iudæorum post cœnam dei Paschatis.

rum accepta, quantum conferant ad Euangelicam historiam de cœnâ Domini intelligendam facilè perspici potest. Dominus enim servato ipso eorum ritu antiquo illud effecit, ut novis benedictionibus additis, novum institueret sacramentum, & quæ in veterum beneficiorum memoriam fuerant instituta, in præstantissimi noviter accepti beneficii commemorationem mutarentur. Hactenus Baronius. Sic, inquam, Christus ad typum Veteris Testamenti in agno Paschali instituit sacramentum gratiarum actionis, benedictionis, & commemorationis passionis Dominicæ; cui addidit ritum Iudæis in convivio Paschali familiarem, ut cum veteri consuetudine ritè Novi Testamenti sacratissimam cœnam institueret, & Iudæos efficacius alliceret. *Sic in Sacerdote Melchisedech sacrificii Dominici sacramentum præfiguratum videmus*, inquit Cyprianus, *secundum quod divina scriptura testatur & dicit: Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum: fuit autem Sacerdos Dei summi & benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in psalmis Spiritus S. ex personâ Patris ad Filium dicens: Ante Luciferum genui te, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens & descendens: quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit; quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Sic & per Salomonem Spiritus Sanctus typum sacrificii Dominici præmonstrat immolatæ hostiæ & panis & vini*, &c. Vide Cyprianum ipsum. *Cyprian. ep. 63 ad Cæcilium.* *Genes. 14.* *Proverb. 9.*

Apud Iustinum in prædictâ Apologiâ, ubi describit Christianorum synaxin, duo præterea consideratione digna occurrunt: primò communio Laicorum, ut loquuntur, sub utraque specie: secundò calix cum vino aquâ mixto. Communicatum æqualiter ab omnibus tam Laicis quam Clericis fuit in primitivâ Ecclesiâ, secundum institutionem Christi, (quam etiam repetit & confirmat Paulus 1 Cor. 11.) nimirum ultra mille ducentos annos. quod constanti usu observatum fuisse in Ecclesiis Occidentis testantur omnium seculorum patres, nec hodie quisquam historiæ sacræ peritus negat. sed an. C. 1415. in Concilio Constantiensi sessione 13. contra Christi insti- *Communio Laicorum in V. E.* *Binius conciliorum tomi 3. parte 3.*

institutionem & antiquam & catholicam Ecclesiæ praxin aliter definitum est, & quidem sub pœnâ excommunicationis, quod sanctus Cyprianus appellasset furtum Spirituale. Orientales autem Ecclesiæ nec ante nec post hoc Concilium unquam aliter communicarunt, quam sub utroque symbolo.

Modus celebrandi sacram cœnam. Sed audiamus ipsius Iustini verba: *Deinde ei, qui fratribus præest, offertur*, in Græco textu est προσφέρεται, *panis & poculum aquæ & vini: quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum Patri per nomen Filii & Spiritus Sancti offert*, Græcè ἀναπέμπει, *& Eucharistiam sive gratiarum actionem, pro eo quod nos donis hisce suis dignatus sit, prolixè exsequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actionem absolvit, populus, qui adest, omnis faustâ approbatione acclamat; dicens, Amen. Præsidens verò postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione latâ eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi atque ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt*, panem, vinum & aquam, *& ad absentes perferunt. Porrò alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia* &c.

Vides precibus & gratiarum actione, peractam consecrationem, unde & tota actio εὐχαριστία, id est gratiarum actio, & εὐλογία, id est benedictio vocatur, quam idem Iustinus in alterâ apologiâ indigetat τροφὴν εὐχαριστηθεῖσαν, id est panem seu potius alimentum per preces & gratiarum actionem consecratum.

Morem miscendi cum vino aquam esse antiquum nemo negare potest, nam ejus meminerunt Justinus, ut vidimus, Irenæus, & alii veterum.

Epist. 63. ad Cæcilium. Vinum cum aq. mixtum. Cyprianus vocat *Dominicam traditionem, ut calix qui in commemorationem Domini offertur mixtus vino offeratur, nam quia nos omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat, videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & conjungitur.* Ita ut, secundum Cyprianum, nec solum vinum, nec sola aqua offerri debeat. Idem voluisse videntur Patres Concilii Carthaginensis III. Can. 24. Et satis verisimile est, cum Orientis vina sint generosa & calida, Christum vino miscuisse aquam, & in eo secutum morem patriæ seu regionis,

ob

ob vini & cœli naturam. Non tamen nisi vini mentionem facit Sacra Scriptura, ita ut sit incertum. Hoc tamen certi statui potest cum Durando in 4. sent. distinct. 11. quæst. 5. & multis aliis non esse de necessitate aut substantiâ sacramenti, & proinde adiaphoron. Concilium Tridentinum contentum est dicere Ecclesiæ hoc esse præceptum, & ejusmodi ritibus non necessariis & incertis Ecclesia Catholica minimè obligatur. Soli in Armeniâ Christiani vino tantum utebantur, quia Sacra Scriptura solius vini meminit.

De modo antiquitus celebrandi σύναξιν, εὐλογίαν, collectam, Missam &c. quem nobis descripsit Iustinus & alii, sic Walafridus Strabo de rebus Ecclesiast. cap. 22. *Quod nunc agimus multiplici orationum, lectionum, cantilenarum & consecrationum officio, totum hoc Apostoli, & post ipsos proximi (ut creditur) orationibus & commemoratione passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter. Vnde circa domos secundum commemorata testimonia Actor. 2. 42. & 20. 7. & 1 Corinth. 11. 23. frangebant panem. Quod etiam cum aliâ sententiâ Lucas declarat dicens: Vno autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem & reliqua. Et relatio majorum est ita primis temporibus missas fieri solitas, sicut modo in Parasceue Pascha (quo die apud Romanos non aguntur missæ) communicationem facere solemus, id est, præmissâ oratione Dominicâ, & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione passionis ejus adhibitâ, eos corpori Dominico & sanguini communicasse, quos ratio permittebat.* Petrus Cirvelus Doracensis in expositione libri missalis in Academiâ Complut. in epist. nuncupat. *Tempore Damasi Papæ Hispani, hoc est circa annum Domini 400 præter secretum Missæ canonem, solum Euangelium prælegebatur publicè in templo Dei fideli populo, quasi sermo quidam præparatorius ante Eucharistiæ consecrationem & sumptionem.* Et: *Legimus circa annos Christianæ salutis 500 ferè jam institutas epistolas in officio Missali,* &c. *sic paulatim ventum est usque ad Pontificatum sanctissimi Gregorii qui circa annum 600 officiorum Missalium scientiam calluit. quare ad majorem Ecclesiæ decorem, Introitum, Graduale, Offertorium & alios cantus chori eidem Officio superaddidit.* Idem in procemio: *nam Apostoli super verba consecrationis panis & vini à Christo accepta solam orationem Dominicam, id est, Pater noster apposuerunt, & statim communicabant, id est Eucharistiam assumebant, & aliis ministrabant. De reliquis* ait Beatus Rhenanus in Tertullianum:

Celebratio Missæ Veteris Ecclesiæ.

Tertull. de coronâ militis.

atque hac & his similia ex conjecturis colligere facile est: Verum certis argumentis astruere difficillimum est, in tantâ rerum obscuritate & consuetudinum varietate, cum desit unus & certus autor quem sequi possimus.

Obiter hoc dicam, quod Græci Λειτουργίαν & συνάξιν, Latini collectam aut Missam dixerunt. Liturgia præcipuus erat Christianorum conventus, quæ vox propriè significat publicum ministerium: & in verbo Dei, & apud primitivæ Ecclesiæ Patres, publicum & sacrum ministerium, seu sacrorum operationem: quæ semper continebat cœnæ Dominicæ celebrationem, ut docent omnes veterum liturgiarum formulæ tam spuriæ quam genuinę: imo ea erat pręcipua liturgię pars, unde etiam dicitur fractio panis, & apud patres familiare est κλᾷν ἄρτον & κλάσις ἄρτȣ, cujus partes erant doctrina Apostolorum, preces, fractio panis seu communio, cum commemoratione passionis Domini. Ut videre est apud Matth. 26. 25. Act. 2. 42. 20. 7. 1 Cor. 10. 16. ut etiam apud Iustinum & alios patres. Et hæc est propriè Missa fidelium; quæ vero fit ante panis fractionem, dicitur missa Catechumenorum: Missa autem dicebatur à dimissione Catechumenorum, ut diximus, ante sacra mysteria. Sic remissa apud Tertullianum lib. 3. contra Marcionem, & Cyprianum ep. 59. & alios, dicitur pro remissione. Reliquiæ autem Cœnæ Dominicæ, Eucharistias, Eulogias seu Communionis, quæ supererant in primitivâ Ecclesiâ custodiebantur ad Agapas, id est ad convivia charitatis, aut distribuebantur pauperibus, aut in timore & tremore Clericorum diligentiâ consumebantur. Erat & alius in primitivâ Ecclesiâ conventus sacer & solemnis, ad preces tantum & lectionem Sacrę Scripturæ, qui etiam vocatur subinde Missa, sed abusivè, magis propriè dicebatur σύναξις seu collecta. Collectæ etiam dicebantur preces, quę in synaxi, missâ, cœtu aut collecto populo dicebantur. *Missa vocabulum est satis antiquum, nam natum jam erat tempore Cornelii Episcopi Romani an. C. 205, si vera est illius epistola ad Lupecinum Viennensem*, ut inquit Casaubonus. Antiquissima Missæ vox est à Clemente *Epist.* 3. ab Euaristo, *inquit Burchardus tertio Decretal. c.* 27. Certius autem à Sancto Ambrosio, lib. 5. epist. 33. *dubitante* Azorio lib. 10. c. 18. quæst. 1. de epistolâ Euaristi. A vulgo potius introducta est vox,

sumpto

sumpto vocabulo à publicis illis verbis, quæ in fine dicuntur, Ite Missa est, *ait Azor. ibidem q.* 1. Hęc Gavantus. *Missæ vocabulo λειτεργίαν sacram & populorum ἄφεσιν, nuncupatam Cornelii Papæ seculo, non injuriâ dubitamus*, inquit Blondellus in suo pseud-Isidoro, cum ante Ambrosium illa vox alibi non inveniatur. Apud Ambrosium vox Missæ est epistolâ 33. & apud Leonem Magnum epist. 88. & 81. Qui plura volet videat de Missâ, Collectâ, de collectione collectarum seu precum in Liturgiâ usitatarum, Beatum Rhenanum in librum de coronâ militis Tertulliani: item Cassandrum de Liturgiis & collectis. Polydorum lib. 4. cap. 11. Bellarm. tom. 3. lib. 1. cap. 1. de Missâ; & Casaubonum exercitat. 16. cap. 28. de sacrosanctâ Eucharistiâ & sequentibus ad cap. 59.

Fuit etiam in usu primitivæ Ecclesiæ ille convivandi ritus secundum præscriptum Christi apud Lucam 14. 13. cujus mentio fit ab Apostolo Iuda v. 12. Luca Euangelista Act. 2. 42. & 20. 7. quo pauperes sumptibus divitum meliusculè, quam pauperum erat vita, habebantur: ubi nullum erat discumbentium discrimen: dives pauperi, & pauper diviti assidebat: de quo hæc habet Tertullianus Apolog. cap. 39. *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit, & vocatur* Ἀγάπη, *quod dilectio penes Græcos est. Quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum, siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus, non quâ penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis, sub autoramento ventris inter contumelias saginandi, sed quâ penes Deum major est contemplatio mediocrium. Si honesta caussa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ de caussa æstimate, quid sit de religionis officio, nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit, non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt: bibitur quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina ut quisque scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere: hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio convivium dirimit: inde disceditur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed in eandem curam modestiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam.* Cypria-

Agape.

Modus convivandi.

nus vocat *Agapen*, *& dilectionem fratrum* lib. 3. adversus Quirinum cap. 3. Ille *promiscuus & innoxius cibus*, cujus meminit Plinius in epistola ad Trajanum, etiam intelligendus est de hoc convivio charitatis. *Convivia non tantum pudica colimus, sed & sobria: nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus*, inquit Minutius in Octavio. Hæc autem convivia fiebant præcedente oblatione mysticâ panis & vini, & gratiarum actione pro muneribus divinis, & speciatim pro morte Christi credentibus impensâ. *Et hoc placuit Spiritui Sancto*, inquit Augustinus epist. 118. ad Januarium, *ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam exteri cibi: nam Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo non præcepit qui deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Cum vero ait Apostolus, de hoc sacramento loquens; propter hoc fratres convenitis ad manducandum invicem exspectate: si quis esurit domi manducet, ait, non ad judicium conveniatis: statim subtexuit; cætera autem cum venero ordinabo: sed nonnullos probabilis quadam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri & accipi liceat corpus & sanguinem Domini. Honestius autem arbitror*, &c. Hunc quoque convivandi morem Græci observabant, ut videre est apud Chrysostomum homil. 27. in epist. 1. ad Cor. c. 11. *statis diebus mensas faciebant communes: & peractâ Synaxi post sacramentorum communionem commune inibant convivium: pauperibus etiam vocatis, & omnibus communiter vescentibus.* vide eundem *in sermone in dictum Pauli, Oportet hæreses esse*: fortè quod absurdum & à more Ecclesiæ alienum videretur, post epulas accedere ad participationem horrendorum mysteriorum, ut inquit idem Chrysostomus. Hæc autem antiquissima in Ecclesiâ convivandi ratio fuit, ut post celebratum sacramentum Eucharistiæ sequerentur Agapæ, *quæ pauperes pascebant, sive frugibus, sive carnibus*, ut loquitur August. adversus Faustum lib. 10. cap. 20. Separata tamen postea videntur mysteria ab illo charitatis convivio propter errores in eo commissos, quos S. Paulus castigat in Corinthiis 1 Cor. 11. 21.

& celebrata sunt in conventibus suis antelucanis, ut est apud Tertullianum *lib. de coronâ militis cap.* 3. Tempore verò Ambrosii & Augustini, quibus illa convivia displicebant, omninò cessare cœperunt: toleravit ea Paulinus, sed non probavit. Prohibuit has Agapas Concilium Laodicenum & Carthaginense, quas antea contra Eustathium probaverat non tantum Concilium Gangrense, sed & anathema dixerat in eas spernentes. Hujus primitivi moris apud Ægyptios diu retenti ac post mutati caussam historicus Socrates lib. 5. cap. 21. ad quorundam *ἀκρασίαν* refert: præterea hæc ejus abrogationis caussa fuit, quia divites gloriabantur se pauperes alere, ac proinde pauperes calumniabantur divites: sic boni mores sæpè tolluntur per eorum abusus: Vestigia tamen illius moris ad modum cœnę Domini cum Apostolis ultimæ mansisse in die anniversario, quo Dominus suam instituerat cœnam, docet nos canon Concilii Carthaginensis: *Sacramenta altaris non nisi à jejunis celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. Nempe eo die Christi exemplum sequi amabant veteres*, inquit Vossius. Vide *August. epist.* 118. *post verba supra citata, cap. 6. & 7. Baronium an. C.* 57. *Estium in* 1 *Cor.* 11. 20. *& Grotium in eundem locum & Matth.* 26. 25. Et tamen Gabriel Albaspinus Eucharistiam cum hoc charitatis convivio conjunctam unquam fuisse disertè negat, *lib. de Veterum ritibus*, ut supra monuimus. *Prisca autem consuetudinis vestigia hodieque Graci servare dicuntur, qui die resurrectioni Dominicæ sacro post sacram mysteriorum communionem allatis in Ecclesiam epulis communiter convivantur, carmen quoque solemne concinunt, quod his verbis constat: χριστὸς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν, θάνατον θανάτῳ πατήσας, καὶ τοῖς ἐν ταῖς μνήμασιν ζωὴν χαρισάμενος. ut olim vir prisca antiquitatis Ecclesiastica peritissimus G. Cassander in liturgicis annotavit. Porrò ἀγάπη Christianorum non multum differt à sacris Romanorum conviviis, qua Charistia dicebantur, in quibus querela affinium & amicorum componebantur. horum meminit poëta lib.* 2. *Fast.*

δεῖπνον κυριακὸν. Paul 1 Cor. 11. 20

Proxima cognati dixêre Charistia chari. Et describuntur à Valerio Maximo lib. 2. *cap.* 17. Iustellus ad can. 70. Cod. can.

Narrat Iustinus in suâ ad Imperatorem pro Christianis apologiâ conventus Christianorum celebratos fuisse die solis, quæ est dies Dominica, *Dies Dominica & Sabbati cultus.*

minica,

minica, quam Apostoli & viri Apostolici præ cæteris non immeritò secundum libertatem Christianam elegerunt, ut eâ populus ad divinum cultum conveniret, quare non abs re erit hic monere, Christianos in quibusdam Ecclesiis, & præcipuè Orientalibus etiam piè coluisse sabbatum, eoque suos cœtus habuisse, in quibus lex ipsa prælegabatur, ut patet Act. 15. 21. qui mansit ad tempora Synodi Laodicenæ, cui visum rectius ut & Euangelia eo die legerentur. quare Balsamo inquit: *A sanctis patribus pœnè per omnia æquati sunt dies sabbati diebus Dominicis*, quos duos dies *fratres* vocat Gregorius Nyssenus *& pulcram bigam Sabbati & Dominicæ diei* Asterius Amaseæ Episcopus. Liber antiquus Constitutionum Clementis dictus lib. 7. cap. 24. *Diem sabbati & diem Dominicam festas habete, quoniam illâ creationis, alterâ resurrectionis memoriæ dicata est.* Idem lib. 8. *Laborent servi dies quinque, sabbato vero & Dominicâ die vacent doctrinæ ad pietatem facienti in Ecclesia.* Socrates lib. 6. cap. 8. *Cum festa cujusque septimanæ occurrebant, videlicet Sabbatum & dies Dominicus, in quibus conventus in Ecclesiis fieri solent.* Canon dictus Apostolicus 65 vetat *jejunare die Dominica & sabbato, uno solo excepto, id est sabbato, ante Pascha, ob sepulturam Domini, luctuoso. Hinc etiam apparet diem Dominicum non esse ab Ecclesia Orientali surrogatum in locum sabbati, sed communi Christianorum quorundam consensu voluntario eum esse additum, quo Dominus resurrexit, quo suos etiam cœtus celebrarent, ut in sua Apologiâ docet* Iustinus. Ille dies *Iudæis dicitur* μία σαββάτων, ut videre est *epistolâ Pauli* 1 *Cor.* 16. 1. *Act.* 20. 7. sed Apocal. 1. 10. vocari videtur dies Dominica. Vide Grotium in explicatione Decalogi, Rivetum, & alios. Idem nomen retinuit Ignatius Ioannis discipulus Epist. ad Magnesios, Dionysius Corinthiorum Episcopus apud Euseb. hist. ecclesf. lib. 4. cap. 22. Clemens Alexand. Stromat. lib. 7. cap. 7. Origines contra Celsum lib. 8. Tertullian. lib. de corona militis. *Diem octavum diem Dominicum esse necesse est*, inquit Cyrillus in Ioh. 20. 26, *nam unâ sabbatorum cæteris apparuit, id est die Dominico. Die postea deinceps octavo, utrisque connumeratis extremis, congregati rursus discipuli præsente Thomâ, simili modo Dominum vident, Iure igitur sanctæ congregationes die octavo in Ecclesiis fiunt.*

Tertull. de Iejuniis.

Cum autem utrumque festum multi Christianorum in primiti-

vâ

vâ Ecclesiâ sine aliquo præcepto celebraverint, mirari satis nequeo quorundam in Angliâ ἀκρίβειαν, quâ hodie diem Dominicum coli volunt, loco & ad modum Sabbati Hebræorum, cum sit diversus à die Sabbati à Deo instituti, dies, nec hoc jussum sit à Christo aut ab Apostolis, nec usitatum in priscâ Ecclesiâ. Sabbati venerationem multi quidem Christianorum, ut diximus, observarunt, sed ad tempus, in gratiam forte Iudæorum, per universum orbem dispersorum, & sine obligatione universali & cultu Iudaico: quod nos manifestè docet praxis Ecclesiæ, & Paulus ad Coloss. 2. 16. ubi negat damnandos Christianos ob sabbata & novilunia non observata, *quæ sunt umbra rerum futurarum*, ut loquitur Apostolus: & liberos eos ostendit ab illa lege, quæ Iudæos constringebat ad absolutum otium, quod jam denuò diversum à præcepto Dei, sine mandato Christi, contra doctrinam Apostoli, & praxin veteris Ecclesię velle introducere, novum est. Et quare umbram retinemus, cum corpus, id est Christum habeamus; *qui delevit chirographum per suam crucem*, &c. Cum vero lex Mosaica per Christum sit sublata, *ne quis vos seducat*, inquit Paulus, vel pro imperio suo vos præmio vestro, id est, libertate vobis per Christum adeptâ, privet, affectans *humilitatem fastuosus*, *& frustra inflatus mente carnis suæ*, ut ibidem loquitur Paulus. Nam eo modo sæpè datur occasio schismati in Ecclesiâ, quæ unicè unitatem requirit. Vide annotata in hunc locum, in Bibliorum novâ editione Belgica, & acta synodi Hollandiæ australis Iselsteynæ celebratæ an. 1626. Iulii 7. articulo 32. Non tamen ullo modo profanandus est dies ille Dominicus, sed piè & religiosè, *cum otio ab operatione peccati*, ut inquit Origines, & in sacrarum rerum auditione, lectione, meditatione & actione, id est oratione & eleëmosynâ, & cum quiete ab opere ordinario & servili celebrandus, non Iudaicè, ut apud Ireneum & Eusebium Ebionęi, sed Christianè κατὰ λατρείαν λογικὴν, nempe excepto casu necessitatis & charitatis: *nam homo non est propter Sabbathum, sed Sabbathum propter hominem*, Marc. 2. 27. Unum addo: Quemadmodum Orientales sabbati die, qui illis etiam erat festus, non jejunabant, ne quid commune hac in parte cum hęreticis haberent; sic fideles Romæ, qui sabbati diebus jejunabant, eosdem ut festos colere nefas ducebant,

bant, ne hoc commune haberent cum Iudæis. *Non amplius sabbatizantes, sed secundum Dominicam viventes*, inquit Ignatius epistolâ ad Magnesios genuinæ editionis Vossianæ, & paulo post: *Inconveniens est Iesum Christum* καλεῖν, vocare nos ad suam Ecclesiam, ut etiam ab ejus nomine dicamur Christiani, *& Iudaizare. Christianismus enim non in Iudaismum credidit, sed Iudaismus in Christianismum, ut omnis lingua, credens in Deum congregaretur* in unam & eandem Ecclesiam. Tertull. 2. ad Marcion. cap. 21. *Nec Sabbathi legem inspicis, opera humana non divina prohibentem. Siquidem sex dies operaberis & facies omnia opera tua, septima autem die Sabbatha Domino Deo tuo, non facies in eo omne opus. Quod? Vtique tuum. Consequens enim est ut ea opera sabbato auferret, quæ diebus supra indixerat. Tua scilicet, id est humana & quotidiana.* Canon. 29. synodi Laodicenæ loquens de sabbato & die Dominicâ, inquit, *vacent tanquam Christiani, quod si inventi fuerint Iudaizare, anathema sit.*

Mihi, ut hoc obiter dicam, minus mirum visum fuisset, si eruditi illi viri, qui tam accuratè dies Dominicos tanquam sabbata Iudæorum observari volunt, ex auctoritate Concilii Apostolici esum sanguinis prohibuissent; cum videamus in primitivâ Ecclesiâ Christianos ab Ethnicis accusatos de epulis Thyestæis se defendisse hac ratione, quod apud ipsos licitum non esset aliquo vesci sanguine, non etiam irrationalium pecudum. *Iustino asscriptus auctor quæstion. ad orthodoxis quæst.* 145. *Tertull. Apolog. cap. 9. & lib. de monogamiâ. Minuit. Felix in Octavio, Canon Apostol. 63. Clemens Alexand. pædag. lib. 3. cap. 3. & Stromatûn lib. 4. Origines lib. 8. contra Celsum, Concilium Gangrense, sextum œcumenicum in Trull. Eusebius de vitâ Constant. lib. 4. cap. 18. 19. 20. Euseb. hist. Eccles. lib. 5. cap. 1.* Antiquissima illa constitutio à Christianis sive spe alliciendi Iudæos, sive vetustatis reverentiâ diu servata est, quam valde commendat perpetua Græciæ Christianæ totiusque Orientis consuetudo, & lex Leonis Imperatoris, *ne ex sanguine cibus conficiatur.*

Ad quam tamen legem sic commentatur Simon à Groenewegen Constitution. Imperatoris Leonis 58. *In Principio Deus Opt. Max. hominibus in escam dedit omnes herbas sementantes semen, quæ sunt in super-*

superficie totius terræ, omnesque arbores, in quibus est fructus arboreus, sementantes semen. Genes. 1. 29. Post lapsum autem Adami & universi orbis diluvium, cum terra à Deo maledicta,& aquis corrupta, non ut antea salutares fructus, sed spinas & carduos proferret, *Genes.* 3. 17. 18. idem ille Deus, ut iram suam adversus genus humanum suâ misericordiâ compensaret, non tantum olera virentia, verum etiam omne reptile, quod quidem vivit, ipsis in cibum dedit, exceptâ carne cum sanguine: *Genes.*9. 3. Etenim ne ex sanguine cibus conficiatur severius interdixit Deus, quia anima carnis in sanguine est, illumque dedit olim hominibus, ut super altari in eo expiarent pro animabus suis,& sanguis pro animæ piaculo esset. *Levit.* 17. 10. 11. hanc autem legem Mosaicam, quamvis temporariam esse constat, tamen ob Iudæos quosdam superstitiosiores, quibus nunquam persuaderi poterat, omnia mundis esse munda, adeòque & ob primordium veritatis & spem futuræ conversionis, ab animante suffocato & sanguine abstinendum pro tempore censuerunt Apostoli. *Actor.* 15. 29. *Canone Apostol.* 62. Erasmus *Paraphras. in dictum cap.* 15. Calvinus *ibidem, & in dict. Levit.* 17. 10. Idque à veteribus quamvis tam anxiè fuerit observatum, ut botuli sanguine distenti tentamenta fuerint Christianorum, *Grot. flor. spars. hic.* successu tamen temporis adeo exolevit, ut iidem botuli porcino sanguine suffarti Christianis hodie in deliciis sint. Hactenus *Groenevvegen.* Alii respondent hanc Apostolorum legem non fuisse universalem, quod patet ex epistolæ inscriptione, sed tantum destinatam ad eos, qui in Palæstinâ aut vicinis Palæstinæ vivebant regionibus, in quibus plurimi habitabant Iudæi: sed constat, hanc legem multis post seculis observatam fuisse etiam in locis à Palæstinâ remotissimis, ut diximus de lege Leonis an. C. 51. Respondet Estius, *non quidem mentem fuisse Apostolorum facere hanc legem universalem & æternam, nam Augustinus contra Faustum dicit illos rideri, qui tangere ista formidant, sed tamen alias Ecclesias hanc legem postea recepisse, & diu retinuisse propter honorem & reverentiam Apostolorum: ratione non planè dissimili, quâ lex V. T. aliquamdiu post Christum à Iudæis Christianis observata fuit, ut, quomodo loquuntur Patres, ad sepulturam cum honore deduceretur.* Multa hinc inde de hac quæstione dici possunt, ego

unum adducam locum Tertulliani de pœnit. c.4. *Nos pro nostris angustiis unum inculcamus, bonum atque optimum esse quod Deus præcipit. Audaciam existimo de bono divini præcepti disputare, neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus, sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequii prior est majestas divinæ potestatis, prior est auctoritas imperantis quam utilitas servientis.* sed redeamus, unde recessimus, ad diem nempe Dominicum, & festa primitivæ Ecclesiæ.

Euseb. de vita Constãt. lib. 4. cap. 18. 19. 20.

Constantinus Imperator apud Eusebium, diem Dominicam & feriam sextam, seu diem ante sabbatum, *qua Christus crucifixus*, coli mandat; imo & diem Dominicum celebrari vult à militibus, quibus formulam precandi præscribit & vetat Codicis Theodosii lib.1. tit. 8. de feriis, Christianos in diem Dominicam & Iudæos in diem sabbati vadari, quod illi dies sacris cœtibus essent dicati. Ibidem hæc habemus: *Post ferias Iuridicas adjiciuntur natalitii dies urbium maximarum Romæ & Constantinopolis: sanctos quoque Paschæ dies, qui septeno vel præcedunt numero vel sequuntur, in eadem observatione numeramus. Nec non & dies Solis, qui repetito in se calculo revolvuntur. Parem necesse est habere reverentiam nostris etiam diebus, qui vel lucis auspicia, vel ortus imperii protulerunt*, &c. Sozomenus hæc paucis perstringit lib. 1. cap. 8. Tertullianus lib. 2. ad Uxorem, *quis denique*, inquit, *solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit*? nam sola Paschatis pervigilia, ævo Tertulliani, peragebantur. & lib. de baptismo cap. 19. festa Paschæ & Pentecostes solemnia dicit ordinandis lavacris. Origines lib. 8. adversus Cellum, festa Christianorum nominat Dominicam, Pascha, & Pentecosten. August. epist. 119. ad Ianuarium: *Domini passio & resurrectio & ascensio ad cœlum, & adventus de cœlo Spiritus Sancti, anniversariâ solemnitate celebrantur.* idem ad eundem epist. 118. *Attende ergo sacratissimum triduum* (*quo ablatus erat sponsus*, inquit Tertullianus) *crucifixi, sepulti & resuscitati Christi.* Isidorus lib. 6. orig. cap. 16. *Et hæc est nox, quæ à nobis, propter adventum regis & Dei nostri, pervigilio celebratur, ut tempus resurrectionis nos non dormientes, sed vigilantes inveniat.* Totam illam septimanam ante festum Paschatis, quam majorem, ob grandia in eâ peracta mysteria, & pœnosam, ob dolores quos in eo pertulit Christus, antiqui vocabant, precibus, lacrymis, & jejunio in mœrore

Festa prisca Ecclesiæ.

rore transigebant, abstinebant Orientales à vino, (non autem Occidentales, ut docet Bellarminus) & à cibis delicatioribus, more Iudæorum, Daniel. cap. 10. 3. & sic armati fletu & jejunio preces fundebant violentas: *Hæc vis Deo grata est* inquit Tertull.apol.c.35. qui voce Græcâ illud jejunium appellasse videtur ξηροφαγίαν: *in siccorum esu, pane scilicet sale & aquâ, per sanctas afflictiones, castitates, vigilias & preces*, ut loquitur Epiphan. hæresi 25, & in compendio doctrinæ Catholicæ: & Socrates lib. 5. c.22. Vide apud Eusebium, quomodo Paschę festum celebraverit Imperat. Constantinus, lib. 1. cap. 22. & 34. de vitâ Constantini, & Gregorium Nyssenum in Orat. de festo Paschæ. Tempore Augustini, ob duorum tantum Christi & Ioannis Baptistę ortum seu natalem, Ecclesia diem festum agere solet, ut videre est sermone 21. & 22. de sanctis. Post tempora Constantini, Natalitium Christi festum primò institutum volunt multi, & tempore Chrysostomi maximè urgebatur, quem vide epist. ad Philogonum. In Oriente dies natalis Christi celebratur sexto Ianuarii, in Occidente 25 Decemb. ut & apud nos hodie. Sed de dierum hac observatione audiamus judicium B. Hieronymi in epist. ad Galat. cap. 4. ubi exprobat Apostolus Christianis Iudaizantibus observationem dierum, mensium, &c. *Dicat aliquis*, inquit, *si dies observare non licet, & menses & tempora & annos, nos quoque simile crimen incurrimus, quartam sabbati observantes, & Parasceuen, & diem Dominicam, & jejunium quadragesimæ, & Paschæ festivitatem, & Pentecostes lætitiam, & pro varietate regionum, diversa in honorem martyrum tempora constituta. Ad quod qui simpliciter respondebit dicet: non eosdem observationis Iudaicæ dies esse, quos nostros. Nos enim non Azymorum Pascha celebramus, sed resurrectionis & crucis: nec septem, juxta morem Israël, numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus Sancti veneramur adventum. Et ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter veniremus; non quo celebrior sit dies illa quâ convenimus, sed quò quâcunque die conveniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia major oriatur. Qui vero opposita quæstioni acutius respondere conatur, illud affirmat, omnes dies æquales esse, nec per parasceuen Christum tantum crucifigi & die Dominica resurgere, sed semper sanctæ resurrectionis esse diem, & semper*

Tertull. lib. de Iejunio.

per eum carne vesci Dominicâ. Iejunia autem & congregationis dies propter eos & à viris prudentibus institutos, qui magis seculo vacant quam Deo; nec possunt imo nolunt toto in Ecclesiâ vita sua tempore congregari, & ante humanos actus Deo orationum suarum offerre sacrificium. Quotus enim quisque est, qui saltem hac pauca qua statuta sunt, vel orandi tempora vel jejunandi, semper exerceat. Hactenus B. Hieronymus.

Addam unum Petavii locum contra Constitutionem de tripli ci trium dierum synaxi, id est quartæ sextæque feriæ (in locum secundæ & quintæ à Iudæis observatæ) à Christianis surrogatæ & Dominicæ, quas Epiphanius etiam Apostolis tribuit in Ancorato, si bene memini. *Haud scio*, inquit Petavius, *an ea satis certò constare queat, nam primis Ecclesia temporibus unus duntaxat Dominicus dies ad eam rem observatus videtur, ut ex Apostolo 1 Cor. 16. colligitur. Quin & Iustinus Martyr Apol. 2. cum de Christianorum conventibus agit, solius Dominica meminit. Quare magis ex privato Ecclesia cujusque ritu, quam ex communi Apostolorum præscripto derivatum existimo, ut quartâ sextâve feriâ, ut etiam sabbato synaxes conventusque fierent. Quam in rem egregius est Augustini locus epist. 118. qui mihi hic asscribendus videtur.* Alia vero, *inquit*, quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quod alii jejunant sabbato, alii vero non: alii quotidie communicant corpori & sanguini Domini: alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur: alibi sabbato tantum & Dominico: & siquid ejusmodi animadverti potest, totum hoc genus liberas habet observationes.

Baptismus veteris Ecclesia.

In exordio primitivæ Ecclesiæ Baptismus, quo inserimur Ecclesiæ, & reddimur membra Christi, qui Cypriano ad Donatum est mors criminum & vita virtutum; quo, secundum Paulum, nova creatura evadimus, fuit simplex, ternâ constans immersione, qui nunc fit ternâ aquæ aspersione. Viri, fœminæ, (quarum baptismo, ut castius fieret, aderant ministrantes Diaconissæ) pueri, nudi omnes baptizabantur, nunc vestiti. *Illa mersatio etiam usitata fuit in baptismo Ioannis Baptista, & vetustior eâ, quam Iudais adhibuerunt cum idololatra aut ad Iudaismum transirent, aut jus hospitii apud ipsos, sub lege vivendi secundum pracepta Adamo & Noa data, impetrarent. Ostendunt*

dunt hoc & acta Apostolica, & Epistola Apostolorum, & Iustinus Martyr. Manus impositas baptizatis nisi ab iis, qui jus haberent conferendi cœlestia illa dona, primis temporibus non apparet: serius id introductum est in Episcoporum honorem, quo magis in Apostolicum jus successisse crederentur: nec caussa aberat, quæ ceremonia illi velut naturalis est, precandi scilicet Deum, ut ei, qui baptizatus jam fidem erat professus, ea largiri vellet, quæ ad perstandum in fide, maximè in periculis gravibus, sunt necessaria. Mihi legendo compertum est, inquit Illustris Grotius, *manuum impositionem Ceremoniam fuisse Iudaicam, usurpatam non lege ullâ divinâ, sed moribus, ubicunque precandi pro aliquo caussa quædam emerserat. Tunc enim Iudæi orabant, ut sic Dei efficacia esset super illum, sicut manus efficaciæ symbolum ei imponebatur. Hunc quoque morem, ut Synagogæ pleraque, secutus est Christus; sive pueris benedicendum fuit, sive ægrotis adhibenda sanatio, additâ, ut semper bonos patri haberetur, prece. Ex eodem more, non ex ullo præcepto, quod Apostoli manus imposuêre iis, quibus ignoto antehac jure, dona conspicua Sancti Spiritus precando conferebant: quod presbyteri eundem ritum adhibuêre non tantum in allegendis presbyteris, puta Timotheo,* 1 Tim. 4. 15. *sed & ipsis Apostolis, ubi novi aliquid operis aggrederentur, Act. Apost.* 13. 2. *Ita ut si quoties manus imponitur, toties Sacramentum est, jam nulla futura sit ad precandum pro aliquo occasio, quæ non eo nomine veniat, quod nec vocis origo, nec veterum in ea usus repudiat. Ex unâ hac non imperatâ sed usitatâ Iudæis Christianisque ceremoniâ exstitere illa quæ dicuntur sacramenta Confirmationis, Ordinationis, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, imo & Matrimonii: nã & in fœdus conjugale convenientibus manus precum indicatrices imposuit vetus Ecclesia: quod nunc quoq; inter alios ritus vetustissimos Abyssini observant. Tertulliani ævo, secundo & deinceps seculis, baptismo accesserunt multa rerum imagines ad loca quædam sacrarum litterarum alludentes, ut mos fuit veterum, non tantum verbis, sed & signis conspicuis loqui: ut lactis & mellis gustatio, quâ velut infantes recens nati alebantur, ex eoque die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinebant. sed maximè placuit talibus signis ostendere, quæ Christus corpore ægrotantibus exhibuerat beneficia, iis paria in animo præstari ab ipso credentibus, & fidem profitentibus aperiri oculos mentis, patefieri aures, morbos auferri, satanæ potentiam infringi. hinc exercismi, hinc epphatha, hinc insputatio, hinc oleum Christo & Apostolis*

χειροθεσία, seu manus impositio.

Grot. epist. 156. *ad Gallos.*

Tertull. lib. de Baptis. & lib. adv. Marcionem &. de corona militis.

 ejus

ejus eorumque adjutoribus circa corporis morbos usitatum, ut Marcus & Iacobus testes sunt. Non satis id visum posteris, nisi & fragrantiore quadam unctione ostenderent, Christianos à Deo lectos & Reges & Sacerdotes. Itaque hac unctio, nec ulla alia subsequens, baptismo accessit apud Græcos perpetuo: & nunc etiam in Occidente diu. Et quid si baptizatus nunquam ungeretur. adde, etiamsi nulla manuum subsequeretur impositio; donis illis, quæ per manuum impositionem conferebant Apostoli, pridem cessantibus? Ad baptismum redeamus. Mos baptizandi infantes probatur ex vers. 13. & 14. cap. 19. Matthæi, sed id multò magis in Africâ quam in Asiâ aliisve mundi partibus fuisse usitatum videtur, & cum majori quadam necessitatis opinione. Tertulliani ævo nihil adhuc definitum apparet de baptismo infantium in ipsa Africa: nam lib. de baptismo cap. 18. multis rationibus dilationem in parvulis suadet. Cyprianus epistolâ ad Fidum, ubi quæstio esset de tempore baptismi infantium, respondet, *in concilio Episcoporum definitum fuisse, à baptismo & à gratiâ Dei neminem debere prohiberi*, ita ut dicant infantem mox natum baptizari posse, sed non jubent statim semper baptizandum; nec adferunt Ecclesiæ in eo consuetudinem, aut vetustius aliquod concilium: libertatem concedunt illius concilii patres, & consuetudinis differentiam indicant. Vide Concilii Neocæsar. can. 6. Nazianzenus dilationem baptismatis quidem improbabat, sed poscendum eum tertio anno, *quia illo anno Dominicam orationem pueri scire poterant*. In Asiâ ipse Nazianzenus Episcopi filius, ut ipse in vitâ suâ docet, & Chrysostomus, non sunt baptizati antequam ex ephebis exiissent. Idem apparet in diversis Imperatoribus, Constantino ejusque filiis, & aliis. Et Græcorum plerique ab omni ævo ad hunc diem morem servant differendi parvulorum baptismum, donec ipsi fidei suæ confessionem possent edere aut intelligere. *Non tamen eam ob consuetudinem, mos infantes baptizandi hodie usitatus repudiandus est*: ut loquitur Walafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 26. Ætate Augustini & ante eam, parvulis data etiam est, post baptismum, panis sacri calicisque alimonia, quam etiam iis non negandam putat Cyprianus, ut paullo ante diximus. *Imo Augustinus epist. 26. ad Hieronymum, & lib. 1. de animâ ejusque origine cap. 9.* & alibi passim infantes, qui citra baptismum discesserunt, adju-

Baptismus infantium.

adjudicat Gehennæ tormentis, sed levioribus: quamvis sibi ipsi adversari videatur lib. 5. de baptismo contra Donatistas & alibi. Sic idem Augustinus, & cum eo Innocentius primus, Eucharistiam etiam infantibus necessariam censuit, quæ sententia diu in Ecclesiâ viguit. *Res autem jam ab Ecclesiâ & multorum seculorum usu, & decreto Concilii Tridentini explicata est, non modo non necessariam illis non esse, sed ne decere quidem dari*, ut inquit Maldonatus in 6. cap. Iohannis. Hæc de baptismo infantium. Cum autem adulti baptizarentur, interrogabantur, utrum abrenunciarent Satanæ, & pompæ & angelis ejus, & secundum Baronium ad an. C. 259. nº. 4. ex legitimis sanctorum martyrum actis, hunc servabant baptizandi ritum: *Rogatur: Credis in Deum patrem omnipotentem? respondetur, credo. Rogatur: Credis in Iesum Christum Dominum nostrum? respontur, credo. Rogatur: Credis remissionem omnium peccatorum? respondetur, credo. Rogatur: credis carnis resurrectionem? respondetur, credo. Tum Episcopus: Baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Diversæ in diversis Ecclesiis proponebantur baptismi candidatis formulæ, quę plerumque comprehendebant fidem, à Christo postremis verbis Apostolis datam Matth. 28 19. & propositum vitæ emendatioris. Philippus in Actis dicit Æthiopi: *si credis ex corde, licet.* *Baptismus adultorum.*

In Sabbato magno seu sancto, quod est pridie diei Paschatis, plurimi baptizabantur, ut ille baptismus esset typus sepulturæ Christi (eo enim die in sepulcro fuit Christus) & postero die, quo resurrexit Christus, baptizati viderentur etiam cum Christo resurgere: sed necesse erat illos, qui volebant baptizati, initio quadragesimæ venire ad Episcopum, ut per totam quadragesimam in fide Christi instituerentur: *Præparabat viam Domino Ioannes*, inquit Cyprianus, *lavando exterius corpora, ut præcederet exterius lavacrum secuturum baptisma, in quo conferretur animarum ablutio, & peccatorum remissio.* Alterum tempus canonicè baptizandi erat sabbatum Pentecostes, quia tum Spiritus Sanctus datus est, per quem fit remissio peccatorum. Ideo autem in Sabbato, quod æterna requies per baptisma acquiratur. Induebant baptizandi vestem albam, cui filum rubrum superfutum: quare dicebatur sabbatum in albis. Candida vestis indicabat mores candidos & innocentiæ stolam; filum rubrum sangui-

nem

nem seu passionem Domini, qui eos mundaverat. Toto octiduo hanc albam vestem gestabant noviter baptizati seu proselyti, ab uno sabbato ad aliud. quare dicebatur septimana seu potius hebdomas in albis; deponebatur illa vestis octavâ sequente festum, quæ dicebatur Dominica in albis. August. serm. 157. Interim parvuli in necessitate ægritudinis, vel persecutionis vel naufragii, omni tempore baptizari poterant. Et si presbyter aut aliquis in clero non adesset, fideli Laico in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, simplici aquâ eos baptizare licebat, quod confirmari potest verbis Tertulliani lib. de baptismo cap. 17. Idem statuit Cyprianus, Nazianzenus, Hieronymus, & Concilium Eliberinum his verbis: *si qui sunt in peregrinatione, & adsint fideles, baptizari possunt in periculo constituti à fideli aliquo.* sed tamen prohibitum est mulieribus.

Plurimæ aliæ sequentibus seculis huic sacramento adnexæ fuerunt ceremoniæ, quarum aliquas referam. In primitivâ Ecclesiâ Christiani dividebantur in Catechumenos, qui instituebantur in religionis rudimentis: Competentes, qui jam idonei baptismum petebant: Electos, qui ex competentibus baptismum consequebantur: Illuminatos, qui jam baptizati, & Ecclesiæ inserti etiam fideles dicebantur. sequebantur scrutinium seu examen, tum & abrenuntiatio Satanæ, confessio fidei, signum crucis, Exorcismus, insufflatio, impositio grani salis in os, admotio meræ salivæ aut cum terrâ mixtæ naribus & auribus, dicta Epphata, impositio manus, inunctio, jejunium, & abstinentia à Venere. Competentes jam baptizandi procedebant cilicio induti, nudis pedibus, capite velato, jejunabant, orabant, largas dabant eleëmosynas, symbolum Apostolorum & orationem Dominicam recitabant. Sacerdotes competentes inungebant, & symbolum & orationem Dominicam iis explicabant. In Occidentalibus Ecclesiis capitilavium, in Mediolanensi etiam pedilavium obtinebat propter Ambrosium, quem vide lib. 3. cap. 1. de Sacramentis, ubi aliquo modo reprehendere videtur Ecclesiam Romanam. Electi tam viri quam mulieres toti nudi baptizabantur in nomine Patris Creatoris, in nomine Filii Salvatoris, in nomine Spiritus Sancti Sanctificatoris. Aderant patrimi & matrimi tanquam testes & sponsores, primò unicus, postea terni: seque-

ſequebatur inunctio, manus impoſitio,&c. Obtinuit etiam conſuetudo ut baptizati altari propius admoverentur, & Euchariſtiæ fierent participes, quæ etiam in Africa & alibi, infantibus, ut diximus, dabatur, quod jam antiquatum. Octavo poſt baptiſmum die inſtituebatur confirmatio, quæ fit ab Epiſcopo per modum unctionis, cum manuum impoſitione, ut factum volunt ab Apoſtolis Actor. 8. 14. Vide *Tertullian. lib. de baptiſmo cap. 9. Cyprianum epiſt. 7.* Unctio autem fit pollice ad modum crucis, idque in fronte & vertice: *& velut in baptiſmo per Spiritum Sanctum datur remiſſio peccatorum, ſic per confirmationem invitatur Spiritus Sanctus, ut in baptizatum deſcendat, & per manus impoſitionem infunditur, ut quis plenus ſit Chriſtianus*, inquit Durandus l.6. c.84. ſed melius ſecundum canones Concilii Ancyrani, illi plenè & perfectè dicuntur Chriſtiani, qui participes fiunt ineffabilis myſterii, per communionem corporis & ſanguinis Chriſti. Quare τὸ τέλειον ſeu perfectio & conſummatio à Patribus vocatur ipſa Euchariſtia, Dionyſio πλείωσις & τελετὴ τελετῶν.

Diverſæ hic enarrantur ceremoniæ, in Eccleſia Occidentali præcipuè uſurpatæ, quarum aliæ ab ipſo Chriſto, aliæ ab Apoſtolis & viris Apoſtolicis, multæ à Papa Damaſo, plurimæ à Gregorio Magno inſtitutæ ſunt: Obſervandæ autem ſemper ſunt illæ, quæ ubique, quæ ſemper, & apud omnes obtinuerunt, ſeu quæ ſecundum conſenſum patrum primorum ſeculorum, in univerſa Eccleſia ſunt uſurpatæ, quas originales vocant: reliquæ ſequentibus ſeculis, & in particularibus Eccleſiis pro ratione loci, temporis, aliarumque circumſtantiarum inſtitutæ, poſtea etiam ſæpe pro ratione loci, temporis, &c. ſunt mutatæ, abrogatæ, abolitæ. Exempli gratiâ: *Quondam durante jejunio*, inquit Albaſpinus, *religione quâdam & triſtitiâ impediti, non audebant ſe Euchariſtiæ pabulo reficere: hujus antiquæ conſuetudinis hæc veluti apud nos impreſſa conſignataque ſunt veſtigia, quod die Veneris ſancto, neque miſſam dicimus, neque quicquam de ſumenda Euchariſtia cogitamus: cujus rei non poteſt afferri veriſimilior ratio, quam quod id à vetere primorum temporum memoria ad nos tranſmiſſum eſt: quia plerique eo die hanc legem nobis imponimus, ut auſtero quodam more ad noctis adventum jejunemus. Hujus antiqui ritus, ſecundum Zonaram & Balſamonem, hæc eſt ratio, quia ſacrificare Deo,*

seu cœnam Dominicam celebrare, festivæ est celebritatis, jejunium verò fit cum mœrore & lacrymis, quæ duo non benè simul conveniunt. Quod quò commodius intelligatur, considerandum quâ in re antiquorum jejunium verteretur: hodierno autem die, aut nostrâ hac ætate tolerabilia ista sunt, & apud nos invaluit ut cum jejunio sit & Eucharistiæ frequentatio & usurpatio. Iejunium igitur veterum non in ciborum aut eduliorum quorundam abstinentiâ temperantiâque, deminutione aut mutatione quâdam tantum positum erat, quemadmodum nos hoc tempore eâ acceptione sumimus, sed eorum publica jejunia non alia erant quam coitio ac veluti conjuratio totius Ecclesiæ contra Deum, ut ita loquar, sanctè inita: quâ communi quodam conspirante consensu, ad Ecclesiam summo manè omnes confluerent, horrido, inculto cinereque consperso sacco squallidi tectique, sese ad Domini Christi conspectum prosternebant, ac omni genere precum, orationum, jejuniorum armati, manantibus ubertim ex oculis lacrymis, magno cum ejulatu cœlum ipsum lacessentes oppugnabant & quasi manu factâ, ut ait Tertullianus, Deum perpellebant ad id quod obnixè peterent concedendum: *atque ita dies noctesque, hoc eo squallore situque propè perditi ac profligati, traducebant. eò pertinent illa Tertulliani, cum ait*, invidiâ cœlum tundimus, Deum tangimus. *Hâc ratione freti fideles nihil non à cœlo extorquebant: sic ut cœlum ipsum ultrò quod exigeretur effunderet: hinc tam multa miracula divinitus facta produntur, ut ipsi primi Christiani pollicerentur se pluviam è cœlo cum vellent expressuros: adeo ut Imperatores famâ harum rerum memorabilium compulsi, quò sitis, quâ conficiebantur armatorum hominum copiæ, restingueretur, ad id à suo Deo postulandum beneficium illos invitarent & sollicitarent*, quando geniculationibus & jejunationibus nostris, *ait Tertullianus*, depulsæ non sunt siccitates? *Quid, quod avertendæ pestis, famis atque belli causâ, non alio armorum genere suffulti Christiani utebantur. Hi sunt fletus clamoresque in cœlum emissi conversique, quibus venti, procellæ, tempestatesque obsecundabant tam promptè, ut ad eorum petitiones obsecrationesque exaudiendas omnia quodammodo elementa conspirarent. Hæc sunt quæ appellabantur antiquorum jejunia.* Hactenus Albaspinus.

Scripserunt autem de ritibus Ecclesiæ diversis seculis diversi; usitatos in primitivâ & priscâ Ecclesiâ, & à Christô aut ab Apostolis institutos produximus ex Iustino, additos ab Ecclesiis sequentibus

bus temporibus docebit Tertullianus, Cyprianus, Athanasius, Epiphanius; Augustinus, & alii. Post hos ex professo de officiis Ecclesiasticis scripsit Isidorus Hispalensis an. 630. & Amalarius an. 830. de divinis officiis Alcuinus magister Caroli Magni an. 780. quæ tamen illius Alcuini, viri pro tempore doctissimi, multi, propter efficaces & prægnantes rationes, esse negant. de rebus Ecclesiasticis Walefridus Strabo an. 849. Rationale divinorum officiorum Guilielmus Durandus an. 1280. Liturgica Georgius Cassander an. 1560. De Veteribus Ecclesiæ ritibus Gabriel Albaspinus an. 1620. Commentaria in rubric. Missales &c. Barthol. Gavantus an. 1634. Et ex præcedentibus lectori evidenter liquere potest, non esse confundendos hos omnes omnium horum scriptorum ritus: nam non sunt omnes ejusdem ecclesiæ, nec ejusdem vetustatis, & proinde nec ejusdem auctoritatis. Quis enim primo nascentis Ecclesiæ tempore institutos in Ecclesiâ ritus non majoris esse dignitatis existimabit, quam qui aliquot post seculis sunt recepti: quorum etiam quidam aut mutati sunt, aut omninò desierunt? *Quæ ex institutione hominum, præter verbum Dei, quamvis piè & prudenter pro tempore in usum ab Ecclesiâ sunt recepta, mutari, molliri, antiquari possunt: & quod Pius 2. de cœlibatu clericorum dicebat, bono olim jure sancitum, meliori nunc iri antiquatum, id in genere de plerisque observationibus Ecclesiasticis, extra verbum Dei introductis, posse usurpari,* inquit Casaubonus ad Peronium. *si ad decidendas hodiernas controversias hæc distinctio adhiberetur, & jus divinum à positivo candidè separaretur, non videtur de iis, quæ sunt absolutè necessaria, inter pios & moderatos viros longa & acris contentio futura: nam & pauca illa sunt, & ferè ex æquo omnibus probantur, qui se Christianos dici postulant.*

Sed ut quædam præcedentia fiant manifestiora, paucis addam ritus, qui à pœnitentibus in primitivâ Ecclesiâ observati fuerunt, quorum magna pars à paganorum sacris ortum ducit, ut videre est apud primitivæ Ecclesiæ patres, & apud Baronium passim, quod etiam testatur Casaubonus exercit. 16. cap. 43. *Nam pii patres,* inquit, *quo facilius ad veritatis amorem corruptas superstitione mentes traducerent, & verba sacrorum illorum quamplurima in suos usus transtulerunt, & cum doctrina vera capita aliquot sic tractarunt, tum ritus etiam non-*

nullos ejusmodi instituerunt, ut videantur cum Paulo Gentibus voluisse dicere, ἃ ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, ταῦτα καταγγέλλομεν ὑμῖν: *quæ creditis & facitis ut pii sitis; ea qui poßint & debeant verè credi fierive, ut sitis revera pii, vos docere volumus.*

In ritibus ergo priscæ Ecclesiæ, *inquit Casaubonus ibidem*, alia observatio erat circa eos, qui ex paganis Christiani fieri cupiebant, alia circa lapsos, id est, eos qui graviore admisso peccato, idololatriâ nempe, homicidio, aut adulterio; commune jus fidelium amiserant, deinde pœnitentes, restitui in priorem locum optabant. Quod ad priores, hi primò dicebantur Catechumeni, & illud tempus vocabatur κάθαρσις, *purgatio*, quo rudimenta fidei docebantur: postea Competentes dicti, baptismatis candidati, quod tempus dicebatur μύησις, *initiatio*, quo perfectiora docti, baptismum & communionem per suspiria & desideria petebant. Postremò dicuntur Fideles & Christiani, & illud tempus τελείωσις, id est, *consummatio & perfectio*, quam & ἐποψίαν vocant, cum sacramentorum & divinarum contemplationum participes, eâ fruuntur perfectione, quæ in hac vita parabilis est. Hæc ferè absolvebantur tempore quinquennii. *Circa lapsos disciplina admodum fuit severa, & prorsus admiranda: cui revocanda in usum operam impendisse,* inquit *Casaubonus, res futura sit Deo gratior absque dubio, quam de fidei dogmatis subtiliter disputare extra scripturas, & omnes dissentientes ferro & flammâ persequi, in quo hodie summus pietatis apex ponitur.* In admittendis ergo lapsis quinque gradus servabantur, idque per diversa ferè loca, antequam ad communionem redirent. Primus locus vocabatur πρόσκλαυσις quasi dicas *prafletus*, in ipso primo aditu templi, separati non solum à fidelibus, sed etiam à Catechumenis, aliquot annos (tres ut plurimum) manebant pœnitentes in squallore. Proximus locus sive gradus dicebatur ἀκρόασις, id est, *auditio*: ibi ut plurimum ad alios tres annos admittebantur pœnitentes, tantum ut audirent verbum Domini, quando in Ecclesiâ legebatur. Tertius gradus sive locus dicebatur ὑπόπτωσις, quasi dicas *humiliatio*; ea fuit quædam interior admissio, ubi tres alios annos stabant pœnitentes, precum Ecclesiæ participes, ut & Catechumeni, quibus exeuntibus ipsi quoque exibant. Restant duo nomina quarti & quinti loci sive gradus, σύστασις & μέθεξις,

Gradus pœnitentiæ circa lapsos. in V. E.

Sozom. lib. 7. cap. 16.

μέθεξις, initiatio & *participatio*. Illa erat ſtatio inter fideles, ubi pœnitentes duos perſæpe annos agebant, quod ad cætera, ejuſdem conditionis cum fidelibus: neque jam cum Catechumenis exibant, ſolâ myſteriorum participatione cæteris fratribus inferiores. Hæc autem, id eſt *μέθεξις*, erat jus communicandi, & ut loquitur Baſilius aliquoties in deſcriptione harum pœnarum, *ἡ κοινονία τοῦ ἀγαθοῦ*, id eſt, *communicatio ipſius boni*. Abſolvebantur autem plerumque hæ pœnæ ſeu animadverſiones, ſpatio annorum ferè duodecim. Plena ſunt Patrum monumenta, præſertim Auguſtini, teſtimoniis hujus neceſſariæ obſervationis. *Vide de Catechumenorum pœnitentia Albaſpinum lib. 2. de veteribus Eccleſiæ ritibus, & Chriſtophori Iuſtelli notas in canonem 25. Codicis Canonum univerſæ Eccleſiæ.*

Vide epiſt. canonicam Greg. Thaumaturgi.

Ego autem mirari ſatis nequeo, Eccleſiæ in hiſce ritibus auſteritatem, cum habeamus Deum & Dominum tam mitem, tam benignum. Fuit tamen cæteris lenior circa lapſos, Eccleſia Romana, iiſque auctor fuit, ut poſt longa pœnitentiæ tempora ad communionem reciperentur. Diſplicuit hoc Novatiano & Novato, qui hac de cauſſa ſchiſma fecerunt. Queritur etiam Tertullianus, à Papa Zepherino admiſſos ad pacem Eccleſię, mœchos. At verò id non fuiſſe novum, ſed vetus Romę, docet nos paſtor Hermę 2. 4. ſed de ſemel tantum lapſo agens, non de iterum lapſo: quam diſtinctionem etiam habes apud Clementem Strom. 2. At ſententia Romanę Eccleſię de lapſis in idololatriam, parique modo de lapſis in homicidium, placuit magnę ſynodo Nicænæ, ut ex ejus canonibus videre eſt. Lapſorum in idololatriam alii dicebantur Libellatici, qui, cum libello teſtati fuiſſent magiſtratui, ſe Chriſti fidem abnegare, à magiſtratu libellum ſecuritatis accipiebant; alii vero vocabantur Sacrificati, qui ſe ſacrificio idolorum polluerant.

Indulgentia

In Eccleſia primitiva etiam ſubinde fit mentio Indulgentiarum, ſed in alia prorſus ſignificatione, quam hodie; nihil enim aliud erant, quam abbreviatio temporis publicæ pœnitentiæ, præſcriptæ canonibus pœnitentialibus: quæ abbreviatio fiebat ex judicio cujuſque Epiſcopi in ſua diœceſi. Vide canonem quintum ſynodi

Ancyranæ & canonem 11. & 12. Concilii Nicæni. De indulgentiis hodiernis, earumque origine incertâ vide Bellarminum de Indulgentiis lib. 2. cap. 17. & alios.

Confessio publica. Veteris Ecclesiæ patres etiam meminerunt cujusdam confessionis, quam ἐξομολόγησιν Græco vocabulo appellant., quâ, ut inquit Tertullianus lib. de pœnit. cap. 9. *delictum Domino nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentiâ Deus mitigatur. Itaque Exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem*, aut potius conversionem, *injungens, misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare; cæterum pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet sed animæ caussâ: plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus deprecationis suæ legationes injungere. Hæc omnia exomologesis: ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuncians, Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expunget. Cum igitur provolvit hominem, magis relevat: cum squallidum facit, magis mundatum reddit: cum accusat, excusat: cum condemnat, absolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.* Hæc omnia continet exomologesis, quam etiam vocat *publicationem sui*, (erat enim confessio & pœnitentia publica) & *tabulam post naufragium*. S. Cyprianus epist. 11. carpit facilitatem martyrum & Confessorum. & epist. 12. presbyterorum & Diaconorum, quâ illi lapsos restitui volebant, hi verò communioni Ecclesiasticæ restituebant. Vide etiam ejusdem tractatum de Lapsis, ubi videbis multa de Exomologesi tum publicâ tum privatâ, &c. cum autem illa sit abrogata, seu potius in desuetudinem abierit, paulatim & subsecuta sit privata, quando hoc acciderit à diversis quæritur. *Confessio privata.* Tempore Cypriani ortum habuerunt Novatiani, qui lapsis in grave peccatum & abstentis negabant restitutionem in integrum: quando *Episcopi Canoni adjunxerunt, ut singulis Ecclesiis presbyter quidam pœnitentiæ præesset, coram quo qui post baptis-*

baptismum lapsi esse‍t, peccata sua confiterentur, ut habet Socrates lib. 5. cap. 19. Quem presbyterum pœnitentiarium quare Nectarius Episcopus Constantinopolitanus Constantinopoli, in Græciâ, Asiâ, & alibi aboleverit, vide apud eundem Socratem loco dicto, & apud Sozomenum lib. 7. cap. 16. Nec ubivis illa consuetudo tum temporis videtur recepta, nam Augustinus lib. 10. confess. cap. 3. ait: *quid mihi est cum hominibus, ut audiant confessiones meas, quasi sanaturi essent languores meos? curiosum genus hominum ad cognoscendam aliorum vitam, desidiosum ad corrigendam suam.* Vide Chrysostomum Nectarii in Episcopatu successorem, qui confitentes passim ablegat ad Deum, & Erasmum in B. Hieronymum, Beatum Rhenanum in lib. Tertulliani de pœnitentiâ, & de exomologesi seu confessione & pœnitentia contra Baronium, Bellarminum & Pamelium Gab. Albaspinum lib. 2. cap. 26.

Hoc loco breviter addam primam primitivæ Ecclesiæ fabricam, & quomodo Apostoli cum Christo retinuerint pleraque optima synagogæ instituta. Et siquis ea, quæ Hebræi eâ de re scripsêre, cum moribus antiquæ Ecclesiæ comparet, miram inveniet congruentiam. Verissimum enim est, quod virdoctissimus Hugo Broughtonus ad Danielem notavit, nullos à Christo institutos ritus novos. Baptismus in more erat Hebræorum, quoties aliquis ab Idololatriâ ad Iudaismum accederet. Meminit sæpe Maimonides, & in hunc diem mos ille apud Iudæos manet. Ioannes Baptista ut ostenderet Iudæos, quanquam unius Dei cultum profitentes, moribus eâ ætate non minus fuisse corruptis, & à lege Dei dissentaneis, quam ii erant qui falsos Deos colebant, ac proinde expurgationis egentes, à pari ad par translato veteri baptizandi ritu id ipsum significavit. Servavit morem in utroque hominum genere Christus, additâ professione sui quoq; nominis & promisso Spiritus Sancti. Manus imponere iis, pro quibus Deum precabantur, ad significandam per hoc symbolum spem divinæ efficaciæ, quæ iis optabatur, vetus erat apud Hebræos consuetudo. Num. 27. 18. 20. 2 Regum 5. Retinuêre Apostoli illum morem, sed sine præcepto, Act. 4. 30. & alibi, atque inde ritus orandi pro ægrotis, confirmandi baptizatos, ordinandi pastores, absolvendi criminum sontes, & quod nunc quoque in Oriente manuum impositione peragi-

Christus in formanda Ecclesia imitatur synagogam.

Scaliger de emendatione temp. lib. 6.

Baptismus V. T.

Baptismus N. T.

Manus imposit.

peragitur, matrimonii benedicendi, velut in rivos plures uno ex fonte fluxit. Mos erat Hebræis, (ut paulo ante Baronius) qui & nunc manet, festis diebus, quos bonos vocant, vocare ad cœnam propinquos, vicinos aut amicos, supra decem, infra viginti, quæ erat justa sodalitas, sive φϱατϱία, exponente Iosepho. Cœnæ fine, panis melior & frangi facilis, adferebatur: de eo particulas convivator dividebat convivis: adferebatur & calix, qui & ipse à convivatore libatus, ibat in orbem. Addebantur verba Deo gratias agentia, quod creasset panem ex terra, ac fructum vitis, γέννημα ἀμπέλου. Accedebat historiæ ad diem respondentis grata commemoratio, ὕμνος εὐλογίας seu εὐχαριστίας, quæ duo idem valent; In Paschate, pro exitu ex Ægypto: in Pentecoste, pro datâ lege; in σκηνοπηγίαις, pro ductu & alimentis per loca deserta. Christus adjici voluit mortis suæ cruentæ commemorationem. *Sic constat*, inquit Hieronymus in epistola ad Evagrium, *institutiones Apostolicas sumptas de Veteri Testamento, & quod Aaron & filii ejus atque Levitæ in templo fuerunt, hoc Episcopi, presbyteri ac Diaconi essent in Ecclesia; sicut ergo cum Dominus septuaginta duos elegit discipulos post Apostolos, formam illam repræsentasse visus est, quâ Moses septuaginta duos, jussu Domini, seniores,* ut Numer. cap. 11. *continetur, elegit*: ita etiam prædictos septuaginta duos discipulos dictos esse Seniores, itemque presbyteros, ratio persuadet, quæ Patrum omnium sententia rata habetur: omnibus affirmantibus, eos, quos vocàmus presbyteros, illos esse, quos numero præscripto delectos, usus loquendi discipulos nominavit: cum alioqui & Christiani (ut Acta testantur) omnes discipuli dicerentur. At quemadmodum apud Iudæos, etiam Apostolorum temporibus, pristina illa vigebat consuetudo, ut seniores unà cum Principibus Sacerdotum in Concilium convenirent, ac sententiam rogati dicerent; (quod multis in locis Euangelistæ testantur) sic etiam ab Apostolis primis illis temporibus esse servatum constat, ut Seniores etiam ad Concilium admitterentur. Vide *Baronium ad an.* C. 58. & de regimine Veteris Ecclesiæ in nostra historia an. C. 313.

Ad locum Pauli 1 Corinth. 14. 26. *Cum convenitis, unusquisque vestrum Psalmum habet*, &c. hæc habet *Baronius* ad an. C. 57. Ex conventibus Iudæorum hanc formam in Ecclesiam Paulus transfudit ac docuit

Vide Scaligerum l. 6. de emendatione temporis fol. 572.

Hier. ep. 85.

Luca 10.

Act. 11.

Matth. 14. 27. 28. *Luca* 20. 22. *Act.* 4.

docuit gentes. Unde scriptor Commentariorum, quę tribuuntur Ambros. in 1 Cor. 14. *Hæc traditio synagogæ est, quam nos vult sectari, quia Christianis quidem scribit, sed ex gentibus factis, non ex Iudæis, ut sedentes disputent seniores dignitate in cathedris, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento super matras.* Ejusmodi erat conventus ille, cujus Lucas meminit, dicens: *Intravit Iesus secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi liber Esaiæ prophetæ*, &c. In iisdem conventibus sæpius ipse Paulus convocatus est, ut cum venit Antiochiam Pisidiæ, in synagogam, ubi miserunt principes synagogę ad Paulum & Barnabam dicentes: *Viri fratres, si quis in vobis sermo exhortationis ad plebem dicite.* Deplorat sua tempora B. Chrysostomus, in quibus potius imago quędam ac signum antiquæ illius Apostolicæ institutionis superesset, quam res ipsa in omnibus illi similis, sed restitutam ejusmodi conventus formam à R. P Philippo Nerio Florentino dicit ibidem Baronius; qui fuit institutor ordinis Oratorii. Modum celebrandi illum conventum vide ibidem. Ejusmodi conventus Christianorum, in quibus libertas quædam erat docendi & admonendi fratres, indicant passim in suis epistolis Apostoli.

Conventus ecclesiastic. *Luca 4.* *Act. 13.* *Oratorii institutio.*

Exempla ejusmodi conventuum etiam inveniuntur in Actis Apostolorum, quæ attento lectori sparsim occurrent, sed in quibusvis conventibus cuivis hoc licuisse, nec verum est, nec decorum fuisset. Inter moderati animi homines amicæ collationes plurimum docent, inter pertinaces & sciolos turbas dant.

1 Cor. 14. 26.

Judæorum consuetudinem de tempore orandi secuti etiam sunt Christianorum primi. In Clementis constitutionibus lib. 7. cap. 25. dicitur, *Ter in die ita orate*, &c. loquitur autem de oratione Dominicâ. sed audiamus Tertullianum lib. de jejuniis cap. 10. *Porrò cum in eodem commentario Lucæ & tertia hora orationis demonstretur, sub quâ Spiritu Sancto initiati pro ebriis habebantur; & sexta, quâ Petrus ascendit in superiora: & nona, quâ templum sunt introgressi: cur non intelligamus, salvâ planè indifferentiâ semper & ubique & omni tempore orandum: tamen tres illas horas, ut insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publicè resonant, ita & solemniores fuisse in orationibus divinis: Quod etiam suadet Danielis argu-*

Preces Iudæorum. *Act 2. 15. & 3. 1. & 10. 3. 9. 30.* *Luc. 18. 1.* *Daniel. 6. 10.* *Psal. 55. 18.*

argumentum, ter die orantis; utique per aliquarum horarum exceptionem, non aliarum autem quam insignıorum : exinde Apostolicarum tertia, sexta, nona, id eſt, tempore matutino, meridiano, & veſpertino. Ibidem & libro de oratione nos docet, quartâ & ſextâ à ſabbato ſtationes, id eſt ſemijejunia protracta ad nonam, id eſt, nobis tertiam pomeridianam, à religioſioribus ad occaſum ſolis, ut docet Epiphanius; more Iudæorum, qui obſervabant diem Lunę & Iovis. Phariſęus jejunabat bis in ſabbato. Lucę 18. Vide vitam Ioſeph.

Stantes orabant Iudei, niſi luctus tempore: tunc enim orabāt proni aut in genibus. Vide Daniel. 9. 20. quod & Chriſtiani imitati: Nam in quadrageſimâ, quod tempus pœnitentiæ dicatum, orabant in genibus: Diebus Dominicis & in Pentecoſte, id eſt totis quinquaginta diebus poſt Paſcha, non niſi ſtantes; ut docet Tertullianus de coronâ militis, & canon ultimus ſynodi magnæ Nicæenſis. Et qui pœnitentiam agebat delictorum, intra præſtituta tempora erant ὑποπίπτοντες, poſtea συνεςῶτες. Statio igitur apud Veteres non quemvis, ſed receptiſſimum orandi modum ſignificat. Ita Marci 11. 25. ὅταν ςήκητε προσευχόμενοι. Lucę 18. Phariſęus ſtans orat. & apud Nehemiam 9. 5. populus ad preces jubetur conſurgere, & Gen. 18. 22. ubi in Hebręo eſt, *Abraham ſtabat coram Deo*, Chaldęus vertit, *orabat*. Neque aliter verbum ſtandi uſurpatur Ierem. 15. 1. & 18. 19. & Iob. 30. 20. Atque ita vocem ſtationis uſurpant tum Iudæi tum Chriſtiani veteres: interdum & συνεκδοχικῶς pro piorum conventu. Loca paſſim obvia apud Hermiam, Tertullianum, Cyprianum, qui lib. de oratione: *Quando ſtamus ad orationem.* Grotius. Vide an. C. 30. quæ diximus de iis, qui ſedendo Deo ſupplicant: loca autem, in quibus convenientes precabantur, dicebantur προσευκτήρια Græcis: Latinis Oratoria. Domus mea, domus orationis eſt, inquit Chriſtus.

Tertull. Apologetico c. 30. & 39. Orationes Christianorum.

Hac occaſione ex Tertulliano addam orandi modum, cæremoniaſque, à primis Chriſtianis inter orandum obſervatas. *Corpus ſumus*, inquit, *de conſcientiâ religionis, & diſciplina unitate, & ſpei fœdere, Cöimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum quaſi manu factâ, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Illuc ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubeſci-*

bescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus; Precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quacunque hominis & Cæsaris vota sunt. Hæc ab ullo orare non possum, quam à quo scio me consecuturam, quoniam ipse est, qui solus præstat, & ego sum, cui impetrare debetur famulus ejus; qui eum solum observo, qui propter disciplinam ejus occidor, qui ei offero opimam & majorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudicâ, de animâ innocenti, de Spiritu Sancto profectam. Non grana thuris unius assis, Arabicæ arboris lachrymas, nec duas meri guttas, nec improbi hominis sanguinem, &c. Cogimur ad divinarum litterarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus; ibidem etiam exhortationes, castigationes & censura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu: summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventus, & omnis sancti commercii relegetur. Sic itaque nos ad Deum expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant; paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani. Hoc agite boni præsides, extorquete animam Deo supplicantem pro Imperatore. Hic erit crimen ubi veritas & Dei devotio est. Vide eundem Tertull. ad Scapulam cap. 2. & eundem & Cyprianum de oratione, & Euseb. de vitâ Constant. lib. 4. cap. 10.

A Synagogâ ad Ecclesiam, à Iudæis ad Christianos etiam transiit anathema & cum re vocabulum Maranatha, quod Paulus Apostolus usurpat. 1. ad Cor. 16. 22. De modis excommunicandi apud Iudæos, & in primitivâ Ecclesiâ apud Christianos, vide Grotium in Luc. cap. 6. quos ita breviter narrat Vossius: Ἀφορισμὸς, inquit, *erat apud Iudæos pœnæ genus quo quis à sacris arcebatur; atque hoc usi sunt erga confitentes Christum ante resurrectionem ejus: sed à resurrectione, postquam etiam doceretur legis Mosaicæ antiquatio, successit Maranatha, sive ἀνάθεμα, tanquam non adversus lapsos, sed fidei desertores, eòque dignos qui diris devoveantur. Imitati sunt Iudæos Christiani, quibus pœna levior, abstentio.* Cyprian. ep. 62. *Hâc à cœnâ arcebantur* *Aphorismus quid. Ioan. 9. & 16.*

 ad

ad tempus præfinitum. Gravior autem erat ἀνάθεμα, *cum sine ullâ temporis præfinitione abscinderentur: sic tamen ut is, qui pœnitentiâ duceretur, non semper à sacris excluderetur, præsertim in vita extremis. Quamquam verò primis Ecclesiæ temporibus, cum vigeret donum discernendi spiritus, facilius erat dijudicare animos humanos, atque exinde statuere de pœnâ: non tamen postmodum cessare omninò hæc pœnæ genera debuerunt: quandoquidem disciplina in Ecclesiâ est necessaria, & judicium ex magnitudine criminis & contumaciâ hominis fieri possit. Vide quæ totâ hâc de re pereruditè scripta Illustrissimo viro Hugoni Grotio in Luca c. 6.* inquit Vossius Harmoniæ Euangel. lib. 1. cap. 18. Anathema autem significat hominem maledictum, execrabilem, communione cum aliis hominibus indignum. Aliud autem est excommunicatio, aliud separatio à communione, Græcè ἀκοινωνησία. Nam excommunicationis sententia, quâ quis excluditur communione Ecclesiæ & participatione sacræ mensæ, fertur ab habentibus jurisdictionem in eum qui excommunicatur. At sunt qui ultrò se abscindunt & separant à communione cum aliis Ecclesiis, & unioni, quæ ante fuerat, renunciant: ut Donatistæ ob ordinationem Cæciliani, quam vitio factam contendebant, absciderunt se à communione cum aliis Ecclesiis. Excommunicationis exemplum est 1 Cor. 5. 5. ubi incestus ille à Paulo traditur Satanæ ad interitum carnis, quo Spiritus salvus sit in die Domini. Secundum B. Chrysostomi & multorum tam Græcorum quam Latinorum sententiam incestus ille traditur Satanæ, ut corporaliter ita vexaretur per morbos, dolores, mærores, terrores, aliasque afflictiones ad affectuum carnalium exstirpationem, & morum vitæque emendationem, non verò animæ perditionem, ad exemplum Jobi. Morbi enim & dolores cæteræque afflictiones ad pœnitentiam & salutem hominem invitant: & Deus non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, nec Euangelici ministerii munus est animas hominum perdere, sed servare. Tertullianus quidem juxta animi sui rigorem hæc secus interpretatur, sed jam lapsus in Montani errorem, & horridam ejus disciplinam. Vide Molinæum tractatu de clavibus & de Vate cap. 11. Quid vero de excommunicatione judicet ejusdem filius Ludovicus Molinæus videre licet in ejusdem parænesi ad ædificatores imperii

Anathema. *Chrysostom. hom. 15. in 1 Cor.* *2 Cor. 2. 4. 1 Tim. 1. 10* *Ezechiel. 33. 11.* *Tertull. lib. de pudic. cap. 13.*

in

in imperio. Tertullianus Apolog. adversus gentes cap. 39. *Ibidem* (in cœtu fidelium) *etiam exhortationes, castigationes, & censura divina* (*spiritualis gladius* , quo arcebantur à communione, ut loquitur Cyprianus) *nam & judicatur, & magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu: summumque futuri judicii prajudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communione orationis & conventus, & omnis sancti commercii relegetur*, ut paulò ante diximus. Cyprianus ἀφορίζειν vocat abstinere, à communione arcere, de Ecclesiâ seu conventu ejicere, excludere, &c. Vide S. Martyris epist. 38. ad Caldonium, 49. ad Cornelium, & 62. ad Pomponium, &c. De quorundam Christianorum Ecclesiasticis excommunicationibus nihil dico: atrocissimæ formulam si videre lubet, consule Universalem historiam Boxhornii an. C. 816. sub Ludovico Pio, quam esse dicit Concilii Aquisgranensis, à se inventam in Aquensis Bibliothecæ MS. *ut propius agnoscas*, inquit, *illorum temporum ingenia & mores.* Apud Essenos terribile excommunicationis genus in usu fuisse testatur Iosephus de Bello Iudaico lib. 2. cap. 7.

Qui regimen primarum Christi Ecclesiarum inquirere ulterius volet, conformatum id videbit in multis ad synagogarum exemplar: imò & insignia Pontificum, & vestes sacerdotum postmodum mutuati sunt ab Hebræis Christiani. Ex eodem fonte manant vocabula Sacerdotis, Levitæ, Sacrificii, Hostiæ, Oblationis, Altaris, &c. quæ in nascente Ecclesiâ Græcè appellabantur verbis, πρεσβυτέρου, λειτουργίας, προσφορᾶς, εὐχαριστίας, εὐλογίας, τραπέζης ἁγίας, &c. quæ Latinè dicebantur verbis Senioris, ministerii, gratiarum actionum, benedictionis, mensæ Sanctæ, sacrosanctam vocat Athanasius epist. ad Orthodoxos. Nam super mensâ seu altari dona seu oblationes, id est panis & vinum per diaconos collocabatur & colligebatur, & panis per presbyterum consecratus & fractus, à mensâ sumptus, cum vino populo per eosdem distribuebatur. Cyprianus epistol. 63. & lib. 2. ad Iudæos cap. 2. Athanas. disput. contra Arrium in Concil. Nic. Gregor. Nyssen. sermon. de baptismo. idem apud veteres erat τράπεζα & θυσιαστήριον, id est mensa & altare. Atque hæc de ritibus Ecclesiæ sufficiant: redeamus ad Historiam.

A.C. 154. 152. Moritur Martyrio Telesphorus, succedit Hyginus Episcopus Romanus.

Cum sub Antonino Pio in Asiâ terra movisset, & Christianos ad pœnas deposceret, pro more, imperitum vulgus, illorum insaniam edicto castigavit Pius, simili ferè modo quo Adrianus. Hoc autem rescriptum promulgavit pro Christianis Antoninus Pius, inter cætera his verbis: *Quod si quispiam igitur cuipiam Christiano, quia Christianus sit, pergat molestiæ quid aut criminis inferre, ille cui crimen illatum fuerit, etiamsi reipsâ Christianus deprehensus sit, absolvatur: qui autem illum accusaverit, justum debitumque supplicium subeat.* Euseb. hist. lib. 4. cap. 13. De hoc eodem Antonino Tertullianus ad Scapulam: *Arrius Antoninus cum persequeretur instanter, ex edicto Hadriani, in suâ provinciâ, quam administrabat, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia ejus se manu factâ obtulerunt. Cum ille paucis duci jussis reliquis ait: O miseri, si cupitis perire præcipitia & restes habetis. Nec mirum: nam conquerebantur provinciarum præfecti, de Christianorum tam voluntaria morte; ut, si omnes Christiani occidendi essent, paucos subditos in multis provinciis Imperatores inventuros, quibus imperarent, affirmarent.* Addam unum, de persecutione Christianorum, Tertulliani locum in apologet. §. 40. qui etiam hodie à quibusdam auditur, idque sæpè contra innocentes: *Adversus sanguinem innocentium conclamant*, inquit, *prætexentes sanè ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publica cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse caussam. Si Tiberis ascendit in mœnia; si Nilus non ascendit in arva: si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues: statim Christianos ad Leonem.*

A.C. 158. Moritur Hyginus martyr. succedit Pius, aliis Anicetus.

Pius Episcopus Romanus lege cavit, festum Paschatis esse celebrandum die Dominicâ, cum Orientales, more Iudæorum, id agerent: quartâ decimâ lunâ. *Eusebius in Chronico.* Sed audiamus animadversionem Scaligeri, *Quæ Pio attribuuntur*, inquit, *in Editionibus de resurrectionis Dominicæ, die Dominico celebrandæ, institutione, ea in nullo veterum codicum comparent, sed Marianus à Beda, Beda à libro Hermæ apocrypho, in sua chronica traduxerunt, & ab illis in Eusebii textum ab editoribus admissa sunt: nos ab initio professi sumus, nil nisi ex auctoritate scriptorum codicum hic innovaturos: quod à nobis hactenus*

summâ

summâ fide & religione observatum fuisse, eos, qui Editiones cum libris scriptis contulerint, judices fero. *Sane quidem* inquit Socrates histor. lib. 5. c. 21. *qui Romam & alias partes Occidentis incolunt, Petrum & Paulum Apostolos consuetudinem, quam illi tenent ipsis reliquisse affirmant. Verum nemo scriptis istorum omnium, de his rebus proditum quid proferre potest. Orientales autem suum morem ab Iohanne discipulo Domini se accepisse dicebant.*

Antoninus Pius moritur. & Marcus Aurelius Antoninus, cognomento Philosophus, & Lucius Ælius Verus Antoninus, quos vivente ac jubente Hadriano adoptaverat, succedunt. A. C. 163.

Imperante Trajano vixit Plutarchus, Dio Prusæus, Plinius Secundus: sub Hadriano Phavorinus, & Ptolomæus astronomiæ princeps; sub Antonino Pio Galenus, Medicorum post Hippocratem secundus, Pausanias, Appianus, Justinus, Ælianus Prænestinus, qui Græcos ipsos suâ elegantiâ superavit: Lucianus item, & qui eum imitatus est Apulejus, & Aulus Gellius circa hæc tempora vixisse creduntur.

Justinus Martyr secundam pro Christianis apologiam edit. A. C. 164.

Marcus Aurelius, Justini apologiâ irritatus, furente populo persecutionem in Christianos instituit, in quâ etiam Justinus Martyrio cum aliis multis perit, quo autem supplicio affectus sit, acer ille Christianismi vindex, nemo veterum prodidit. Insidiatum illi Crescentem Philosophum Cynicum narrat ex Tatiano Eusebius: sed virgis cæsum, & decollatum Romæ, à Præfecto urbis Rustico, refert Baronius ex Metaphraste, auctore incerto. In initio dialogi ad Tryphonem sic se respondisse Præfecto refert: *Rectum dogma quod Christiani homines cum pietate servamus, hoc est: Vt unum Deum existimemus factorem ac creatorem omnium qua videntur, quaque corporeis oculis non cernuntur: & Dominum nostrum Iesum Christum Dei Filium confiteamur, olim à Prophetis prænunciatum, qui & humani generis judex venturus est, salvator, præco, & magister iis, qui ab illo bona didicerunt.*

Pius Papa Martyrio moritur, succedit Anicetus. A. C. 167.

Qualis diversitas & libertas fuit in primitivâ Ecclesiâ in celebrando Paschali jejunio, talis etiam fuit in celebrando Paschatis festo. Jejunium ante festum Paschatis, priscis temporibus, ut diximus, observatum quidem fuit, sed dispari ratione, & relictâ in hoc nego-

negotio Ecclesiis suâ libertate. diversitas autem fuit vel ratione dierum, vel ratione ciborum. Ratione dierum: alii duos, tres, quinque, sex, septem dies, alii 40. alii ad nonum diem jejunabant. Ratione ciborum: alii ab omnibus animalibus abstinebant, alii à piscibus non abstinebant, & tamen ab ovis, alii xerophagiâ utebantur, & ex solo pane, sale & aquâ vivebant. In celebrando festo paschatis hæc erat differentia, ut Orientales, secuti exemplum Ioannis Euangelistæ, 14 seu potius 15 Luna (nam fiebat inter duas vesperas) eodem modo quo Iudæi: Romana vero & Occidentalis Ecclesia die Dominica 14 Lunam sequente celebrabat suum Pascha, & dicebat se eam consuetudinem per prædecessores ab Apostolo Petro accepisse. Quamobrem Polycarpus Smyrnæ Episcopus venit Romam, ut Aniceto ibidem Episcopo morem illum die Dominicâ celebrandi Paschatis dissuaderet. sed cum omnes Apostoli super eâ re non viderentur convenisse, & tantum esset quæstio in ceremoniis,& non in fide, libertas Ecclesiis est relicta.

Euseb. lib. 5. cap. 23. *Polycarpus & Anicetus* (Irenæi verba sunt apud Eusebium) *cum propter quædam minuta discreparent, mox conciliati sunt: de hoc vero capite* (de celebratione Paschatis) *nihil inter se contenderunt. Neque enim Anicetus Polycarpo suadere poterat, ne servaret, quæ cum Ioanne discipulo Domini nostri, ac reliquis Apostolis, quibuscum fuerat conversatus, semper servaverat: Nec Polycarpus Aniceto persuasit, ut servaret Orientalium consuetudinem: qui sibi Presbyterorum, quibus successerat, consuetudinem servandam dicebat: & tamen communionem inter se habuerunt, & in Ecclesiâ Polycarpo Anicetus Eucharistiam, propter reverentiam videlicet, concessit, atque ita cum pace à se invicem discesserunt, pacemque in universâ Ecclesiâ cum servantes, tum non servantes retinuerunt.*

Hisce temporibus, inquit *Eusebius*, *Melito* Sardensis Episcopus,& *Apollinarius* Hierapolitanus celebres floruerunt, qui & utrique Romanorum illis temporibus Imperatoribus pro fide nostrâ libros & apologias separatim nuncupaverunt, scripta illorum multa ibidem narrat *Eusebius*, sed præter fragmenta, quę sunt apud *Eusebium*,nulla inveniuntur. *Athanagoras* eodem tempore insignem pro Christianis Apologiam scripsit, & librum de resurrectione: utrumque opus extat

extat tom. 9. bibliothecæ ſanctorum Patrum & ſuſpicione caret: hujus non meminit Euſebius, nec Hieronymus, ſed Epiphanius in hæreſi Originis. *Bellarminus.* *Tatianus* Iuſtini diſcipulus ſcripſit librum florentiſſimum, ſecundum Hieronymum, adverſus gentes, ſed poſt Iuſtini mortem duriorem vitam inſtituit & acceſſit in eorum numerum, qui Encratitæ dicebantur, parum etiam de connubiis ſenſit, & Adamum non putavit ſervatum. Vide ejuſdem Apologiam in bibliothec. Patrum tom. 1. *Theophilus* Antiochenus ſcripſit tres libros apologeticos pro Chriſtianis ad Antolocum. Hi autem primi fuerunt Antiochiæ Epiſcopi. 1. Evodius. 2. Ignatius, Euſebio, ſed primus Chryſoſtomo. 3. Hero. 4. Cornelius, 5. Hero. 6. Theophilus, jamjam memoratus.

Venit etiam hoc tempore Romam Hegeſippus hiſtoricus, de quo hæc Euſebius: *Hegeſippus quinque libris qui ad nos pervenerunt, accuratiſſimam pleniſſimamque ſuæ ſententiæ & opinionis de fide declarationem poſt ſe reliquit: in quibus oſtendit, ſe in itinere Romam verſus ſuſcepto, multis cum Epiſcopis ſermonem contuliſſe, & unam eandemque ab omnibus accepiſſe doctrinæ formam & inſtitutionem. Atque illum quidem poſt alia quæ de Clementis ad Corinthios epiſtola diſſeruit, iſta quæ ſequuntur, narrantem audire licet: Eccleſia Corinthiorum in vera rectaque doctrina conſtanter perſtabat uſque ad primum, qui ibidem geſſit Epiſcopatum: quo cum ipſe, dum Romam verſus navigabam, de religione noſtra communicavi, & Corinthi non paucis diebus commoratus ſum. In quibus cum inter nos de doctrinâ catholicâ conferebamus, non parum uterque ab alterius conſuetudine cepit oblectationis. Cum eſſem Romæ, manſi ibi ad Aniceti tempora, cujus tum quidem Eleutherus munus Epiſcopale capeſſit. Nulla Epiſcoporum ſedes, ſucceſſione ab Apoſtolis dictâ, nulla civitas in qua non ita eſſent ſervata omnia, ut lex præſcripſerat, docuerant prophetæ & Dominus ipſe prædicaverat.* Hactenus Hegeſippus, qui ex Iudæo factus Chriſtianus, ſcripſit de religione Chriſtiana & hiſtoriam Eccleſiaſticam, ſed ea deperdita fuit. Vocat autem quinque ſuos libros actus Eccleſiaſticos, ex quibus multa exſcripſit Euſebius. Ille Hegeſippus qui de excidio Hieroſolymitano ſcripſit, ſpurius eſt auctor, quod attento lectori in multis manifeſtum fiet.

Euſeb. eccleſ. hiſt. lib. 4. cap. 21.

In verba Hegeſippi ſic pergit Baronius: *Hæc de ſtatu omnium, ut*

ait, Ecclesiarum cum Hegesippus testetur, magnum planè exstat testimonium ad declarandam atque insinuandam catholicam veritatem. Nam si illa legitima erat Christi doctrina, certaque traditio Apostolorum, quam in hanc diem omnes ubique servassent Ecclesiæ: planè convincitur, à Catholicâ veritate omnes eos descivisse, qui aliam ab his diversam reperiuntur docuisse fidei normam, &c. Verè dicit Baronius, sed, quæso, quænam est illa veritas Catholica? Illa fidei norma seu regula, quam nobis per suos discipulos reliquerunt, imo tradiderunt Apostoli: quæ semper & ubique & ab omnibus docta, Ecclesiam facit Catholicam: cujus Ecclesiæ omnes illi membra sunt, qui illam veritatem catholicam profitentur: quam ex diversis primitivæ Ecclesiæ patribus an. C. 146. & an. 150. produximus; & quam hodie comprehendit Symbolum dictum Apostolorum, quemadmodum ibidem latius.

A. C. 169. Persecutio sub M. Aurelio in Christianos ferocius sævit, *at tum primum intra Gallias Martyria visa, seriùs trans Alpes Dei religione susceptâ*, ut loquitur Severus Sulpitius, ipse Gallus, lib. 2. sac. hist. sed alia hodie est apud Gallos opinio licet incerta. *Nam nulla ferè est Galliarum paullò major aut nobilior civitas, quin aliquo glorietur Apostolorum discipulo, primo fidei apud se fundatore. Martialem Petri Apostoli discipulum Limovices jactant. Sabinianum, Potentianum & Alsium Senones, quos tres ex numero septuaginta discipulorum Domini, si fas est credere, tradunt. Vrsinum, quem & Nathaniel esse volunt, Bituriges prædicant. Iulianum Cenomanni. Gaudent Clemente Metenses, quem Patruum Clementis, primi Papæ, fuisse dicere audent. Trophimus Arelate, Crescens*, (cujus etiam meminit Eusebius lib. 3. cap. 4.) *Viennæ consedit. Vterque non à Petro, ut volunt, sed Paulo, non Româ, sed ex Hispaniâ missus. Ita vetus Chronicon tradit*, ut loquitur Salmasius de primatu Papæ cap. 18.

Eodem tempore Polycarpus, cum Asia maximis persecutionum procellis turbaretur, martyrio supremum vitæ diem clausit. *Hic Polycarpus non solum ab Apostolis edoctus est, conversatus cum multis ex iis, qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asiâ, in ea quæ est Smyrnis Ecclesia, constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in primâ nostrâ ætate, & valde senex*, annorum 86, *gloriosissimè & nobilissimè martyrium suum faciens exivit ex hac vitâ*, ut refert Irenæus lib. 3. cap. 3. *cùm ea perpetuò docuisset, quæ & ab Apostolis*

stolis acceperat, & Ecclesiæ quoque tanquam sola vera tradidit. Omnes autem per Asiam Ecclesiæ & in hunc usque diem, qui in eâ Polycarpi sede successerunt, Polycarpum fide digniorem veritatis testem ac Valentinum aut Marcionem, ac reliquos perversos homines testificantur. Is enim est, qui sub Aniceto cum venisset in Urbem, multos ex his, quos prædiximus, hæreticos convertit ad Ecclesiam Dei, unam & solam hanc veritatem adnuncians ab Apostolis se percepisse, quam & Ecclesiæ tradidit. Est autem & epistola Polycarpi ad Philippenses, scripta perfectissima, ex quâ & characterem fidei ejus, & prædicationem veritatis, qui volunt, & curam habent suæ salutis, discere possunt. quam accipe ex Usserii Armachani dissertatione de Polycarpi & Ignatii epistolis.

Polycarpus, & qui cum eo sunt Presbyteri, Ecclesiæ Dei quæ est Philippis: Misericordia vobis, & pax à Deo omnipotente, & Iesu Christo salvatore nostro abundet.

Congratulatus sum vobis magnificè, in Domino nostro Iesu Christo, suscipiens imitabilia verba dilectionis, quam ostendistis in illis (qui præmissi sunt) viris sanctis, decorosis vinculis connexis, quæ sunt corona electæ Deo, illius veri regni, per Dominum nostrum Iesum Christum. Et quia firmitas fidei vestræ à principio usque nunc permanet, & fructificat in Domino Iesu Christo, qui sustinuit pro peccatis nostris usque ad mortem: quem resuscitavit Deus, dissolvens dolores inferni. Quem cùm non videritis, nunc diligitis: in quem nunc, non aspicientes, creditis; credentes autem gaudebitis gaudio inenarrabili & glorificato (*in quod multi desiderant introire*) *scientes quia* gratiâ salvi facti estis, non ex operibus, *sed in voluntate Dei per Iesum Christum.* *Act.* 2. 24. *1 Pet.* 1. 8. *Ephes.* 2. 8.

Propter quod succincti lumbos vestros servite Deo cum timore, *& in veritate: dimisso inani vaniloquio & multo errore.* Credite ergo in illum qui resuscitavit Dominum nostrum Iesum Christum ex mortuis, *& dedit ei gloriam & sedem in dexterâ suâ: cui subjecta sunt omnia cœlestia, & terrestria, & subterranea: cui omnis spiritus servit; qui venturus est judicare vivos & mortuos: cujus sanguinem requiret Deus ab eis, qui non crediderunt in eum, qui & resuscitavit eum à mortuis; qui & nos resuscitaturus est in vita, si fecerimus voluntatem ejus, & ambulaverimus* *1 Pet.* 1. 13. *Psal.* 2. 11. *1 Pet.* 1. 21.

mus in mandatis ipsius, & dilexerimus quæ ipse dilexit: abstinentes nos ab omni injustitiâ, hoc est, à concupiscentiâ, ab avaritiâ, à detractione, à
1 Pet. 3. 9. *falso testimonio*; non reddentes malum pro malo, aut injuriam pro injuriâ, *aut contumeliam pro contumeliâ, aut maledictum pro maledicto.*
Luc. 6. 36. *Mementote quod Dominus docens dixit*: Nolite judicare, ne judicemi-
37. ni; dimittite, & dimittetur vobis: *miserimini, & Dominus miserebi-*
Math. 5. 3. *tur vestri.* Quâ enim mensurâ mensi fueritis, remetietur eadem vo
10. bis. *Et quod dictum est*: Beati pauperes spiritu; & qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Hæc autem, fratres mei, non à meipso imperans scribo vobis de justitia: sed quoniam vos provocâstis. Propter quod neque ego, neque similis alius mei poterit sequi sapientiam beati & gloriosi Pauli, qui fuit apud vos, & visus est secundum faciem illis, qui tunc erant, hominibus; qui docuit certissimè atque firmissimè verbum veritatis: qui & absens scripsit vobis Epistolas; ad quas deflectamini, ut possitis ædificari in fide, quæ data est vobis, quæ est mater omnium vestrûm, subsequente spe, præcedente dilectione, quæ est in Deo, & in Christo, & in proximo. Si enim quis horum intrinsecus repletus fuerit mandatis justitiæ, & habuerit dilectionem, longè est ab omni peccato.

Principium autem omnium malorum est avaritia. Scitote ergo, quia
1 Tim. 6. 7. nihil intulimus in hunc mundum, neque auferre possumus. *Armemur armis justitiæ: & doceamus nosmet ipsos primùm ambulare in mandatis Domini, & post hoc etiam mulieres vestras in fide, quæ data est eis, & dilectione, & castitate (amantes suos viros in omni veritate & charitate: diligentes omnes æqualiter in omni continentiâ) & filios erudire in disciplina & timore Dei. Viduæ verò pudicæ circa fidem Dei, interpellent incessanter pro omnibus; elongantes se ab omnibus diabolicis detractionibus, & falso testimonio, & ab omni malo: cognoscentes seipsas, quia sunt sacrarium Dei. Quoniam omnia Deus prospicit, & nihil eum latet; neque cogitatio, neque conscientia, neque aliquod abditum cordis.*

Gal. 6. 7. *Scientes ergo quia* Deus non deridetur; *debemus dignè in mandatis ejus, & gloria ambulare. Similiter Diaconi inculpabiles sint in conspectu justitiæ ejus, sicut Dei & Christi ministri, & non hominum: non criminatores, neque detractores, neque avari; sed omnia tolerantes, in omnibus*

miseri-

*misericordes, diligentes in omnibus, ambulantes in veritate Domini, qui factus est minister omnium: * cui si complaceamus in hoc seculo, percipiemus ea, quæ futura sunt, secundùm quod repromisit resuscitare nos à mortuis: & si dignè eo conversati fuerimus, & si crediderimus, conregnabimus cum eo. Iuvenes similiter inculpabiles sint in omnibus, omnem ignorantiam prævidentes, refrænantes se ab omni malo. Bonum est enim abscindi ab omnibus concupiscentiis mundi: quoniam omnis concupiscentia* adversùs spiritum militat. *quia* neque fornicarii, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt, *neque illicita facientes. Propter quod abstineri oportet ab omnibus his. Subjecti estote Presbyteris & Diaconis, sicut Deo & Christo. Virgines, immaculatâ & castâ conscientiâ ambulate.*

* Al. huic si placemus.

1 Pet. 2. 11.
1 Cor. 6. 9. 10.

Presbyteri simplices sint, in omnibus misericordes, omnes ab errore convertentes, omnes infirmos visitantes, viduas & pupillos & pauperes non negligentes; sed semper providentes bona *coram Deo & hominibus. Abstinete vos ab omni iracundia, à judicio injusto: longè ab omni avaritia estote. Non citò consentiatis adversus aliquem, ne prævaricemini in judicio: scientes, quia debitores sumus peccati. Si ergo deprecamur Dominum, ut nobis dimittat; debemus etiam nos dimittere. Ante conspectum enim oculorum Domini sumus; &* omnes oportet stare ante tribunal Christi, *& unumquemque pro se rationem reddere. Sic ergo serviamus ei cum timore, & omni reverentia; secundùm quod euangelizaverunt nobis Apostoli Domini, & Prophetæ annunciaverunt adventum Domini nostri Iesu Christi: zelantes bona; abstinentes vos à scandalis, & falsis fratribus, & qui in hypocrisim portant nomen Domini, qui aberrare faciunt inanes homines.*

Rom. 12. 17.
Mat 6. 12. 14.
Rom. 14. 10.
2 Cor. 5. 10.

Omnis enim qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, *hic* Antichristus *est; & qui non confitetur martyrium crucis, ex diabolo est: & qui deviaverit eloquia Domini ad propria desideria, & dixerit neque resurrectionem, neque judicium esse, hic primogenitus est Satanæ. Propter quod relinquentes vanitatem multorum, & falsas doctrinas, ad illud quod traditum est nobis à principio verbum revertamur. Sobrii simus in orationibus, & jejunia tolerantes; supplicationibus petentes omnium perspectorem Dominum,* ne nos inducat in tentationem: *secundùm quod dixit Dominus;* Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

1 Ioh. 4. 3.
1 Pet. 4. 7.
Mat. 6. 13.
Mat. 26. 41.

Indeficienter ergo toleremus propter spem nostram & pignus justitiæ,
1 Pet. 2. 24. *quod est Iesus Christus:* qui sustulit peccata nostra in corpore suo super lignum, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore
1 Pet. 2. 22. ejus; *sed propter nos omnia sustinuit, ut vivamus in ipso. Imitatores ergo efficiamur tolerantiæ ejus; & si passi fuerimus pro nomine ejus, glorificemus eum: hoc enim nobis indicium posuit de seipso; & nos hoc credidimus.*

Producuntur ista ab Eusebio, lib. 3. hist. Ecclesiast. κεφ. λς. — * al. cum Dom.

*Rogo igitur vos omnes insistere verbo justitiæ & patientiæ, quam & oculatâ fide vidistis, non solùm in beatissimis illis Ignatio & Zosimo & Rufo; sed & in aliis qui ex vobis sunt, & in ipso Paulo, & cæteris Apostolis: confidentes quia hi omnes non in vacuo cucurrerunt, sed in fide & justitiâ; & ad debitum sibi locum * à Domino, cui & compassi sunt, abierunt: quia non hoc seculum dilexerunt; sed eum qui pro ipsis & pro nobis mortuus est, & à Deo resuscitatus.*

In his ergo state, & Domini exemplar sequimini; firmi in fide & immutabiles, fraternitatis amatores, diligentes invicem, in veritate sociati,
* al. præsentantes. *mansuetudinem alterutri * præstantes, nullum despicientes. Cùm potestis*
Tob. 12. 9. *stis benefacere, nolite differre: quia* eleëmosyna de morte liberat.
1 Pet. 2. 12. *Omnes vobis invicem subjecti estote;* conversationem vestram irrepre-
* al. considerantes. hensibilem * habentes in gentibus: *ut ex bonis operibus vestris & vos laudem accipiatis, & Dominus in vobis non blasphemetur. Væ autem illi, per quem nomen Domini blasphematur. Sobrietatem ergo docete omnes: in quâ & vos conversamini.*

Nimis contristatus sum pro Valente, *qui Presbyter factus est aliquando apud vos: quòd sic ignoret is locum, qui datus est ei. Moneo itaque vos ut abstineatis ab avaritiâ, & sitis casti & veraces. Abstinete vos ab omni malo. Qui autem in his non potest se gubernare, quomodo alii pronunciat hoc? Si quis non abstinuerit se ab avaritia, ab idololatriâ coinquinabitur: & tanquam inter gentes judicabitur. Qui autem ignorant judicium Domini?*
1 Cor. 6. 2. An nescimus, quia sancti mundum judicabunt? *sicut* Paulus *docet. Ego autem nihil tale sensi in vobis, vel audivi, in quibus laboravit beatus* Paulus;
Philip. 1. *qui estis in principio Epistolæ ejus. De vobis etenim gloriatur in omnibus Ecclesiis, quæ Deum solæ tunc cognoverant: nos autem nondum noveramus. Valde ergo, fratres contristor pro illo & pro conjuge ejus: quibus det Domi-*
* al. vestram *nus pœnitentiam * veram. Sobrii ergo estote & vos in hoc; & non sicut inimicos tales existimetis, sed sicut passibilia membra & errantia eos revocate;*

ut

ut omnium vestrûm corpus salvetis. Hoc enim agentes, vos ipsos ædificatis.

Confido enim vos benè exercitatos esse in sacris literis, & nihil vos latet; mihi autem non est concessum modò: ut his scripturis dictum est. Irascimini, & nolite peccare. *Et*, Sol non occidat super iracundiam vestram. *Beatus qui * meminerit: quod ego credo esse in vobis. Deus autem & Pater Domini nostri Iesu Christi, & ipse sempiternus Pontifex, Dei filius, Iesus Christus ædificet vos in fide & veritate, & in omni mansuetudine; & sine iracundiâ, & in patientiâ & longanimitate & tolerantiâ & castitate: & det vobis sortem & partem inter sanctos suos; & nobis vobiscum, & omnibus qui sunt sub cœlo, qui credituri sunt in Dominum nostrum Iesum Christum, & in ipsius Patrem, qui resuscitavit eum à mortuis. Pro omnibus sanctis orate. Orate etiam pro Regibus & Potestatibus & Principibus, atque pro persequentibus & odientibus vos, & pro inimicis crucis: ut fructus vester manifestus sit in omnibus; ut sitis in illo perfecti.*

Psal. 4. 5. Eph. 4. 26.

* al. *crediderit.*

Scripsistis mihi & vos & Ignatius, *ut si quis vadit ad Syriam, deferat literas meas, quas fecero ad vos; si habuerimus tempus opportunum, sive ego, seu legatus quem misero pro vobis. Epistolas sanè* Ignatii, *quæ transmissæ sunt vobis ab eo, & alias quantascunque apud nos habuimus, transmisimus vobis (secundùm quod mandastis) quæ sunt subjectæ huic Epistolæ: ex quibus magnus vobis erit profectus. Continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem.*

Habentur Græca hæc apud Eusebium, in loco citato.

Et de ipso Ignatio, *& de * his qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis, significate.*

* al. *ipsis.*

Hæc vobis scripsi per Crescentem, *quem in præsenti commendavi vobis, & nunc commendo. Conversatus est enim nobiscum inculpabiliter: credo quia & vobiscum similiter. Sororem autem ejus habebitis commendatam, cùm venerit ad vos. Incolumes estote in Domino Iesu Christo in gratiâ cum omnibus vestris.* Amen.

Epistola *hæc valde utilis in conventu Asiæ legi solet,* ut loquitur Hieronymus, *& multis referta est admonitionibus cum perspicuitate & simplicitate juxta ecclesiasticæ interpretationis formam,* ut ait Photius. Et ut videas generosissimam hujus martyris, & aliorum constantiam, addam epistolam Ecclesiæ Smyrnensis, in quâ narratur sanctissimi hujus viri martyrium, de quo & similibus sic loquitur Ios. Scaliger in animadversionibus ad Chronicon Eusebii, n° 2183. *Eorum lectione*

ne piorum animus ita afficitur, ut nunquam satur inde recedat: quod quidem ita esse unusquisque pro captu suo & conscientia modo sentire potest. Certè ego nihil unquam in historia ecclesiastica vidi, à cujus lectione commotior recedam, ut non amplius meus esse videar. Videamus ergo eâdem animi devotione & persequentium crudelia tormenta, & martyris in fide robustum & imperturbatum animum, & amorem erga Deum & Christum ardentissimum.

Ecclesia Dei quæ est apud Smyrnam, Ecclesiis Dei salutem, Philomeliæ & universis catholicis civitatibus, misericordia & pax & amor Dei Patris ac Domini nostri Iesu Christi cum omnibus abundet in seculo.

SCripsimus vobis fratres de martyribus, & de beato Polycarpo, *qui velut signaculum fidei persecutionem sedavit inimici. Omnia enim quæ transacta sunt Domino auctore prædicta sunt, secundùm Euangelium: in quo quid sequi deberemus ostendit. In quo se & tradi passus est & crucifigi: per quem nos liberaremur affixi. Æmulos nos ergò sibi esse voluit; ac primus, virtute cœlesti, injustorum justus obtemperavit imperio: dans scilicèt secuturis viam, ut pius Dominus exemplum famulis se prabendo, ne onerosus praceptor à quoquam putaretur. Pertulit antè illa, quæ aliis perferenda mandavit: quo omnes ita formavit & docuit, ut non solùm nos ipsos, sed etiam per nos fratres singulos salvaremus.*

*Beata enim passiones cœlestia tolerantibus regna parturiunt: & post contempta hæc omnia, opes, honores, parentes, corona consummatio plena martyrium est. Quid enim dignum tam pio Domino famulorum reddat obsequium; si majora constat pro servis Dominum, quàm servos pertulisse pro Domino? Vnde oportet doctiores nos redditos omnia cum timore narrare, & singulorum militum Christi fidelia devotionum trophæa, ut gesta constat, exponere; quo amore circa Deum fuerint, [quâ] patientiâ cuncta pertulerint. Quis enim non tantâ admiratione teneatur, dulcia fuisse singulis dirorum verbera flagellorum, craticulas, eculeos, flammas, ferientis amabile gaudium, & * initia crepitantia tormenta flammarum? cùm fluente utriusque lateris cruore, patefactis vitalibus omnia apparerent interna membrorum: ut ipsa etiam corona popularis viso fleret tanta crudelitatis*

* fortè *imitium.*

*litatis horrore, nec sine lachrymis posset aspicere quod fieri ipse voluisset. Nullus tamen erat patientium martyrum gemitus, aut ejulatio aliqua vi doloris exorta: ut libenter suscipiebantur singula, ita fortiter tolerabantur accepta. Præsens enim Dominus, susceptam fidelium oblationem servorum [respiciens] non solùm æternam vitam & illa quæ solet devotis * præstare, sed etiam doloris illius violentiam temperabat: scilicèt ne potentiam cruciatus corporis frangerent animi. Loquebatur enim cum illis Dominus, & * exspectator ac roborator animorum: & præsentia medebatur mala, & corona illis cœlestia, si perduráßent, promittebat imperia. Inde judicis ille contemptus; inde gloriosa patientia. Exui enim hâc luce cupiebant; ut ad illa clara atque æterna salutis habitacula, Domino jubente, transirent. Præponebant vera falsis, terrenis sempiterna: morituris enim parabatur unius horæ exitio gaudium nullâ vetustate periturum.* * præstitit. * spectator.

Diabolus tamen multa machinatus est. Sed gratias Domino nostro Iesu Christo: qui contra omnes fidus servorum suorum defensor adsistit. Nam fortißimus Germanicus, *& omni Deo mente devotus, incredulorum animos potentiâ suæ virtutis extinxit. Hic feris traditus, cùm Proconsulis in se miserationem cerneret, & ab eo persuaderetur, ut saltem vel ætatem suam cogitaret, si alia fortè in se contemneret omnia; dolentem in se inimicum aspernatus est, & dedignatus est veniam quam suaderet injustus. Quare ipse ad se feram bestiam vocabat: festinans maturè mundi hujus labe exui, vel iniquitate privari. His visis vulgus universum, stupore confectum, Christianorum animum mirabatur intentiùs: & clamatum est. Torqueantur innocentes: quæratur* Polycarpus.

*Tunc unus, * incognitus nomine,* Phrygius, *superveniens fortè de patriâ, pronuns ad patiendum, voluntate festinans, cruento judici se securus objecit. Sed voluntatem vicit infirmitas. Mißis namque ad se feris, his aspectis timore perculsus, cœpit velle quod noluisset & conversâ ad Diabolum voluntate, probare illud ad quod venerat destruendum. Hunc itaque Proconsul multis pellectionibus sacrificare persuasit. Ideò non eos, fratres, laudare debemus qui se ultrò offerunt, sed eos qui inventi latentes in paßione potiùs perseverant. Sic nos namque Euangelicus sermo confirmat, & hoc hortatur exemplo, quo ceßisse [videmus] ultroneum & vicisse compulsum.* * Quintus.

Vnde Polycarpus, *vir eximiæ prudentiæ robustique consilii, his audi-*

* passivè. *tis latebram petiit. Nec tamen mente turbatus fugiebat hac, sed potiùs differebat. qui per singulas civitates ambulans, * hortabatur ne celeriùs exiret, ac se quaerentibus aliquâ ratione subtraheret. Aspernatus diutiùs * morabatur. Tandem in agrum civitati proximum secedendum putavit. Ibi diebus ac noctibus sine intermissione orationi impendendo operam, Dei implorabat auxilium, quo fortior esset in pœnâ. Signum tamen, antequàm triduum comprehenderetur, revelationis accepit. Intuebatur cervicalem capitis sui flammâ ambiente circumdari. Expergefactus itaque sanctissimus senex, vix adhuc stratis gravia membra subtraxerat, & ait his qui cum eo erant, ignibus se cremandum.*

Ecce in alium agrum fortè concesserat: statim quaerentes eum adfuerunt custodes. Sed cùm ab his ille investigari non posset, uno ex his etiam verberato, latebram confessione infans aperuit. Nec enim ipse celari poterat, quem passio ipsa poscebat. Proditores ejus domestici, Irenarcha & Herodes *festinabant in arenam eum citiùs exhibere: ut & ille* Christi, *finitâ passione, fit socius; & proditores, exemplo* Judæ, *pœnam quam merentur accipiant.*

Habentes itaque infantulum, ante sabbatum horâ ipsius cœnæ egressi sunt, Polycarpum *perquirentes, cum equorum magnâ copiâ vel armorum: quasi verò non servum* Christi *comprehenderent, sed latronem. Invenerunt eum nocte in tegulis se prementem. Fuerat quidem transgrediendi in alium agrum facultas: sed jam fessus ostendere se maluit quàm celare, dicens. Compleatur voluntas Dei: quamdiu voluit ille, distuli; & quando jussit, optavi. Visis itaque illis, descendit: habuitquè sermonem, qualem aut illa ætas potuerat, aut * Spiritus gratia cœlestis infuderat.*

* S. Spiritus gratia. *Cùm mirarentur in his annis tantam velocitatem pedum, tantam habitudinem esse membrorum, ad cujus investigationem vix summâ celeritate pervenerint: nihil stupentibus ille respondit, sed statim his alimenta cibi præbuit, & mensam jussit adponi. Nec hoc sine divini magisterii mandato*

Rom. 12. 20. *faciens: cùm scriptum sit,* inimicos nostros potu & cibo debere satiari. *Tunc deprecatus est, ut ei horam concederent, quâ posset orare, & omnipotenti Deo debita precum vota persolvere. Præbentibus facultatem, stans petebat donum Dei præceptumque compleri. Iugiter autem per duas ferè horas oratio illa duravit: stupefactis audientibus, &, quod majoris palmæ videretur, inimicis.*

Ora-

Orationis postmodùm voce completâ; factâ in precibus omnium mentio [ne] notorum ignotorumque, bonorum ac malorum, & catholicorum omnium, qui per singula loca Ecclesia colliguntur: tandem hora illius advenit, quâ custodiendæ acciperet coronam justitiæ. Impositus itaque asino, cùm appropinquaret civitati majori Sabbato, obvius Irenarchæ Herodi *& patri ejus* Niceteri, *vehiculoque susceptus; ut vel obsequio vinceretur, qui vinci pœna dolore non poterat. Cùm ergo subdolo crebroque sermone profanum aliquid ab illo exigerent adsidentes, dicerentque;* Quid mali est dicere, Domine, & sacrificare? *& reliqua quæ solent Diabolo instigante narrari: frænato paulisper ore, omnibus patienter auditis, tandem iratus annunciat; ad hoc se nunquàm posse perduci, non igne, non ferro, non arctorum doloribus vinculorum, non fame, non exilio, non flagellis. Commoti tunc illi, vehiculo summâ velocitate currente,* Polycarpum *perturbarunt; ita ut suras aliqua ex parte quassaret. Tanta tamen per arenam velocitate currebat, ut nullius corporis damna sentiret.* *Niceti (ut* posteà.)

Sed cùm arenam fuisset ingressus, è cœlo statim missa vox sonuit, clamans Polycarpe, habeto virtutem. *Hanc vocem qui in arena erant audierunt; ex aliis autem nullus audivit. Cùm igitur Proconsuli fuisset oblatus, Deum toto corde confessus, imperia judicis cruenta contempsit. Cúmque ab eo ad blasphemum quodcumque cogeretur, diceretque ei Proconsul.* Vel ætatem hanc cogita, si alia in te fortè contemnis: non poterit hæc senectus juvenibus etiam expavescenda sufferre. Debes jurare per Cæsarem Cæsarisque fortunam: prætereà habere pœnitentiam, & dicere; Impios tolle. *Tunc* Polycarpus *semicluso, ' & qui non suo sed alieno sermone loqueretur, clausis penè faucibus, populum qui in arena erat respexit universum impium & profanum: tractoque ex intimo corde suspirio, majestatem cœli intuens ait;* Tolle impios. *Et cùm assiduus præceptor assisteret, enuncians;* Iura, & poteris relaxari, Christumque contemne: *tunc ait* Polycarpus. Octogesimum jam & sextum annum ætatis ingredior, nomini ejus probatus & serviens semper, nunquàm ab eo læsus, semperque servatus: quomodo possum eum odisse, quem colui, quem probavi, quem semper auctorem optavi, imperatorem meum, salvatorem salutis & gloriæ, persecutorem malorum, ultoremque justorum? *' ut.*

Cùm ille diceret, per Cæsaris jurandum esse fortunam; *ait.* Quid me

me cogis jurare per Cæsarem? aut professionem meam fortasse non nôsti? Palàm me Christianum dico: & quò magis irasceris, ego gaudeo. Tu si vis legis hujus scire rationem; diem da, à quo incipies audire vel discere. *Respondit ei Proconsul*: Satisfac populo. Polycarpus *ait*: Tibi dignissimum reor satisfacere probatus, & [g] obaudientes esse quæ jusseris; tantùm ne injustè fecteris. Docti enim sumus potestatibus, [h] qui Deo ordinante procedunt, morem gerere, mandatisque servire. Illos verò indignos judico, nec ad satisfaciendum idoneos puto: proinde judici me æquum est parere, non populo.

[g] *obaudiens eis esse.* Rom. 13.1.
[h] quæ.

Respondit Proconsul. Feras atroces habeo: his te tradam per frusta lacerandum, si pœnitentiam habere contempseris. *Respondit ille*. In me leonum rabies cruenta desæviat, & quicquid gravius judex durus inveneris: gloriabor in pœnâ, tripudiabo lætus in vulnere, & merita mea doloris æstimatione pensabo. Quanto graviora pertulero, tanto præmia majora percipiam. Est mihi paratus ad superiora animus: ex humilioribus enim ad summa procedimus. *Respondit Proconsul*. Si ferarum morsus novâ præsumptione contemnis, ignibus te cremabo. *Tunc* Polycarpus *respondit*. Ignem mihi minaris, *inquit*, qui unius horæ spatio æstuat, & pòst frigescit; ignorans futuri judicii & æterni ignis impiis tormenta perpetuâ. Sed quid voluntatem tuam longâ oratione suspendimus? Fac ex me illa quæ cogitas: & quodcunque aliud pœnæ genus casus obtulerit accelera.

Hæc fortè dum loquitur, vultum ejus [i] *vel sensum gratia cœlestis splendor intravit: ut ipse etiam Proconsul terreretur. Tunc voce præconis in arena media ter clamatum est*: Polycarpus Christianum se semper esse confessus est. *Universus itaque populuus Iudæorum & gentium, qui* Smyrnam *colebat, ira commotus exclamat*. Hic est Asiæ magister, Christianorum pater, nostrorum Deorum destructor pertinax, violatorque templorum; qui dicebat non sacrificandum, nec Deorum adoranda esse simulachra: tandem quod peccârat inveniat. *Petebant Asiarcham* Philippum, *ut ei leonem iratus immitteret: qui sibi non licere respondit, tempore jam muneris exsoluto. Tunc placuit illis omnibus, æquo unoque consensu, ut vivum* Polycarpum *ignis exureret. Oportuerat enim*

[i] *fortè*, in tantum.

enim id fieri, quod ille antè prædixerat. Orans itaque omnipotentem Deum, venerabilem ad suos vultum retorquens ait: Videtis eam esse, per quam prophetaveram, passionem.

Tunc populus ad balneum & ad artisteria convolavit, ligna & malleola perquirentes, præcipuè Iudæi. Per hæc igitur ministeria cùm flamma fuisset adlata, Polycarpus *cingulum solvit, vestemque deposuit; vincula etiam parabat exuere: quæ facere non solebat; quia singuli fideles viri nuda ejus tangere vel osculari membra cupiebant. Plenitudine enim bona conscientiæ redundabat, etiam antequam ad martyrii certamen accederet.* [k] *potius ergo in medium hiis quæ ex more parabantur arsuro. Cùm [ergo] eum ferro vincire cuperent, consuetudinem legemque servantes:* Permittite me sic, *inquit*. Qui enim mihi dedit velle, largietur & posse; atque ipsum tolerabilem faciet voluntati ignem ardentem. [k] forte, Positis.

Itaque ferro illum nemo vinxit: sed post tergum ligatis manibus, ut devotus [ad] altaria, præsentis passionis limen ingressus est. Tunc sidera cœlumque respiciens, dixit. Deus angelorum, Deus archangelorum, resurrectio nostra solutioque peccati, rector elementorum omnium & totius habitaculi, omne justorum genus qui in conspectu tuo vivunt protegens: te benedico, tibi serviens, qui me dignum hâc passione duxisti, ut percipiam partem coronamque martyrii, initium calicis, per Iesum Christum in unitate Spiritus sancti; ut, completo sacrificio istius diei, promissa tuæ veritatis accipiam. Ob hanc rem te benedico in omnibus, & glorior, per æternum Pontificem omnipotentem Iesum Christum: per quem tibi, & cum ipso, & cum Spiritu sancto, gloria nunc & in futurum in secula seculorum. *Amen.*

Completâ itaque oratione, flammâque suppositâ, cùm usque ad cœlum tolleretur incendium, miraculi novitas repentina processit: illis videntibus quos videre jusserat cœleste mandatum, ut possint cæteris ostensa narrare. Curvus namque in littora arcus apparuit, in aliquantam latitudinem cornua utraque flectendo, velum navis imitatus: qui martyris corpus molli velabat amplexu, ne aliquid ex sanctis artubus flamma vastaret. Ipsum autem corpus, ut panis grata decoctio vel argenti & auri, qui conflato pulchro colore resplendens singulorum juvabat aspectum. Odor etiam thuris aut myrrhæ, aut pretiosi alicujus unguenti, tractum nidorem totius fugabat incendii.

Cùm hoc itaque peccatoribus fuisset ostensum, ut intelligerent eum non posse comburi: praeceperunt congestorem ignis accingi, gladiunculum sancto corpori injicere, illis etiam sancto probato. Cumque hoc ita fuisset effectum, ecce subitò fluente sanguinis copiâ, columba processit de corpore; statim sopitum cruore cessit incendium. Tunc populus totus obstupuit; atque omnibus inter justos & injustos quanta esset probata discretio est; & quid esset praecipuum: etiamsi non est secutum vulgus, quod certum tamen constat agnovit. Tale itaque Polycarpus, *sancta* Smyrnensium *magister Ecclesiae, passionis munus implevit: semper, quaecunque ei revelata fuisse constat, impleta sunt.*

Diabolus tamen, qui justorum semper inimicus est, cùm perspexisset & vim Martyris, & magnitudinem passionis impletam, inreprehensibilem omnem vitam, & meritum majus in morte, hoc excogitavit; ut corpus ejus à nostris non possit auferri; quamvis multi essent, qui sanctis ejus optarent * cineribus. *commùnicare * generibus. Summisit namque* Nicetem, *patrem* Herodis, *fratrem verò* Alces, *interpellare Rectorem, ut reliquiae ejus negarentur omnibus Christianis; adserens quòd, relictis omnibus, huic fundenda esset oratio singulorum: itaque summittentibus Iudaeis, cùm voluissent auferre eum de flammâ. Ignorantes, quia nunquam* Christum *relinquere possumus Christiani, qui pro peccatis nostris pati tanta dighatus est, neque alteri cuiquam precem orationis impendere. Hunc namque Dei filium adoramus & colimus: ejus tamen Martyres, ut discipulos fideles & devotos tutlites, honorificè ac libentèr amplexamur; oramus etiam, ut nos socii ipsorum, & condiscipuli esse mereamur.*

Contentione itaque nostrâ & Iudaeorum, Centurio posuit corpus in medium. Nos collegimus, ut aurum gemmamque pretiosam, & sepultura ossa mandavimus. Conventus itaque alacriter factus, ut praecepit Dominus, ad diem natalemque martyrii.

Talia circa beatum Polycarpum *acta sunt; cum his, qui ex* Philadelphiâ *fuerunt duodecim, martyrium* Smyrna *videtur implesse. solus tamen inter caeteros cultura meruit principatum. Martyrium ergo excelsum sustinet, & Magister adhuc vocatur à populo. Hunc omnes optemus, secundùm exemplum Domini nostri* Iesu Christi, *qui persecutionem vicit Rectoris injusti, & incorruptionis coronam fugatâ peccatorum nostrorum morte suscepit. Cum Apostolis & omnibus justis alacriter benedicamus*

Deum

Deum & Patrem omnipotentem, & Dominum nostrum Iesum Christum, *salvatorem animæ nostræ, gubernatorem corporum, & pastorem* Catholicæ *totius Ecclesiæ, &* Spiritum Sanctum *per quem cuncta cognoscimus.*

Vos frequenter petieratis, ut quæ gesta fuerant nunciarem de beato Polycarpo: *quæ omnia * nunciavit per fratrem* Martianum. *Vos jam quia scitis, omnibus per epistolas nunciate ut ubique benedicatur Dominus bonorum electione servorum. Potens est enim & nos salvare per Dominum nostrum* Iesum Christum *salvatorem: per quem ipse est, & cum ipso gloria, honor, potentia, magnitudo, in secula seculorum, Amen. Salutate omnes sanctos: hi qui nobiscum sunt omnes salutant;* Evaristus, *qui scripsit cum omni domo suâ.* * nunciavi.

Martyrium sancti Polycarpi *mense Aprili, VII. Kalend. Maij, majore Sabbato, horâ octavâ. Captus est ab* Herode, *Pontifice* Philippo * Trajano, *Proconsule* Statii Quadrati *Gratias Domino nostro* Iesû Christo: *cui gloria, honor, magnitudo, thronus sempiternus, à generatione in generationem.* Amen. *Tralliano.

Exemplaria hæc ex Irenæi, *discipuli* Polycarpi, *doctrinâ scripsit* Gajus, *qui conversatus est unà cum* Irenæo: *ego autem hæc* Socrates *ex* Gaji *exemplaribus scripsi.*

Ego Pionius *memorata exemplaria investigavi, & scripsi, ex revelatione quæ mihi patefacta est de beato* Polycarpo; *sicut enunciavi in conventu reliquis ex tempore, quo laboravit cum electis, & ut me colligat Dominus* Iesus Christus *in regno cœlorum, cum* Patre *&* Filio *&* Spiritu Sancto, *in secula seculorum.* Amen.

Vetus fuit Ecclesiæ consuetudo, ut reliquias sanctorum martyrum diligenter colligerent, honorificè sepelirent, & convenirent singulis annis certo quodam loco, & die, quo omnem historiam illorum recensebant, & adhortabantur auditores ad similem & amorem & constantiam. Imo & majorem iis Deus exhibuit honorem, cum pòst ad martyrum quorumdam reliquias plurimos morbos sanare, & alia miracula fieri voluit. quâ de re si quis dubitet, legat, præter præcedentium seculorum scriptores plurimos, Augustinum de civitate Dei lib. 22. cap. 8. ubi conspicua reperies ejus rei documenta: quare nec mirum, si eas reliquias pii convenienter honoraverint, cum Deus eas honore miraculorum condecorare non dedi-

gnatus

gnatus sit, ut loquitur idem Augustinus epistolâ 103. ne quid dicam de præcedentibus seculis, cum miracula fuerunt longè frequentiora, ut nos docent Iustinus colloquio cum Tryphone, & apologiâ pro Christianis primâ, Irenæus lib. 2. cap. 57. & 58. & lib. 5. Tertullianus in Apologetico cap. 23. Origenes adversus Celsum lib. 1. Arnobius adversus gentes lib. 1. Eadem habet Minutius Felix in suo Octavio, Lactantius, Eusebius, Nazianzenus & universi ferè ante Augustinum patres.

Anicetus Martyrio moritur, qui instituit, ne Clericus comam nutriret, secundum Apostoli præceptum, inquit *Platina*, sed locum non addit: lex illa vim habuit in Iudæa, Num. 6. 18. non extra eam. Vide Act. 18. 18. succedit Soter in Episcopatu.

A.C. 175. & 176. *M. Aurelius Antoninus cum Marcomannis, quibus Quadi, Vandali, Sarmata, Suevi atque omnis barbaria se adjunxerat*, ut ait Eutropius, triennio bellum gessit; quos, idque cum summo exercitus Romani discrimine, sed ope tandem militum Christianorum domuit, quâ de re sic Xiphilinus ex Dione: *Cum Marcus legionem unam haberet ex militibus Melitenis (hi omnes Christum colunt) ad eum Præfectus prætorianarum venit, nescientem quid consilii in illo prælio caperet timentemque toti exercitui, ei fertur dixisse; nihil esse quod ii qui Christiani vocantur precibus impetrare non possint, esse legionem, unam in exercitu hominum hujus generis. Quâ re cognitâ Marcum ab ea petiisse, ut Deo suo supplicarent: quod cum fecissent Deum exaudisse subitò, percussisseque hostes fulmine ac Romanos pluviâ recreasse. His rebus Marcum vehementer obstupefactum edicto Christianos honore affecisse, ipsamque legionem κεραυνοβόλον, id est, fulminatricem appellasse*, quamvis etiam ante hæc tempora sub Trajano, legio fuerit cognominis, ut testatur *Dio*. *Addit Dio*, inquit Xiphilinus, *Romanos cum primum pluvia caderet, omnes suspexisse in cælum eamque in ora recepisse: deinde scutis galeisque subjectis inde sorpsisse largiter, equisque ad bibendum dedisse: cumque barbari in ipsos impetum facerent, eos simul bibisse & pugnasse, complures que saucios sanguinem infusum in galeas simul cum aqua absorbuisse. Hi propterea gravia damna accepissent, urgentibus hostibus, quod magna ex parte in bibendo erant occupati, nisi vehemens grando compluraque fulmina in hostes cecidissent. Itaque videre licebat in eodem loco aquam ignemque simul de cælo cadere, atque ob eam caussam humectari alios & bibere, exurique alios ac prorsus interi-*

interire: non attingebat ignis Romanos, aut si fortè interdum ad eos accessisset, exstinguebatur subitò: neque imber juvabat Barbaros, sed non secus flammas accendebat, velut oleum, ita ut aquam requirerent, pluviâ perfusi, infligerentque pars sibi vulnera, quo igneni sanguine restinguerent: pars confugerent ad Romanos, quasi illis tantummodo aqua salutaris esset, ita ut eorum Marcus etiam misertus sit. Eoque facto septimum Imperator à militibus appellatus: Quod etsi admittere non consueverat prius, quam esset decretum à Senatu, tamen non repudiavit, quasi id divinitus acciperet, de quo etiam ad Senatum scripsit. His similia habet Tertullianus lib. ad Scapulam cap. 4. *Marcus quoque Aurelius*, inquit, *in Germanicâ expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis imbres in siti illâ impetravit. Quando non geniculationibus & jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ?* M. Aurelii hac de re rescriptum ad Senatum Romanum invenitur paullò post Apologiam Iustini ad Antoninum Pium, sed suppositititium esse, & recentioris alicujus Græculi statuit Scaliger in animadversionibus ad Chronicon Eusebii ad annum 2189. genuinum tamen exstitisse testantur Tertullianus, Eusebius, Orosius. Hujus historiæ etiam meminit Claudianus lib. I. versibus elegantissimis in VI. Honorii consulatum: & ejusdem imago hodie visitur Romæ in columna Marci Cæsaris, quam divulsam ad dissolutam restituit Pontifex Sixtus V. imaginemque ejus sculpturæ expressit in Annalibus ecclesiasticis Baronius an. C. 176. In ea videre est Jovem pluvium cum ingenti barba, hinc hostes fulmine prosternentem, inde aquâ pluviâ refocillantem Romanos. Jovem autem illum, qui dedit imbrem, fuisse Deum Christianorum, nemo Christianus dubitat. Quæ eidem M. Aurelio affinxerit Antonius Guevara, Episcopus Hispanus, omnium ferè linguis leguntur.

Exempto rebus humanis Lucio, persecutionis quartæ auctore, cum Christiani egregiam in bello adversus Germanos & Sarmatas operam precibus suis Marco præstitissent, quâ victoriam, ut diximus, reportaverat Marcus, & nomen sibi pepererat Germanici & Sarmatici, memor tanti beneficii Imperator, veterem illam Neronis à Trajano interpolatam legem in Christianos, quâ potuit, frustratus est: Christianos enim noluit deferri & accusari impunè.

ſanxit itaque tetriorem capitis pœnam in Chriſtianorum accuſatores.

Tertullianus apologetic. cap. 5. *Cæterum de tot exinde principibus ad hodiernum, divinum humanumque ſapientibus, edite aliquem debellatorem Chriſtianorum. At nos contrariò edimus protectorem, ſi litteræ Marci Aurelii graviſſimi Imperatoris requirantur, quibus Germanicam illam ſitim Chriſtianorum fortè militum precationibus impetrato imbri diſcuſſam conteſtatur. Qui ſicut non palam ab ejuſmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo palam diſperſit, adjectâ etiam accuſatoribus damnatione, & quidem tetriore.* Edictum quo Chriſtiani accuſati & denotati apud judices, & in fide perſeverantes, pœnis veteri Neronis lege ſancitis, nullum fuit à Marco propoſitum, ſed pœna capitalis in accuſatores conſtituta. *Euſebius l.* 5. *c.* 5. *Hunc Imperatorem* Marcum, *mortem etiam illis minatum* dicit Tertullianus, *qui nos accuſare conarentur.* Atque ita qui Chriſtianum detulerat accuſaveratque, non impunè ferebat, nec minus quam Chriſtianus denotatus & in fide perſeverans capite luebat, idque tetriore pœnâ, nam accuſatori infligebatur crurifragium, ut vides in hiſtoria Apollonii Martyris apud Euſebium lib. 5. cap. 21. Marcus autem Imperator delatori indixerat vivicomburium. Vide *commentarium doctiſſimi Voſſii de perſecutione Chriſtianorum.*

A. C. 179. Innumeri hæretici Eccleſiam Chriſti oppugnant, innumeri martyres crudeliſſimâ perſecutione & diverſo mortis genere in diverſis locis, ſed præcipuè in Gallia occiduntur. *In Galliis multi pro Chriſti nomine ſunt per martyrium gemmis cœleſtibus coronati, quorum paſſionum hiſtoriæ apud nos fideliter uſque hodie retinentur.* Greg. Turonenſis. Vide *epiſtolam Lugdunenſis & Viennenſis Eccleſiæ apud Euſebium lib.* 5. *cap.* 1. 2. 3. &c. lectu digniſſimam de admiranda martyrum Gallorum conſtantia, pretioſiſſimum ſanè primitivæ Eccleſiæ κειμήλιον. Duæ illæ Eccleſiæ præ reliquis inſignes, inſignem hanc de martyrio Gallorum epiſtolam ſcripſerunt ad Phrygianas & Aſiaticas Eccleſias, inter quas magna diu fuerat animorum conjunctio. In hac epiſtolica hiſtoria præcipuè martyres narrantur Vitius Epagathus nobilis, Chriſtianorum dictus advocatus; deinde ſanctus Maturus, Attalus, Blandina, tormentorum crudeliſſimorum patientiſſima,

ita etiam, ut diversos suos tortores lassaret, & confiterentur se victos, qui illam per vices quovis suppliciorum genere toto die torserant, cui etiam pendenti pepercerant bestiæ, hominibus mitiores. *Præterea* fuit & Biblis, cui cum in tortura objiceretur Christianos vesci suis infantibus, quod de Carporatis hæresi verum erat, ad se reversa dixit: *quomodo infantes ederent illi, quibus ne irrationalium quidem pecudum sanguine vesci licet?* fuit & Alexander medicus, qui non expers Apostolici charismatis, intrepidus bestiis adjudicatur. Inter hos etiam fuit Pothinus, episcopus Lugdunensis, annos supra 90. natus. Cum verò Gentiles viderent cineres sanctorum apud Christianos in magno esse pretio, cineres horum martyrum per Rhodanum fluvium sparserunt, ut impedirent mortuorum resurrectionem, uti sibi persuadebant. Unde apparet quanti fecerint resurrectionis dogma illius temporis Christiani. *Eusebius loco citato.* Occiso Pothino, surrogatus est in Episcopum Lugdunensem Irenæus, qui fuit auditor Polycarpi, ut Polycarpus Ioannis; vir eximius, & Tertulliano *omnium doctrinarum curiosissimus explorator*, qui quinque nobis reliquit adversus hæreses libros, quos Græcè scripsisse probabile est, *quia Eusebius & Epiphanius multa Græcè ex eo citant, tum quia tota dictio est Hellenistica, & multa fragmenta reperta sunt Græcè scripta.* Vossius. sed *impurissima fuit lingua interpres*, ut inquit Scaliger. Hujus martyris tempore multa adhuc fiebant per fideles miracula; *Ecclesia sæpenumero*, inquit Irenæus, *cum jejunio & castitate orando, dæmonia expellit, futura prædicit, morbidos per manuum impositionem sanat, mortuos resuscitat. Ireneus lib. 2. cap. 57. & lib. 5. Eusebius lib. 5. cap. 7. & alii.*

Soter Episcopus Romanus moritur, succedit Eleutherus: *ad quem Lucius Britannorum Rex per legatum scribit, obsecrans ut per ejus mandatum Christianus efficeretur. Et mox effectum piæ postulationis consecutus est, susceptamque fidem Britanni usque ad tempora Diocletiani Principis inviolatam integramque quietâ in pace servabant.* Beda lib. 1. histor. Angl. cap. 4. sic apud Tertullianum ad Iudæos cap. 7. *Britannorum inaccessa loca Christo sunt subdita.* Vide Usserium de Britannicarum Ecclesiarum primordiis cap. 3. 4. & 6. Item Henric. Spelmannum in apparatu de exordio religionis Christianæ in

Britanniis ad Concilia, decreta &c. Britannica, qui etiam multa incerta narrant de antiquitate Ecclesiæ Glastonensis.

A C. 182. Marcus Aurelius Antoninus Philosophus abstinentiâ cibi mortem voluntariam, *ut inquit Iulius Capitolinus*, oppetiit, ne filii turpissimam ulterius vitam videret, qui dictus Commodus, mortalium pessimus, patri optimo in Imperium successit, Caligula, Nerone & Domitiano pejor. Sub hoc imperatore pax data Ecclesiæ ob immanem crudelitatem, quam exercuit contra Senatores & Provinciarum Præfectos, per quos antea quam sęvissimè cruciati Christiani: fortasse motus precibus Martiæ concubinæ, quæ Christianis favebat. *Xiphil.*

A. C. 183. Audi Eusebium de Ecclesiæ hujus temporis statu: *Eodem anno*, inquit, *Commodi Imperatoris tempore, furor ille Gentilium contra nos mitigari cœpit, datâ per gratiam Dei pace universæ per totum orbem Ecclesiæ, quando etiam salutaris doctrina omnis generis hominum mentes ad piam unius & omnium Dei religionem adducebat, ita ut jam Romæ quoque plures ex illis, qui & opibus & genere illustres erant, ad suorum ipsorum salutem simul cum universâ familiâ accederent.* Euseb. lib. 5. c. 19.

A. C. 194. Eleutherus Episcopus Romanus moritur succedit Victor, natione Afer. Commodus Imperator faucibus oppressis à suis strangulatur.

A. C. 195. Ælius Pertinax ex Præfecto prætorio ope prætorianorum militum Imperator factus est. qui cum Rempublicam optimis institutis regere, ac militari cupiditati obviam ire vellet, intra 88. diem è medio est sublatus. Cujus obitu fluctuantem ac quasi caducam Imperii possessionem licitari ausus est Didius Iulianus, sed post menses duos, quod integrum donativum repræsentare non posset, ab iisdem prætorianis destitutus, Septimii Severi jussu necatur: qui simul Imperium arripuit, & imperii sui exordio adversus Christianos non fuit severus. *Tertullian. ad Scapul. c. 4. Capitolinus, Spartianus.*

A.C. 196. Hoc anno vixit Clemens ille Alexandrinus, Pantæni discipulus, Originis magister, scholæ Alexandrinæ eximius Doctor: cujus scripta magnæ sunt æstimationis apud eruditos, de quo sic Hieronymus:

nymus: *Clemens Alexandrinæ præsbyter Ecclesiæ, meo judicio omnium eruditissimus; quid in illius libris indoctum, imo quid non è mediâ Philosophia est?* Vide hujus viri scripta & judicium de quatuor Euangeliis, & de epistolâ ad Hebræos apud Eusebium lib. 6. cap. 12. & 13. *Epistol. 84. ad Magnū.*

Motâ quæstione de die celebrandi Paschatis festum, Asiaticæ Ecclesiæ ex antiquâ traditione statuebant quartam decimam diem Lunæ mensis Martii, sive in diem Dominicum, sive in alium septimanæ incideret diem, secundum morem Iudæorum: reliquæ Ecclesiæ per universum orbem ex Apostolicâ traditione servandum putabant diem Dominicum, post diem decimum quartum Lunę, quo resurrexit Christus. Coguntur diversę synodi Episcoporum, nempe in Palęstinâ, Ponto, Gręciâ, Romę, in Galliis, &c. quæ omnes unâ sententiâ decernunt die Dominico resurrectionis, celebrandum esse Pascha. A.C 198. *Euseb. lib 5. cap. 21.*

Polycrates verò, Ephesinę Ecclesię Episcopus hęc scribit Victori & Romanæ Ecclesiæ Asiaticorum Episcoporum nomine: *Nos*, inquit, *illibatum agimus Paschatis diem, nec addentes illi quicquam, nec auferentes. Magna etenim luminaria in Asiâ obdormiverunt. Philippus & ejus filiæ, Ioannes qui ad pectus Domini recubuit*, &c. *Ephesi mortuus est. Item Polycarpus, Thraseas, Sagor, Episcopi & martyres, Papyrius, Melito, &c. Hi omnes quartâ decimâ Lunâ Pascha secundum Euangelium celebrabant, nuspiam exorbitantes, sed fidei canonem sequentes. Denique & ego Polycrates, omnium vestrum minimus, traditionem cognatorum meorum retineo. Erant enim septem cognati mei Episcopi, & ego octavus, qui cognati mei semper eo die festum Pascha egerunt, quando populus fermentum semovit. Ego igitur, fratres, qui sexaginta annos habeo in Domino, & cum fratribus per orbem contuli, & S. Scripturam volvi & revolvi, non turbabor iis, quæ terrendi gratiâ objiciuntur. Etenim majores mei Deo magis, quam hominibus obediendum dixerunt*, &c. *Idem lib. 5. cap. 22.*

Victor autem ob diversum hunc celebrandi Paschatis morem Asiaticas Ecclesias excommunicat, id est, *ab unione communi separat*, seu *à communione abscindit*, ut loquitur Eusebius. *Verum hoc omnibus Episcopis non placebat, sed hortabantur eum, ut ea, quæ pacis, unitatis & dilectionis essent, servaret. Exstant autem & verba illorum, qui Victorem acriter reprehende-* *Idem 23.*

benderunt: è quibus & Irenaus nomine fratrum, quibus per Galliam praerat, scripsit, & ea quidem approbavit, solâ dominicâ die resurrectionis Domini celebrandum esse Mysterium: Victorem verò, ne cunctas Ecclesias Dei, antiquæ consuetudinis traditionem retinentes, alienaret, competenter ac multis admonet, & ad verbum ista dicit: Non enim de die tantum disceptatio est, sed & de ipsâ specie jejunii: siquidem alii unum diem sibi jejunandum esse putant, alii plures, &c. *Nihilominus tamen pacem omnes isti inter se retinuerunt, & retinemus etiamnum, & dissonantia jejunii fidei concordiam commendat,* &c. Et paulò post sic finit Eusebius: *& Irenæus non abludens à nomine suo, sed ingenio quoque ad conciliandam pacem accommodus, talia pro pace Ecclesiarum admonuit & egit. Hic autem non Victori modò, sed & variis ac plurimis aliis Ecclesiarum præsidibus mutuis epistolis de motâ hac quæstione scripsit.* Vide hac de re plura apud Eusebium, & quæ dicta à me ex eodem auctore anno 167. sub Aniceto. Audi & Socratem ea de re differentem lib. 5. cap. 21. de celebratione nimirum Paschatis & aliis festis. *Neque veteres certè neque recentes,* inquit, *hi qui consuetudinem Iudaorum imitari contendunt, satis justam causam, siquid ego judico, habuerunt, cum tantoperè de hoc festo digladiarentur. Neque prætereà illud cum animis considerarunt, quando religio Iudaica erat in Christianam commutata, accuratas illas Mosaica legis observationes, & rerum futurarum figuras penitus evanuisse. Hujus rei certissimum argumentum inde capi potest, quod nulla lex à Christo condita fecit Christianis potestatem ritus Iudaicos observandi: imò contra Apostolus illud planè vetuit, dum non modò circumcisionem abrogabat, verum etiam hortabatur, ut de festis nulla fieret dissensio. Quapropter ad Galatas scribens sic ait:* Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non auditis? *At cum pauca hac de re disseruit, populum Iudaicum servum esse ostendit, eosque in libertatem vocatos qui ad Christum accesserunt; admonetque ut dies & menses & anni minimè observentur. Quin etiam ad Colossenses clarâ voce pronuntiat, observationes earum umbram esse, & propterea dicit,* nemo judicet in cibo aut in potu, aut in parte festi, aut Neomeniæ, aut Sabbathi, quæ sunt umbra futurorum. *Itaque in epistolâ ad Hebraos eadem confirmat, dicens:* Translato Sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat. *Itaque neque Euangelium, neque Apostoli jugum servitutis, his, qui ad doctrinam Christi se contulerint, omnino*

Vid. integrũ hunc locum A.C. 142.

Socrates lib. 5. cap. 21. Sozomenus lib. 7. cap. 19.

nino imponunt, sed festum Paschatis aliaque festa libero æquoque judicio eorum, qui in illis diebus beneficia acceperant, recolenda reliquerunt. Unde quoniam homines festa amplectuntur, quo se à laboribus relaxent, idcirco ex illis diebus singuli in singulis locis pro arbitratu memoriam salutaris passionis ex quadam consuetudine celebrant,&c. Et paulò post addit: *Atque Apostolis propositum fuit, non ut leges de festis diebus celebrandis sancirent: sed ut rectè vivendi rationis & pietatis nobis auctores essent. Mihi quidem videtur, sicut res aliæ multæ in locis quibusdam ex more quodam introductæ sunt, ita festum Paschatis ex quadam consuetudine apud singulos populos observationem privatam habuisse, propterea quod nemo ex Apostolis legem de eo cuiquam edidit.* & paulò post: *quod dum faciebant, cum aliis, qui aliam rationem in eodem festo agendo sequebantur, usque eò nunquam dissenserant, quoad Victor Episcopus Romanus supra modum iracundiâ inflammatus omnes Asiaticos quartodecimanos excommunicavit. Ob quod factum Irenæus Episcopus Lugdunensis in Galliâ in Victorem graviter invectus est, tum æstum iracundiæ illius incusando, tum docendo, quod veteres, qui illius festi observatione discrepabant, minimè fuere communione seiuncti. quodque etiam Polycarpus Episcopus Smyrnæ, qui post regnante Gordiano martyrio occumbebat, cum Aniceto Episcopo Romano communicavit, minimèque cum illo, licet ex patriâ consuetudine Smyrnæ servatâ festum illud die 14. observaret, omninò dissensit.* De diversitate rituum in Ecclesia tandem sic statuit Socrates: *Cujusque religionis & sectæ varii sunt ritus, quamvis eadem de illis habeatur opinio. Etenim qui in eadem fide consentiunt, iidem in ritibus & ceremoniis inter se discrepant.* Et postquam jejunii quadragesimalis observationes diversas ubique fuisse demonstravit, libertatem in iis unicuique concedit hisce verbis: *Ac quoniam nemo de eâ re præceptum litterarum monumentis proditum potest ostendere, perspicuum est, Apostolos liberam potestatem in eadem cuique menti & arbitrio permisisse, ut quisque nec metu nec necessitate inductus quod bonum sit ageret.* Vides Socratem traditiones has Ecclesiasticas statuere tanquam res ἀδιαφόρους seu indifferentes, & simul vides pacem Ecclesiæ etiam in adiaphoris servari non posse, nisi sint pacifici qui eam regunt. Utrimque interim observata est vetus & solita consuetudo, nec Victoris excommunicationem Polycrates & cæteri Episcopi Asiatici tanti fecerunt, ut aliquid in ea mutan-

mutandum duxerint. Illa tamen traditio, quam Polycrates cum Asiaticis defendebat, in Concilio Nicæno fuit prohibita, & ea quæ erat Victoris, universæ Ecclesiæ imperata anno Christi 325. nullâ factâ mentione nec Victoris nec Polycratis. Scripsit tum temporis Constantinus Imperator ad Ecclesias Asiaticas, ut ab illo ritu celebrandi festum Paschatis decimaquartâ lunâ desisterent, *tum quia aliquid commune habebat cum Iudæis, tum quia altera consuetudo, Pascha celebrandi die Dominico resurrectionis Christi Servatoris, à pluribus Christiani orbis Ecclesiis receptus erat*. Hæc habet Eusebius lib. 3. cap. 10. in vitâ Constantini, & Socrates lib 5. cap. 21. & Sozomenus lib. 7. cap. 18. & 19. Baronius probat factum Victoris: Fevardentius Gallus Theologus probat quidem quod die Dominicâ voluisset Pascha celebrari, sed cùm non esset res fidei, censet, non debuisse tam præcipiti consilio Orientales excommunicari.

De hac Victoris excommunicatione Petrus Molinæus sic judicat: *sed in hac quæstione*, inquit, *præstat minus quam nimis dicere. Nam qui timet Deum, abstinebit à temeritate judicandi de salute alterius, memor sententiæ Iesu Christi* Matth. 7. 1. Nolite condemnare, ne condemnemini, *expendet separationis caussas, & distinguet personas. Nam sunt etiam errores in rebus levibus & non fundamentalibus in religione: ob quos potest fieri separatio per arrogantiam & pertinaciam quorundam pastorum, etiam Orthodoxorum. Quemadmodum error Quarto-decimanorum, qui celebrabant festum Paschatis 14. die Lunæ mensis Martij: quâ de causâ Victor Episcopus Romanus se separabat ab eorum communione. Ego autem dico, quamvis error fuerit ab illorum parte, interim tamen schisma profectum est à parte Victoris, eumque proinde magis fuisse culpabilem, quam illi. Et qui misellum populum, qui schismati caussam non dedit, ob ejusmodi errorem æternæ damnationi adjudicant, præcipitanter nimis incedunt & temerario ausu de alterius salute judicant. Certum enim est ejusmodi separationes plerumque fieri per pastorum ambitionem, qui ducunt populum, atque is sub hoc jugo gemit, & sæpè concordiam, agrè ferens illam separationem, desiderat. Imo evenire potest, ut ab utraque Ecclesiâ, quæ se à mutuâ communione separarunt, peccetur, & etiam ea pars, per quam veritas defenditur, caussa sit schismatis, per rigorem, aut ambitionem aut charitatis defectum in iis, qui eam gubernant. Eodem modo uti cum duo*

fratres

fratres litigant, non desinunt esse fratres, ita & duæ Ecclesiæ possunt esse discordes, & tamen non desinunt esse membra ejusdem corporis apud Deum, qui se non accommodat violentis & impetuosis nostris actionibus. Sed homines ad præsumptam de suâ justitiâ opinionem propensiores, & fratrum parum amantes, ad Inferos præcipitant, & excommunicatos, hæreticos & schismaticos omnes eos pronuntiant, quibuscum non communicant: cum præstaret fissuram seu schisma consolidare, infirmos ferendo per morum lenitatem. Quare ego magnam statuo differentiam inter schismatis auctores, qui sunt faces Satanæ, & inter simplicem & innocentem populum, qui non potest resistere auctoritati Pastorum Ecclesiæ, in quâ ille natus & educatus est, & qui ex animo mallet concordiam. vide plura apud Molinæum de novitate Papatus lib. 1. cap. 7. contra syncretismi hostes. Et si majora & accuratiora desideras, consule ejusdem Molinæi lib. de pœnitent. & clavibus, item ejusdem Petri filium Ludovicum Molinæum in sua Paranesi ad ædificatores imperii in imperio, cap. 13. & ejusdem Corollarium in Paranesin suam, præter multos alios.

Illustrissimus Baronius Tertulliani librum de corona militis A. C. 201. præterire nequit, ne omittere aliquid videretur in traditionum antiquarum commendationem; quamvis alibi earum copiosè satis meminerit; *retexere tamen*, ut loquitur, *eas cum Tertulliano hoc loco placuit*, ubi acer & vehemens ille scriptor, Tertullianus, solito animi calore traditionum patrocinium arripit, sui postea oblitus. Nam dicti libri cap. 3. sic ait: *Hanc traditionem si nulla scriptura determinavit, certè consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de traditione manavit, quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est?* Libro verò de velandis virginibus cap. 1. hæc habet idem auctor: *Consuetudo initium ab aliquâ ignorantiâ vel simplicitate sortita in usum per successionem corroboratur, & ita adversus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se non consuetudinem cognominavit.* Audiamus, si placet, B. Bernardum ad Eugenium Papam, ubi nos docet, quamvis diverso sensu, quantum valeat consuetudo: *Quid non evertat*, inquit, *consuetudo? quid non assiduitate duretur? quid non usui cedat? primum tibi importabile videtur aliquid: processu temporis, si assuescas, judicabis non adeo grave: paulò post & leve senties; paulò post nec senties: paulò post etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam*

itur, & ex illâ in aversionem, id est ἀποστασίαν. *Cæterum sylva Iudaicarum ceremoniarum sic paulatim agrum Dominicum occupavit, ut periculum sit ne aliquando ipse Dominus illud agricolis crimini det, eisque dicat*, Quis quæsivit hæc de manibus vestris. *Verum ut non parum multa à Iudæis, ita non modica ab aliis gentibus instituta, aut casu ratione ve accepta in tam frequentem usum consuetudinemque venere, ut pro nostris habeantur.* Polydorus Virgilius in proœmio lib. 4. de inventoribus rerum. Sed examinemus potius ipsas traditiones, quas hoc loco Baronius valdè incogitanter *nobilissimum planè Christianæ religionis monumentum*, & tomo primo *basin & fundamentum totius Ecclesiasticæ œconomiæ* appellat, & videamus quid ponderis in Ecclesiâ habuerint.

Baronius Annalium primo tomo passim.

Hæ traditiones partim ab ipsis Ecclesiæ Patribus institutæ aut admissæ, prodierunt ex ritibus Iudæorum. ut monuit Polydorus: partim ex decentissimis Gentilium moribus, ut docet Iosephus Vicecomes: partim ab Ægyptiis desumptę sunt, ut I. Biemus Aubanus post Beroaldum testatur lib. 1. de moribus Gentium, his verbis: *Pluraque ex religione Ægyptiorum translata in religionem nostram sunt, ut linea vestes, derasa sacerdotum capita, vertigines in altari, pompa sacrificalis, musicæ modulamina, adorationes, preces, aliaque id genus.* Multæ præterea ceremoniæ in quasdam irruperunt Ecclesias nimiâ quorundam indulgentiâ, aut saltem conniventiâ, sed aliquando tamen cum bonâ Patrum intentione, nimirum ut per rituum similitudinem Christianos commodius lucrarentur. Cum eâdem operâ impias Gentium solennitates delerent, & novas instituerent, quæ ad veri Dei cultum pertinerent; quare censet Baronius, eos *gentilicia superstitionis officia sanctificasse.* Vide Baronium an. 31. & 34. Casaubon. Exercit. 16. cap. 43. Vossii theses de invocat. sanct. sed quis eas fuisse universales & originales probabit? quis has aut illas jam tam necessarias aut utiles judicabit, cum ratio, quæ olim pios viros movit, jam cesset? cum & harum traditionum plurimæ, quas tantis encomiis celebrat Baronius, apud ipsos traditionum patronos quasi abolitę & obliteratę hodiè non inveniantur.

Audiamus de rituum & ceremoniarum origine caussâ & usu in Eccle-

Ecclesia ipsum Tertullianum lib. de baptismo cap. 2. *Nihil adeò est quod obduret mentes hominum,* inquit, *quam simplicitas divinorum operum, quæ in actu videntur, & magnificentia, quæ in effectu repromittitur: ut hic quoque in baptismo, quoniam tantâ simplicitate sine pompâ, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu aliquo homo in aquâ demissus, & inter pauca verba tinctus, non multò vel nihilò mundior resurgit, eò incredibilis existimetur consecutio æternitatis. mentior si non è contrario idolorum solennia vel arcana de suggestu vel apparatu, deque sumptu sibi fidem & auctoritatem extruunt. Prò misera incredulitas, quæ denegas Deo proprietates suas, simplicitatem & potestatem. Quid ergo? nonne mirandum & lavacro dilui mortem? Atquin eò magis credendum, si quia mirandum est, non creditur: qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem? nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus. Cæterum incredulitas miratur, & non credit. miratur enim simplicia quasi vana, magnifica, quasi impossibilia. Et sit planè ut putas, satis ad utrumque divina pronuntiatio præcucurrit Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientiam ejus, & prædifficilia penes homines facilia penes Deum.*

Audiamus etiam, si placet, quid de his ab Augustino ante annos plus quam 1200 pronunciatum sit epist. 119. ad Ianuarium: *Quod instituitur præter consuetudinem, ut quasi observatio Sacramenti sit, approbare non possum; etiamsi multa hujusmodi propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberius improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quia multa, quæ in divinis libris saluberrima præcepta sunt, minus curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentiâ sepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum instituta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut omninò nunquam inveniri possint caussæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt; ubi facultas tribuitur, sine ullâ dubitatione resecanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint; ipsam tamen religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei liberam esse voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit condi-*

tio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamē sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam, multaque zizania constituta, multa tolerat, & tamen quæ sunt contra fidem, id est regulam fidei sæpiusculè memoratam, *vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit*. Conquesti etiam sunt de multitudine ceremoniarum, post Augustinum, Gerson, Thomas & alii. *Quid*, inquiunt, *sancte pater Augustine diceres, si nunc viveres? Cum pauca admodum fuerint ceremoniæ tuo tempore in Ecclesiâ, si cum his, quæ postea accesserunt, conferantur?* &c.

De veris traditionibus, quę omni tempore, & omni loco, & ab omnibus observatæ sunt, hic non agitur, ut de baptismo, & cęteris divinis, à Christo & Apostolis institutis, ut nec hoc loco apud Tertullianum, sed tantum de annexis postea ritibus. *Baptizandi*, inquit Tertullianus, *renunciabant Diabolo, & pompæ & angelis ejus.*] postea autem baptizandis proponebatur simplex hęc formula: *num crederent in Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum*: aut paulò prolixior, ut diximus; ad quam respondebatur, *Credo*. Ab aliis prælegebatur Symbolum integrum, ut docet Ruffinus in explicatione Symboli apud Cyprianum & alibi. *Ter mergitamur*] Iam ter tantum aquâ aspergimur. Tum viri, pueri, mulieres, nudi; nunc vestiti baptizantur: Usus mellis & lactis, abstinentia à lavacro Iustino incognita jam omnino desierunt. Eucharistia seu cœna Domini, à Christo vespertino tempore celebrata, Tertulliani ævo antelucanis seu matutinis horis à jejunis administrabatur: antea à Diaconorum, ut vidimus apud Iustinum, Tertulliani tempore à præsidentium manu sumebatur, idque manu communicantis, non inserebatur ori à præposito, ut hodie: alii sæpius, imo singulis Dominicis, alii singulis diebus, alii quotannis tantum bis communicabant. Tempore Tertulliani in publicis Christianorum conviviis ἀγάπαι fiebant, at hodie omnia illa convivia in desuetudinem abierunt. *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuâ die facimus*] *Oblationes pro defunctis*] *qui dormiunt in somno pacis*, veluti in ipsa oratur missa. Quod mirari nemo debet: nam existimabat Tertullianus, & cum eo omnes ferè Patres ad an. usque C. 400. animas Sanctorum detineri usque ad extremi diem judicii in Paradiso, vel alio quopiam amœno loco, quem vocabant ᾅδην: sed ubi

ubi ille situs sit, diversa Patrum sunt judicia, & ignotum nobis putant. In eo conveniunt, quod animæ à corpore separatę in hoc loco glorię cœlestis certę, beatam resurrectionem lęti exspectent. Ludov. Vives in August. de C. D. lib. 12. cap. 9. *Cum Augustinus in abditis receptaculis animas collocasset*, inquit, *non dubitat de earum gloriâ etiam ante judicium, sed de loco gloriæ. nam ubique possunt beatæ esse, cum ubique sit Deus, cujus fruitione fiunt beatæ.* Quare orabant pro mortuis, ut resurrectione maturiore resurgerent: vel ut flamma istius judicii eos levius lamberet: vel ut in occultis receptaculis aliquo solatio mulcerentur: vel ut ad salutem resurgerent, & requiem æternam consequerentur. Imo & orabant veteres pro sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Euangelistis, Martyribus, Confessoribus; quæ erant, ut sanè loquar, orationes seu gratiarum actiones ob constantiam & animi firmitatem sanctis & Martyribus à Deo concessam. Alioqui pro iis orare, qui cœlesti fruuntur gaudio, ineptum est sancto Augustino. Obiter hic notandum, secundum opinionem multorum, Tertullianum fuisse primum, qui de oblatione & oratione pro mortuis scripserit: *Enimverò & pro anima ejus orat & refrigerium interim adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus*, sic ille loquitur de monogam. cap. 10. *Quod si Onesiphori jam vitâ functo hoc precatur Apostolus, ut misericordiam apud Dominum inveniat in die illo, validissimè ex hoc loco confirmatur oratio pro fidelibus defunctis*, inquit Estius in 2 Tim. 1.

Oblationes pro natalitiis annuâ die facimus) per natalitia intellige *dies, quibus sancti, mortui mundo, nascuntur cœlo*, inquit Ludovicus de la Cerda in hunc locum. Illos dies sacros habebant, &, ut ait Cyprianus epist. 34. *pro eis*, id est martyribus, *sacrificia offerebant, quoties martyrum passiones & dies anniversariâ commemoratione celebrabant.* Idem habet epist. 37. *Die Dominico jejunium nefas ducimus, nec de geniculis adoramus*] Illa non fiebant diebus Dominicis in honorem & memoriam Christi, quia illo die resurrexit: hodie verò diebus Dominicis in genua procumbendo oratur. Vide canonem Apostolicum 66. Concilii Nicæni Canonem 20. Petavium A. C. 142. & alios A. C. 136. *Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus*] Idem observabatur toto spatio quinquaginta dierum à

Dominica resurrectionis ad adventum Spiritus Sancti. Transigebant autem totum illud tempus in continua lætitia, (sed non ita, ut hodie quædam nationes illud tempus à natali Christi ad quadragesimam.) læti ob resurrectionem Christi, summo cum gaudio exspectabant adventum Spiritus Sancti; immunes à jejuniis, & in precibus à flexione genuum, non tamen sedentes sed stantes orabant. tum etiam quod eo tempore cum Apostolis versatus sit Christus post resurrectionem, tum quod olim duo illa fuerint baptismi stata tempora in Ecclesia, Paschæ scilicet & Pentecostes, extra quæ non licebat baptizare, nisi mortis adesset periculum, ut videre licet apud Tertullian. lib. de baptis. cap. 19. quæ jam antiquata desierunt. atqui hodie eodem tempore datur Confirmatio. Bellarm. tom. 3. lib. 2. c. 13. & à jejunis datur, & à jejunis accipitur. *Ad omnem progressum, aditum, exitum, vestitum* &c. *frontem crucis signaculo terimus.*] *Nos quidem* inquit Casaubonus exerc. 13. c. 33. *in cruce Christi mysterium agnoscimus, quod omnia mysteria longo superet intervallo. quare olim omnibus actionibus suis, minimis, maximis, crucis signacula præmittere solent, Id enim primis temporibus velut compendium quoddam fuit precum, & pia ceremonia, quæ orationi adjecta animas fidelium ad Christi crucem ac passionem eveheret*, ut videre licet apud Lactantium lib. 4. cap. 26. & 27. Athanasium oratione de incarnatione Verbi. & orat. contra Gentes. Chrysostomum homil. 55. in Matth. Augustinum tract. 118. in Euangel. Iohannis, & sermone 18, de tempore, cap. 3. & serm. 19. de sanctis. Hieronymum ad Eustochium, &c. Eodem ferè modo de eodem crucis signo loquitur Cyrillus Hierosf. catech. 15. *Signo autem isto utere edens, bibens, sedens, cubans, surgens de lecto, loquens, ambulans* &c. causam addit: *ut Dæmones fugiant: Ostenta illis audacter: quando enim viderint crucem, recordantur crucifixi*, &c. sed circa illa tempora miraculis adhuc florebat Ecclesia, & multa usu signi crucis miranda perpetrata fuisse ab ipsis prædictis patribus discimus. Nam erat in primitiva Ecclesia *symbolum ejus fiduciæ, quam in Christo & cruce & passione ipsius Christiani ponebant*, ut loquitur Casaubonus loco citato. scio patrum nonnullos oratoriè nimis de crucis efficacia locutos, sed quis sanæ mentis omnia ea negare audebit, quæ tam multi Patres usu signi crucis facta narrant? Objiciebant Christianis

ſtianis Pagani *deos ipſis eſſe infeſtos*, ut loquitur Arnobius lib. 1. adverſus Gentes, *quod hominem natum*, *& (quod perſonis infame eſt vilibus) crucis ſupplicio interemptum*, *& Deum fuiſſe contenderent*, *& ſupereſſe adhuc crederent*, *& quotidianis ſupplicationibus adorarent*. Ne autem illa mors Chriſto aut Chriſtianis eſſet infamis, ſed glorioſa, infinita per ſignum crucis miracula fieri voluit Deus, ἵνα δείξῃ ὁ Θεὸς τὰ αὐτοῦ θαυμάσια: ut oſtenderet ſua mirabilia Deus, inquit de cruce Epiphanius. Qui ſuum filium ignominioſę cruci affigi voluit pro ſalute generis humani, an mirum eundem, ut infamiam illam tolleret, per miracula ſignum crucis ita condecorare & extollere voluiſſe, ut inde unuſquiſque promptius crederet, crucifixum illum eſſe *Deum manifeſtatum in carne*, *prædicatum in gentibus*, *aſſumptum in gloria*? At poſtea, cum miracula non eſſent amplius neceſſaria, ceſſavit etiam ſigni crucis illa virtus; fortaſſe non ceſſatura apud Indos, Chinenſes alioſque infideles. Eucherius Lugdunenſis in Matth. 18. verſ. 1. *Nobis ſigna & miracula nunc neceſſaria non ſunt*, *quibus ea quæ facta ſunt*, *ſolummodo legere & audire ſufficit. Credimus enim Euangelio & ſcripturis iſta narrantibus.* Gregorius Papa homiliâ 29. *Nunquid*, inquit, *jam fratres mei*, *quia iſta ſigna non facitis*, *minimè creditis? ſed hæc neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Vt enim ad fidem creſceret multitudo credentium*, *miraculis fuerat nutrienda*, *quia & nos cum arbuſta plantamus*, *tam diu eis aquam infundimus*, *quouſque ea jam in terrâ coaluiſſe videamus*; *& ſi ſemel radicem fixerint*, *irrigatio ceſſabit*. Simile quid Auguſt. lib. de verâ religione cap. 25. & lib. 22. cap. 8. de Civit. Dei. Ianſenius Gandav. Concord. Euangel. cap. 134. & alii. Hactenus de traditionibus Tertulliani, quibus non deſignat ſanctiſſima Sacramenta, & alia divina inſtituta, ut diximus, ſed præcipuè ritus & ceremonias: quæ tam parvi momenti res ſunt, ut in ipſâ Eccleſiâ earum plurimæ ſint neglectæ aut abrogatæ, aut ſaltem in deſuetudinem abierint; nonnullæ tamen adhuc reſtant, & in quibuſdam Eccleſiis perdurant, clero & ignarâ plebe propugnante, quas paulatim aboleri non mediocriter prodeſſet. Et præterea alias habuit Oriens, alias Occidens Eccleſia, & pleræque erant adiaphoræ, & proinde facilè, pro rerum occaſione, mutabiles, ut ipſa probat experien-

perientia; & tamen eas vocat Baronius *nobilissimum planè Christianæ religionis monumentum*: sed non *ære perennius*. De Chrismate seu confirmatione, cujus apud Tertullianum prima fit mentio, alia est ratio: nam ea per universum orbem Christianum dispersa & recepta, etiamnum à pluribus observatur. Hæc de eâ habet Tertullianus lib. de bapt. cap. 7. *Exinde egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione*. Et cap. 8. *dehinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum*. Et lib. de resurrect. carnis cap. 8. *Sed & caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* similia habet S. Cyprianus epist. 70. & Cyrillus Hierosolym. in catechef. mystagogicis, & alii patres magno consensu. quare & illius usum servavit prima Ecclesiæ Anglicanæ reformatio.

A. C. 203. Victor Episcopus Romanus martyr moritur, succedit Zepherinus: qui instituit, ne in distributione cœnæ Dominicæ adhiberentur vel lignea vel vitrea vasa, illa propter raritatem, quâ vinum absorbetur, hæc propter fragilitatem. Item ut omnes puberes uterentur sacrâ synaxi in festo Paschatis. *Onuphrius*.

Persecutio sexta. Edictum promulgat Imperator Severus contra Iudæos & Christianos: qua persecutione multi perierunt, & inter alios Alexandriæ Leonidas pater Originis: & vide apud Eusebium lib. 6. cap. 1. 2. 3. ejusdem Originis, tenerâ adhuc ætate animum martyrii cupidissimum, & alias eximias animi dotes.

A. C. 205. Hoc anno Origines docet Alexandriæ, Clemente Alexandrino Originis præceptore fugiente severam Severi Imperatoris persecutionem. Et eodem ferè tempore Severi persecutio ad Gallos penetravit, quâ Lugduni crudeli martyrio interficitur Irenęus sanctissimus Lugdunensium Episcopus. B. Hieronymus lib. 2. in Ezechielem cap. 36, Irenæum inter scriptores Græcos numerat, & Tertullianum post Apollonium & Victorem primum Latinorum dicit lib. de script. Eccles. in Tertulliano. *Præter diversas Irenæi epistolas* nempe ad Victorem, Florinum, Blastum & alios, inquit Eusebius lib. 5. cap. 24. *exstat liber illius adversus gentes compendiosissimus ac summoperè necessarius de scientiâ inscriptus, & alius quidam Marciano*

fratri

fratri ad declarandam Apostolicam prædicationem nuncupatus, & libellus alius variarum dictionum, in quo meminit Epistola ad Hebraos, & Sapientia, quam Salomonis vocant, è quibus etiam dicta quædam adducit. Et hac sunt scripta Irenæi, qua ad nostram cognitionem venerunt. Hæc Eusebius, qui supra meminit quinque librorum adversus hæreses, qui etiamnum superſunt, *in quibus hoc unicè egit, ut veram de Deo doctrinam contra insanas & sceleratas sui temporis hæreses defenderet*, Scultetus in Medullâ Patrum. *Videas equidem*, inquit Baronius, *Apostolicæ doctrinæ imaginem in ipso effulgere: quod enim à Polycarpo acceperat, & ille à Iohanne illibatè ipse custodiens communicavit Ecclesia, quamobrem Hieronymus epist. 29. eum Apostolicorum temporum hominem nominat, quippe qui ipsum vultum Apostolicum in omnibus præ se ferret.* hæc autem habet lib. 3. c. 1. *Non enim per alios dispositionem salutis nostra cognovimus, quam per eos, per quos Euangelium pervenit ad nos, quod quidem tum prædicaverunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostra futurum. Postea enim quam surrexit Dominus noster à mortuis, & induti supervenientè Spiritu Sancto virtutem ex alto, de omnibus adimpleti sunt, & habuerunt perfectam agnitionem, exierunt in fines terra, ea qua à Deo nobis bona sunt Euangelizantes, & cœlestem pacem hominibus annunciantes; qui quidem & omnes pariter, & singuli eorum habentes Euangelium Dei. Ita Matthæus in Hebrais ipsorum linguâ scripturam edidit Euangelii, cum Petrus & Paulus Roma euangelizarent, & fundarent Ecclesiam,* &c. *Et omnes isti unum Deum factorem cœli & terra, à lege & Prophetis annunciatum, & unum Christum Filium Dei tradiderunt nobis*, &c. Meminit etiam Irenæus Ignatii & Iustini adversus hæreses lib. 5. Vide præterea lib. 1. c. 2. & 3. regulam fidei Catholicę, quam prodiximus an. C. 196. Item lib. 3. c. 3. Apostolorum traditionem, Episcoporum Romanorum successionem, & Ecclesiarum Apostolicarum auctoritatem & fidem: item quomodo de Eucharistiâ frequenter loquatur, sed eâ religione, quâ ferè veteres solent de hoc mysterio, ut lib. 4. cap. 34. *Quemadmodum qui est à terrâ panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrenâ & cœlesti. Offerendi* vocabulo sæpè utitur Irenæus, ut & Iustinus, Tertullianus, Cyprianus, & alii. De gratiâ & libero arbitrio passim cum cæteris primitivæ *Irenæus.*

Oo Eccle-

Ecclesiæ Patribus loquitur lib. 4. cap. 71. *Aliud autem quod ait: Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti. Veterem legem libertatis hominis manifestavit, quia liberum eum ab initio fecit Deus, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad utendum sententiâ voluntariè, & non coäctum à Deo. Vis enim à Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper, & propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum & in Angelis.* Et paulò post: *Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum & Apostolus testatur in eadem epistolâ, & qui operantur quidem & gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possint non operari illud. Hi autem qui illud non operantur, judicium justum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud.* Vide & cap. sequenti, & cap. 9. & 29. sic loquentem Irenæum, *hominem Dei*, ut eum vocat Hieronymus.

Eusebius lib. 5. c. 8. citat verba Irenęi lib. 3. c. 1. de quatuor Euangelistis: *Quoniam verò initio tractatus hujus polliciti sumus priscorum nos Ecclesiasticorum presbyterorum & scriptorum verba suis locis adducturos, quibus de Testamentorum scripturis traditiones, quæ ad ipsos venerunt, literis mandarunt, age jam hoc præstemus, & ipsius Irenæi verba subjiciamus: & primum quæ de sacris Euangeliis ad hunc modum scripsit. Matthæus quidem Hebræis in ipsorum linguâ Euangelii historiam obtulit: cum Petrus & Paulus Romæ Euangelizarent, & Ecclesiam fundarent. Post obitum autem illorum Marcus, discipulus & interpres Petri, etiam ipse nobis ea, quæ à Petro sunt prædicata, in scriptis reliquit. Et Lucas sectator Pauli Euangelium ab illo prædicatum volumine complexus est. Post istos Ioannes discipulus Domini, qui & ad pectus illius recubuit, etiam ipsi nobis Euangelium edidit, cum Ephesi moraretur. Hæc Irenæus lib. 3. dixit. In quinto vero de Apocalypsi Ioannis, ac de numero nominis Antichristi sic disserit: Hisce autem sic habentibus, cum in cunctis accuratis ac vetustis exemplaribus numerus hic sit positus, & hoc ipsum testificentur, qui Ioannem oculis suis viderunt, denique & verbum hoc nos doceat, quod numerus nominis Bestiæ, secundum Gentilium calculum per literas in ipsos positas declaretur. Et aliquanto post infra de eodem sic dicit: nos igitur de nomine Antichristi non periclitamur, de quo certò ac firmiter pronunciamus. Etenim si præsenti hoc tempore nomen illius manifestè esset edicendum, per illum utique dictum esset,*

qui

qui & ipse Apocalypsin prolocutus est. Neque enim ante multum temporis, sed propè nostrâ hâc ætate sub finem Domitiani imperii visa est. Hæc ille de Apocalypsi Ioannis. meminit autem & prioris Epistolæ Ioannis, ac plurima ex illo testimonia citat. Consimiliter & prioris Petri, &c. Vides quibus testimoniis probet auctoritatem S. Scripturæ Eusebius.

Circa hæc tempora vixisse videtur Romæ Minucius Felix, vir apprimè doctus, & insignis causidicus, natione Afer, qui scripsit dialogum Christiani cum Ethnico, qui Octavius inscribitur: narrat hoc dialogo quomodo Octavius contubernalis suus, Cæcilium vanitatibus Gentilium etiamnum inhærentem disputatione gravissima ad veram Christi religionem converterit. primò Cæcilii sermonem recitat pro Romanorum religione contra Christianos; deinde responsum Octavii ad singula Cæcilii argumenta. Habitus quondam fuit octavus Arnobii liber; sed ex Hieronymo manifestum est Arnobium tantum septem scripsisse libros contra gentes, & hunc Minucii librum Octavium fuisse inscriptum ab Octavio, qui in eo Christianam fidem tuetur. Genus illi dicendi argutum est, acre, vehemens: pressum, densum, nervosum, crebris sententiis compactum, omniumque antiquitatum & historiarum memoriâ refertum: in quo plures sententias quam periodos numeres, ut bene de eo judicat *Fr. Balduinus præfatione in Minucium.* A. C. 212.

Moritur Severus Imperator Eboraci in Britanniâ, succedunt filii Antoninus & Geta fratres. Ultima verba ejus dicuntur hæc fuisse; *Turbatam rempublicam ubique accepi; pacatam etiam Britannis relinquo; firmum imperium Antoninis meis, si boni erunt; imbecillum, si mali.* Ille Severus murum exstruxit in Britanniâ, quo separabat Scotos & Pictos à parte Britanniæ Romanis subditæ; qui primò ex cespite fuerat, postea ex lateribus factus est in eo loco, quo hodie Anglia incipit. Hic murus altus erat pedes 12. latus 8. à Bethynæ ostio usque ad æstuaria pertingebat. Exterius latâ & profundâ cingebatur fossâ, interius vero erat via militaris. Anno 447. Scoti & Picti hunc murum destruxerunt, cum suos milites Romani revocassent. Severi filius Antoninus, à veste postea dictus Caracallus, cujus jussu sequenti anno in matris gremio occiditur frater Geta, post hujus mortem crudelissimè sæviit in omnes tam Patris A. C. 213.

quam fratris amicos, & inter cæteros in Papinianum, *juris asylum, & doctrinæ legalis thesaurum*, prætorio præfectum: quod parricidium illius excusare legibus nollet, additâ à Papiniano hâc ratione; *quod facilius esset parricidium perpetrare, quam excusare.* Spartianus.

Sub Imperatore Severo maximè floruit Tertullianus, qui quantus vir fuerit manifestè docent ipsius scripta eruditissima & Lactantius, qui illi tribuit omnium disciplinarum peritiam. Inter cætera eximia scripta etiam est liber de pallio, quem scripsit, cum ad Christi fidem conversus, relictâ togâ, Romanorum veste, pallium Græcorum assumpsisset. Eo utebantur frugalitatis causâ Christiani, tanquam veste simpliciori & philosophicâ. hinc Tertulliano cum ludibrio dictum, *Itane à Toga ad Pallium?* Vide super illo libro duos viros doctissimos contendentes, alterum nomine Francisci Franci JC., alterum nomine Ant. Kercoëtii Aremorici, Salmasium dico & Petavium. Scripsit etiam Apologeticum adversus gentes, imitatus Iustinum & alios, sed omnes acumine & eruditione facilè superavit; quare Hieronymus epist. ad Magnum dicit Apologeticum *cunctam seculi obtinere disciplinam.* Sed audiamus Vincentii Lirinensis scriptoris elegantissimi, qui vixit tempore Augustini, judicium de hoc Tertulliano: *Sicut Origines apud Græcos*, inquit, *ita hic apud Latinos nostrorum omnium facilè princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? nempe omnem Philosophiam, & omnes Philosophorum sectas, auctores adsertoresque sectarum, omnes eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem mirâ quâdam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi ac vehementi excelluit, ut nihil sibi penè ad expugnandum proposuerit, quod non acumine irruperit, aut pondere eliserit? Iam porrò orationis suæ laudes quis exsequi valeat? quæ tantâ, nescio quâ, rationum necessitate conferta est, ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat: cujus quot penè verba, tot sententiæ sunt: quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hæc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Iudæi, Gentiles, Gnostici, cæterique, quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus evertit.* Hæc Vincentius. Hoc etiam notatu dignum in Tertulliano, quod primus videatur auctor & inventor vocis *Trinitatis*,

de

de quâ expressè & disertè scribit libro adversus Praxeam hæreticum Patripassianum, quales etiam erant Noëtiani & Sabelliani: Ejusdem vocis etiam sæpiusculè mentionem facit B. Cyprianus, & eodem tempore librum de Trinitate scripsit Novatianus presbyter Romanus, paulò post in schismate futurus cum Cornelio Episcopo Romano. Primum inter Græcos, qui de τριάδι scripsisset, citat Dionysium Areopagitam Bellarminus, sed is Tertulliano est posterior, ob easdem rationes, ob quas ipse Bellarminus rejicit sermonem Iustino asscriptum, *de expositione fidei, seu de Trinitate, tum quia veteres,* inquit, *ejus dictionis non meminerunt, tum quia apertius & distinctius de mysteriis Trinitatis & incarnationis,* adde de hierarchiâ cœlesti differit, *quam scriptores ejus seculi facere solent.* Bellarminus de script. Eccles.

Addam hoc loco quasdam insignes Tertulliani sententias, & ex Apologet. cap. ultimo de persecutione adversus Christianos, quomodo indies moriendo, numero accreverint: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos,* inquit, *probatio enim est innocentiæ nostræ iniquitas vestra. Ideo nos hæc pati Deus patitur. Nam & proximè ad Lenonem damnando Christianam potius, quam ad Leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœnâ, & omni morte reputari. Nec quicquam tamen proficiet exquisitior quæque crudelitas vestra; illecebra est magis sectæ. Plures efficimur quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum. Multi apud vos ad tolerantiam doloris & mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, Seneca in fortuitis,* &c. *Nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo. Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est: Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad requirendum quid intus in re sit? Quis non, ubi requisivit, accedit? ubi accessit, pati exoptat? ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est quod ibidem sententiis vestris gratias agimus, ut est æmulatio divinæ rei & humanæ, cum damnamur à vobis, à Deo absolvimur. Crudelitas vestra nostra gloria est. Vide tantum ne hoc ipsi, quod talia sustinemus, ad hos solum videamur erumpere, ut hoc ipsum probemus, nos hæc non timere, sed ultrò vocare* &c. & paulò post: *Magistrum neminem habemus, nisi Deum solum, hic ante te est, nec abscondi potest, sed cui nihil facere possis. Cæterum quos putas tibi*

magistros, homines sunt, & ipsi morituri quandoque. Nec tamen deficit hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, cum cadi videtur. Quisque enim tantam tolerantiam spectans, ut aliquo scrupulo percussus & inquirere accenditur, quid sit in causa & ubi cognoverit veritatem & ipse statim sequitur: sic *sanguis martyrum est semen Ecclesiæ*, ut idem alibi. sic etiam dialogo cum Tryphone inquit Iustinus: *Haud secus quam quis vitem putatione provocat ad ubertatem*, &c.

Absit ut indignè feramus ea, quæ pati nos optamus, aut ultionem aliquam à nobis machinemur, quam à Deo exspectamus.

Nos cum omni sævitiâ vestrâ concertamus, etiam ultrò erumpentes, magisque damnati quam absoluti gaudemus. Quid hoc mali est, inquit Apologetico, *cujus reus gaudet? cujus accusatio votum est, & pœna felicitas?* Et inter cætera sic loquitur lib. ad Scapulam: *Disciplinâ nostrâ jubemur diligere inimicos quoque, & orare pro iis, qui nos persequuntur, ut hæc sit perfecta bonitas nostra, non communis.*

Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum.

Nos unum Deum colimus, quem omnes naturaliter nostis, ad cujus fulgura & tonitrua contremiscitis, ad cujus beneficia gaudetis. Cæteros & ipsi putatis Deos esse, quos nos Dæmonas scimus.

Dæmones autem non tantum respuimus, verum & revincimus, & cottidiè traducimus, & de hominibus expellimus.

Atquin hæc omnis nostra in illos dominatio & potestas de nominatione Christi valet.

Iam ergo subjecta est Christianis divinitas vestra, inquit Apologet. *nec divinitas deputanda est, quæ subdita est homini.*

Et tamen humani juris & naturalis potestatis est unicuique, quod putaverit colere: nec alii obest vel prodest alterius religio: sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi: cum & hostiæ ab ânimo libenti expostulentur.

Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat, & revereatur & honoret, & salvum velit. Colimus ergo & Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum, & quidquid est, à Deo consecutum, & solo Deo minorem. sic & omnibus major est, dum solo Deo ve-

ro minor est. Hic & ipsis Diis major est, dum & ipsi in potestate sunt ejus. Itaque sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius: & quomodo præcepit Deus, purâ prece. Ita nos oramus pro salute Imperatoris, ab eo eam postulantes, qui præstare potest.

Et utique ex disciplinâ patientia divina agere nos manifestum esse vobis potest, cum tanta hominum multitudo, pars penè major civitatis cujusque in silentio & modestiâ agimus, singuli fortè noti magis quam omnes, nec aliunde noscibiles, quam de emendatione vitiorum pristinorum.

Præter hæc depositum non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus, pupillos piè tractamus, indigentibus refrigeramus, nulli malum pro malo reddimus. Viderint qui sectam mentiuntur, quos & ipsi recusamus. Quis denique de nobis alio nomine queritur? Quod aliud negotium patitur Christianus, nisi suæ sectæ? quam incæstam, quam crudelem tanto tempore nemo probavit. Pro tantâ innocentiâ, pro probitate, pro justitiâ, pro pudicitiâ, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo cremamur. quod nec sacrilegi, nec hostes publici veri, nec tot majestatis rei pati solent: sed majora certamina majora sequuntur præmia.

Idem lib. de Oratione cap. 13. *Cum modestiâ & humilitate adorantes, magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed tempera tè ac probè elatis. Ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille publicanus, qui non tantum prece, sed & vultu humiliatus atque dejectus orabat, justificatior Iudæo procacissimo discessit. Sonos etiam vocis subjectos esse oportet, aut quantis arteriis opus est, si pro sono audiamur. Deus autem non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector.* Et tamen, idem ad Scapulam, *Marcus Aurelius in Germanicâ expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis imbres in siti illa impetravit. Quando non geniculationibus & jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ?* Et lib. de pœnitentia cap. 4. *Omnibus ergo delictis seu carne seu spiritu seu facto seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & veniam per pœnitentiam spopondit, dicens ad populum: pœnitere, & salvum faciam te.* Et iterum: *Vivo*, inquit, *& pœnitentiam malo quam mortem. Ergo pœnitentia vita est, cum præponitur morti. Eam tu peccator, mei similis, imo me minor, (ego enim præstantiam in delictis meam agnosco.) ita invade, ita amplexare, ut naufragus*

Lucæ 18.

Ezechiel. 18

alicujus

alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum perlavabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit. Rape occasionem inopinatæ felicitatis: ut ille tu, nihil quondam penes Deum, nisi stilla situlæ & areæ pulvis & vasculum figuli; arbor exinde fias illa, quæ penes aquas eritur, & in foliis perennat, & tempore suo fructus agit: quæ non ignem, non securim videbit. Pœniteat errorum repertâ veritate, pœniteat amasse, quæ Deus non amat, quando ne nos quidem ipsi servulis nostris ea, quibus offendimur, non odisse permittimus. Obsequii enim ratio in similitudine animorum constituta est. De bono pœnitentiæ enumerando diffusa, & per hoc magno eloquio committenda materia est. Nos vero pro nostris angustiis unum inculcamus, bonum atque optimum esse quod Deus præcipit. Audaciam existimo de bonis præcepti divini disputare. Neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus, sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequii prior est majestas divinæ potestatis. Prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis. Bonum est pœnitere, an non? Quid revolvis? Deus præcipit. At enim ille non præcipit tantum, sed hortatur. Invitat præmio salutem, jurans etiam: Vivo, dicens, cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causâ Deus jurat. O miserrimos, si nec juranti Deo credimus. Quod igitur Dominus tantopere commendat, quod etiam humano more sub dejeratione testatur, summâ utique gravitate & aggredi & custodire debemus: ut in asseveratione divinæ gratiæ permanentes, in fructu quoque ejus & emolumento proinde perseverare possimus. Similia infinita apud hunc auctorem inveniuntur: ita ut cum B. Hieronymo dicere debeam. *Quid eruditius, quid acutius*, imo quid sanctius in multis Tertulliano? *Et tamen*, inquit Vincentius loco paulò ante citato, *post hæc omnia, hic (inquam) Tertullianus, Catholici dogmatis id est universalis ac vetustæ fidei parum tenax, ac disertior multò quam felicior: mutatâ deinde sententiâ fecit ad extremum, quod de eo beatus confessor Hilarius scribit in Matthæum cap.* 8. *Sequenti (inquit) errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem*, &c. Libro de Monogamiâ conatus est secundas nuptias, humanæ infirmitatis remedium, secundum Apostolicam institutionem, & antiquam Ecclesiæ observatam traditionem, & à Montano hæretico & pseudoparacleto damnatas penitus proscribere. Acerbissimè invehitur in orthodoxos vir rigidi, & vehementis ingenii, quos more suo Psychicos, hoc est ani-

Esaia 40. Dan. 2. Psalm. 1. Hier. 19. Matth. 3.

animales appellat, alludens ad illum Pauli locum 1 Cor. 2. *Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei.* Eodem animo etiam scripsit librum de fugâ in persecutione, quam multis rationibus licere negat, & præcipuè Ecclesiæ præpositis. *Perfecta dilectio*, inquit, *foras mittit timorem, & ideo multi vocati, pauci electi. non quæritur qui latam viam sequi paratus sit, sed qui angustam*, &c. Præterea librum scripsit de jejuniis contra Psychicos, qui improbabant propria jejunia, prçter consuetudinem Ecclesię à Montano instituta, & à Tertulliano approbata. *Arguunt nos*, inquit, *quod propria jejunia custodiamus, quod stationes plerumque in vesperum producamus, quod etiam xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne & omni jurulentiâ, & uvidioribus quibusque pomis, nequid vinositatis vel edamus vel potemus*, &c. *Novitatem igitur objectant, de cujus illicito præscribant, aut hæresin judicandam, si humana præsumptio est, aut pseudoprophetiam pronunciandam, si spiritalis indictio est, dum quaquâ ex parte anathema audiamus, qui aliter adnunciamus.* Sed audiamus, si placet, Tertullianum Orthodoxis animosè satis respondentem in exordio sui tractatus de jejuniis: *mirarer Psychicos istos*, inquit, *si solâ luxuriâ tenerentur, quâ sæpius nubunt, si non etiam ingluvie ducerentur, quâ jejunia oderunt: monstrum scilicet haberetur libido sine gulâ, cum duo hæc tàm unita atque concreta sint, ut si disjungi omninò potuissent, ipsi prius ventri pudenda non adhærerent. Specta corpus, & una regio est; denique pro dispositione membrorum ordo vitiorum; prior venter, & statim cætera sagina substructa lascivia est, per edacitatem salacitas transit.* Libro de Pudicitiâ, in quo errorem suum à Christianâ lenitate alienum etiam detegit, vehementer pro suo more in Catholicos debacchatur, & disertè in ipsum Zepherinum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, his inter cætera verbis: *Audio etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium: Pontifex scilicet maximus, Episcopus Episcoporum dicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto. O edictum, cui adscribi non poterit bonum factum. Et ubi proponetur liberalitas ista? ibidem opinor, in ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis. Illic ejusmodi pœnitentia promulganda est, ubi delinquentia ipsa versabitur. Illic legenda est venia, quo cum spe ejus, intrabitur. Sed hoc in Ecclesiâ legitur, & in Ecclesia pronuntiatur, & virgo est? absit, absit à*

 Sponsa

Sponsâ Christi tale præconium. Vocat alibi hoc edictum, ad libidinem illex. Dissentit tamen à suo magistro hac in re Cyprianus, ut videre est epist. 52. §. 6. De titulo hujus edicti multa profatur Baronius, & non ironicè à Tertulliano prolatum, at verum esse & ab ipso Zepherino præfixum affirmat: sed cum necdum in illa ævi simplicitate ab Episcopis Romanis illum titulum usurpatum viderim non ironiam, sed potius sarcasmum, fuisse suspicor. Nam verbis titulum subsequentibus Zepherinum non tantum ridet, sed et mordet. Ut alia omittamus, audi eundem ibidem cap. 21. *De tua,* inquit, *nunc quæro sententiâ, unde hoc jus Ecclesiæ usurpes? si quia dixerat Petro Dominus: supra hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dabo claves cœli, vel quæcunque alligaveris vel solveris in terrâ, erunt colligata, vel soluta in cœlis; idcirco præsumis & ad te derivasse solvendi & ligandi potestatem, id est, ad omnem ecclesiam Petri propinquam: qualis es, evertens & commutans manifestam Domini intentionem, personaliter hoc Petro conferentem,* &c. *Vidi ego,* inquit Hieronymus de script. ecclesf. in Tertulliano, *quendam Paulum Concordiæ, quod est oppidum Italiæ, senem: qui se beati Cypriani grandis ætatis notarium, cum ipse admodum adolescens esset, Romæ vidisse diceret; referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unum diem pertransiisse, ac sibi crebro dixisse da Magistrum, Tertullianum videlicet significans.*

Mirantur multi quare vir tantæ eruditionis & acuminis, tanti etga Christi fidem zeli, ab Ecclesia Catholica divulsus, ad Montanum hæreticum tam turpiter transierit: sed causam adfert idem Hieronymus ibidem; *hic,* inquit, *cum usque ad mediam ætatem presbyter Ecclesiæ permansisset invidiâ postea & contumeliis Clericorum Romanæ Ecclesiæ ad severum Montani dogma dilapsus, in multis libris novæ prophetiæ meminit,* &c. Montani dogma in quibusdam probabat Tertullianus Romæ, & fortasse Clerici Romani lauti, delicati, leves, ut eos alibi vocat Hieronymus, rigorem hujus viri ferre non potuerunt, ut nec ipsum Hieronymum, ferè simili de caussa Româ Hierosolymas redire coëgerunt: qua de re quomodo conqueratur, vide ejusdem epistolam ad Asellam: vel potius, quia lenior erat circa lapsos Ecclesia Romana, displicuit hoc Tertulliano, qui ideò non frustra dicitur errori Novatianorum materiam suppeditasse.

Montanus verò se Paracletum jactabat, & crudelis disciplinæ auctor, pacem Ecclesiæ lapsis & pœnitentibus negabat. quare à quibusdam veterum *implacabiles* ejus *sectatores* vocantur. Præterea solis martyribus apertum statuebat Paradisum; reliquorum animas apud Inferos servari in diem judicii; & licet justorum animæ ibidem tam diu detinerentur, delicta tamen interim ibi luere, donec ultimum solverint quadrantem. Quod non omninò alienum est a quorundam Purgatorio. Vide apud Tertullianum librum de animâ, ubi quid Montanus docuerit discere poteris. Priscillam & Maximillam habebat prophetissas ipse Propheta. Sed quis hominum sibi imaginari poterit, Tertullianum, incomparabilis doctrinæ, & ardentissimæ erga Deum pietatis virum, cò dementiæ venisse, ut hanc tam insanam, amplecti voluerit hæresin, qui plenitudinem S. Scripturæ tam seriò commendat, qui nunquam quicquam non Apostolicum admittit, qui tam accuratè, tam doctè, contra hæreticos scripsit, qui ipsos Cataphrygas, id est, Montani natione Phrygis sectatores, libro de præscriptionibus adversus hæreses, cap. 52. blasphemis hæreticis adnumerat? in cujus lectione tam frequens, tam assiduus fuit vir sanctissimus Cyprianus, qui illum tam crebrò suum appellat magistrum? Si quid à Montano mutuatus est Tertullianus, non id fidei fuisse existimamus, cujus semper fuit tenacissimus, sed rigidæ ipsius innocentiæ, & invicto à cupiditatibus animo tribuendum putamus. Lege ejus scripta, & cum stylo rigido rigidos passim conspicies in iis mores: Quare ut Montanus, crudelissimę fuit auctor disciplinæ adversus lapsos & pœnitentes: sic ille, rigidi servator honesti, sectatus naturæ suæ austeritatem, severissimam, ne dicam immitem, probavit disciplinam; quemadmodum intemperans æger crudelem facit medicum. Vide ejus libros, quos jam ex parte Montanista scripsit, in quibus mavult usurpare medicorum illud, *ure*, *seca*, quam lenia adhibere fomenta, ita etiam, ut subinde, nescio quo odio, adversus órthodoxos verbis contumeliosis exorbitet, & cum fastu & fastidio se suosque spiritales appellet. Hieronymus eum ad Montani dogma, non autem ad sceleratam ejus communionem dilapsum dicit, & Augustinus Tertullianistas, qui fortè in Novatianos desierunt, à Montanistis distinguit. B. Cyprianus

Vide Epiphan. hæres. 48. & August. hæres. 26. & 86.

De castitate monogam. c. 2. & de jejunio contra Psychicos, c. 1. & 10.

prianus illo magistro utitur, inquit Hieronymus ad Pammachium, *cum eruditi & ardentis viri ingenio delectetur.* Vide quid de illo viro judicet doctissimus Nicolaus Rigaltius in suo prologo in animadversiones ad Tertulliani novem tractatus.

A. C. 217. Cum jam aliquamdiu, *Sulpitio Severo* 38, *Sigon.* 20. *annis*, Christianis in imperio Romano sub Antonino Caracalla tranquilla & pacata darentur tempora, Agrippinus Episcopus Carthaginensis convocat Concilium Episcoporum Africæ & Numidiæ super quæstione de rebaptizandis hæreticis pœnitentibus: in quo definitur iterandum esse baptisma hæreticorum, idque tempore Zepherini Episcopi Romani, & sine ullâ contradictione. Cyprian. *epist. ad Quintum &* 73. *& Iubajanum.*

Eodem tempore vixerunt Agrippinus Episcopus Carthaginensis, & Tertullianus ejusdem urbis presbyter, qui lib. de baptismo adversus Quintillam Montani prophetissam, cap. 15. eandem de rebaptizandis hæreticis opinionem proponit: Nec fortasse malè uterque; nam tum temporis multi erant in Africâ Hermogeniani, Praxeani, Cataphryges, Quinctilianistæ, & similes hæretici, qui planè monstrosas de Deo & Christo opiniones spargebant, & in Trinitatem non credebant. Primum fuit hujus Agrippini post tempora Apostolorum Concilium, si ea, quæ in caussa Quartodecimanorum celebrata, excipias. S. Cyprianus Agrippino & in Episcopatu post Donatum & in eadem de rebaptizandis hæreticis sententiâ successit. A. C. 250. *Vossius.*

A. C. 219. Antoninus Caracalla Macrini operâ in Mesopotamiâ occiditur, cui succedit Macrinus cum filio Diadumeno. *Capitolinus.*

A. C. 220. Uterque Imperator hoc anno à militibus interficitur, propter horrendam eorum sævitiam, quibus succedit M. Aurelius Antoninus Heliogabalus, hominum omnium turpissimus. *Lampridius.*

De Euchario, Valentio, Materno, Navito, & Marcello, primis Galliæ Belgicæ Apostolis, & Trevirensium Episcopis multa dicere supersedeo, cum videam de iis non pauca incerta & fabulosa narrari. hoc unum addam, Marcellum, qui hoc tempore vixit, aut potius vivere desiit, etiam in Britanniam abiisse, ibique Christi fidem

dem prædicasse, & inter cæteros magnum cujusdam provinciæ principem convertisse. *Molanus, Costerius*, &c. Præcipuæ autem Episcoporum in Galliâ Belgicâ sedes tum temporis fuerunt apud Trevirenses, Colonienses & Tungros.

Vixit hoc tempore Iulius Africanus, scriptor Chronicorum Christianorum, sed periit, & magnam illius partem ad verbum operi suo inseruit Eusebius.

Circa hæc tempora vixit Theodatus coriarius Byzantinus, qui negavit Christum esse Deum. Ab Asiaticis ecclesiis excommunitus venit Romam, sed cognitum ab Asiatico & delatum, Victor Papa à communione etiam rejecit. Hunc secutus Asclepiodotus, & Theodotus Trapezita, ut etiam Artemo, qui Euangelium Johannis & Apocalypsin repudiabat. hujus sectatores dicebantur *ἄλογοι*, ac si sine ullâ ratione ducerentur, aut quia λόγον Deum negabant. Praxeas eodem tempore diversam à prioribus sententiam docebat; nempe filium eandem esse personam atque patrem, nec procul aberat ab opinione Sabellii, qui dicebat Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unam & eandem esse personam, sed diversa nomina sortiri. Praxeani etiam dicti sunt Patripassiani. *Tertullianus adversus Praxeam.*

Hoc eodem tempore Origenes venit Romam, Zepherino Ecclesiæ Romanæ præside, ut antiquissimam Romanorum Ecclesiam videret, sed non diu ibi moratus Alexandriam redit, ubi cum summo honore docuit, ita ut non tantum à Christianis, sed & Paganis philosophis ob incredibilem doctrinam magnis encomiis celebraretur: ita etiam, ut adhuc laicus Cæsareæ in Palæstinâ, Episcopo loci id rogante, coram publicâ Ecclesiâ dissereret, & divinas scripturas exponeret. Vide etiam ejusdem judicium de lib. V. & N. Testamenti, & alia multa in isto viro memorabilia apud *Eusebium lib. 6. cap. 13. & seq.*

Moritur Zepherinus Episcopus Romanus, cui succedit Callistus, A. C. 221.
auctor, ut ajunt, quatuor temporum. Baronius ex Gregorio Episcopo Rom. refert, paulò post tempus passionis Apostolorum Petri & Pauli, eorum corpora à Græcis furtim ad Catacumbas secundum Urbis miliarium delata, quibus divino cœli miraculo impeditis,

Romanos eadem corpora retulisse in Urbem. At liber Pontificalis Damasi nomine insignitus dicit Cornelium Episc.Romanum rogatu devotæ fœminæ Lucinæ eadem Apostolorum corpora è Catacumbis Romam noctu transtulisse. Baronius judicat potius esse hallucinatum incertum auctorem illum,qui falsò Damasus vocari consuevit, & æquius esse Gregorio, quam incerto auctori, incerta tradenti acquiescere. Et tamen ipse Cornelius hanc eandem, quam liber Pontificalis, narrat historiam epistolâ suâ primâ, tomo Conciliorum primo. Vide, quæso, quam hæc om nia sint incerta & dubia. Gregorius vixit A. C. 590, unde illi hujus historiæ cognitio, cujus nemo præcedentium scriptorum meminisse apparet? incerta est historia libri Pontificalis, ex quo tam multa citat Baronius: incertæ sunt Pontificum epistolæ; & adulteratæ Isidori Mercatoris merces.

Semel hoc monebo,Baronium multa de Pontificibus proferre ex libro Pontificali seu de gestis Romanorum Pontificum,de quo hæc habet Bellarminus libro de scriptoribus Ecclesiasticis. *Tribuitur*,inquit, *S. Damaso liber de vitis Pontificum, qui exstat in primo tomo Conciliorum: sed liber ille est Anastasii Bibliothecarii, non Damasi, ut notum est*: Vixit autem iste Anastasius secundum Bellarminum A. C. 858. *Hic fuit Abbas Romanus, ordinis S. Benedicti, presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli & Bibliothecarius Gregorii IV. à Leone IV. in synodo Romanâ A. C. 850. exauctoratus, eo quod contra canonum decreta Ecclesiam suam quinquennio deseruisset. Multa ex Græcis Latina fecit, & ipse scripsit* aliquot *Pontificum vitas; quarum postrema est Nicolai I. Nam duæ sequentes Hadriani II. & Stephani VI. Gulielmum, itidem bibliothecarium auctorem habent*, ut refert Vossius de historic. Latinis lib. 2. cap. 35. Sic de eo judicat ipse Baronius Annalium tomo primo A. C. 69. pag. 741. *Hæc accepta esse noscuntur*, inquit, *ex libro vulgato nomine Damasi de Romanis Pontificibus; sed à diversis auctoribus (ut veriùs puto) collecto: nam demonstrabimus pluribus locis continere repugnantia inter se, ferè in unoquoque Pontifice, in annis cujusque consignandis, ut satis perspicuè intelligi posit, à duobus saltem auctoribus librum illum esse consarcinatum, nullâ habitâ à collectore ratione eorum, quæ inter se pugnantia esse viderentur*. Secundum Vossium, *Luitprandi nomine editus*

est liber de Pontificum Romanorum vitis, sed cujus inscriptio non injuriâ suspecta est, cum liber is ex Anastasio sit excerptus.

Anastasius, inquit Blondellus de primatu in Ecclesia cap. 27. sect. 2. §. 27. *non est auctor libri, cui titulus de gestis Pontificum Romanorum, sed scriptor antiquior, cujus operi sua adjunxit, quædam mutavit, & quasdam Pontificum vitas addidit. Multa ex libro illo Pontificali hausit Beda, Paullus Diaconus, & diversi alii. Mortuus autem est Anastasius Bibliothecarius post an. C.* 873. *Beda an. C.* 735. *Paullus Diaconus ante an. C.* 792. Non igitur Anastasius potest esse auctor libri de gestis Rom. Pontificum, nec est Damasus, ut unanimi consensu testantur Bellarminus, Baronius, Possevinus, Binius, Vossius, & multi alii: sed diversi, iique incogniti, ut censet Baronius: *multa in eo opere falsa occurrunt, nec ullius gravis scriptoris auctoritate subnixa.* Vossius.

Antoninus Heliogabalus annos natus 18. cum omnibus execrabilis esset, occiditur, unco impacto in cloacam detrusus, inde in Tiberim tractus, mortalium omnium fœdissimus, adeo ut in mulierem abscissa virilitate, sponte se deformaret, & quævis corpore suo pateretur. *Xiphilinus.*

Succedit in ejus locum omnium consensu M. Aurelius Severus A. C. 224. Alexander, annos agens 16. quo imperante pacem habuit Ecclesia, quamvis illi à consiliis jurisconsulti multas molestias Christianis attulerint: qui fuerunt plurimi, & inter eos præcipui Ulpianus, Paulus, Modestinus, Triphoninus, Marcianus, Florentinis, &c. Christianorum iniquissimi hostes. Ille Ulpianus, insignis Jurisconsultus, libros septem scripsit, quibus pœnis affici deberent Christiani, ut testatur Lactantius lib. 5. c. 11. Et tamen postea ille Ulpianus Severi Tutor & Præfectus Prætorio à militibus Prætorianis, Epagatho (quem idcirco Imperator paulò post condemnavit) instigante occisus fuit. *Dio, Lamprid. Gifan. in indice.* Princeps alioqui fuit Severus omnium optimus, pace belloque præstantissimus, summam vel in dicendo, vel à judicibus exigendo jure, diligentiam adhibuit, in eosque, qui favore aut corruptelâ justi fines excederent, severius animadvertit. Adulatores, scurras, & aulicorum dedecora procul amovit. Magistratus venales esse prohibuit, asserens non posse fieri, quin quod emisset aliquis, hoc venderet. Itaque provinciarum re-

ctoribus, ne populo oneri essent, instrumentum ex ærario præbebat.

Idem à Christo non abhorruit, cui cum divinos honores habere, ac templum condere per Senatum minimè licuisset, *eum in Larario coluit. Christo templum facere voluit*, inquit Lampridius, *eumque inter Deos recipere: quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris fieri jusserat*, ut supra monuimus, sed fides sit penes auctorem: *quæ hodie idcirco, quia non habent numina, Hadriani dicuntur: quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed probibitus est ab iis, qui consulentes sacra, repererant omnes Christianos futuros, si id optatò evenisset, & templa reliqua deserenda.* Idem *Judæis privilegia reservavit, Christianos esse passus est*: quin & Rescripto loca publica, quo convenirent, illis concessit. Et: *Quum Christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit, melius esse, ut quomodocunque ibi Deus colatur, quam popinariis dedatur.* Observatque Eusebius lib. VI. fuisse *Alexandri domum è multis Christianis compositam.* Lampridius.

A. C. 226. Callistus martyrio moritur, succedit Urbanus. Hic fecit mini-
A. C. 230. steria sacra omnia argentea, & patinas argenteas viginti quinque apposuit. Ligneos, inquit Gavantus, habuere calices Apostoli, *Isidor. l.* 20. *Orig. c.* 5. *Honorius in Gemmâ l.* 1. *c.* 89. Porrò in calice argenteo consecrasse dicitur Christus *à Baronio ex Beda anno* 31. *num.* 63. Valentiæ venerantur calicem pretiosum ex Agathâ, quam vocant, quo dicunt usum fuisse Christum in ultimâ cœnâ. Deinde vitrei decreti sunt à Zepherino *apud Damasum in ejus vita.* Urbanus hic argenteos & aureos instituit, *de consecr. dist.* 1. *cap. Vasa, ex Concilio Treburiensi cap.* 18. non ex ære neque aurichalco, ne ærugo generetur, aut vomitus provocetur, potius ex stanno. Solebat (quod doleo) dicere S. Bonifacius martyr & Episcopus Ultrajectensis: Quondam aurei sacerdotes utebantur ligneis calicibus, nunc vero lignei sacerdotes utuntur aureis calicibus. *VValafr. Strabo cap.* 24. *& in cap. Vasa.* Gavantus commentar. in Rub. miss. p. 2. tit. 1.

Malè intellectis verbis Christi, magno castitatis zelo, amputatis virilibus, seipsum castrat propter regnum cœlorum Origines, quo tutius cum matronis & virginibus conversaretur: quod ubi intel-
lexisset

lexiſſet Demetrius Alexandriæ Epiſcopus, audaciam viri admiratus, propoſitum tamen illius & ſinceritatem approbans, bono animo eſſe, & in catechizando pergere eum juſſit.

Cum vero eximii in Palæſtinâ Epiſcopi Cæſarienſis & Hieroſolymitanus Origini manus ad presbyterium impoſuiſſent, cum ſummum nominis ſplendorem & non mediocrem doctrinę, ſapientiæ, virtutiſque laudem apud omnes acquiſiviſſet, Demetrius humani quid paſſus, & turpi æmulationis æſtu abreptus, cum in viro incomparabili & integerrimo nihil culpâ dignum inveniret, eum apud totius orbis Epiſcopos tanquam abſurdiſſimi facinoris reum, ut & Epiſcopos, qui eum ad Presbyterii dignitatem promoverant, accuſat. Valdè probabile eſt Demetrium ægrè tuliſſe, quod Palæſtinæ Epiſcopi Alexandrinæ Eccleſiæ hominem ordinare præſumpſerint, & præcipuè tanti nominis virum, quam gloriam illis invidens, & Originem, & ſimul Epiſcopos ignominiæ notâ inſimulat. *Euſebius lib. 6. cap. 19. & ſeqq.* Debuiſſet, meo ſaltem judicio, animum viri, cætera præſtantiſſimi reſpicere, & errorem celare, ipſumque monere potius, quam admirandas & divinas illius dotes Chriſtiano orbi invidere: ſed rara apud illos Heroäs virtus humilitas: ταπεινοφροσύνη μεν ἐστι τῶν ἄλλων ἀρετῶν θησαυροφυλάκιον Baſilio. Plerumque, quo quiſque epiſcoporum ad majores evehitur ſedes, eò ambitioſior ampliores deſiderat. Ejuſdem ferè naturæ ſunt ambitio & avaritia, eundo acquirunt vires: & quod pejus, hæc duo mala crebrò ſimul conveniunt, paulatim peſtes futuræ Eccleſiæ Catholicæ; quod ſequentia ſecula evidenter docebunt.

Biblia regnante & curante Ptolomęo Philadelpho primùm A. C. 231. converſa ſunt in Græcam linguam per 70. interpretes ἑλληνιστάς, ſeu Iudęos Ægyptios Græcè loquentes, qui per univerſam Ægyptum, Gręciam & Italiam Biblia in ſuis Synagogis Gręcè legebant, quare magno in odio erant Hebręis, *ut ait Scalig. in Chron. Euſeb. n°.* 1734. Origines Biblia concinnat tripartita: Primum volumen conficit ex quatuor verſionibus, in quatuor columnis. Prima columna erat ſeptuaginta Interpretum, de quâ vide Scaligerum: ſecunda, tranſlatio Aquilæ: tertiâ Symmachi; quarta Theodotionis. ſecun-

dum volumen fuit ex sex columnis, quod vocavit Biblia hexapla, ubi prioribus versionibus accessit Hebraicus textus, primùm Hebraicis litteris scriptus, postea Græcis. Tertium volumen fuit octo columnarum, quod vocavit Octopla, in quibus adjunxit prioribus versionem, quæ in Hiericho inventa fuerat: alteram deinde, quæ in Græciâ Nicopoli. *Calvisius.*

Aquila, qui Chaldaicè dicitur Ungulos, ex Gentili factus est Christianus, & ex eo Iudæus. Auctor est Chaldaicę paraphraseos. Symmachus vixit tempore Severi, & fuit Ebionita, scripsit librum pro suâ religione, postea factus Iudęus.

Theodotion Marcionita hæreticus fuit, & ex eo factus Iudęus, vixit tempore Commodi.

Sunt & biblia Origenica, quæ ita dicta sunt, quod Origines illa recensuit.

Hesychiana, quia septuaginta interpretum versionem Hesychius castigavit.

Lucianus contulit versionem cum textu Hebraico. *Dictata Vossii.*

Biblia illa ab Origine congesta fuerunt immensę molis opus, quod commendatur ab Epiphanio, licet Origini infensissimo, & ab Hieronymo (quamvis in eundem eodem fuerit stomacho, inquit Baronius) his verbis: *Hæc immortale illud ingenium suo labore nobis donavit, ut non magnoperè pertimescamus supercilium Iudæorum, solutis labiis, & obtortâ linguâ, & stridente salivâ, & rasâ fauce gaudentium.* Vidę de hisce Originis libris hoc anno Baronium.

A. C. 232. Urbanus Episcopus Romanus martyr moritur, succedit Pontianus.

A. C. 233. Multos & pręcipuos Episcopos habuit familiares Origines, nempe Alexandrum Hierosolymorum, Theoctistum Cęsariensem, Firmilianum Cæsareæ Cappadociæ Episcopos, & Africanum scriptorem Ecclesiasticum &c. Discipulos verò plurimos, eximios tam philosophos quam Theologos, ut Gregorium Thaumaturgum Neocæsareæ in Ponto Episcopum ejusque fratrem Athenodorum Episcopum & Martyrem, gentilibus genitos parentibus; Beryllum Bostrensium Episcopum, & Tryphonem in scripturis eruditissimum, & Heraclam, qui primus illi fuit successor in cathedrâ, & anno sequenti

Eusebius lib. 6. &c.

quenti Episcopus Alexandrinus, & Dionysium Heraclæ in episcopatu successorem. Imo & Mammæa, Imperatoris Alexandri mater, mulier, si quæpiam alia, pientissima, ac moribus religiosa, ab Origine voluit doceri, propter sapientiam ejus circa divina, quam omnes admirabantur. Commorata Antiochiæ misso satellitio illum ad se vocat. Apud hanc cum aliquandiu egisset, ac plurima in gloriam Domini, ac divinæ doctrinæ virtutem præstitisset, ad consuetam scholam revertitur. Ambrosium Alexandrinum virum nobilem ab hæresi Valentiniana revocavit, & multos alios hæreticos ad Orthodoxiam perduxit. *Eusebius.*

Alexander Imperator cum matre Mammæa apud Moguntiam occiditur, dolo Maximini, hominis bibacissimi, qui ab exercitu acclamatus Imperator, succedit, humili loco natus, parentibus barbaris Gotho & Alanâ: qui Christianos vehementer persequitur. *Euseb. hist. lib. 6. c. 21.* A. C. 237. *Persecutio sexta.*

Pontianus Episcopus Romanus martyr moritur, succedit Anterus.

Anterus martyrio perit, succedit Fabianus, quem electum à populo commemorant, ob columbam in caput ejus è sublimi delapsam, ad imitationem Spiritus Sancti supra caput Servatoris. A. C. 238. *Euseb. lib. 6. cap. 28.*

Maximinus Imperator cum filio ab exercitu obtruncatur: succedunt Pupienus & Balbinus, quibus à militibus occisis, ab eisdem eligitur Imperator Gordianus. A. C. 240.

Gordianus per Philippum occiditur, qui succedit, & solus imperat. hujus temporibus ludus secularis celebratus est, anno urbis Romæ 1000. A. C. 246.

Cæcilius Cyprianus, *defuncto Donato, judicio Dei, & plebis favore, ad officium sacerdotii, & Episcopatus Carthaginensis gradum adhuc Neophytus, &, ut putabatur, novellus, electus est*, ut ait in ejus vitâ Pontius Diaconus. A. C. 250.

Audiamus istius viri dotes apud Lactantium lib. 5. cap. 1. *Erat ingenio facili, suavi, & (quæ sermonis maxima est virtus) aperto, ut discernere nequeas, utrumne ornatior in loquendo, facilior in explicando, an promptior in persuadendo quisquam fuerit.* & Nazianzenum, magnum Theologum, & Græcorum disertissimum: *Vir erat*, inquit, *genere* *In Orat. in laudem Cypriani.*

 illustris

illustris, potentiâ clarus, suaque civitatis senator amplissimus, cujus ordinis primariam obtinuit dignitatem, philosophicis disciplinis insigniter ornatus. & paulò post: *sive me tua*, inquit, *doctrina aut eloquentia tibi conciliet; quâ tu tantum reliquos mortales anteibas, quantum nos brutis animantibus præstamus*, &c. Hieronymo beatus Cyprianus *totus erat in exercitatione virtutis.* Baronius ei tribuit *temporis antiquitatem, doctrinæ præstantiam, & martyrii dignitatem.*

A. C. 253. Philippus Imperator (qui secundum Eusebii Chronicon primus omnium ex Romanis Imperatoribus fuit Christianus, sed malè, ut docet Scaliger in suis animadversionibus,) cum filio Philippo etiam Imperatore interficitur, succedit Decius.

Persecutio septima. Fabianus Episcopus Romanus martyr moritur, cui sequenti anno succedit Cornelius: nam annum & amplius vacabat sedes Romana *propter acerbam Decii persecutionem, ac rerum & temporum difficultates*, ut inquit clerus Romanus in epist. ad Cyprianum.

Factus autem est Episcopus Romæ Cornelius, inquit Cyprianus, *de Dei & Christi ejus judicio, de clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio*, id est, Episcoporum etiam exterorum, qui tempore electionis in Urbe commorabantur: Sed Novatianus presbyter Romanus, operâ Novati à paucis Episcopis in antipapam eligitur; ab eo dicti Novatiani. Hoc primum in Ecclesiâ Romanâ schisma ut scias, audi omnem historiam verbis Vossii, tractatu de baptismo disputatione 18: *Novatianus*, inquit, *nomen est à Novatiano, nempe ut ab ἀμφίβολος & λόγος esset ἀμφιβολολογία; sed quia vox ea foret ingrata auribus, extritâ syllabâ, dicitur, ἀμφιβολογία: similiter à Novatianus esset Novatiananus: sed quia nomen esset durum nec aurium voluptati morigerum; eo dicimus Novatianus, sive ut Cyprianus maluit, Novatiensis: At plerique Græcorum falluntur, qui Novatum & Novatianum confundentes, Novatianos à Novato dictos arbitrantur: quanquam Novati etiam in Novatiano schismate non minimæ fuerint partes. Is Novatus erat presbyter Cypriani, sive, ut juniores aliqui malunt, Episcopus Afer: homo schismaticus, multisque vitiis coopertus, imò usque adeò improbus, ut patrem etiam inediâ sineret mori, nec defunctum sepulturâ dignaretur; uxoris quoque gravidæ uterum percussit,*

Primum in Ecclesia Romanâ schisma.

&

& abortione properante, partum in parricidium expresserit. Propter hac aliaque id genus compluria urgebant fratres Afri, ut hoc propudium hominis presbyterio privaretur, atque etiam excommunicaretur. Et jam imminebat dies, quâ causa Novati cognosceretur: cum ecce Decianæ persecutionis, quam septimam vocant, sævissima oritur tempestas. Ita contigit, ut fratres non possent convenire, ac Novato daretur occasio, discessione voluntariâ præveniendi judicium sacerdotum. Romam igitur se contulit, ibi in Novatianum presbyterum incidit, malè jam ante ambitione nimiâ, animatum erga Cornelium, Vrbis Episcopum; quem vehementius contra eum concitavit: etiam fictis criminibus Confessorum animos à Cornelio abalienavit; inque contrarium amore eos Novatiani accendit. Atque ejusmodi artibus effecit, ut à tribus Episcopis fraude seductis adversus Cornelium Vrbis Episcopus & quasi Antipapa crearetur. Porrò idem Novatus in Africâ etiam Felicissimum Diaconum fecit, qui & ipse magnas dedit turbas. Nec tamen idem Felicissimi ac Nouatiani error fuit. Felicissimus omnes eos, qui post lapsum à martyribus ac confessoribus (martyres etiam vocabantur, qui tormenta aspera pro veritate erant perpeßi, utcunque sanguinem pro eâ non fudissent) quotquot, inquam, ab iis è carcere impetrassent venia libellos, hos sine pœnitentia morâ continuò recipiendos ajebat: nec discrimen faciebat inter lapsos: utrum libellatici forent an vero sacrificati, thurificati, vel idololatræ, in quæ duo genera lapsi distinguebantur. Posterius hoc genus eorum fuit qui sacrificassent Diis, vel thus obtulissent, vel quomodocunque cultum præstitissent idolis.

Libellatici vero, ne cogerentur idola publicè venerari, securitatis libellum à magistratu pretio sibi compararant: sive libellus tum demum dari solet ubi quis vel ipse vel per alium prius abnegasset Christum; qua Baronii sententia est: sive, ut receptior fert opinio, nulla fuerit abnegatione opus, sed solum libello, quem pretio emebant à Præfectis pecuniæ avidis: cujusmodi libellos quoque damnaverat Tertullianus, sed jam Montanista. Cæterum Felicissimo etiam hærebant quinque presbyteri: quorum unus nomine Fortunatus adversus Cyprianum Carthaginensis Episcopus fuit constitutus. Hi varia in Cypriano culpabant: primò quod non esset Episcopus promulgatus à primate, qui tum erat Secundus Tegestarius: quasi non sufficeret, quod à vicinis hoc factum esset Episcopis. Præterea hoc ei vitio vertebant, quòd cum se in Circo ut Amphitheatro ad leonem sæpius omnium voce posci intel-

intelligeret, relictâ Ecclesiâ suâ ad tempus se subduxerit. Adhac eo se offendi ajebant, quod tam parvo loco haberet Martyres & Confessores; ut lapsos postquam ab iis veniæ libellum accepissent, non continuò ad sacra admitteret, sed prius diceret eos esse Ecclesiæ reconciliandos, ac propterea hanc rem differret in id tempus, quo pax Ecclesiæ redderetur. Ex quibus non obscurè cognoscimus cujusmodi fuerit controversia inter Felicissimum & Cyprianum. Nempe Felicissimus contendebat lapsos continuò esse recipiendos, dummodo libellum à Martyribus & Confessoribus offerrent. Cyprianus autem ajebat id adversari disciplinæ Ecclesiasticæ: quo non mediocriter offendit tum Confessores, & imprimis Lucianum: tum lapsos, qui idcirco Felicissimo adhærebant, cumque eo in monte communicabant: unde Montenses appellati. Postquam ostendi quæ controversia fuerit inter Felicissimum & Cyprianum, nunc in quo discordes fuerint Cyprianus & Novatianus exponam. Novatianus lapsos, non dico ad communionem, sed ne ad pœnitentiam quidem recipiendos putabat. Cornelium vero Vrbis Episcopum, ac Catholicos omnes ajebat esse immundos: quia cum lapsis communicarent. Suos contra nuncupabat καθαρὲς sive mundos, (*Augustinus* mundanos potius dicendos censuit.) *ut qui neque lapsu neque communione cum lapsis sese polluissent. Porrò Novatiani eousque se abripi sivere, ut Ecclesiam, à quâ desciverant, non ultra pro verâ haberent Ecclesiâ: nec in eâ baptizatos verè putarent baptizatos; ac propterea inde venientes denuò tingerent: in quo huic fundamento insistebant ab Africanis patribus recepto, Conciliis etiam postea firmato: baptismum extra Ecclesiam ceremoniam esse inanem, ac pollutionem potius sacramenti, quam verum Sacramentum: quemadmodum ex iis liquet, quæ superius adduximus. Quanquam verò Cyprianus & Africani patres non minus tingerent qui à Novatiano ad se venirent: quam Novatianus lavacrum iteraret in illis, qui à Cypriano deficerent: intervallo tamen non exiguo dissidebant. Siquidem Cyprianus à Catholicis illis, qui negarent baptismum repeti debere, sic aiebat, ut quanquam crederet eos errare, errori tamen ignosceret; proque Ecclesiæ filiis agnosceret ab hæreticis baptizatos, ac propterea nollet se ab iis separare, quibus aliud videretur: Itaque non ab Hieronymo duntaxat, sed Afro etiam Augustino reprehendi quidem videas errorem Cypriani, sed sic, ut laudent concordiæ amorem, quo operitur peccatum. Novatianus vero refugiebat communionem cum iis, à quibus dissentiret; eoque, deficiendo ab*

ecclesiâ

ecclesiâ fiebat schismaticus. Vide Euseb. in Chronico, Hieronymum contra Luciferianos & Augustinum contra Donatistas. Atque hac dicta sunto de schismate Novatiani, inquit Vossius. *Ob quam caussam* (inquit Eusebius) *Romæ maximâ congregatâ synodo, sexaginta Episcopis, & pluribus presbyteris & diaconis, deinde & separatim aliarum provinciarum pastoribus, quid hac in re faciendum sit considerantibus, decretum statuitur ab omnibus, Novatus* (Novatianus voluit dicere) *unà cum simul elatis & sententiæ fraternæ dilectioni contrariæ ac inhumanissimæ consentire volentibus, alienos esse censendos ab Ecclesiâ: fratres verò tempore calamitatis lapsos, resipiscentiæ pharmacis sanandos.* Duplex erat error Novatiani, primus, quo digamos ad cœnam Domini non admittebat: secundus, quo nec eos, qui idolis sacrificassent, postquam baptizati essent: non quòd eos condemnaret, aut de eorum salute desperaret; sed dicebat eos judicio Dei relinquendos esse, atque ita eos ab Ecclesiâ removebat. Digami autem dicuntur primò qui primâ mortuâ secundam uxorem ducunt, quod quamvis in Ecclesiâ erat tolerabile non tamen erat laudabile, à Novatiano vero damnatum: secundò, qui uxorem alteram habent superstitem, quod fit duobus modis: primò, more Iudæorum, quales non poterant fieri Episcopi: secundò, qui non tantum eo modo duas uxores haberent, sed etiam qui divortium cum uxore faciebant aliam ob caussam quam adulterium: & quamvis hòc divortium ex more legitimo fecissent, sicut Romanis licebat diversis de caussis divortium facere, dicebantur tamen Ecclesiæ mœchari, & tales etiam arcebantur ab Episcopatu. *Iustellus* & *Vossius*. Ex horum numero erat Acesius, qui rogatus, aliquandò à Constantino Imperatore quare tales non admitteret? Respondit, *Ecclesiam Dei debere esse puram.* Cui respondit Constantinus: *Si tales esse debent, ergo tu Acesi cape scalam, & solus in cælum ascende.* Socrates lib. 1. cap. 7.

Euseb. Hist. Eccles. lib. 6. cap. 42.

Cyprian. epist. 52.

Cyprianus cum ab utraque parte & per suos Romæ commorantes contentionem illam inter Cornelium & Novatianum intellexisset, misit legatos Romam, qui ejus nomine intercederent, tumultumque sedarent.

Novatianus per legatos petit Cyprianum judicem in orta quæstione inter se & Cornelium. Cyprianus re gestâ probè intellectâ, *Cyprian. epist. 41.*

Nova-

intelligeret, relictâ Ecclesiâ suâ ad tempus se subduxerit. Adhac eo se offendi ajebant, quod tam parvo loco haberet Martyres & Confessores; ut lapsos postquam ab iis veniæ libellum accepissent, non continuò ad sacra admitteret, sed prius diceret eos esse Ecclesiæ reconciliandos, ac propterea hanc rem differret in id tempus, quo pax Ecclesiæ redderetur. Ex quibus non obscurè cognoscimus cujusmodi fuerit controversia inter Felicißimum & Cyprianum. Nempe Felicißimus contendebat lapsos continuò esse recipiendos, dummodo libellum à Martyribus & Confessoribus offerrent. Cyprianus autem ajebat id adversari disciplinæ Ecclesiasticæ: quo non mediocriter offendit tum Confessores, & imprimis Lucianum: tum lapsos, qui idcirco Felicißimo adhærebant, cumque eo in monte communicabant: unde Montenses appellati. Postquam ostendi quæ controversia fuerit inter Felicißimum & Cyprianum, nunc in quo discordes fuerint Cyprianus & Novatianus exponam. Novatianus lapsos, non dico ad communionem, sed ne ad pœnitentiam quidem recipiendos putabat. Cornelium vero Vrbis Episcopum, ac Catholicos omnes ajebat esse immundos; quia cum lapsis communicarent. Suos contra nuncupabat καθαρὲς sive mundos, (Augustinus mundanos potius dicendos censuit.) *ut qui neque lapsu neque communione cum lapsis sese polluissent. Porrò Novatiani eousque se abripi sivêre, ut Ecclesiam, à quâ defeciverant, non ultra pro verâ haberent Ecclesiâ: nec in eâ baptizatos verè putarent baptizatos; ac propterea inde venientes denuò tingerent: in quo huic fundamento insistebant ab Africanis patribus recepto, Conciliis etiam postea firmato: baptismum extra Ecclesiam ceremoniam esse inanem, ac pollutionem potius sacramenti, quam verum Sacramentum: quemadmodum ex iis liquet, quæ superius adduximus. Quanquam verò Cyprianus & Africani patres non minus tingerent qui à Novatiano ad se venirent; quam Novatianus lavacrum iteraret in illis, qui à Cypriano deficerent: intervallo tamen non exiguo dißidebant. Siquidem Cyprianus à Catholicis illis, qui negarent baptismum repeti debere, sic ajebat, ut quanquam crederet eos errare, errori tamen ignosceret; proque Ecclesiæ filiis agnosceret ab hæreticis baptizatos, ac propterea nollet se ab iis separare, quibus aliud videretur: Itaque non ab Hieronymo duntaxat, sed Afro etiam Augustino reprehendi quidem videas errorem Cypriani, sed sic, ut laudent concordiæ amorem, quo operitur peccatum. Novatianus vero refugiebat communionem cum iis, à quibus dissentiret; eoque, deficiendo ab*

ecclesiâ

ecclesiâ fiebat schismaticus. Vide Euseb. in Chronico, Hieronymum contra Luciferianos & Augustinum contra Donatistas. Atque hæc dicta sunto de schismate Novatiani, inquit Vossius. *Ob quam caussam* (inquit Eusebius) *Romæ maximâ congregatâ synodo, sexaginta Episcopis, & pluribus presbyteris & diaconis, deinde & separatim aliarum provinciarum pastoribus, quid hac in re faciendum sit considerantibus, decretum statuitur ab omnibus, Novatus* (Novatianus voluit dicere) *unà cum simul elatis & sententiæ fraternæ dilectioni contrariæ ac inhumanissimæ consentire volentibus, alienos esse censendos ab Ecclesiâ: fratres verò tempore calamitatis lapsos, resipiscentiæ pharmacis sanandos.* Duplex erat error Novatiani, primus, quo digamos ad cœnam Domini non admittebat: secundus, quo nec eos, qui idolis sacrificassent, postquam baptizati essent: non quod eos condemnaret, aut de eorum salute desperaret; sed dicebat eos judicio Dei relinquendos esse, atque ita eos ab Ecclesiâ removebat. Digami autem dicuntur primò qui primâ mortuâ secundam uxorem ducunt, quod quamvis in Ecclesiâ erat tolerabile non tamen erat laudabile, à Novatiano vero damnatum: secundò, qui uxorem alteram habent superstitem, quod fit duobus modis: primò, more Iudæorum, quales non poterant fieri Episcopi: secundò, qui non tantum eo modo duas uxores haberent, sed etiam qui divortium cum uxore faciebant aliam ob caussam quam adulterium: & quamvis hoc divortium ex more legitimo fecissent, sicut Romanis licebat diversis de caussis divortium facere, dicebantur tamen Ecclesiæ mœchari, & tales etiam arcebantur ab Episcopatu. *Iustellus* & *Vossius*. Ex horum numero erat Acesius, qui rogatus, aliquandò à Constantino Imperatore quare tales non admitteret? Respondit, *Ecclesiam Dei debere esse puram.* Cui respondit Constantinus: *Si tales esse debent, ergo tu Acesi cape scalam, & solus in cœlum ascende.* Socrates lib. 1. cap. 7.

Euseb. Hist. Eccles. lib. 6. cap. 42.

Cyprian. epist. 52.

Cyprianus cum ab utraque parte & per suos Romæ commorantes contentionem illam inter Cornelium & Novatianum intellexisset, misit legatos Romam, qui ejus nomine intercederent, tumultumque sedarent.

Novatianus per legatos petit Cyprianum judicem in orta quæstione inter se & Cornelium. Cyprianus re gestâ probè intellectâ, *Cyprian. epist. 42.*

Nova-

Novatianum cum suis excommunicat, tanquam illegitimè electum, Cornelii vero electionem approbat.

Hic obiter nota, quod Cornelius in suis litteris Cyprianum vocet fratrem, & reciprocè Cyprianus Cornelium appellet fratrem, socium, collegam carissimum, Episcopum Romanum, sine aliquo alio honoris titulo; & Clerus Romanus Cyprianum vocet Papam epist. Cypriani 30 & 31. Sic & Cyprianus presbyteros, diaconos & plebem Urbis vocat fratres. Idem Cyprianus epist. 4. de Fabiani Episcopi Romani morte scribens, inquit: *Cum de excessu boni viri, collegæ mei*, &c. ita & Lucium Episcopum Romæ vocat fratrem carissimum. Collegas ergo eos fuisse dicendum est.

Hoc ferè tempore sub persecutione Decii, per quendam magum & impostorem, cives irritantem, magnus oritur tumultus Alexandriæ, quo multi facti martyres, & inter eos, ut refert apud Eusebium Dionysius Episcopus Alexand. Apollonia. Hæc virgo cum aliis domo extracta coacta est Dominum abjurare flammæ denuntiatione nisi faceret: rogat igitur aliquid temporis, ut sibi vincula relaxarentur, quo impetrato, stetit similis deliberanti, adorat interea Deum, & impetu facto prosiliit in ignem, & combusta est. Narrat Dionysius ita illi colaphis fuisse maxillas percussas, ut omnes dentes fuerint excussi. *Eusebius lib. 6. cap.* 40. Hæc est, illa Apollonia, quæ dolorem dentium invocata levare creditur.

Hujus persecutionis tempore Paulus in Ægypti Thebaide sibi metuens, & persecutorum crudelitatem fugiens abiit in eremum, ubi in speluncâ tectus palmæ foliis, ex dactylis ejusdem fructibus ad annum vitæ 113 vixit. *Hieronymus.*

Decii, pater & filius interficiuntur, inde pax Ecclesiæ reddita: quibus in imperio succedit Tribonianus Gallus, & Volusianus filius.

A. C. 255. Denuò persecutione vexantur Christiani, & inter eos mittitur in exilium Cornelius Episcopus Romanus ad Centumcellas, qui paulò post Romæ martyrio moritur, cui succedit Lucius.

A. C. 256. Hoc anno Tyri multa perpessus martyr moritur Origenes, annos natus sexaginta novem, ut habet Eusebius. Diu Christum in Palæstinâ docuerat, evitans Demetrii Alexandrini hostilem animum, &

Euseb. l. 6. c. 38. & lib. c. 1.

& furiosi Episcopi ineptas contentiones. Vir fuit doctrinæ incomparabilis; quem B. Hieronymus comparat cum M. Varrone, qui & ipse ut undecunque doctissimus, ita πολύγραφος fuit. Tantâ laboravit post mortem multorum invidia, ut non tantum ipsius opera abolere studuerint, sed & ipsos voluminum titulos exstare passi non sint: imò & ducentesimo post mortem anno anathema, nescio quo impetu, ipsi dixerint. Meo judicio tutiùs indicatos librorum errores tanquam hæreticos damnassent: & corruptos & adulteratos illius viri libros malo credere, quam tanto viro tam enormes asscribere nævos. hæc habent dictata Vossii: *Quod in libris περὶ ἀρχῶν quædam haberentur indigna Christianis, quidam ex Asia ad Originem missi sunt, qui super illis cum eo agerent. Ille ait se non ita scripsisse, & ostendit eis suum librum manuscriptum, & affirmat ab amanuensi suo multa inserta esse. Rogatus amanuensis super hac re respondit, se quædam mutasse quidem, & nonnulla inseruisse, sed ideo fecisse, ut accuratius opus esset: quoniam sibi videretur non ordinatè satis, sed tumultuariè scriptum esse.* Hactenus Vossius: ne quid de Ruffini temeritate dicam.

Multa & admiranda de illo Eusebius in sua historia, & in sua pro Origine apologia adjutus operâ Pamphyli sancti martyris. *Dictus etiam fuit Adamantius, quia animus illi plusquam adamantinus fuit, quem nec vitæ austeritas, nec perpetui labores, nec dura paupertas, nec æmulorum improbitas, nec suppliciorum terror, nec ulla mortis facies à sancto instituto vel tantillum dimovere potuit.* Vide ejus vitam ab Erasmo Roterodamo in initio primi tomi operum Origenis descriptam, & apologeticum Pamphyli martyris pro Origine, & libellum Vincentii Lirinensis, & Hieronymum ad Pammachium & Oceanum: Ubi Origenes Hieronymo est *bonus scripturarum interpres, sed malus dogmatistes.* Et Epist. 76. ad Tranquillum. *Ego*, inquit, *Originem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium & nonnullos Ecclesiasticos scriptores, Græcos pariter & Latinos, ut bona eorum diligamus, vitemusque contraria, &c. Certè magno fuit vir ingenio atque excellenti eruditione Origenes*, inquit Cunæus, *ut non immeritò scientiam illius optaverit Hieronymus, etiam cum invidia nominis. fuit ille quidem perniciosorum dogmatum auctor; sed tamen, quia erat præstantissimus sacræ scriptu-*

ra interpres, ita spernendi errores ejus fuêre, uti nihil derogaretur summis ejus virtutibus, falli & hallucinari humanum est, solitudinem quærat oportet, qui vult cum perfectis vivere. Pensanda vitiis bona cujusque sunt, &, quâ major pars ingenii stetit, eâ judicandum de homine est.

Lucius Episcopus Romanus martyr moritur, succedit Stephanus.

Tribonianus Gallus & Volusianus Imperatores occiduntur; succedit Licinius Valerianus cum filio Gallieno, & Ecclesiæ pax datur.

In Hispania duo Episcopi Basilides & Martialis ob diversa & magna crimina à cæteris Episcopis sacerdotio deponuntur. Basilides confugit ad Stephanum Episcopum Romanum, petitque ab eo, ut ejus auctoritate restituatur: Stephanus deceptus pro Basilide ad Episcopos Hispanos scribit. Hi litteris super eâ re à Cypriano consilium petunt, utrum secundum sententiam Stephani eos pristinæ dignitati restituere debeant: Negat hoc Cyprianus, ejusque consilium sequuntur Hispani; nihil eâ de re conquerente Stephano. Vide *Cyprianum* epist. 68. lectu dignissimâ.

Si tantæ fuisset auctoritatis Episcopus Romanus, quantæ est hodie, nunquam tale quid ausus fuisset Cyprianus, nec Hispani. Hanc autem inter cæteras adfert rationem pro suo ad Hispanos contra Stephanum consilio dictâ epistolâ Cyprianus: *Maximè*, inquit, *cum jampridem nobiscum, & cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius collega noster, sacerdos pacificus & justus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit ejusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque sacerdotali honore prohiberi. Nec vos moveat, fratres dilectissimi, si apud quosdam in novissimis temporibus aut lubrica fides nutat, aut timor Dei irreligiosè vacillat, aut pacifica concordia non perseverat; prænuntiata hæc sunt futura in seculi fine* &c. paulò post: *Non sic tamen quasi novissimis temporibus in Ecclesiâ Dei aut Euangelicus vigor, aut Christianæ fidei aut virtutis robur elanguit, ut non supersit portio sacerdotum, quæ minimè ad has rerum ruinas, & fidei naufragia succumbat; sed fortis & stabilis honorem divinæ majestatis, & sacerdotalem dignitatem plenâ timoris observatione tueatur.* Sub finem epistolæ citat locum Pauli ad Romanos cap. 1. v. 32. *Qui cum justitiam cognovissent, non*

intel-

intellexerunt, quoniam qui talia agunt, morte sunt digni, non tantum qui faciunt ea, sed & qui consentiunt eis, qui hæc agunt: quod idem verbis copiosioribus paulò post repetit; ut mihi Stephanum Episcopum Romanum notare videatur Cyprianus.

Eodem anno illa de rebaptizandis hæreticis quæstio exacerbatur inter Stephanum & Cyprianum. Hic baptizabat omnes, ille recipiebat omnes pœnitentes cum manus impositione. Pro opinione Cypriani Iconium in Asiâ synodus Episcoporum Cappadociæ, Ciliciæ, Galatiæ, vicinarumque regionum coït sub Firmiliano Cæsareæ Cappadociæ Metropolitano, ut & Synodis & multis aliis in locis synodi ea de re sunt celebratæ. Concilium etiam celebratur ab Episcopis Africæ & Numidiæ nº 71. ubi eadem sententia est confirmata his verbis: *Eos qui sunt foris, extra Ecclesiam tincti, & apud hæreticos & schismaticos profana aqua labe maculati, quando ad nos atque ad Ecclesiam, quæ una est, venerint, baptizari oportet, eò quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum. Interim tamen*, inquit Baronius, *Christianâ modestiâ omnia moderantes, ne viderentur sic ea discernere, ut vellent orbi Christiano leges præscribere, & dispendio pacis statuere ab omnibus observanda.* Quare hæc in fine epistolæ synodicæ ad Stephanum, quæ est Cypriani 72. addiderunt: *Cæterum scimus*, inquiunt, *quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum facilè mutare, sed, salvo inter collegas pacis & concordiæ vinculo quædam propria, quæ apud se semel sunt usurpata, retinere: Quâ in re nec nos cuipiam vim facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberũ unusquisq. præpositus, rationem actus sui Domino redditurus.*

Euseb. l. 7. c. 2.

Euseb. lib. 7. c. 6. in fine.

Vid. Cypr. epist. 75.

Synodus Carthaginensis secunda. Prima erat solius Africæ in quâ Agrippini sententia approbata est. Cypr. epist. 70.

Cyprian. epist. 72. ad Stephan. & 73. ad Iubajanum.

Simili ferè modo locutus erat Cyprianus epist. 55. ad Cornelium Episcopum Romanum, cum Felicissimus & Fortunatus Romę apud Cornelium Cyprianum accusassent. *Æquum*, inquit, *pariter & justum est, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis est ascripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Deo redditurus.* Ubi sic pergit Cyprianus: *Oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, neque concordiam Episcoporum cohærentem suâ subdolâ & fallaci temeritate collidere, sed agere illic caussam suam, ubi & accusatores & testes sui crimi-*

 nis

nis haberi possunt: nisi si paucis desperatis & perditis minor videtur auctoritas Episcoporum in Africâ constitutorum, qui jam de illis judicarunt, & eorum conscientiam, multis delictorum laqueis vinctam, judicii sui nuper gravitate damnarunt.

De eadem rebaptizandi hæreticos quæstione, eodem ferè modo ad Jubajanum Episcopum scribit hisce verbis Cyprianus, epistolam 73. finiens. *Hæc tibi breviter pro nostrâ mediocritate rescripsimus, frater carissime, nemini præscribentes, aut præjudicantes, quò minus unusquisque Episcoporum quod putat faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem. Nos quantum in nobis est, propter hæreticos, cum collegis & coëpiscopis nostris non contendimus, cum quibus divinam concordiam & Dominicam pacem tenemus; maximè cum & Apostolus dicat: si quis autem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei: servatur à nobis patienter & firmiter caritas animi, collegii honor, vinculum fidei, & concordia sacerdotii. Propter hoc & libellum de bono patientiæ, quantum valuit nostra mediocritas, permittente & inspirante Domino, conscripsimus, quem ad te pro mutuâ dilectione transmisimus.*

1 Cor. 15.

De Stephano & Cypriano hæc Augustinus de bapt. contra Donatistas lib. 1. c. 25. *Iam illa*, inquit, *quæ Cyprianus in Stephanum irritatus effudit, retractare nolo, quia nec opus est: eadem quippe ipsa dicuntur, quæ jam satis discussa sunt, & ea præterire melius est, quæ periculum perniciosæ dissensionis habuerunt. Stephanus autem etiam abstinendos,* id est, communicandos *putaverat, qui de recipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur: iste autem quæstionis ipsius difficultate permotus, & sanctis charitatis visceribus largissimè præditus, in unitate cum eis manendum, qui diversa sentirent. Ita quamvis commotus, sed tamen fraternè indignaretur; vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.* Sic Augustinus: qui excusat Cyprianum exemplo S. Petri Apostoli, & pergit his verbis: *Magnum quidem meritum novimus Cypriani, Episcopi & Martyris, sed numquid majus quam Petri Apostoli & Martyris?* & paulò post: *Si potuit Petrus contra veritatis regulam, quam postea Ecclesia tenuit, cogere gentes Iudaizare: cur non potuit Cyprianus contra veritatis regulam, quam postea Ecclesia tenuit, cogere hæreticos vel schismaticos denuò baptizari, salvo honore sanctissimi patris?* Hoc interim verum

De Baptism. contra Donatist. lib. 2. c. 1.

verum est, & Stephanum & Cyprianum contra regulam veritatis, quam postea Ecclesia tenuit, privatâ opinione errasse, ut postea docebimus ex Canone 19 Concilii Nicęni, & ex concilio æcumenico secundo.

Epistolam Stephani, respondentem ad synodicam Cypriani, non habemus, sed argumentum & stylum ejusdem facilè est agnoscere ex epistola Cypriani 74 contra Stephanum ad Pompejum Episcopum Africanum: Excerpam ex illa aculeatos quosdam sermones, nam ad injurias exorbitat gloriosissimus martyr, ut videas virum sanctissimum, & hactenus lenissimum, summoperè per epistolam Stephani læsum, cum tam impetuosè erumpat in convitia ignominiosissima, idque contra Episcopum Romanum, omnium Episcoporum principem. Audiamus ipsa verba: *Misi tibi*, inquit, *rescripti ejus* (Stephani) *exemplum, quò magis atque magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum caussam contra Christianos atque Ecclesiam Dei asserere conatur. Nam inter cætera vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, quæ imperitè atque improvidè scripsit, hæc habet:* Nihil innovetur, nisi quod traditum *sc. servetur.* addit Baronius. *Vnde est ista traditio?* pergit Cyprianus, *utrumne de Dominicâ & Euangelicâ auctoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniens? Ea enim quæ scripta sunt facienda esse Deus testatur, & proponit ad Iesum Nave, dicens: non recedet liber legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo die & nocte, ut observes facere omnia, quæ scripta sunt in eo.* Iosua 1.
Item Dominus Apostolos suos mittens, mandat baptizari gentes, & doceri, ut observent omnia, quæ præcepit ille. Si ergo aut in Euangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis, aut actibus continetur, ut à quacunque hæresi venientes non baptizentur, sed tantum manus illis imponatur in pœnitentiam: observetur divina hæc & sancta traditio. Et paulò post: *Quæ est ista obstinatio, quæve præsumptio, humanam traditionem divinæ dispositioni anteponere, nec animadvertere, indignari, & irasci Deum, quotiens divina præcepta solvit & præterit humana traditio? sicut per Esaiam Prophetam clamat & dicit: Populus iste labiis honorat me, cor verò eorum longè separatum est à me: sine caussa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. Item Dominus in Euangelio increpans similiter & objurgans ponit & dicit: Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram* Esaia 29. Marci 7.

statuatis. Cujus præcepti beatus Apostolus Paulus commonet ipse quoque,
1 Timoth.6. *& instruit dicens: Si quis aliter docet & non acquiescit sanis verbis Domini nostri Iesu Christi & doctrinæ ejus stupore elatus est, nihil sciens; discedendum ab hujusmodi. Præclara sane traditio & legitima, Stephano fratre nostro docente, proponitur, quæ auctoritatem nobis idoneam præbeat: nam in eodem loco epistolæ suæ addidit:* Cum; ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum. *Ad hoc enim malorum devoluta est Ecclesia Dei & sponsa Christi, ut hæreticorum exempla sectetur, ut ad celebranda sacramenta cœlestia lux de tenebris disciplinam mutuetur, & id faciant Christiani, quod antichristi faciunt. Quæ vero est animi cæcitas, quæ pravitas?* &c. Ibidem. *Cur in tantum Stephani fratris nostri obstinatio prorupit?* &c. Et: *sit studio præsumptionis & contumaciæ, ut quis magis sua prava & falsa defendat, quam ad alterius recta & vera consentiat,* &c. &: *Dat honorem Deo, qui foris de adulterâ & fornicariâ nasci Deo filios asseverat? Dat honorem Deo, qui unitatem & veritatem de divinâ lege venientem non tenens, hæreses contra Ecclesiam, vindicat? dat honorem Deo, qui hæreticorum amicus, & inimicus Christianorum, sacerdotes Dei, veritatem Christi, & unitatem Ecclesiæ tuentes abstinendos putat? si sic honor Deo datur, si sic à cultoribus & sacerdotibus ejus timor Dei & disciplina servatur; abjiciamus arma, manus demus in captivitatem, tradamus Diabolo ordinationem Euangelii, dispositionem Christi, majestatem Dei, divina militia sacramenta solvantur, sacrorum cœlestium signa prodantur, succumbat & cedat Ecclesia hæreticis, lux tenebris, fides perfidiæ, spes desperationi, ratio errori, immortalitas morti, caritas odio, veritas mendacio, Christus Antichristo,* &c. Hactenus adversus Stephanum, sed animosè nimis, Cyprianus.

Verba Stephani episc. Rom.

Unum hoc quæro, utrum hæc epistola Cypriani ad Pompejum non sit evidens, indubitatum, & invictum argumentum æqualitatis & isonomiæ, quæ Cypriani tempore vigebat inter Romæ, & Carthaginis, & reliquarum urbium principalium Episcopos? Et nota, S. Augustinum, quamvis multa contra hanc epistolam, quâ se tuebantur Donatistæ, disputaverit, libertatem tamen, quâ utitur Cyprianus adversus Episcopum Romanum, non carpere: & observa, à Stephano, Firmilianum, & Coëpiscopos Asiaticos baptizantes communione suâ indignos judicatos, quod Dionysius Alexandrinus

drinus ægrè tulit,& idcirco per epiſtolam eum rogavit,ne adverſus Firmilianum & illius coëpiſcopos atrocem adeò ſententiam ferret; *non enim eſſe hanc paucorum & vulgarium hominum ſententiam.* *Epiſtol. ad xyſtum vide apud Euſeb. lib. 7. c. 4.*

Cyprianus interim, parvi faciens Stephani ſeveram auctoritatem, concilium convocat Epiſcoporum 87. Africæ nimirum, Numidiæ & Mauritaniæ; in quo Stephani opinio de non rebaptizandis hæreticis condemnatur,& contraria,Cypriani nempe,confirmatur. *Synodus Carthaginenſis tertia.*

Concilium hoc invenitur Conciliorum tomo primo, & inter opera Cypriani editionis Pamelianæ, in cujus præfatione hæc reperiuntur verba, quibus obliquè Stephanum ſugillat Cyprianus, aut potius ipſa ſynodus, etiam ſecundum opinionem Baronii: *Supereſt,* inquit Synodus,*ut de hac ipſa re ſinguli,quid ſentiamus, proferamus,neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit* (eadem ferè verba Zepherino exprobravit Tertullianus) *aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit: quando habeat omnis Epiſcopus pro licentiâ libertatis & poteſtatis ſua arbitrium proprium, tanquam ab alio judicari non poſſit, cum nec ipſe poſſit alterum judicare, ſed exſpectamus univerſi judicium Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui unus & ſolus habet poteſtatem & proponendi nos in Eccleſiâ, & de actu noſtro judicandi.* Hactenus ſynodus Carthaginenſis.

Melior & lenior certè fuit Stephano Cyprianus,qui neminem excommunicare voluit, quamvis diverſum ſenſerit: *nemini præſcribens, quo minus ſtatuat, quod putat unuſquiſque Præpoſitus, actus ſui rationem Domino redditurus, ſecundum quod beatus Apoſtolus Paulus in epiſtolâ ad Romanos ſcribit & dicit*: Unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem dabit:*non ergo nos invicem judicemus*: verba ſunt Cypriani ad Magnum. *Roman. 14.* At Stephanus æſtu animi abreptus Firmilianum cum Aſiaticis excommunicandos, oblitus Chriſtianæ lenitatis, rigidè nimis judicavit: hinc vehementes illæ epiſtolæ invectivæ adverſus Stephanum, Cypriani ad Pompejum, & Firmiliani ad Cyprianum. *Cyprian. epiſt. 76.* *Dicam inpræſentiarum,*inquit Baronius,*hic opportunè illud Gregorii Nazianzeni: non viles tantum & plebeios, ſed etiam præſtantiſſimos quoſque viros Momus interdum attingit, ut ſolius Dei ſit, omni prorſus peccato atque animi perturbatione vacare.* *Oratione in laudem Baſilii.* Hic interim eſt ille Cyprianus, ille ſanctiſſimus

ſimus Martyr, illud ſanctorum omnium, & Epiſcoporum & Martyrum lumen beatiſſimum, ille primas Africæ, tot luculentiſſimis magnorum virorum elogiis decoratus; ut videre licet apud Nazianzenum, Baſilium, Hilarium, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Prudentium, Fulgentium, & plurimos alios Eccleſiæ patres præſtantiſſimos.

Sanctus Firmilianus, cujus ſupra meminimus, Archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ in Aſia, præſes fuit ſynodi Iconienſis, in qua rebaptizandos hæreticos ſtatutum eſt, ſed ſine læſione concordiæ Chriſtianæ. Idem ille poſtea interfuit Concilio Antiocheno contra Paulum Samoſatenum. *Vir*, ut ait Baronius, *qui & doctrinâ & ſanctitudine morum nulli propemodum illorum temporum videbatur ſecundus: Cujus natalem, perinde ac aliorum ſanctorum, in Monologio conſignatum anniverſariâ memoriâ Græci celebrant.* Quam indignè Stephani judicium hic Firmilianus, & cęteri Aſiatici Epiſcopi tulerint, docebit nos ipſe Firmilianus inter epiſtolas Cypriani 75. quæ fortè in editione Manutiana non invenitur, quod acriter nimis perſtringat Stephanum his ad Cyprianum verbis: *Per illam* (Stephani) *inhumanitatem effectum, ut fidei & ſapientiæ veſtræ experimentum caperemus. Sed non, ſi propter Stephanum hanc beneficii gratiam cepimus, ſtatim Stephanus beneficio & gratiâ digna commiſit. Neque enim & Iudas perfidiâ ſuâ & proditione, quâ ſceleratè circa Salvatorem operatus eſt, dignus videri poteſt, quaſi cauſam bonorum tantorum ipſe præſtiterit, ut per illum mundus & gentium populus liberaretur.* Poſtea reprehendit Stephanum, quod propter adiaphora rumpat charitatem Chriſtianam. *Hos*, inquit, *qui Romæ ſunt, non ea in omnibus obſervare, quæ ſint ab origine tradita, & fruſtra Apoſtolorum auctoritatem prætendere, ſcire quis etiam inde poteſt, quod circa celebrandos dies Paſcha, & circa multa alia divinæ rei ſacramenta videat apud illos eſſe aliquas diverſitates; nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſervantur. Secundum quod in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum & nominum diverſitate variantur: nec tamen propterea ab Eccleſia Catholica pace atque unitate aliquando diſceſſum eſt. Quod nunc Stephanus auſus eſt facere, rumpens adverſus vos pacem, quam ſemper anteceſſores ejus vobiſcum amore & honore mutuo cuſtodierunt.* Idem, ut videas concordiæ ſtudium

dium

dium fuit apud Firmilianum, quod erat apud Cyprianum. Et utinam hodierni noſtri Theologi illos imitarentur, quam felix eſſet Eccleſię Chriſtianæ ſtatus, ſed Stephanum æmulari malunt: unde ex contentionibus tanta odia, tot lites, tot ſchiſmata. Et paulò poſt ſic pergit Firmilianus.

Atque ego hac in parte juſtè indignor ad hanc tam apertam & manifeſtam Stephani ſtultitiam, quod qui ſic de epiſcopatus ſui loco gloriatur, & ſe ſucceſſorem Petri contendit &c. *quantus error, quanta cæcitas hinc intelligi poteſt, quod ſoli Petro Chriſtus dixerit, quæcunque ligaveris ſuper terram* &c. *quia non permanet in fundamento unius Eccleſiæ, quæ ſemel à Chriſto ſupra Petram ſolidata eſt.* Et: *Nec metuis judicium Dei, hæreticis teſtimonium contra Eccleſiam perhibens, cum ſcriptum ſit, falſus teſtis non erit impunitus; quinimo tu hæreticis omnibus pejor es. Nam cum inde multi cognito errore ad te veniant, ut Eccleſiæ verum lumen accipiant: tu venientium errores adjuvas, & obſcurato lumine veritatis Eccleſiaſticæ, tenebras hæreticæ noctis accumulas. Vide quâ imperitiâ reprehendere audeas eos, qui contra mendacium pro veritate nituntur. Niſi quod imperitos etiam animoſos atque iracundos eſſe manifeſtum eſt, dum per inopiam conſilii & ſermonis ad iracundiam facilè vertuntur, ut de nullo alio magis, quam de te, dicat ſcriptura divina: Homo animoſus parit lites,* *Proverb* 19. *& vir iracundus exaggerat peccata: lites enim & diſſenſiones quantas paraſti per Eccleſias totius mundi? Peccatum vero quam magnum tibi exaggeraſti, quando te à tot gregibus ſcidiſti? excidiſti enim te ipſum. Noli te fallere, ſiquidem ille eſt verè ſchiſmaticus, qui ſe à communione Eccleſiáſticæ unitatis apoſtatam fecerit. Dum enim putas omnes à te abſtinere poſſe; ſolum te ab omnibus abſtinuiſti.* Deinde accuſat Stephanum, quod præ ſuperbia peccet contra præceptum Apoſtoli Pauli. *Hæc,* *Epheſ.* 4. 1. 2. inquit, *Apoſtoli mandata & monita ſalutaria, quam diligenter Stephanus implevit, humilitatem ſenſus, & lenitatem primo in loco ſervans? Quid enim humilius, quid lenius, quam cum tot Epiſcopis per totum mundum diſſenſiſſe, pacem cum ſingulis, vario diſcordiæ genere, rumpentem; modo cum Orientalibus, (quod nec vos latere confidimus) modo vobiſcum, qui in meridie eſtis? A quibus legatos Epiſcopos patienter ſatis & leniter ſuſcepit; ut eos nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admitteret: adhuc inſuper dilectionis & charitatis memor præciperet fraternitati univerſæ,*

versa, ne quis eos in domum suam reciperet; ut venientibus non solum pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur. Hoc est servasse unitatem spiritus in conjunctione pacis, abscindere se à charitatis unitate, & alienum se per omnia fratribus facere, & contra sacramentum & fidem contumaciæ furore discordiæ rebellare. Et paulò post. *Et tamen non pudet Stephanum talibus adversus Ecclesiam patrocinari, & propter hæreticos asserendos, fraternitatem scindere: insuper & Cyprianum pseudochristum, pseudoapostolum & dolosum operarium dicere: qui omnia in se esse conscius, prævenit; ut alteri ea per mendacium objiceret, quæ ipse eo meritò audire deberet,* &c. qui plura volet legat integram epistolam.

Imo & Dionysius Episcopus Alexandrinus, Baronio *Sanctæ Ecclesiæ illius seculi ornamentum, (quippe qui confessione celebris & eruditione clarissimus haberetur.) in Ægypto*, eandem cum Cypriano & Firmiliano opinionem contra dogma Stephani & Ecclesiæ Romanæ de non rebaptizandis hæreticis, acerrimo studio defendere conatus est, ut inquit ipse Baronius ex Hieronymo. Non igitur tria hæc istius seculi lumina in Asia, Africa, & Ægypto, crediderunt, se semper & in omnibus sequi debuisse sententiam Episcopi Romani, in articulis fidei definiendis & quæstionibus decidendis.

Euseb l.b.7. cap. 4 in fine.

Hieron. de script. eccles. in Dionysio.

Factum hoc Stephani nihilominus probare magno conatu nititur Baronius, ut Episcopi Romani auctoritatem, pro suo more, tueatur. Nam Firmilianum, Cyprianum & Dionysium priorem suam de rebaptizandis hæreticis opinionem deseruisse, & in partes Stephani abiisse adstruere laborat; sed valde frigidis argumentis. Primò de Firmiliano hoc opinatur ex priore epistola Dionysii ad Stephanum apud Eusebium, ubi loquitur Dionysius de dogmate Novatiani, nimirum, de lapsis non recipiendis in Ecclesiam, & de pace Ecclesiarum Orientalium circa illum errorem: non verò de rebaptizandis hæreticis, quamvis ea opinio utrique fuerit communis. Sed sequenti epistola scribit Dionysius ad Xystum, Stephani successorem de baptismo his verbis, ut Baronii errorem aut potius incogitantiam videas: *scripserat antea* (Stephanus) *epistolam de Heleno, de Firmiliano, de omnibus Episcopis, qui erant ex Cilicia ex Cappadocia & Galatia & ex omnibus gentibus quæ erant finitima, quod neque cum*

Euseb.lib.7. cap. 4.

illis

illis quidem ob eam caussam omnino communicare vellet: Nam illi, inquit, hereticos rebaptizant. Rei igitur magnitudinem attentâ cogitatione complectere. Decreta enim in maximis Episcoporum conciliis, sicuti audio facta fuerunt; ut qui ab haresis impietate recedant, debeant primum in fide instítui, deinde veteris & impuri fermenti eluvie, ac sordibus ablui purgarique. Atque ut probis omnibus (Stephanum decessorem tuum) deprecarer, epistolam scripsi. Secundò id de Firmiliano præsumit, quod in Græcorum Monologiis Firmiliani memoria die anniversariâ celebretur. De Cypriano hoc arbitratur; quod & illius nomen sit in diptychis sanctorum tum Orientis, tum Occidentis, sed meræ sunt conjecturæ. Imo & Dionysium sententiam mutasse censet ex epistola Dionysii ad Xystum, ubi hæc proponitur quæstio: *An qui ab hereticis, si aliter quam Catholici tingerent, esset baptizatus, & tamen per errorem ad cœnam Domini admissus, postquam censebatur inter perfectos, revocari debeat ad initiandos per baptismum.* Sed translatio Christophorsoni vitiosa decepit virum Illustrissimum: apud quem duo sunt errores: primus, quo senem dicit nefario & prophano, cum verborum, tum factorum scelere pollutum; quod de suo baptismo dixerat senex: secundus, quo putat Dionysium quæsivisse, utrum talis esset rebaptizandus; cum dicat se non ausum fuisse eum baptizare, qui jam triginta annos corporis & sanguinis Domini particeps fuisset. Sic propter errorem interpretis sæpè & nos erramus. Hoc lectori exactè Græcum textum indaganti luculenter patebit. Brevitatis gratiâ Latinè tantum addam. *Confitebatur & jurabat, quo apud hereticos baptizatus esset, non esse hoc (nostrum baptisma) planèque non habere ullam cum hoc communionem: impietate enim & blasphemiis hoc esse plenum. Dicebat etiam valdè animum pungi, neque liberè attollere oculos ad Deum quod impiis illis (baptismi, quo initiatus erat) verbis factisque concitaretur.* Et paulò post: *Cum qui gratiarum actiones audivisset, qui Amen unâ pronuntiavisset, qui astitisset mensa, qui manus ad sanctum illud alimentum capessendum porrexisset, qui illud recepisset, qui tam longo tempore fuisset corporis & sanguinis domini particeps, ejus baptisma non audebam de integro renovare.* Nota hic obiter modum seu ritum celebrandi cœnam Dominicam in primitiva Ecclesia. *Vide Vossium de baptismo lib. 19. cap. 11.*

Euseb. lib. 7. cap. 8.

Animadversione dignum est postmodum, Anno Christi 325. Canone 19. Concilii Nicæni sub Constantino Magno celebrati, utramque opinionem condemnatam ; & definitum, quosdam hæreticos rebaptizandos, ut Paulionistas sive Samosatenianos, & Cataphrygas seu Montanistas, quosdam vero non rebaptizandos, nempe eos, qui essent baptizati in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti : idque nullâ factâ mentione aut Stephani aut Cypriani : ita ut omnes illi Episcopi & Romanus, & Alexandrinus, & Carthaginensis, & Cæsariensis errasse videantur, quia alter recipiebat, alter baptizabat omnes. Et tamen Stephanum errasse negat, & reliquos in Stephani sententiam abiisse contendit Baronius. *Quod vero ad Stephanum pertinet*, inquit, *quas antiquorum patrum traditiones summo studio & intrepido animo acerrimè propugnavit, eædem, his turbinibus superatis, sinceræ & integræ in Ecclesiâ Catholicâ custoditæ permanserunt. Enituit planè in hoc certamine quanta in traditionibus vis, & quanta sedi Apostolicæ inesset auctoritas.* In eo uterque erravit, quod ex quacunque hæresi venerint, Stephanus omnes admittat, Cyprianus omnes baptizet; sine aliqua distinctione. Ille quosvis admittendo, Marcionitarum, Patripassianorum, & similium, Trinitatem non agnoscentium, imò Patrem Filiumque blasphemantium, baptismum verum legitimumque habet : Hic quosvis baptizando, schismaticorum, quales erant Novatiani, in Trinitatem credentium, baptismum rejicit. At concilium Nicænum sic distinguit can. 19. ut eos hæreticos seu schismaticos cum manus impositione ad Ecclesiam admittat, qui essent baptizati in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti : Montanistas vero & Samosatenianos rejiciat, & sine baptismo non admittat, quod eorum baptismus non sit legitimus, nec ratum habeant patres, qui non est ex institutione Christi, *Matth.* 28. Patres concilii universalis secundi ulterius procedunt. Nam rebaptizant tanquam gentiles Montanistas, Paulianos, Sabellianos, Eunomianos, & omnes hæreticos reliquos, exceptis tantum Arrianis, Macedonianis, Sabbatianis, Novatianis, Quartodecimanis, & Apollinaristis, ut videre est Concilio Constantinopolitano

litano primo Can. 7. Græcæ editionis, sive Can. 170. universi Canonum corporis editi à Justello.

Hic ex auctoritate duorum conciliorum œcumenicorum patet Episcopos Romanos etiam errare & falli potuisse, & licuisse aliis Episcopis dissentire ab iis, salvâ fide & communione. Ita ut veteribus hodierna illa Pontificum Romanorum ἀναμαρτησία fuisse videatur incognita. Nec etiam constat Cyprianum à Stephano unquam excommunicatum: nam erat magnę auctoritatis in universa Ecclesia. Quare sic de Cypriano Augustinus: *Non solum*, inquit, *malos Catholicos nullo modo comparamus, sed nec bonos facilè coæquamus beato Cypriano, quem inter raros & paucos excellentissimæ gratiæ viros numerat pia mater Ecclesia.* Idem de unico baptismo contra Petilianum Donatistam: *Cum ergo Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani littera ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit. Quid hic dicturi sunt? excutiant ingenia sua quantum possint, & utrum valeant respondere considerent.* Hactenus Augustinus de Donatistis. Donatistæ autem dicebant rebaptizandos ab hæreticis baptizatos, & in sola Africa, & in sola parte Donati esse Ecclesiam. At Augustinus hoc loco Petilianum Donatistarum Principem hâc ratione refutare conatur: nempe non esse recedendum ab unitate Ecclesiæ propter illam de baptizandis hæreticis quæstionem: quia, quantumvis illius etiam fuerit opinionis Cyprianus, in unitatis nihilominus pace cum Stephano permansit. Quid hic dicturi sunt Donatistæ? inquit Augustinus. Quid hic dicturi sunt quidam hodierni Christiani, inquam ego, & excutiant ingenia sua, qui ob tam leves caussas alios condemnant & à communione rejiciunt, & in sola sua parte Ecclesiam esse autumant, imitatores & Stephani, & Donatistarum. Quod vir ille sanctissimus ridet in Donatistis, hodie est frequentissimum, idque sub specie recti. Nam evanuit prisca illa charitas Christiana, & cum illa pax in Ecclesia.

Illum excommunicandi rigorem primus contra Quartodecimanos instituit Victor Episcopus Romanus, aberrans à lenitate & concordia Christiana, ut benè illum monet apud Eu-

Euseb lib. 5. cap. 23. sebium Irenæus: secundus ab eo fuit Stephanus noster, contra Asiaticos rebaptizantes; sed quo jure, quâ laude, quâve spiritus mansuetudine docent & clamant etiam cum indignatione Cyprianus & Firmilianus, *viri ex universo orbe eruditißimi & sanctißimi*, quemadmodum eos appellat A.C.53. sub finem illustriss. Baronius. Hodiè longè magis desipimus, & crebrò nobis Catholicismi retinentiores excommunicamus, & quamvis Irenæus, Tertullianus, Cyprianus & plurimi alii primitivæ Ecclesię patres regulam fidei nobis tradiderint claram & sufficientem, ut anno 150. & alibi docuimus, interim tamen ob levissimas caussas, quondam, & per se indifferentes, in diversas scindimur sectas.

Fui contra meum propositum prolixior, sed seduxit me amor pacis & concordiæ Christianæ: cujus cum invenissem in Cypriano exemplum præclarissimum, non potui rem tam sanctam perfunctoriè transire.

A.C. 259. Stephanus Episcopus Romanus martyr moritur, in cujus locum succedit Xystus secundus. Hic Sixtus decrevit ut Missa non fiat, nisi in altari. *Rab. propos.* 23. & significat primò mensam Domini, *Amalar. l. 1, cap.* 24. Secundò crucem. *Bern. de cœna Domini.* Lapideum, est ex institutione S. Sylvestri, sed à Græcis factum prius. *Dion. hierar. Eccles. cap.* 3. Ex lapide quia Petra erat Christus. Vestiendum lineis *ex decret. Bonifac. III. apud Polydorum Verg. l. 1. c. 6.* Tribus, in honorem Trinitatis, *Angelus ver.* Gavantus in comment. in rubr. Missalis.

Octava persecutio. Edicto Valeriani, conventus Christianorum prohibentur, unde subsecuta crudelissima persecutio, & relegati Dionysius Alexandrinus, Cyprianus & alii, vide *Cyprianum ad Successum.*

A.C. 261. Sixtus Episcopus Romanus martyr moritur, succedit Dionysius. Cum Imperator inhiaret thesauro Ecclesiæ, cujus custos erat Sanctus Laurentius, occiso Sixto Senatui sistitur, qui omnem pecuniam pauperibus distribuit, quarè multis tormentis dilaceratus, craticulæ, tanquam piscis igne assandus, impositus periit. Securi etiam percutitur sanctissimus ille martyr Cyprianus Episcopus Carthaginensis, cujus vitam & martyrium. *Vide apud Pontium ejus Diaconum & alios in editione Pameliana & ipsum Pamelium.*

Non

Non satis possum mirari, quare martyrio Cypriani (quę est mors omnium felicissima, nam qui ita animam perdit, is verè eam acquisivisse à Christo pronuntiatur, ut vincula vocet S. Ignatius, spirituales margaritas) subjungat, quasi in ignominiam tanti martyris Petavius, vir, me herclè, doctissimus, hæc verba: *hanc verò qualemcunque labem*, inquit, nempe opinionem de rebaptizandis *paulò post Sanctus Cyprianus cruore suo diluit*. Sed quæso, quare tantoperè sævimus in beatissimos gloriosissimi martyris manes, apud omnes tam Græcos, quam Latinos Patres, ab multas & eximias dotes, summæ æstimationis, & cujus nomen, ut diximus, in diptychis Sanctorum tum Orientis tum Occidentis invenitur? Labes sive error Stephani & Cypriani fuit par: Sed Stephano melior fuit Cyprianus, ob modestiam, & concordię amorem, ut paulò ante probavimus, & tutior ejus fuit opinio, nam bis baptizari, satius est quam nunquam. Et quæ labes caussa fuit martyrii Stephani, Xysti, & continuâ serie tot aliorum pręcedentium sanctissimorum Episcoporum Romanorum, qui omnes Cypriano priores? Dicamus ergo potius, post anxiè conservatam Christianorum pacem, gloriosi palmâ martyrii, gemmis cœlestibus ornatâ, condecoratum sanctissimum Cyprianum, qui in Africa, ut testatur Pontius, primus sacerdotales coronas suo sanguine imbuit. Erudite Petavi, agnosce tuam labem, qui tam sancto viro labem exprobrare audes. *Petavius in Rationario temporum.*

In magno fateor, apud me semper fuit pretio. B. Cyprianus, tum propter temporis antiquitatem, morum sanctitatem, prudentemque zelũ; *tum quod ille unicus Christi martyr*, verba sunt Casauboni, *primitivæ Ecclesiæ πολιτείαν, & disciplinam totam, melius nos docuerit, quam multi alii, qui in quarto vixerunt seculo*. Eam ob caussam quędam ex viri sanctissimi epistolis loca, à me jam pridem collecta, quæ Ecclesiæ istius temporis faciem, manifestis indiciis detegere nobis queunt, adferam. *Casaub in ep. ad Peron.*

De fide hæc pauca habet epistola 73. ad Jubajanum: *Dominus*, inquit, *post resurrectionem discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent, instituit & docuit, dicens: Data mihi est omnis potestas in cœlo & in terra: ite ergo & docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Insinuat Trinitatem, cujus sacramento gentes baptizentur: Nunquid hanc Trinitatem Marcion tenet? nunquid* *De Fide.* *Matth. 28.*

nunquid eundem asserit, quem & nos, Deum Patrem creatorem? Nunquid eundem unum Filium Christum, de Maria Virgine natum? qui sermo caro factus sit, qui peccata nostra portaverit? qui mortem moriendo vicerit, qui resurrectionem carnis per semetipsum primus initiaverit, & discipulis suis, quod in eadem carne resurrexisset, ostenderit? Idem ibidem: *Duorum autem cognitionem esse quæ salvet, idem ipse Christus manifestat, dicens: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.*

De Ecclesiæ regimine. Addam quædam ex eisdem epistolis de regimine & ritibus Ecclesiæ. *Cyprianus judicio Dei, & favore plebis, adhuc Neophytus eligitur Episcopus Carthaginensis.* Pontius Diaconus in vita Cypriani. Cyprianus Epist. 6. *Quando à primordio Episcopatus mei statueram nihil sine consilio presbyterorum & Diaconorum, & sine consensu plebis gerere.* Et epist. 12. ad fratres ex plebe: *cum pace nobis omnibus à Domino data ad Ecclesiam regredi cœperimus, tunc examinabuntur singula præsentibus & judicantibus vobis.* Vide eandem epistolam sub finem.

Epist. 26. dicitur à clero Romano, *non esse lapsis dandam pacem, nisi consultis omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & ipsis stantibus Laicis.* Epist. 28. *Limanda plenius ratio, non tantum cum collegis meis, sed & cum plebe ipsâ universâ.* vide Epist. 52. *Factus est Cornelius Episcopus Romanus de clericorum penè omnium testimonio, & plebis, quæ tunc adfuit, suffragio* &c.

Hæc idem habet Epist. 55. ad Papam Cornelium: *An ad hoc, frater carissime, deponenda est Catholicæ Ecclesiæ dignitas, & plebis intus posita fidelis atque incorrupta majestas, & sacerdotalis quoque auctoritas ac potestas, ut judicare se velle dicant de Ecclesiæ præposito,* &c. Epist. 68. *Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere: quando ipsa maximè habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de divinâ auctoritate descendere, ut sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur.*

Num. 20. vers. 25. Et paulò post: *ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio*

suffragio & judicio fuerit examinata. Quod postea secundum divina magisteria observatur in Actis Apostolorum; quando de ordinando in locum Iuda Episcopo Petrus ad plebem loquitur: Surrexit, inquit, Petrus in medio discentium, fuit autem turba in uno. Nec hoc in Episcoporum tantum & sacerdotum, sed in diaconorum ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus, de quo & ipso in Actis eorum scriptum est: Et convocaverunt, inquit, illi duodecim totam plebem discipulorum, &c. *Propter quod diligenter de traditione divinâ & Apostolicâ observatione servandum est & tenendum quod apud nos quoque, & ferè per provincias universas tenetur, & ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui prapositus ordinatur, episcopi ejusdem provincia proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur, plebe prasente, qua singulorum vitam plenissimè novit & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini collega nostri ordinatione*, &c. Vide epist. 12. 52. 57. &c. Hæc consuetudo ex Actis Apostolorum, & præcipuè cap. 1. & 6. & 15. originem trahens, fuit universalis & observata in Græciâ, Italiâ, Galliâ, Hispaniâ, Africâ, &c. tempore primitivæ Ecclesiæ (ut multis docet Pamelius in hanc epistolam) & ex Synagogâ ad Christianos derivata est: quod etiam videre licet apud Lampridium in vitâ Severi. *Act. 1.* *Act. 6.*

Ep. 11. *Episcopo fiebat à lapsis exomologesis*, quę Tertulliano & Cypriano est confessio publica; idem lapsis dabat veniam: *Nunc*, inquit Pamelius, *id ferè solus facit Pontifex Romanus, & confessio privata fit cuivis presbytero.* *De exomologesi.*

Epist. 13. *Exomologesis fit Diacono*, & ab eodem manus impositio, absente Episcopo & Presbytero.

Epist. 30. Cleri Romani ad Cyprianum: *Omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesia, cujus per varias quasque provincias membra digesta sunt, excubare.* *Una Ecclesia & unus Episcopatus.*

Epist. 52. Magnam erga lapsos ostendit lenitatem, quam probat ex Sacrâ Scripturâ, ubi inter cætera hæc verba reperies: *Cum sit à Christo una Ecclesia per totum mundum, in multa membra divisa; item episcopatus unus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus*, &c. Vide integram epistolam.

Epist. 67. *Nam etsi Pastores multi sumus, unum tamen gregem pasci-*

mus, & oves universas, quas Christus sanguine suo quæsivit, colligere & fovere debemus.

Matrimonium Clericorum. Epist. 19. Presbyter Fœlix uxorem habet Victoriam, & 49. Novatus Episcopus fuit conjugatus: nam dicitur uterum uxoris calce percussisse, & abortu properante in parricidum partum expressisse, &c. & 62. Virginibus sacris, quæ se continere nequeunt, nubere permittit: hâc ratione additâ, quia melius est nubere quam uri. 1 Cor. 7. 9

Communio sub utraque specie. Epist. 56. ut etiam 54. loca sunt manifesta, quibus indicatur, confitente etiam Pamelio, sub utraque specie plebem communicare solitam.

Epist. 63. docetur non esse recedendum à præceptis Euangelicis, ubi etiam multa de Eucharistiâ; nempe: *Christi sanguis non aqua est utique,* inquit, *sed vinum.* Et: *Noë typum veritatis futuræ ostendens, non aquam sed vinum bibit, & sic imaginem dominicæ passionis expressit.* Et: *Christus hoc idem obtulit quod Melchisedec, id est, panem & vinum.* Et: *per Salomonem Spiritus Sanctus typum sacrificii Dominici præmonstrans, immolatæ hostiæ, & panis & vini* &c. Et: *Quâ in parte invenimus calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit, & vinum fuisse, quod sanguinem suum dixit.* Et: *Aqua sola Christi sanguinem non potest exprimere, cum sit contra Euangelicam & Apostolorum disciplinam.* Et: *Videmus in aquâ populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi.* Et: *Quia passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus* (*passio enim*, aut ut postea ait, *commemoratio passionis Domini est sacrificium quod offerimus*) *nil aliud, quam quod ipse fecerit, facere debemus.* Et: *Corrigantur ergo, ut cum in claritate suâ & majestate cœlesti venire cœperit, inveniat nos tenere, quod monuit, observare quod docuit, facere quod fecit.* Ep. 34. *Sacrificium pro martyribus offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniversariâ commemoratione celebramus.*

De persecutione hæreticorum &c. Epist. 51. inter cætera hæc habet: *nec quisquam sibi, quod soli Filio pater tribuit, vindicare potest, ut putet aut ad aream ventilandam & purgandam palam* (ventilabrum) *ferre se jam posse, aut à frumento universa zizania humano judicio segregare. Superba est ista obstinatio, & sacrilega præsumptio, quam sibi furor pravus assumit* &c. Ep. 62. *Tempore circumcisionis carnalis inobedientes gladio occidebantur: nunc autem, cum sit circumcisio spiritalis, spiritali gladio superbi & contumaces necantur, dum de ecclesiâ ejiciuntur.*

Ep.

Epist. 55. Carpit Cornelium Episcopum Romanum, & præter alia multa paulò ante citata, sic alloquitur Cornelium Cyprianus; *Nunc admoneo & peto* &c. *De æqualitate Episcoporum.*

Epist. 67. Cyprianus ad Stephanum Episcopum Romanum. *Dirigantur in Provinciam & ad plebem Arelatensem à te literæ; quibus abstento* (excommunicato) *Marciano, alius in ejus locum substituatur, ut grex Christi dissipatus colligatur* Et paulò post: *Significa planè nobis quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus ad quem fratres nostros dirigere & cui scribere debeamus.*

Epist. 52. *Manente concordiæ vinculo & perseverante Catholicæ Ecclesiæ individuo sacramento, actum suum disponit & dirigit unusquisque Episcopus, rationem propositi sui Deo redditurus* &c. insignis est epistola & integra legenda.

Epist. 69. *Non hæc jacto, sed dolens profero, cum te judicem Dei constituas, & Christi, qui dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicariâ ordinatione succedunt. Qui audit vos, me audit* &c.

Epist. 27. *Dominus noster, cujus præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ rationem disponens, in Euangelio loquitur & dicit Petro: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram,* &c. Et: *Tibi dabo claves regni cœlorum,* &c. *inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.* Sic alibi idem: *Hoc erant utique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis.* Et paulò post: *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* sic loquitur Augustinus in agone Christ. tom. 3. sic plurimi alii patres, qui hæc loca omnibus Apostolis & Episcopis accommodant. *De Primatu Petri.* *Lib. de Vnitate Ecclesiæ.*

Epist. 71. *Nam nec Petrus quem præconem Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid vi, insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere & obtemperari à novellis & posteris sibi potius oportere, nec despexit Paulum, quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè consensit, documentum scilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus,* &c. Vides

quantâ animi lenitate & humilitate primatum rejiciat S. Petrus, ne quid dicam de dominatu.

Apud eundem Cyprianum lib. de Unitate Ecclesiæ multa de primatu Petri habet Pamelius ex novello quodam codice Cambronensi, ut vocat, quæ in editione Basileensi an. 1519. Gryphii an. 1537. Morelli an. 1564. desiderantur. Hæc habet Pamelius §. 3. *Super illum* (Petrum) *unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas*. Et: *unam cathedram constituit*. Et: *qui cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia*. quæ verba in editionibus Basileensi, Gryphii, & Morelli prædictis non inveniuntur. Ibidem hæc habet Pamelius: *Primatus Petro datur, ut una Ecclesia Christi, & cathedra una monstretur, & pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur*. quæ verba omnia exceptis illis (*ut una Ecclesia monstretur*) desiderantur in dictis editionibus. Unum addam. Apud Pamelium epist. Cypriani 40 hæc verba habentur: *Cathedra super Petrū voce Domini fundata*. reliquę editiones habent *super Petram*.

Ædificatam tamen super S. Petro Ecclesiam, vel si malis à Petro primùm ædificatam supra Christum Ecclesiam manifestè docent Acta Apostolorum, sed & eadem docent quid ad Ecclesiæ ædificationem contulerit B. Paulus, Barnabas, Silas; quid Iacobus & Ioannes Gal. 2. 7. & super illum unum (Petrum) ædificatam Ecclesiam negat disertè Paulus Ephes. cap. 2. 20. & Ioannes Apoc. 11. 14. ne
1 Cor. 3. 2. dicam, *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*, & idem fundamentum ibidem jecit ipse Petrus.

Epist. 45. *Nos enim singulis navigantibus; ne cum scandalo navigarent rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscerent & tenerent*. Unitatem vocat radicem Ecclesiæ, ut ex præcedentibus & sequentibus patet. Et Ecclesiam Romanam velle appellare radicem & matricem Ecclesiæ Catholicæ error est in historiâ. nam, ut loquitur Lucas Euangelista,
Luca 24. 47. *prædicata est nomine Christi pœnitentia & remißio peccatorum in omnes gentes, initio facto ab Hierosolymis*. Ita ut Hierusalem sit Ecclesiæ Catholicæ vera radix & matrix. Inde Apostoli primò abierunt in Syriam, & tum in Asiam Minorem & Græciam. sic Antiochiæ Christianis primò datum est nomen, antequam Petrus aut Paulus Romam

mam vidiſſent. ſed tamen poteſt etiam dici Romana Eccleſia matrix, reſpectu regionum Occidentalium, nempe Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, & etiam Africæ.

Epiſt. 55. Eccleſiam Romanam vocat *Cathedram Petri, Eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt*. Et verè, nam omnium Patrum ſententiâ Eccleſiam Romæ cum Paulo inſtituit Petrus. Et erat *principalis*, præcipua, prima Eccleſia, *ad quam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam*, ut inquit Irenæus. Magnæ certè ſemper fuit auctoritatis Eccleſia Romana, & eminebat præ cæteris etiam Eccleſiis Patriarchalibus in honore, tam ob Urbis ſummum imperium (& ab urbium dignitate civili pendebat auctoritas Eccleſiarum) quam propter excellentiam ipſius Eccleſiæ. nam magna ibi ſemper erat copia doctiſſimorum virorum, tum qui in ampliſſimâ urbe habitabant, tum qui aliunde ob urbis dignitatem eò magno numero confluebant: Præterea dicebantur illæ Eccleſiæ etiam principales, à quibus multæ aliæ Eccleſiæ dependebant. quales etiam erant Alexandrina, Antiochena, Cæſarienſis, & ipſa Carthaginenſis. Conſtantinopolis aut potius Byzantium tum temporis erat ſub Heracleâ. *Et unde unitas ſacerdotalis exorta eſt*.] Nam illa Petri cathedra erat Eccleſia Cornelii, contra quem legitimè conſtitutum quidam ſchiſmatici Novatianum elegerant, per quos priſca, & ab ipſo Petro per ſucceſſores Epiſcopos Romanos, omnes ſanctos martyres aut confeſſores, continuata unitas erat violata. Vide ſequentia hujus epiſtolæ verba, quibus aſſerit Africæ Clericis Epiſcopis non licere Romam appellare, ſed ibi cauſſam agendam eſſe, ubi accuſatores & teſtes haberi poſſunt, id eſt Carthagine, aut ſaltem in Africâ: quæ Romanam Eccleſiam nunquam agnovit dominam.

Irenæus lib. 3. c. 3.

Epiſt. 59. *Porro autem ſi etiam graviſſimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cum poſtea crediderint, remiſſa peccatorum datur, & à baptiſmo atq; à gratiâ nemo prohibetur; quantò magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus contagiũ mortis antiquæ primâ nativitate contraxit? qui ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, ſed aliena peccata. Et idcirco, frater cariſſime, hæc fuit in*

De baptiſmo infantium & peccato originis.

concilio nostro sententia, à baptismo atque à gratia Dei, qui omnibus misericors & benignus & pius est, neminem per nos debere prohiberi. Et lib. de patientia cap. 5. *Quam sit autem patientia, utilis & necessaria, ut manifestius possit & plenius nosci, Dei sententia cogitetur, quam in origine statim mundi & generis humani, Adam præcepti immemor, & datæ legis transgressor accepit* &c. Vide de eodem peccato Justinum dialogo cum Tryphone: Tatianum orat. contra gentes: Irenæum lib. 3. c. 20. & lib. 4. c. 5. & lib. 5. c. 14. & 16. & 17. & 21. Originem contra Celsum lib. 4. &c.

Genes. 3.

Epist. 56. dicuntur *Clerici non debere se immiscere rebus & officiis secularibus ex statuto Episcoporum* &c.

Epist. 57. *Arma Christianorum sunt cœlestia, nimirum Iejunia, vigiliæ, Eleëmosyna, orationes, gemitus, lacrymæ.*

Epist. 52. hæc verba trahuntur in patrocinium purgatorii: *Aliud est*, inquit, *ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire. aliud missum in carcerem, non exire inde donec solvat novissimum quadrantem: aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatuum emendari, & purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse: aliud denique pendere in die judicii ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari.*

Hic locus S. Cypriani secundum quosdam ex epistolæ textura sic explicatur: Quidam accusabant Cyprianum & Ecclesiam Carthaginensem, quod libellaticos ad pœnitentiam publicam admitterent, & sacrificatis in exitu subvenirent: dicebant inde frangi Christianorum constantiam & laxari vincula disciplinæ, & datâ spe facilis veniæ perpaucos fore, qui animum obfirmarent ad martyrium: eos qui se polluerant sacrificiis idolorum æquari martyribus, quandoquidem utrisque via ad salutem pari modo complanatur.

His respondet Cyprianus, per id non æquari pœnitentes publicos martyribus, & longè potiorem esse conditionem martyrum, qui statim coronantur, & admittuntur in gloriam, quam pœnitentium, qui obeundo omnes gradus pœnitentiæ publicæ, longo dolore, decem aut duodecim annorum, secundum indulgentiam Episcopi & cleri, affligebantur, & diuturnæ ac laboriosæ pœnitentię satisfactione cruciabantur. Quem cruciatum vocat purgationem per ignem, phrasi apud veteres usitatâ.

Vide de gradibus pœnit. an C. 150.

Præ-

Præterea Cyprianus agit de purgatione quæ fit in hac vitâ. nam dicit vir sanctus hos pœnitentes, qui hoc igne purgantur, stare ad veniam, id est exspectare remissionem peccatorum: at defensores purgatorii statuunt animabus omnia peccata & omnem culpam esse remissam, antequam purgatorium ingrediantur. nec credendus Cyprianus sibi tam graviter adversari, qui tam sæpè & tam disertè affirmat, animas fidelium statim à morte recipi in cœlestem gloriam. Totus ejus liber de mortalitate in hoc argumento versatur, nullâ factâ purgatorii mentione: & idem sic loquitur ad Demetrianum cap. 9. *Quandò istinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus. hic vita aut amittitur aut tenetur: hic saluti æterna cultu Dei & fructu fidei providetur. In istoc adhuc mundo manenti nulla pœnitentia sera est*, &c. Adde quod Cyprianus loquatur de carcere, in quem pœnitentes sponte ingrediebantur: at nemo ipse se in illum ardentem purgatorii fornacem præcipitat. Et in hoc purgatorio animæ non semper tam diu commorantur, ut ultimum solvant quadrantem, cum per indulgentias ante eam solutionem sæpè dicantur liberari. alii aliter hunc locum explicant. Vide Tertullianum lib. de animâ capite ultimo & Molinæum lib. de clavibus.

Epist. 2. ad Donatum: *Nostrum tantum sitiat pectus & pateat: quantum illuc fidei adferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.*

Epist. 55. *Et tamen Christus non increpuit recedentes, aut graviter comminatus est, sed magis conversus ad Apostolos suos dixit: nunquid & vos vultis ire? servans scilicet legem, quâ homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus sibimet ipse vel mortem appetit, vel salutem.* De gratia & libero arbitrio.

Epist. 59. *Deus ut personam non accipit, sic neque ætatem, cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem æqualitate librata præbeat patrem.*

Epist. 76. *Si dies omnibus æqualiter nascitur, & si sol super omnes pari & æquali luce diffunditur, quanto magis Christus sol & dies verus, in Ecclesiâ suâ lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur? Cujus æqualitatis Sacramentum videmus in Exodo esse celebratum, cum cœlo manna deflueret, & futurorum præfiguratione alimentum panis cœlestis, & cibum Christi venientis, ostenderet. Illic enim sine discrimine vel sexus, vel ætatis, gomor à singulis æqualiter colligebatur. Unde apparebat Christi indul-*

indulgentiam,& cœlestem gratiam postmodum secuturam, æqualiter omnibus dividi sine sexus varietate, sine annorum discrimine, sine acceptione personæ super omnem Dei populum spiritualis gratiæ munus infundi. Planè eadem gratia spiritualis, quæ æqualiter in baptismo à credentibus sumitur, in conversatione atque actu nostro postmodum vel minuitur vel augetur. Ut in Euangelio Dominicum semen æqualiter seminatur, sed pro varietate terræ aliud absumitur, aliud in multiformem copiam vel tricesimi, vel sexagesimi, vel centesimi numeri fructu exuberante cumulatur. Adhuc verò cum singuli ad denarium vocentur, quid est, ut, quod à Deo æqualiter distribuitur, humanâ interpretatione minuatur. Idem lib. III. Testimonio 27. ad Quirinum dicit, *baptizatum quoq; gratiam perdere, quam consecutus sit, nisi innocentiam servet.* Nam, ut inquit epistola septima, *recedente disciplinâ Dominicâ, recedit & gratia*: Et lib. 3. ad Quirinum testimonio 52. *Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam* statuit. *nam in Deuteron. dicit Deus: Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem. Et in Euangelio secundum Lucam: Regnum Dei intra vos est*: Sed & lib. ejusdem testimonio 4. optimè dixerat, *In nullo gloriandum esse, quando nihil est nostrum. Quid enim habes, quod non accepisti?* inquit Paulus 1 Cor. 4. 7. Nam fides est donum Dei; & respectu liberi arbitrii gratiæ partes non tantum sunt priores, sed & potiores. Præcedens & subsequens gratia à Deo est, coöperatur tantum per liberum arbitrium homo. *Tolle liberum arbitrium*, inquit eâ de caussa B. Bernardus, *non erit quod salvetur: tolle gratiam, non erit unde salvetur*, &c. Liberum arbitrium per gratiam præparatum & excitatum concurrit cum gratiâ. Liberè credit homo, libertate non natâ, sed datâ. Et hæc quasi docendi ratio cum Scripturis, tum antiquo Patrum consensui, ne Augustino quidem excluso, ita semper urgente gratiam, ut liberum non tollat arbitrium, optimè congruit. Imò in hac de gratia controversia *tantum asscribit Cypriano ipse Augustinus, ut ejus potissimum auctoritate ex semipelagiano (ut κατὰ πρόληψιν sic loquamur) catholicum planè se factum dicat*, ut loquitur Vossius. Vide August. lib. 1. de prædestin. cap. 3. Vossium hist. Pelag. lib. 7. parte secundâ, Ioan. Dallæum apologiæ pro gratia universali parte 4. ubi longo ordine producunt & enumerant infinitos Patres tam Græcos quam Latinos, & inter eos non semel

ipsum

ipsum Augustinum, idem ferè cum Cypriano hac in re statuentes.

Obiter hic addam locum Augustini lib. 2. contra Cresconium cap. 32. ut videas quem honorem deferat sanctissimo martyri ipse Augustinus, & quâ observantiâ Patres colere debeamus.

Verba, inquit, *ejus*, Cypriani, *ex epistolâ ad Iubajanum inseruisti literis, quibus ei placuisse monstrares baptizandos esse in Ecclesiâ Catholicâ, qui fuerunt in haresi vel schismate baptizati. Ego hujus epistola auctoritate non teneor, quia literas Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eas ex canonicis considero. Quod in iis divinarum scripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio; quod autem non congruit, cum pace ejus respuo: ac per hoc si ea, quæ commemorasti ab illo ad Iubajanum scripta, de aliquo Apostolorum vel Prophetarum canonico recitares, quod omnino contradicerem non haberem: nunc vero, quia canonicum non est quod recitas, eâ libertate, ad quam nos vocavit Dominus, ejus viri, cujus laudem consequi non valeo, cujus multis literis mea scripta non comparo, cujus ingenium diligo, cujus ore delector, cujus charitatem miror, cujus martyrium veneror, hoc quod aliter sapuit, non accipio.*

Carthaginienses vero B. Cyprianum ita coluerunt, ut structo extra urbem ad littus maris templo pulcerrimo illi etiam festum diem, quem Cypriana vocant, quotannis celebraverint. Evagrius lib. 4. cap. 16. ubi videbis multa de Cypriani sanctitate memorabilia, ex Procopii lib. 3. de bello Vandalico. Vide etiam Basilium in Hexaëmero. & Augustinum serm. 113.

Cum sub Valeriano res Romana multis Barbarorum incursionibus lacerata, & 30 tyranni, *de quibus vide Trebellium Pollionem*, in variis Imperii Romani locis exorti essent, abiit Valerianus contra Saporem Persiæ Regem, à quo captus & vilis mancipii more habitus est; ut quoties equum conscenderet Sapores, incurvato Imperatore, pedem cervicibus ejus imponeret: demum illum cute nudari, & saliri jussit, *ut testatur Eusebius*. sic, ut ille in Christianos, in illum sæviit Rex Persarum Sapores. Hoc vero capto reddita est Ecclesiæ pax: Nam Gallienus, filius paterno territus exemplo, vulgatis edictis persequi ultra Christianos vetuit, permittens illis illa loca recipere, quæ cæmeteria vocamus, *ut loquitur Eusebius lib. 7. cap. 12.* Hic Gallienus luxui nequitiisque deditus lacerari imperium

A. C. 262.

Constant. in orat. ad sanct. c. 24.

tam à tyrannis, quam à Barbaris undique passus est. Sub hoc Imperatore apud historicos prima fit mentio gentis Francorum, de quorum origine & sedibus primis consulantur *Hadrianus Iunius in suâ Batavia, & Isacus Pontanus in originibus Francicis.*

Sabellius natione Afer, Episcopus Pentapolitanus, Noëti discipulus, dicebat Patrem & Filium & Spiritum Sanctum esse unam personam, & tria nomina. Patrem dici, quia omnia creasset: Filium, quatenus carnem assumpsisset: Spiritum Sanctum, quatenus in Apostolos die Pentecostes esset dimissus, & corda hominum sanctificaret, *Epiphan. hæres.* 57. Quare & hi possunt dici Patripassiani. Contra hanc hæresin etiam scripsit Dionysius Alexandrinus.

A. C. 263. Gothi aliique Barbari per Thraciam in Asiam trajiciunt, à quibus multi Christiani captivi abducuntur; qui & pio vitæ genere, & miraculorum virtute gentiles ad Christum convertunt; qui ita per occasionem discunt fidei nostræ præcepta, baptismum recipiunt, & conventus more Christianorum celebrant. *Sozomenus lib. 2. c. 5. Gothorum originem & primas sedes vide apud Ludovicum Vives in August. de Civit. Dei. & Boxhornium an. C. 250. historia universalis.*

Euseb. in Chronicis.

Hoc eodem anno per Gothos Asiam vastantes, ut narrat *Trebellius*, spoliatum & incensum est augustissimum Dianæ Ephesiæ templum, eximium illud orbis miraculum, quod tota gentilitas admirabunda spectabat: sic per eosdem & eodem tempore, quo, ita volente numine, maximâ clade affecta est superstitio gentilitia, religio Christiana magnoperè est propagata. sic cecidit & penitus eversa est magna illa Diana Ephesiorum, cujus structura ducentesimo & vicesimo anno vix absoluta fuit, etsi adjuta totius Asiæ opibus. *Quod cum Herostratus quidam combussisset,* inquit Strabo lib. 14. *aliud præstantius exstruxerunt, collato ad hoc mundo muliebri, & suis facultatibus, prioribus etiam columnis venditis,* Baron.

A. C. 266. Concilium celebratur Antiochiæ contra Paulum Samosatenum ejusdem urbis Episcopum: cui interfuerunt inter præcipuos Firmilianus Cæsareæ Cappadocum, Gregorius Thaumaturgus, & frater Athenodorus, ille Neocæsareæ, hic in Ponto Episcopus, &c. Sed lusit dolosis promissionibus sanctissimos viros Paulus. *Euseb. lib. 7. cap.* 27. Moriuntur hoc eodem anno Gregorius Thaumaturgus,

gus, cujus vitam & miracula, unde illi nomen Thaumaturgi, vide *apudGreg. Nyssenum in ejus vitâ, & apudBasilium de Spiritu Sancto c.29:* & Dionysius Episcopus Alexandrinus, olim discipulus Originis, ob sanctitatem vitæ in Ecclesiâ celebratus, qui inter cæteros in sententiâ baptismi etiam fuit à partibus Cypriani, ut diximus, multa passus sub Valeriano recessit in exilium, & scribens contra Sabellium, in contrariam partem visus est inclinare, quare accusatus apud Dionysium Romanum, defendit caussam suam, & de personâ Christi se benè sentire scriptis docet, quod etiam refert Athanasius epist. de sentent. Dionys. Alexand. Scripsit etiam contra Nepotem Millenarium. & Paulum Samosatenum ad patres Concilii Antiocheni primi, ad quod vocatus non venit senio impeditus. Apud hunc vox ὁμοούσιος primum inventa videtur, ut videre est apud Athanasium epist. de Synodis, & de sentent. Dionys. &c.

Gallienus Imperator cum fratre filiisque occiditur, succedit ab exercitu electus Flavius Claudius, vir moderatus, & Reip. utilis: A. C. 269. Fratres habuit Quintillum & Crispum. Crispi filia Claudia ex Eutropio Dardano peperit Constantinum Chlorum, Constantini Magni Patrem.

Moritur Claudius, succedit favore militum electus Imperator Aurelianus. A. C. 271.

Cum primâ Synodo subdolâ tergiversatione Patrum studia lusisset Samosatenus, secundum convocatur Concilium Antiochiæ, in A. C. 272. quo damnatur, & auctoritate Aureliani Imperatoris sede suâ deturbatur. Hic Paulus statuebat Christum non fuisse ante Mariam, & *Euseb. l. 7. cap. 27. 28. 29.* naturâ communem hominem, quales nos sumus, ut loquitur Eusebius, qui multa de hac synodo & Samosateno. Ego illius historiam & dogma paucis enarrabo.

HISTORIA ALOGORUM.

Ut eos vocat Epiphanius.

SOlenne mihi est post verbum Dei ad antiquitatis consensum in negotio religionis provocare. Nec mirum. *Quid enim, si etiam de modicâ quæstione disceptatio esset, nonne oporteret ad antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum, & re liquidum est?* ut loquitur S. Irenæus lib. 3. cap. 4. advers. hæreses, an. C. 180. *Quis determinabit inter nos, nisi temporis ratio, ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur? In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsum*, ut loquitur Tertullianus adversus Marcionem lib. 4. cap. 4. *Id enim verum, quodcunque primum, id adulterum quodcunque posterius.* Idem adversus Praxean, cap. 2. an. C. 200. Si ergo alibi, certè in quæstione de personâ Christi locum habet, post auctoritatem divini Canonis, in explicandis obscurioribus sacræ scripturæ locis Patrum primitivæ Ecclesiæ consensus. Et profectò, meo quidem judicio, magnam vim habere debent apud homines non contumaces testimonia multorum integerrimorum virorum, imo sanctorum martyrum, qui omnes illud ab Apostolis, aut viris Apostolicis acceperunt, aut saltem accipere potuerunt.

Historiam ergo Pauli Samosateni, & erroris seu opinionis ejusdem originem & progressum quantâ potero brevitate referam, ut quid in exordio nascentis Ecclesię de personâ Christi creditum fuerit videamus.

Cerinthus, qui vixit tempore Ioannis Apostoli & Euangelistæ, primus divinitatem Christi negasse narratur ab Irenæo lib. 1. cap. 25. & ab Eusebio lib. 3. cap. 25, his verbis: *Cerinthus subjecit Iesum non ex Virgine natum, impossibile enim hoc illi visum est, fuisse autem Iosephi & Mariæ filium, similiter ut reliqui homines.* Idem Irenæus hęc

nar-

narrat de eodem Cerintho lib. 3 cap. 3. *Et sunt*, inquit, *qui audierunt eum* (Polycarpum Ioannis discipulum) *dicentem, quoniam Ioannes Domini discipulus* (tum Ecclesiæ Ephesinæ Episcopus) *in Ephesio jens lavari*, *cum vidisset intus Cerinthum*, *exilierit de balneo, non lotus, dicens, quod timeat, ne balneum concidat*, *cum intus esset Cerinthus, inimicus veritatis*. Idem narrat Eusebius hist. Eccles. lib. 3. cap. 24. Cerinthum secutus est Ebion, & ejusdem sectatores Ebionitę. *Irenaus lib. 1. cap. 26. Euseb. lib citato cap. 2. Epiphan. hæres.* 28. *&* 30.

Cum vero Euangelistæ Matthæus, Marcus & Lucas humanitatem Christi satis prolixè & dilucidè explicassent, Episcopi Asiæ orarunt Ioannem, ut ad refutandos Cerinthianos & Ebionitas (quos *ἀλόγυς* primus vocavit Epiphanius, Augustinus Alogianos, quod negarent Verbum) historiam Euangelicam describeret, & in eà divinitatem ejus demonstraret, *Epiphan. hæresi* 51. *& Hieronymus de scriptoribus Ecclesiast. in Ioanne.* Quare necdum primo post natum Christum finito seculo, sic suum orditur Euangelium: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, &c. sed antequam ulterius progrediamur, primò afferemus loca sacræ scripturæ, quæ de Christi Deitate dubitare nos non sinunt. Apud Ioannem cap. 1. *ὁ λόγος* Verbum seu sermo vocatur Deus, & dicitur in principio fuisse apud Deum, qui jam factus esset caro: Et à Paulò Christus vocatur *Deus super omnia benedictus in secula*, Rom. 9. 5. & Thomas, ipsum ex mortuis suscitatum videns, sic illum compellat, *Domine mi & Deus mi*, Ioan. 20. 28. idemque significat appellatio Domini illius unius, per quem omnia. 1 *Cor.* 8. 6. item Domini gloriæ. 1 *Cor.* 2. 8. Regis Regum, & Domini Dominantium. *Apoc.* 17. 14. *&* 19. 16. nec non Filii Dei, non vulgaris, non adoptivi sicut sunt omnes fideles, sed unigeniti & proprii, *Ioan.* 1. 18. *&* 3. 16. *Rom.* 8. 32.

Secundò proprietates divinæ illi tribuuntur, ut quod *erat in principio apud Deum*, Ioan. 1. 1. principium autem rerum creatarum hic intelligi probatur ex primis indiciis: Primò quod locutio hæc similis sit ei, quâ Moses utitur initio Geneseós ad designandum principium illud, in quo Deus mundum hunc condere cœpit, inde verisimiliter concluditur Iohannem de eadem re, de quâ

agit Moses, hic etiam agere. Secundò, quia, si de principio mundi accipiatur hic locus, facile etiam erit intelligere, quomodo tunc sermo fuerit apud Deum (quod alioqui commodè explicare difficultate non caret) antequam enim res conditæ essent, non poterat uspiam alibi esse sermo, quam apud ipsum Deum. Tertiò optimè fluet etiam id, quod sequitur, omnia per istum sermonem facta esse, & sine ipso factum esse nihil, quod factum fuerit, nempe in hoc mundo visibili, & in hoc principio, de quo loquitur Apostolus. Si quis verò hæc intelligat de principio prædicationis Euangelii, de existentiâ Christi hominis apud Deum, & de creatione novâ, ut quidam faciunt, ejusmodi interpretatio erit coacta, & vim verbis faciet: ne jam dicam illam esse planè novam, primitivæ Ecclesiæ patribus incognitam, ut docebimus, nullumque illius vestigium in veteribus scriptoribus occurrere.

Refer etiam huc quod Paulus dicit ad Coloss. 1. 17. *Ipse* (nempe Christus) *est ante omnes, & omnia in ipso consistunt*: & quod Dominus Jesus sibi tribuit. Apoc. 2. 17. *Ego sum primus & novissimus*, & quod cap. 3. 14. se vocat *principium creaturæ Dei*, id est, qui principium dedit omnibus creaturis, quæ per ipsum factæ sunt.

Deinde probatur Christi Deitas ex eo, quod sit ubique, ut appareret ex eo, quod dicit, *Ego sum vobiscum usque ad consummationem seculi*, Matth. 28. 20. Item, *Pater & ego ad illum veniemus, & mansionem apud* &c. Ioan. 14. 23. Et ex eo, quod sciat omnia, & scrutator sit cordium, prout dicit *Iohan.* 2. 25. non opus erat ut quisquam ei testaretur de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine: Et Petrus testatur Ioan. cap. 21. 17. *Domine tu scis omnia.* Et Apocal. 2. 23. *Ego scrutans renes & corda.* Nec non ex eo, quod sit omnipotens, nam *conformabit corpus nostrum humile*, &c. ad Phil. 3. 21. denique ex eo, quod ei tribuatur gloria & majestas divina. est enim *splendor gloriæ, & figura substantiæ Dei* ad Heb. 1. 3. Omnes debent honorare filium, sicut honorant patrem, *Ioan.* 5. 23. & omnes creaturæ dicunt Apocal. 4. *sedenti in throno*, (id est Deo Patri) *& agno* (id est Christo) *benedictiò & honor & gloria & potestas in secula seculorum.*

Tertiò, opera filii de ejus Deitate testantur. *Mundus per ipsum factus est*, Ioan. 1. 10. *Omnia per ipsum condita sunt in cœlo & in terrâ,* tum

tum visibilia, tum invisibilia &c. ad Coloss. 1. 16. *Ipse portat seu sustentat omnia verbo virtutis suæ*, ad Hebr. 1. 3. *& quæcunque Pater facit, eadem Filius etiam facit*, Ioan. 5. 19. unde miracula innumera non solùm edidit, quotiescunque voluit virtute perpetuò in se residente, sed etiam discipulis suis miracula in nomine suo patrandi potestatem communicavit, *Luc.* 10. 17. & *Act.* 3. 16. Ipse peccata remisit hominibus, quod potestatis esse divinæ agnoscunt ejus adversarii. *Marci* 2. 5. 6. 7. ipse Spiritum Sanctum credentibus in se largitur. *Ioan.* 7. 38. 39. ipse suscitabit fideles suos in ultimo die, & dabit eis vitam æternam. *Ioan.* 6. 39. 4. unde & servator mundi, & princeps vitæ dicitur: *Ioan.* 4. 42. & 1 *Ioan.* 4. 14. & *Actor.* 3. 15. quæ omnia sunt Dei solius opera.

Præterea iste unus & solus & verus Deus Pater Deitatis suę participem etiam fecit τὸν λόγον, seu verbum, seu sermonem, quem ex se ante secula genuit, per quem mundum condidit, & qui postea in plenitudine temporis cum Iesu Christo ex Virgine Maria nato in unam hypostasin inseparabiliter est conjunctus: Item Spiritum Sanctum à se promanantem, per quem Prophetas afflavit, ideoque hi tres, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus aliquoties in sacris literis, cum de Deo agitur, conjunguntur, & simul nominantur. Ita Matth. 28. 29. *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* 1 Cor. 12. 4. 5. 6. *distinctiones donorum sunt, & idem spiritus, distinctiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus, distinctiones operationum sunt, sed idem est Deus.* Et 2 Cor. 13. 13. *Gratia Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis.* Dictata Curcellæi.

Quis ergo de divinitate Christi dubitare audebit, qui sacræ scripturæ eam tribuit auctoritatem, quam verus Christianus ei tribuere tenetur? cum sacra scriptura Christo tribuat omnia propria Dei Patris, id est, omnipotentiam, omnipræsentiam, & omniscientiam? Cum sit Deus benedictus in secula, fuerit ante secula, condiderit secula, cum propositus sit adorandus in terrâ hominibus, in cœlo Angelis, cum sedeat ad dextram Dei Patris in cœlis? quis, inquam, illi negabit Deitatem, aut nomine tenus Christum pro Deo tantum agnoscet, propter susceptionem divinitatis, ita ut electio-

electione & institutione, non vero naturâ sit Deus? *Blondellus.*

Ex precedentibus intelleximus quid de Deitate Christi pronuncient sacræ litteræ, quæ piis sufficere deberent, jam verò quid patres primitivæ Ecclesiæ de personâ Christi senserint videamus, & simul unanimem eorum de naturâ Christi consensum, & doctrinæ ejusdem successionem consideremus, qui Apostolis, & proinde ipsi veritati fuêre proximi. *Ignatius*, qui fuit cum *Polycarpo Ioannis* Euangelistæ auditor, & martyr obiit an. C. 110. & fuit Antiochenæ Ecclesiæ post *Evodium* Episcopus, hæc habet de Christo epistolâ ad Ephesios. loquor autem de genuinis, non de interpolatis, ne quid homines vetustatis ignari, & quia ignari, etiam hostes, nobis tale quid objiciant: *Vnus*, inquit, *medicus est carnalis & spiritualis, genitus & ingenitus, in carne factus Deus in immortali vitâ verâ, & ex Maria & ex Deo, primò passibilis & nunc impassibilis Dominus Christus noster.* Et ibidem: *Deus enim noster Iesus Christus conceptus ex Maria secundum dispensationem Dei, ex semine quidem David, Spiritu autem Sancto.* Et ad Magnesios: *Quoniam unus Deus est, qui seipsum manifestavit per Christum Iesum Filium ipsius: qui est ipsius Verbum æternum, λόγος ἀΐδιος, qui secundum omnia bene placuit mittenti ipsum, & qui ante secula apud Patrem erat, & in fine apparuit.* *Iustinus martyr*, qui vixit an. C. 150. Apologiâ pro Christianis ad Senatum: *Filius autem ejus* (Dei Patris) *qui solus propriè dicitur filius, Verbum simul, cum eo ante creaturam existens & miscens, quoniam primitus cuncta per eum condidit & ornavit.* Et Apologiâ ad Antoninum Pium Imperatorem dicit *Christum cum Mose locutum è medio ignis in rubo, & de se ipso dixisse, Ego sum Iehovah, Deus Abraham, Deus Isaac &c.* Et Dialogo cum Tryphone dicit *Christum Abrahæ in formâ viri apparuisse & in specie hominis cum Iacobo luctatum*, &c. ibidem Christum sæpe vocat *Deum Deique filium*, & rejicit eos, qui ipsum *hominem ex hominibus natum* arbitrantur, *ut per electionem Christus fieret.* Totus autem est in probanda Christi Deitate in hoc colloquio cum Judæo Justinus. similia habet Athanagoras, Tatianus Justini discipulus, & alii Justino coævi.

Irenæus etiam martyr, Episcopus Lugdunensis in Galliis, discipulus Polycarpi, quem constituit Episcopum Smyrnensem ipse Aposto-

postolus Ioannes, & vixit An. C. 180. lib. 4. cap. 3. dicit, *Mosis litteras & reliquorum Prophetarum esse sermones Christi*: & cap. 11. *ipsum Christum cum Patre vivorum esse Deum qui & locutus est Mosi, & manifestatus est Patribus*: & lib. 3. cap. 21. *Christum quærere ovem, quæ perierat, quod quidem erat proprium ipsius plasma*. Idem de exordio Euangelii secundum Ioannem sic loquitur: *significans quoniam per Verbum per quod Deus perfecit conditionem, in hoc & salutem his, qui in conditione sunt, præstitit hominibus, sic inchoavit in ea, quæ est secundum Euangelium, In principio erat Verbum*. sed similia sunt apud *Irenæum* testimonia innumera, & præcipuè lib. 5. ut & apud *Tertullianum*, qui vixit an. C. 200. & lib. de præscript. adversus hæreticos affirmat *unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi conditorem, qui universa ex nihilo produxerit per Verbum suum primò omnium emissum*. Et lib. de Trinitate adversus Praxean cap. 2. *Nos vero & semper, nunc magis, ut instructiores per Paracletum deductorem scilicet omnes veritatis unicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam dicimus οἰκονομίαν, ut unici Dei sit & filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, hunc missum à Patre in Virginem, & ex ea natum hominem & Deum, Filium hominis & Filium Dei, & cognominatum Iesum Christum*. Et adversus Marcionem lib. 3. *Ipse* (Christus) *tunc fuerat in Mose, qui talia audierat*. Et lib. 5. *In quo Christo consistere haberet tota substantia spiritus, non quasi postea obventura illi, qui semper Spiritus Dei fuerit, ante carnem quoque*. Sed hæc pauca sunt: plura videbit, cui integrum erit legere totum adversus Praxean de Trinitate librum. *Clemens Alexandrinus*, Tertulliani coætaneus, in suo protreptico dicit *servatorem Christum locutum per rubum, & in columna flammam accendisse*: item eundem *in Elia, Esaia, & ore Prophetarum fuisse locutum*. Multa similia habet *Origines*, Clementis discipulus, lib. περὶ ἀρχῶν. & *Cyprianus* lib. de Idolorum vanitate. Et *Dionysius Alexandrinus* apud Athanasium epistola de sententia Dionysii Alexand. adversus Arianos, & epist. de synodis, qui primus *ante paucos dies quam moreretur*, ut inquit Hieronymus, contra dogma *Samosateni* ad Concilium Antiochenum in caussa Samosateni primum scripsit. His adde *Firmilianum* Cæsareæ Cappadocum Episcopum, *Gregorium Thaumaturgum* Episcopum Neocæ-

ſareenſem,& *Athenodorum* Eccleſiæ in Ponto Paſtorem fratres, *Hymeneum* Hieroſolymitanum, *Thotecnum* Cæſareenſem Paleſtinæ, & alios ad primum contra *Paulum Samoſatenum* concilium Antiochiam convocatos: quorum fidei confeſſionem, *præclariſſimum antiquitatis Catholicæ monumentum*, vide apud *Baronium*, an. C. 266. & *Binium* Concilior. tomo primo. De *Gregorio Thaumaturgo* vide epiſtolam *Baſilii* ad *Anphilochium*, ubi eum ob miracula (unde dictus eſt *Thaumaturgus*) Prophetis & Apoſtolis nihilò inferiorẽ ſtatuit. Adde præterea ſeptuaginta Patres Concilii Antiocheni adverſus Samoſatenum ſecundi, qui eo condemnato ſcripſerunt epiſtolam ſynodicam, quam vide apud *Euſebium* lib. 7. cap. 29. & profeſſionem fidei, quæ hæc eſt apud *Baronium* an. C. 272. & invenitur in Concilio Epheſino editionis Peltani tom. 6. cap. 1. in fine. *Confitemur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ante ſecula quidem ex Patre, noviſſimis vero temporibus per Spiritum Sanctum ex Virgine ſecundum carnem natum: unâ duntaxat perſonâ ex cœleſti divinitate & humanâ carne conflatâ ſubſiſtentem. Totum Deum, & totum hominem. Totum Deum etiam cum corpore, & non ſecundum corpus Deum. Totum hominem etiam, cum divinitate, ſed non ſecundum divinitatem hominem. Totum rurſus adorabilem etiam cum corpore, ſed non ſecundum corpus adorabilem. Totum adorantem (Patrem) etiam cum divinitate, ſed non ſecundum divinitatem adorantem. Totum increatum etiam cum corpore, ſed non ſecundum corpus increatum. Totum formatum etiam cum divinitate, ſed non ſecundum divinitatem formatum. Totum Deo* ὁμούσιον *etiam cum corpore, ſed non ſecundum corpus* ὁμούσιον: *Quemadmodum neque ſecundum divinitatem hominibus conſubſtantialis eſt, eſt autem nobis ſecundum carnem conſubſtantialis, etiam in divinitate exiſtens. Etenim cum illum ſecundum ſpiritum Deo coëſſentialem dicimus, non dicimus hominibus ſecundum ſpiritum coëſſentialem. Contra autem cum illum ſecundum carnem hominibus conſubſtantialem prædicamus, non prædicamus illum ſecundum carnem Deo coëſſentialem. Vt enim ſecundum ſpiritum nobis conſubſtantialis non eſt (nam ſecundum illum Deo conſubſtantialis eſt) ita viciſſim Deo ſecundum carnem coëſſentialis non eſt, ſecundum hanc autem nobis conſubſtantialis eſt. Quemadmodum autem hæc diſtincta & inter ſe diſcreta pronunciamus, non ad inducendam unius indiviſæ perſonæ diviſionem, ſed ad*

deno-

denotandam naturarum & proprietatum Verbi & carnis distinctionem & inconfusibilitatem : ita illa, quæ ad indivisa unionis compositionisve rationem faciunt, unita prædicamus & veneramur. hactenus Patres Concilii Antiocheni in sua fidei expositione de Verbi incarnatione. Ut nihil dicam de Concilio Nicæno, celebrato an. C. 325. per patres numero 318. ex toto orbe per *Constantinum* primum Imperatorem Christianum convocatos, in quo non tantum *Arius*, sed & *Paulus Samosatenus* est condemnatus. Vide Eusebium histor. Eccles. lib. 1. cap. 1. 2. 3. & lib. 5. cap. 25. Athanasium in Expositione fidei, Confessione ad Liberium, Epistola ad Iovianum, ubi inter cætera sic loquitur: *Cognosce igitur, religiosissime Auguste, hanc esse quæ à condito ævo prædicata fuit, & quam Nicææ Patres congregati agnoverunt, ejusque suffragatrices esse omnes omnibus in locis Ecclesias, sive in Hispania sint, sive Britannia, Galllia, Italia universa, Dalmatia, Dacia, Mysia, Macedonia sive universa Græcia, universa Africa, Sardinia, Corsica, Cypro, Creta, Pamphylia, Lycio, Isauria, Ægypto, Libya, Ponto, Cappadocia. Itidem quotquot nobis vicina sunt, nec non & Orientis Ecclesias, paucis exceptis, quæ Arrianicæ opinionis sunt. Omnium enim istorum, & adhuc longinquiorum animos experimentis cognovimus, & scripta habemus.* Et ita passim Athanasius, & præcipuè quinque adversus Arianos orationibus, *quod est de omni hæresi trophæum*, ut loquitur Photius. Videatur etiam contra Alogos hæresi 51. Epiphanius, & oratione *Christum esse Deum*, Chrysostomus, & infiniti alii.

Addam verba doctissimi & celeberrimi *Voetii* ex disputationum Theologicarum parte 1. tit. *Antidota generalia contra Socinianos: Nec omnino prætereundum*, inquit, *quod orbis universus Euangelii conditionem adeptus, hæc mysteria uno ore sonat, & jam inde ab Apostolorum temporibus, adeo ut verè hic habeatur γνησίως Apostolicum & Catholicum Vincentii Lirinensis*: Quod omnes, quod ubique, quod semper. *Evincunt hoc testimonia Patrum, & inprimis δοξολογία communis:* Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto; *& familiaris illa catechizandi ratio, & formula baptismi, quæ etiam Ethnicis non fuit ignota. Lucianus enim in Philopatri inducit Christianum ita Ethnicum catechizantem:* Deum altè regnantem, magnum, æthereum, atque æternum Filium Patris, & Spiritum Sanctum, unum ex tribus, & ex uno tria. *Lucia-*

nus autem vixit sub Trajano, circa annum C. 120. *Quod etiam exteris adversariis catholico consensu Christianismi, & primorum conciliorum generalium hac fides explicata, stabilita, & postea à piis Imperatoribus in orbe Romano publicis legibus sancita sit: atque ab illo tempore ab utraque potestate ecclesiastica & Politica sarta tecta permanserit, etiam obortâ in Oriente tantâ contentione & ignorantiâ, in Occidente magnâ illâ apostasiâ, atque etiamnum perstet in Ægypto, Æthiopia, Græcia, Persia, Syria, Armenia, Russia, Occidente toto, & ubicunque Christianum nomen auditur.* Hactenus Voetius. *Ecce nos demonstramus istiusmodi sententiam à patribus ad Patres, quasi per manus traditam*, ait Athanasius de Synodi Nicænæ decreto. Cum vero & sacra scriptura, & viri Apostolici, & omnes primorum seculorum Patres, & omnes totius orbis Christiani Ecclesiæ, communi consensu τὴν ὕπαρξιν, id est existentiam Domini nostri Iesu Christi fuisse, antequam ex Virgine nasceretur, admirandâ continuatione in apertissima luce statuant, si quis illi principium asscribat ex Maria, an non ille nobis videri debet piæ & Christianæ antiquitatis imperitissimus?

Ut autem hæc certiùs nobis constent, adducam historiam *Pauli Samosateni* paucis & accuratè descriptam à Clarissimo *Vossio*, præfatione in dissertationem de Iesu Christi genealogia: *Si cuncta*, inquit, *Christiani nominis tempora percurramus, nullam comperiemus Ecclesiam ab Apostolis, vel iis quos hi miserant constitutam, quæ aliquem ejus (Samosateni) sententiæ agnoverit doctorem. Equidem non diffiteor, quod obtendunt, extremis Apostolorum temporibus fuisse Ebionitas: sed ullamne ex iis, quas dixi, Ecclesiis, dare poterunt quæ vel decimo successionis gradu, multaque etiam postea in defuncti Episcopi, Presbyteri, Diaconi, imo & hypodiaconi, lectoris, cantoris, aut exorcistæ locum prudens sciens Ebionitam advocavit? Foris hi cœtus suos habebant; extra Ecclesiam erant, quam oppugnabant. Ex hoc genere censendus est Theodotus Byzantius, coriarius ille, qui postquam nihil pensi habuit novum dogma inducere de Christo mero homine, ob defectionem hanc à Victore, Urbis Romanæ Episcopo, qui anno C.* 200. *& antea claruit, Christianâ meruit communione privari. Ejusdem farinæ erant duo ejus discipuli Asclepiodorus & Theodotus Trapezita: à quibus Natalius auro corruptus, cum antea Confessorum cho-*

ro accenseretur, Ecclesiâ relictâ factus est Theodotianorum Episcopus. Hic postquam divinitùs graves in somnis pœnas dedisset, vix tandem à Zepherino, qui Victori successerat, in Ecclesiam est receptus. Quid nunc de Artemone dicam atque omnibus ab eo profectis? Quid item de Samosatensi Paulo, Antiochenæ Ecclesiæ præsule? qui nisi ab omnibus audiisset Catholicus, nunquam per varios honoris gradus ascendisset, donec ea in Ecclesia teneret primas, ubi primò auditum fuisset Christianorum nomen, quæ etiam Ecclesiarum Orientis prima censeretur. Eo in honore ordine illum præcesserant Evodius, Ignatius, Hero, Cornelius, Hero alter, Theophilus, Maximinus, Zerapio, Asclepiades, Philetus, Zebennus, Babylas, Fabius, Demetrianus: ut Paulus iste fuerit præsulum Antiochenorum quintusdecimus. Sed operæ est cognoscere, quid virum tantum impulerit, ut desereret fidei normam, quam observarant tot sui decessores, viri sanctissimi, plerique etiam scriptis & martyrio inclyti. Vivebat iis temporibus Zenobia, Odenati vidua, Palmyrenorum regina, quæ in Oriente longè latèque rerum potiebatur; multumque metuebatur à Persis, Arabibus, Saracenis, Armeniis, Ægyptiis; diu etiam à Romanis. Cumque doctissima foret ipsa, doctos etiam magno in pretio habebat, ante omnes Longinum, eâ eruditione virum, ut viva Bibliotheca, & obambulans Musæum diceretur. Atque ille religione quidem erat gentilis, ipsa autem Iudæa, unde & doctissimos secum Iudæos habebat. Horum commercio tantum profecit Longinus, ut præclaro admodum elogio Mosen ornaret, aureolo, qui hodieque superest, libello de sublimi dictione: sed ut ea familiaritas cum Iudæis profuit non mediocriter Longino; ita è contrario perdidit Samosatenum. Nam cum eâ ætate Antiochia Syriaque universa in Zenobia foret potestate: sæpe confligandum erat Paulo cum Iudæorum doctissimis & disertissimis. Ac magnoperè quidem adlaborabat ille, ut & hi, & regina ante omnes (quæ eum magni faciebat, & à qua ipse majoris fieri cuperet) deinceps agnoscerent, Iesum esse promissum illum Messiam. Sed offendebantur illi doctrinâ Ecclesiæ de uno Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto. Quò etiam pertinebat receptissima gratias agendi formula: Deo Patri & Filio Domino Iesu Christo cum sancto Spiritu gloria & imperium in secula seculorum, Amen. Siquidem Samosateni tempore utebantur hac normâ, eâque à majoribus receptâ: ut

 testis

testis est locuples eorum temporum scriptor Dionysius Alexandrinus : cujus de eo verba legere est apud B. Basilium in praeclaro de Spiritu Sancto opere ad Amphilochium Iconiensem Episcopum. Paulus ergo faciliorem sibi hoc pacto victoriam ratus, neglectâ priorum doctrinâ, in Artemonis castra concessit; Iudaeisque illud largitus fuit, unam esse ὑπόστασιν divinae naturae; nec Iesum prius fuisse, quam de Spiritu Sancto è Virgine Maria nasceretur. Non tulit tam foedam συγκατάβασιν Synodus Antiochena, ex 70. constans Patribus: quapropterea Paulo Domnum suffecit, approbante hoc ipsum Episcopo Alexandrino. Nempe nihil tale hactenus vel Antiocheni audierant jam inde ab Evodii temporibus; vel Alexandrini, ex quo iis praefuisset Marcus Euangelista: quorum uterque Ecclesiis illis praecipuis totius Orientis, primus ab Apostolis Episcopus datus erat. Romae, & cum eâ totius Occidentis, idem fuisse judicium de Paulo partim eo scimus, quia scriptores antiqui & fide digni ita de hoc prodiderunt : partim etiam dum gentiles forent Imperatores, nec universalia haberi concilia possent, ne non Apostolica de duabus in Christo naturis per omnes orbis Ecclesias decurreret, cum aliter cavebatur, tum praecipuè commercio litterarum, quas dixere pacificas, canonicas, ecclesiasticas, communicatorias, vel etiam formatas. His enim vel maximè, quod multi non satis attendunt, continebatur illa in Christiana fide contesseratio hospitalitatis, ut eam vocat Tertullianus. Nulla quippe Ecclesiarum ab Apostolis edocta, primumve ab iis nactâ Doctorem, ignara erat doctrinae, quae ab Apostolicis in ea sonuisset temporibus: ubi quicquid memoria hominum etiam longaevorum deesset, Ecclesiasticis supplebatur archivis. Quocirca nec Samosateno, nec ejus asseclis, nec omnium cuipiam, qui ab Catholica se Ecclesia separasset, epistolas dedisset canonicas. Cujus rei complures laudare testes possum, sed fuerint omnium instar Optatus Milevitanus, & Hipponensis Augustinus: quorum ille cum lib. 2. Vrbis Episcopos memorasset ad Siricium usque, sui temporis Episcopum Romanum, subjungit deinde: cum quo nobis totius Orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat. Alterius est epist. 163. ad Eleusium & alios : *Hic primò asserere conatus est, ubique terrarum esse communionem suam. Quaerebam utrum epistolas, quas formatas dicimus, possent quo vellent dare; & affirmabam, quod manifestum erat omnibus, hoc modo facillimè illam terminari posse quaestionem. Nec horum demum temporibus ea formatarum coepit consuetudo.*

nam

nam ut de Laodiceno Concilio taceam, deque ipso Nicæno (quorum illud litterarii talis commercii meminit canone 145, hoc 18.) etiam Eusebius Pamphyli in septimo historiæ cap 29. conservavit nobis hujus generis epistolam : & quidem à Synodo Antiochenâ ad Dionysium Romanum & Maximum Alexandrinum in ipsius Samosateni causâ exaratam. Quin ab excessu Apostoli Ioannis annis quadraginta, vel etiam minus eas obtinuisse in Ecclesiâ vel ex vita Xysti apud Anastasium conspicimus. Hactenus Vossius.

Epistolæ Patrum Concilii Antiocheni hæc est superscriptio: *Dionysio & Maximo, & cunctis per orbem comministris nostris Episcopis, Presbyteris & Diaconis & universa, quæ sub cœlo est, catholica Ecclesiæ,* &c. his subjiciunt synodi Patres : *multos quidem etiam ex remotioribus Episcopis litteris nostris huc ad medendum letiferæ doctrinæ vocavimus sicut & Dionysium Alexandrium & Firmilianum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum, viros in Domino beatos, quorum alter* &c. post prolixam vitæ & morum Samosateni descriptionem, sic epistolam communicatoriam Patres Concilii finiunt : *Itaque necessitate coacti adversarium Dei, cum non cederet, excommunicavimus, & alium in locum illius, Domnum scilicet, Demetriani piæ memoriæ, qui ante hunc isti parœciæ præclarè præfuit, filium, cunctis donis Episcopo convenientibus ornatum, ex divinâ providentiâ, sicuti persuasi sumus, Episcopum constituimus, vobisque significavimus ut huic scribatis, & ab eo communicationis litteras accipiatis. Artemæ autem scribat ille, & qui cum Artema sentiunt, illi communicent.* hæc Concilii Antiocheni Patres. Contra hunc Paulum Samosatenum sic scribit Athanasius de incarnatione Verbi Dei: *Qui ea, quæ ultra vires suas sunt, indagat, in præcipiti consistit : qui vero traditionibus* (id est testimoniis à patribus ad patres) *inhæret, extra periculum versatur. suademus igitur vobis, quod & nobis ipsis suademus, ut semel traditam fidem retineatis, & aversemini profana novitatis verba, & idem reliquis præcipiatis, ut exhorreant tanti mysterii inquisitionem.*

Occasione hujus Concilii, in quo voce ὁμοούσιος usi sunt patres, pauca de ejus origine dicemus. Primus hoc vocabulo usus videtur Dionysius Alexandrinus epist. ad Dionysium Romanum an. C. 263. & postea in epist. ad patres Antiochenos adversus Sa-

Samosatenum, cum ad Concilium vocatus, præ senectute & infirmitate venire non posset: quamvis ibidem dicat, se ex traditione eam habere vocem, *quà sancti Patres*, inquit, *Christum* ὁμούσιον *patri vocaverunt*. ut videre est apud Athanasium epist. de sententia Dionysii Alexand. Epistola vero de Synodis hæc habet idem Athanasius: *Duo enim Dionysii diu ante eos septuaginta suêre, qui Samosatensem sustulerunt, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ præsul erat: ibi cum quidam Alexandrinum Episcopum apud Romanum accusarent, quasi qui filium opus, & non consubstantialem Patri diceret, & Synodus Romæ coacta indignè tulit, & Romanus ad cognominem sibi Episcopum omnium sententiam perscripsit, ac jam inde ille se ad defensionem parans, libello suo titulum refutationis & Apologia indidit, & in hac verba ad Romanum scripsit: Ego & in alia epistola scripsi, ubi ostendo crimen, quod deferunt contra me, falsum esse, quasi qui dicerem Christum non esse consubstantialem Deo: nam tametsi dico me illud nomen nec reperisse, nec legisse alicubi in S. Scriptura, rationes tamen nostra, quas reticuerunt, non abludunt ab hac sententia.* Et paulò post: *Etsi amborum Conciliorum Patres diversimodè de consubstantiali mentionem fecère, non tamen ea de caussa ab iis dissidere debemus, sed illorum mentes scrutari, quod si fecerimus, omninò inveniemus ambas Synodos inter se consentire. Qui Samosatensem sustulerunt, hanc vocem corporaliter accepêre, cum Paulus Sophisticari vellet, & diceret: Si Christus non ex homine Deus factus est, igitur consubstantialis est Patri: & necessariò sequitur tres esse substantias, unam quidem quæ prior sit, ut princeps, reliquas vero duas ex ea oriundas: ideoque meritò vitantes illud Sophisma Pauli, dixère Christum non esse consubstantialem: non enim ita se habet ut Filius ad Patrem, ut ille cogitabat.* Et paulo antè: *Si igitur aliquis carpit Nicænses, quod non dixerint omnia, quæ ipsorum antecessoribus placuerunt, idem quoque meritò carpserit septuaginta Episcopos, Pauli Samosatensis condemnatores, quod ea quæ antecessorum erant non observaverint. Antecessores autem eorum fuerunt duo isti Dionysii, cæterique qui Romæ tum congregati fuerè*, &c. Et ibidem: *Adversus eos, qui omnia Synodi scripta recipiunt, de solo autem consubstantiali ambigunt, non ut adversus inimicos affici nos decet. Neque enim velut adversus Ariomanitas, aut quasi bellum gesturi patribus contradicimus, sed veluti fratres cum fratribus disceptamus, at cum*

quibus

quibus nobis eadem sit sententia, controversia autem de verbis. Nam cum profiteantur filium ex Patris substantia, & non ex alia subsistentia esse nec creaturam eum nec opus existere, sed genuinum & naturalem Patris fœtum, & æternaliter cum Patre esse, cum ejus & ratio & sapientia sit, non longè absunt à recipienda hac voce consubstantiali. Talis autem est Basilius ex Ancyra, in Scriptis suis de fide. Cæterum quoniam ex substantia Patris filium esse dixêre, & similem Patri substantiâ, quid aliud isti innuunt, nisi eum consubstantialem esse? Et postea: *sed utraque synodus justam habet causam, cur illa ad illum ista vero ad istum modum verba sua temperaverit. Quandoquidem Samosatenus sentiebat filium ante Mariam non fuisse, sed ab ea initium suæ essentiæ accepisse: ideo Episcopi tum congregati hominem hæreseos condemnatum abdicarunt, & de filii divinitate simplicius scribentes, non exquisitam diligentiam in tractatu hujus vocis consubstantialis adhibuerunt, sed ut acceperant de consubstantiali, ita loquuti sunt. In eo enim omnem curam habebant ut quod Samosatenus excogitabat tollerent, & docerent ante omnia fuisse filium, eumque non ex homine Deum esse factum, sed cum Deus esset, induisse servi speciem, & cum Verbum esset, carnem esse factum, quemadmodum locutus est Ioannes: atque ita adversus Pauli blasphemias actum fuit.* Hactenus Athanasius.

Sunt autem hoc loco duo notanda de hoc nomine, inquit Bellarminus, *primum est non solum Arrianis displicuisse hoc nomen, sed etiam quibusdam Catholicis, propterea, quod Patres Concilii Antiocheni contra Paulum Samosatenum disertè negaverunt Filium esse Patri homoousion, idque acciderat ante natam Arrii hæresin. quibus Athanasius objicit auctoritatem Dionysii Romani & Alexandrini, qui antiquiores Concilio Antiocheno, Filium Patri homoousion dixerunt. Deinde conciliat omnes, ac dicit Antiochenos Patres negasse homoousion Patri esse filium, ad mentem Samosateni sed non simpliciter: Samosatenus enim acceperat corporaliter hoc vocabulum, quasi significaret filium esse Patri consubstantialem, quomodo est homo homini consubstantialis: ita ut substantiæ sint, sed ejusdem speciei.* Et paulò post: *Notandum est secundò hic nomen divinitus inventum videri, siquidem destruit simul contrarias hæreses Arrii & Sabellii, nam ut docet Athanas. epist. de synodis & Basilius in quadam epist. ad Ancillas Dei, non dicitur homoousion de iis, quæ quandocunque habent similem essentiam, sed de iis tantum quorum unum est ex altero, & ab illo recipit eandem*

dem essentiam. Sabellius fatebatur Patrem & Filium eandem habere essentiam, sed negabat unum esse ab alio. Arriani fatebantur filium esse à Patre, sed negabant eandem esse essentiam. Rectè, inquit Ambrosius, ὁμοούσιον Patri filium dicimus, quia verbo eo & personarum distinctio & naturæ unitas significatur. Hæc Bellarminus Tom. 1. lib. 2. cap. 3.

Hic obiter notabimus, inquit Blondellus, *quàm difficile sit hominibus tractare causas Dei. Boni illi Patres, qui adversus Samosatenum scripserunt, statuerunt Christum ante incarnationem suam fuisse ὁμοούσιον Patri: ille vero volebat ita esse ὁμοούσιον Patri, ut diceret ipsum fuisse in mente Dei: & totam rationem existentiæ ipsius fuisse, prout conceptus sunt in intellectu nostro, & accidentia in subjectis suis. Nam ut statuerent Christum ante incarnationem eandem essentiam cum Patre habuisse, & per se substitisse, illi damnabant vocem ὁμοούσιον non sano sensu acceptam. Ubi Arrius caput extollere cœpit & dogma suum disseminare, Concilium quod convenerat Nicææ, ut errorem illum refelleret ipso vocabulo usum est, sed in alio sensu: Tum admissum fuit hoc vocabulum etiam ab Arrianis, quandoquidem illi subscribebant, voci isti ὁμοούσιος Patri, sed interpretamentum ejus sibi reservabant, quo suum errorem incrustare possent. Eâ de causâ factum est, ut multi noluerint admittere symbolum Concilii Nicæni, ob vocabulum illud, quod putabant ἄγραφον esse, etsi de Trinitate rectè sentirent. Eos Athanasius & Hilarius pro fratribus recipiebant, etsi in formulis dissentirent. Duplici enim argumento nitebantur: Primò dicebant vocem illam esse ἄγραφον, quia in sacrâ scripturâ non legitur: itaque existimabant accuratissima veneratione sacræ scripturæ, hoc tanquam fundamentum fidei nostræ nunquam subjici debere, sed ex solâ sacrâ scripturâ fidei nostræ regulam esse petendam. Sed hæc vox non fuit obtrusa, tanquam divina, sed quæ divina explicaret, quamvis humanitùs inventa esset, tamen fundamentum in S. scripturâ habebat. Hoc etiam offendiculo illi permoti, quod ea vox damnata esset, & in alium sensum trahi posset, ab eâ abhorrebant. Itaque hac in parte dissentiebant ab aliis.* Hæc Blondellus in dictatis suis.

Paulum Samosatenum secutus est Photinus Episcopus Syrmiensis in Pannoniâ, postremus, quantum ego memini, inter alogos, qui etiam statuit Christum non fuisse ante Mariam, *atque ex illâ principium habuisse, sed per sancta conversationis meritum eximio divinitatis honore*

nere donatum, atque actionis merito in Deum profecisse. Ille in Concilio Syrmiensi anno C.357. condemnatur tam ab Orthodoxis, quam ab Arrianis, tam ab Orientalibus, quam ab Occidentalibus, id est, ab universa Ecclesiâ Christianâ, quam illi duo præcipuè conficiebant. Nam eo tempore adhuc inter se absque discrimine communicabant, ut inquit Socrates lib.2.c.14.15.16.24.25. apud quem hanc etiam invenies Photinianorum condemnationem: *Quod si quis Christum Iesum Dei Filium, qui Patri ad universarum rerum fabricationem inservivit, non ante secula fuisse dixerit: sed ab eo tempore tantum, quo ex Maria natus fuit, Filium & Christum fuisse, & tum incepisse Deum esse, sicut Paulus Samosatenus asserebat, anathema esto.* Idem habet Hilarius lib. de Synodis. Est autem anathema teste Socrate, *sententia contra alicujus blasphemiæ auctorem pronunciata, quo perinde nota fiat, ac si in columnâ incisa publicè proponatur.*

Hoc Pauli & Photini dogma orbi Christiano postliminio videtur restituisse Faustus Socinus Senensis; contra quem unum adducam locum Novatiani, Romanæ Ecclesiæ presbyteri, lib. de Trinitate, quem scripsit anno C. 250. ante schisma, & reperitur inter opera Tertulliano asscripta: *Si homo*, inquit, *tantummodò Christus, quomodo adest ubique invocatus, cum hæc hominis natura non sit, sed Dei, üt adesse omni loco possit? Si homo tantummodò Christus, cur homo in orationibus mediator invocatur, cum invocatio hominis ad præstandam salutem inefficax judicetur? Si homo tantummodò Christus, cur spes in illum ponitur, cum spes in homine maledicta referatur? Si homo tantummodò Christus, cur secreta cordis conspicere dicitur? quomodo futura contingentia prædicit, quæ solius Dei sunt?* &c.

Quare his omnibus, quæ prædicta sunt, probè consideratis, ego quidem manendum judico in iis, quæ nos multis in locis docet Verbum Dei, & à doctâ & piâ Antiquitate tam diuturnâ & continuâ serie, tanquam per manus nobis tradita sunt. Et etiamsi novâ specie quædam grata nobis adblandiantur, non debemus esse nimis novaturientes, ut loquitur *Blondellus*, sed premere vestigia majorum, non autem sapere velle supra patres, Apostolis proximos, qui propiùs traduces eorum contigerunt, & quorum mens

 nondum

nondum fascinata erat, aut occupata prejudiciis humanis, precipuè, cum tam convenientia historiæ Euangelicæ loquantur. *Memor igitur dilectißime*, inquit Irenęus vir Apostolicus, adversus hæreses lib. 5. *quoniam carne Domini redemtus es & sanguine ejus, & tenens caput, ex quo universum corpus Ecclesiæ compaginatum augescit, hoc est carnalem adventum filii Dei, & Deum confitens & hominem eum firmiter excipiens, Vani tibi sint Ebionai, unitionem Dei & hominis per fidem non recipientes in animam suam. si enim nemo potest remittere peccata nisi solus Deus, remittebat autem hæc Dominus & curabat homines, manifestum est, quoniam ipse erat Verbum Dei, filius hominis factus, à Patre potestatem accipiens, quomodo homo & quomodo Deus: & quomodo homo compassus est nobis, quomodo Deus misereatur nostri & remittat nobis debita nostra, quæ factori nostro debemus Deo.* Et profectò minimè mirum est, inquit Grotius lib. de satisf. Christi, *si, qui Christo gloriam naturalem, hoc est veri nominis Deitatem, sustulerunt, iidem & officia ejusdem imminuunt, & beneficia ipsius præcipua recusant agnoscere. Tibi Domine Iesu ut vero Deo, ut vero redemptori, ut vero sacerdoti, ut veræ pro peccatis victimæ cum Patre & Spiritu uno tecum Deo, sit honos & gloria.*

Obiter hic pauca addam de auctoritate Papæ Romani in hoc Concilio Antiocheno, quia Illustrissimus Cardinalis ex sententia Imperatoris Aureliani de domo Episcopali Antiochię lata, Episcopo Romano jus primatus supra omnes alios Episcopos tribuere velle videtur, cum ait: *Vsque adeò innotuerat Romani Pontificis toto orbe potestas, ut & ethnicos non lateret, aliorum Episcoporum sententias eas esse ratas, quas auctoritas Romani Pontificis confirmasset.* Paulus à synodo condemnatus & abrogatus è domo Episcopali nolebat cedere Domno noviter in ipsius sedem & locum electo; *quare interpellatus Aurelianus*, inquit Eusebius, *convenientißimè decrevit, illis ejus locum adjudicari præcipiens, cum quibus Episcopi Italiæ & Romæ dogmate concordes essent.* sensus autem sententiæ Aureliani, quæ apud Eusebium non est satis dilucida, hic est: In hac quæstione de habitanda domo Episcopali, id debere esse ratum, quod Episcopi Italiæ & Episcopus Romæ, qui essent ejusdem doctrinæ decernerent: vel, illi tradendam domum Episcopalem, qui cum Episcopis Italiæ & Romæ ejusdem esset religionis, seu communionis. *Convenientißimè*, ut loquitur Eusebius, & prudentissimè judicavit Aurelianus in re sibi incognita, ablegando hanc controversiam ad Episcopos alterius

&

& remotæ provinciæ,& à partium ſtudio liberos, quemadmodum quondam Act. 18. 15. proconſul Achajæ Gallio, in contentione Pauli cum Iudæis, hiſce verbis: *Cum veſtra quæſtio ſit de ſermone & nominibus & veſtra te lege, vos ipſi videritis. Iudex enim ego horum nolo eſſe.* ſed ſi talis fuiſſet Epiſcopi Romani poteſtas,qualem illi tribuit magnus ille Annalium ſcriptor,ſoli Epiſcopo Romano deferendum fuiſſet judicium vel ſaltem præ cæteris nominandus Epiſcopis. Præterea animadvertendum primò, ad hoc concilium Antiochenum Epiſcopum Romanum non fuiſſe vocatum, ſed tantum Ægyptios, Orientales, Ponticos,& Aſianos Epiſcopos: ſecundò,in hiſce litteris communicatoriis nihil deferri auctoritati Epiſcopi Romani, ſupra reliquos Epiſcopos. Tertiò, non petere Patres hujus Concilii ſui decreti confirmationem ab Epiſcopo Romano; ſed tantum indicare, quemadmodum & cæteris, quid ab iis contra Paulum fuerit decretum. Vis dicam uno verbo? προεδρείας privilegium habuit Epiſcopus Romanus, ἐξουσίας necdum reperi:magnæ tamen ſemper fuit in univerſa Eccleſia auctoritatis, quæ aliquam adferre ſolet poteſtatem, quod manifeſtè docebunt acta authentica, quæ poſthac in ipſa hiſtoria frequenter occurrent. Dabo obiter limites Epiſcopatui ſeu diœceſi Romani Patriarchæ proprios: Italia tum temporis diviſa erat in duas regiones, quibus vicarii Præfecti prætorio præſidebant. Prima erat urbis Romæ, cui novem ſuberant provinciæ, nempe Campania, Tuſcia cum Umbria, Picenum cum regione Sabinorum, quæ poſtea ſeparata, conſtituit provinciam, nomine Valeriam, Samnium, Apulia cum Calabria, Lucania cum Brutiis, Sicilia, Sardinia, Corſica: altera erat Italiæ, cujus provintiæ ſeptem, erant Mediolano, tanquam ſedi Metropolitanæ, ſubjectæ, ut Liguria, Venetia, cui poſtea adjuncta Hiſtria, Æmilia, Flaminia aut Picenum annonarium, binæ Rhetiæ & Alpes Cottiæ. Dignitates autem civiles ſequebantur Eccleſiaſticæ. Et quemadmodum Imperator Aurelianus ablegabat hanc quæſtionem in Aſia ortam ad Epiſcopos Europæos, Ita 41 annis poſt Conſtantinus, litem in Africa motam inter Cæcilianum & Majoranum, Epiſcopatum Carthaginenſem ambientes, terminandam commiſit Epiſcopis Romæ & Mediolani, Miltiadi & Mirocli, ut eum loco Marci vocat *Blondellus*. vide an. 314.

Sext. Aurelius Victor. in Hadriano, & notitia Imperii.

A. C. 273. *Nona persecutio.* Aurelianus summâ crudelitate in Christianos grassatur, & innumerabiles facit Martyres, de quo sic Eusebius in Chronico: *Aurelianus cum adversus nos persecutionem movisset, fulmen juxta eum comitesque ruit: ac non multò post inter Constantinopolim & Heracleam in canophrurio via veteris occiditur.* Triumphavit Aurelianus de captâ Zenobiâ, Odenati viduâ, magnæ prudentiæ & constantiæ fœminâ, *quæ tam insolitæ fuit castitatis,* ut refert TrebelliusPollio in Augustâ historiâ de triginta Tyrannis, *ut ne virum sciret, nisi tentatis conceptionibus ac prægnantem factam, ab eo temperasse.* Doctissimus ille Longinus, βιβλιοθήκη ἔμψυχος dictus, Zenobiæ à consiliis, simul captus jussu Aureliani securi percussus est.

A. C. 275. Fœlix Episcopus Romanus moritur martyr, succedit Eutychianus.

A. C. 277. Manes hæresiarcha, natione Persa, & cum eo multa absurda, absona, obscæna, ne dicam stulta, prodeunt: quem Leo Magnus vocat *magistrum diabolicæ falsitatis, & obscænæ superstitionis conditorem.* Sed cum vocabulum Manes vicinum esset maniæ, stultitiæ & insaniæ discipuli eum vocaverunt Manichæum. Dicebat autem Manes se ipsum esse Spiritum Sanctum, & duo esse principia, unum, à quo omnia bona, alterum, à quo omnia mala: in creatione mundi bonum Deum & malum cuncta miscuisse: solem lunamque dicebat magnas esse naves, atque in eas animas mortuorum conjici & purgari: cœlos esse factos ex luctâ boni Dei & tenebrarum: adhæc malum Deum interdum corrumpere aëra, unde pestis oriretur: quandoque anxium esse atque sudare, sudorem autem esse pluviam: hominum, bestiarum, plantarum, & omnium viventium unam esse animam, & si quis de animante comedisset, post mortem in illud animal mutari: Vetus Testamentum rejiciebat, quod esset à principio malo. Abstinebat segetibus, & impium esse dicebat frumentum metere, molere, pinsere: quamobrem panem comesturus, hujusmodi preces dicebat: *O bone panis, non serui te, non messui, non molui, non pinsi, non clibano imposui, quare ego innocens sum.* Quod ad voluntatem attinet, statuebat in homine animam esse à bono Deo, carnem à malo Deo: proinde semper luctam esse inter animam & carnem. Libertatem arbitrii omnino tollebat, & dicebat voluntatem ex necessitate naturæ agere: Christum esse serpentem

tem

tem, qui primos parentes ſeduxerat, & qui aliquando ſub hujuſmodi perſonâ apparuiſſet: Eligebat Apoſtolos, quos in diverſas orbis partes ablegavit, ut Euangelium ſuum gentibus prædicarent. Propter has blaſphemias ubique ab Epiſcopis pulſus, in Perſiam rediit, ubi vivus excoriatus eſt. Et quamvis hæc ita eſſent, tamen multos ſuæ hæreſios habuit aſſeclas, & inter alios plus ſatis Auguſtinum. Vide *Euſeb. lib.* 7. *cap.* 30. *Epiphan. hæreſ.* 66. *& Auguſt. hæreſ.* 46. *& lib. contra Manichæos* & doctrinâ & vitâ turpes.

Fulmine territus Aurelianus occiditur, ſuccedit ex Senatus con- A. C. 278.
ſulto Tacitus.

Moritur Tacitus, ſuccedit lectus à militibus M. Aurelius Pro- A. C. 279.
bus, quem Senatus optarat, & populus Romanus acclamatione petierat. *Natalem Chriſti incidiſſe in annum Iulianum XLIII. ſtatuit Caſſiodorus, & quodammodo Epiphanius: è junioribus vero Scaliger & Baronius, quos alii magno numero ſequuntur: ſed hoc in iis eſt diſcriminis, quod Ioſ. Scaliger id conſtanter faciat: ſic ut judicaturus fuerit, quia æra vulgaris biennio minus dicit, hoc anno etiam biennio minus dici: id eſt annum hunc* 1642. *eſſe minimum annum* 44. *At Baronius, etſi Chriſtum biennio ante natum credat quam æra habet vulgaris: tamen annum hunc* 1642. *verè habiturus fuerit pro eo, qui dicitur. ut vero hæc* ἀσύστατα, pugnantia, *conciliaret, tale ſummus vir, & utcunque humanum aliquid non ſemel paſſus, præclarè tamen de Eccleſiæ temporibus meritus; commentum reperit. Vbi ad Probi Imperatoris tempora deventum, duo paria conſulum omiſit. Prius eſt M. Aurelii Probi Imperatoris III. & Furii Lupi: alterum eſt M. Aurelii Imperatoris IV. & Ælii Scorpionii. Itaque cum Probus annos imperarit ſex, ſolum ei tribuit quaternos. Quod ſi biennium ei reſtituatur, melius Baroniana ſibi ratio conſtabit.* Voſſius diſſertatione de Natali Chriſti anno cap. 11. vide de eodem Baronii errore aliiſque quamplurimis Calviſium, Iſagoges Chronologicæ cap. 47.

Probus à ſuis militibus interficitur, ſuccedit ab iiſdem electus A. C. 283.
Carus Imperator.

Eutychianus Epiſcopus Romanus moritur martyrio, ſuccedit A. C. 284.
Cajus.

Moritur Carus, & filius ejus Numerianus occiditur, & paulò poſt alter filius Carinus, uterque Imperator: fuit autem Carinus homo

mo turpis, arrogans, stolidus, unde senatus & militum in se concitavit odium: à quibus electus Imperator Diocletianus, in Dalmatia obscuro genere natus, sed militari fortitudine præstans, qui eò dementiæ pervenit elatus multis & magnis victoriis, ut adorari se jusserit, tanquam Deum, & Iovium se vocari voluerit.

Finis aurei in Ecclesia seculi. Hoc ferè tempore historiam suæ ætatis aggreditur Eusebius, quo cum propter quorundam Imperatorum benignitatem & benevolentiam summoperè floreret Ecclesia, ut Christiani non tantum plurima & publica sibi ædificarent templa, sed & Imperatoribus grati Rempublicam administrarent & in aulis Principum in pretio habiti cum auctoritate degerent, à solita cruce & persecutione liberi; At more populi Iudaici prosperitatem illam non ferentes, *per nimiam illam libertatem*, ut inquit Eusebius, *ad molliciem & segnitiem degenerarunt, & alii alios odio & contumeliis sunt prosecuti & tantum non nosipsos per nosipsos armis ac telis verborum, ubicunque contigit, impugnavimus, & episcopi in episcopos irruerunt, ac populi contra populos seditiones moverunt: deinde hypocrisis & simulatio ad summum usque malitia progressa fuit, divinum judicium, pro more suo, dum adhuc cœtus ecclesiastici congregarentur sensim ac pedetentim nos invisere cœpit, ita ut persecutio à fratribus, qui in militia erant, exordia sumeret. Cum autem nullo illius sensu tangeremur, neque Deum placatum nobis ac propitium reddere conaremur, sed quasi impii delicta nostra Deum nec curare, nec visitare putaremus, nequitias nostras alias aliis cumulavimus. Et qui pastores nostri videbantur repulsâ pietatis normâ, mutuis inter se contentionibus fuerunt inflamati: & dum hæc sola, contentiones videlicet, minas, æmulationem, mutuum odium & inimicitiam exaggerant, & ambitionem suam, quisque in morem tyrannidis, studiosè persequitur, tunc sanè Dominus, tunc, inquam, secundum vocem Hieremiæ, filiam Sion obscuram reddidit, & gloriam Israëlis cœlitus dejecit nec recordatus est scabelli pedum suorum in die iræ suæ. Et submersit Dominus omnia speciosa Israëlis*, &c.

Eusebius l. 8. c. 1.

A. C. 286. Diocletianus, Maximinianum dictum posteaHerculium Sirmio in Pannonia oriundum collegamImperii eligit: qui instituunt persecutionem decimam & sævissimam & maximè diuturnam, *quæ per decem annos plebem Dei*, ut inquit Severus, *depopulata est. Quâ tempestate omnis ferè sacro martyrum cruore orbis infectus est: quippe certatim gloriosa in certa-*

Persecutio decima. Onuphrio decima est ea, quæ ab Arrianis adversus Or-

certamina ruebatur, multòque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est: neque unquam majore triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus. Vides ut conquestus sit Eusebius, & conqueratur de Ecclesiasticorum sui temporis turpibus & ambitiosis moribus Sulpitius, sed ubi videbis secula aliquot Sulpitiū sequentia, attonitus admiraberis, & flebis fœdam & luridā Ecclesiæ faciem, lacerata & discerpta membra, truncū corpus.

tho doxis est instituta. Sulpitius lib. 2. & Lactantius de justitiâ lib. 5. cap. 11.

Inter infinitos sub Diocletiano martyres, etiam fuit S. Sebastianus, qui ubi captus esset, ducitur in campum vinctus, ibique confixus est sagittis militum. Addit Baronius in ejus corpore ita fixas fuisse sagittas, tanquam in erinaceo spinas, atque etiam tum vivum inventum esse, cum ad eum accederent. Alii dicunt eum revixisse, & post sanitati restitutum esse. sed hęc nec ab Eusebio, nec Hieronymo referuntur. Sophronia, & Pelagia Antiochena, ne violarentur seipsas interfecerunt. diversæ virgines se in fluvios præcipitarunt, ut stuprum evitarent: nam Romanis legibus non licebat virginem capitis supplicio afficere, quare antea aut à tortore, aut quopiam alio constuprabantur. Quæritur utrum illæ sint inter martyres referendæ, cum ob stuprū nulla sit impudica, si non consentiat. Respondetur, ut de Samsone, hoc factum esse instinctu Spiritus sancti. Addam unam ex Nicephoro historiam, quâ narrat Euphrasiam, virginem pudicissimam, in carcerem conjectam tempore Diocletianæ persecutionis, quæ cum postea in lupanar deduceretur, & appositus ei esset juvenis vegetus, qui illam vitiaret, non parum exhorruit; sed fraudem excogitavit virgo, dicens juveni: Tu mihi quidem jam es appositus, non ut me utaris, sed ut abutaris: noli me vitiare, & te docebo artem tibi utilissimam. Unguentum habeo, quo ubi te inunges, non poterit gladius corpus penetrare. Ille diffidere virgini, quare virgo sibi collum inunxit, dicens juveni: Age experire in meo capite: quod ille faciens, eam decollavit, & sic per illam fraudem à stupro se liberavit Euphrasia. sed est ille Nicephorus insignis fabularum promuscondus.

Cum religioni Christianæ plurimum suis persecutionibus Imperatores, & suis scriptis obessent Philosophi, ex medio inimicorum suorum excitavit Deus Arnobium Rhetorem, na-

natione Afrum, qui constantiâ martyrum motus, & factus Christianus eam contra reliquos Philosophos animosè defendit, ut & postea fecit Lactantius, Arnobii discipulus, Crispi filii Constantini Imperatoris magister. Arnobius adhuc catechumenus, atque adeò nondum in fide plenè instructus, eruditè tamen septem scripsit libros adversus errores gentium. Peritus fuit confutator impietatis paganæ, sed excusandus si interdum in fide Christianâ cespitet, adhuc unus in subselliis auditorum catecheseos Christianæ, ut loquitur *Gifanius in Arnobium*. Lactantius, à lacteo dicendi genere sic dictus, & primus Italus, scripsit septem libros Institutionum adversus gentes, item librum de irâ Dei, & lib. de opificio Dei, & epitomen in libros suos. Superavit ille elegantiâ & suavitate orationis suum præceptorem.

A. C. 292. *Eusebius in Chronico.* Constantius Chorus & Galerius Maximinianus Cæsares assumuntur in regnum, quorum Constantius Claudii Imperatoris ex filia nepos fuisse traditur, ut inquit *Eutropius*: sed erat, ut diximus, Crispi, fratris Claudii, ex filiâ nepos. Galerius in Daciâ natus erat: atque ut eos etiam affinitate conjungeret Maximinianus, Constantio Theodoram privignam suam uxorem dedit, ex qua postea diversos liberos, Constantini M. fratres & sorores, procreavit: Galerius Valeriam Diocletiani filiam duxit: ambo uxores quas habuerant repudiare compulsi.

A. C. 296. Moritur martyrio Cajus Episcopus Romanus, succedit Marcellinus.

A. C. 297. *Cyrillus in locum Ioan. de gladio Petri.* Thebæa legio, imperante Diocletiano, à Zabda tricesimo Hierosolymorum Episcopo Christianam religionem docta, ut acta nos docent, militibus constabat sexies mille, sexcentis sexaginta sex Christianis omnibus: qui cum Maximinianus Cæsar apud Octodurum exercitum compelleret sacra Diis falsis facere, primum Agavum iter arripuerunt: & cum eò misisset Imperator, qui eos ad sacrificandum venire juberet, ipsique id se facturos negassent; Maximinianus decimum quemque jussit interfici per apparitores, qui nemine repugnante facilè imperium sunt executi. Mauritius ejus legionis primicerius, à quo Agavum vicus Mauritii dictus est postea narrante Eucherio Episcopo Lugdunensi, eo tempore commilito-

militones sic allocutus legitur: *Quam timui, ne quisquam, quod armatis facile est, specie defensionis beatissimis funeribus manus obviam afferre tentaret! jam mihi ad hujus rei interdictum Christi nostri parabatur exemplum, qui exemptum vaginâ Apostoli gladium propriæ vocis jussione recondidit: docens majorem armis omnibus Christianæ confidentiæ esse virtutem, ne quisquam mortali operi mortalibus dextris obsisteret, quinimo cœpti operis fidem perenni religione compleret.* Cum hoc supplicio peracto Imperator superstitibus eadem quæ ante præciperet; sic omnes respondent: *Milites quidem, Cæsar, tui sumus, & ad defensionem Reipublicæ Romanæ arma suscepimus: nec unquam aut desertores bellorum, aut proditores militiæ fuimus, aut ignavæ formidinis meruimus subire flagitium. Tuis etiam obtemperaremus præceptis, nisi, instituti legibus Christianis, dæmonum cultus, & aras semper pollutas sanguine vitaremus. Comperimus præcepisse te, ut aut sacrilegiis pollueres Christianos, aut de denis interfectis nos velles terrere. Non inquiras longius latitantes: nos omnes Christianos esse cognosce; habebis potestati tuæ subdita omnium corpora: auctorem vero suum respicientes Christum, animas non tenebis.* Tum Exuperius legionis signifer sic eam legionem allocutus ibidem narratur: *Tenere me, Commilitones optimi, secularium quidem bellorum signa perspicitis: sed non ad hæc arma provoco, non ad hæc bella animos vestros virtutemque compello. Aliud vobis genus eligendum est præliorum, non per hos gladios potestis ad cœlestia properare:* Deinde Imperatori hæc nuntiari jubet: *Non nos adversum te, Imperator, armavit ipsa, quæ fortissima in periculis est, desperatio. Tenemus ecce arma, & non resistemus, quia mori magis quam vincere volumus, & innocentes interire, quam noxii vivere præoptamus.* & postea: *Tela projicimus, exarmatas quidem dextras satelles tuus, sed armatum fide Catholicâ pectus inveniet.* Sequitur post hæc à toto exercitu jussu Imperatoris laniena hujus legionis, in non repugnantes. In veteri Martyrologio res eadem sic narratur: *Cædebantur itaque passim gladiis non reclamantes, sed & depositis armis cervices persecutoribus, vel intectum corpus offerentes, non vel ipsâ suorum multitudine, non armorum motione elati sunt, ut ferro conarentur asserere justitiæ caussam, sed hoc solum reminiscentes, se illum confiteri, qui nec reclamando ad occisionem ductus est, & tanquam agnus non aperuit os suum, ipsi quoque tanquam grex dominicarum ovium laniari se*

tanquam ab irruentibus lupis paßi sunt, &c. Grotius de jure belli & pacis lib. 1. cap. 4. Quis hominum sacræ & priscæ historiæ ignarus sibi hodie imaginari poterit unquam hujusmodi fuisse ecclesiam, cum hoc tempore inter Christianos, tam frequentia & tam crudelia gerantur bella? cum ministri Dei sint belli præcones, & prædicent Euangelium armatum? Diversa erant à diversis Imperatoribus in Christianorum gratiam promulgata edicta, non tamen ob crudelissimas persecutiones à Christianis itum est ad arma, quibus jus suum tot edictis quæsitum sibi assererent aut vindicarent: non certè; *Non quia bello non essent apti: nam Imperatoribus militabant, ut vidimus, & libenter trucidabantur: non quia essent impares copiis: nam omnia implebant, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum*: ut loquitur Tertullianus. *quamvis nimius & copiosus noster populus*, inquit Cyprianus, *non tamen adversus violentiam se ulciscitur, patitur*: quia dictum à Deo meminerant, in omni obsequio esse oportere subditos magistratibus, & principibus & potestatibus, etiam Ethnicis, quales hi erant, & multò magis ergò Christianis, quamvis heterodoxis. At fortè inquies, deërant duces: Nihil minus. Quot enim Cassii, quot Nigri, quot Albini, quot alii multi scelestissimi parricidæ, qui tam libenter de novo Cæsare cogitantes, Christianos suarum esse partium vel magno redemissent? Christiani verò contra, si fuit bellum, partes suas passi non sunt desiderari à Principibus; nec vel morte ipsà ab hoc tam sano proposito flecti potuerunt. Vide quæ referuntur ab Eusebio in Chronicis imperante Adriano: *Cochebas dux Iudaicæ factionis nolentes sibi Christianos adversus Romanum militem ferre subsidium, omnimodis cruciatibus necat*. Hæc nimirum erat illorum temporum disciplina, hæc Christianorum vita. Nunc autem alia est ætas, & alii etiam mores.

Audiamus de hac decennali & decimâ persecutione eundem Eusebium histor. lib. 8. cap. 9. qui post templa Christianorum ad pavimentum diruta, post libros sacros combustos, post occisos variis tormentis utriusque sexus infinitos martyres, post narrata innumera sævissimorum suppliciorum genera, *Vidimus*, inquit, *& ipsi locis illis constituti, complures uno die cumulatim, alios capitis truncationem,*

tionem, alios ignis supplicium perpeti, ita ut lictor gladium suum hebetaret, laborandoque deficeret, ac delassati occisores sibi invicem succederent, quando etiam praeclarissimam alacritatem, ac reverà divinam virtutem animique promptitudinem eorum, qui in Christum Dei crediderant vidimus. Etenim mox atque in praecedentes esset lata sententià, assiliebant aliunde alii ad ipsum judicii tribunal, seque ipsos esse Christianos confitentes, nec ullam acerborum ac variorum tormentorum curam habentes, sed animo infracto, pietate erga Deum confisi, cum gaudio risuque ac hilaritate extremam mortis sententiam suscipiebant, ita ut psallerent, hymnosque & gratiarum actiones omnium Deo ad ultimam usque spiritus exhalationem destinarent. Erant quidem isti quoque admirandi, verum illi praecipuè digni erant admiratione, qui cum opibus, nobilitate, gloriâ, eloquentiâ, & philosophiâ illustres essent, nibilo tamen secius cuncta haec verae pietati ac fidei in Servatorem Dominum nostrum Iesum Christum postponebant, &c. Liceat hic mihi exclamare, *O pietas, ô prisca fides!*

Tomo primo Conciliorum edito per Petrum Crabbe & per Severinum Binium dicitur Marcellinus Episcopus Romanus instinctu Diocletiani Imperatoris idolis sacrificasse, & postea pœnitentià ductus in cilicio & cinere venisse Sinuessam ad Synodum Episcoporum, ubi proprio judicio damnatus, primus suâ manu suum anathema scripsit. Idem habet liber Pontificalis, falsò Damaso adscriptus, Marianus Scotus, Platina & alii, nempe de lapsu Marcellini in offerendo Diis gentilibus thus. Sed acta illa, quamvis triplici editione excusa, sunt tantoperè mendosa & depravata, ut incertum de iis sit judicium. Baronius dubitat & anceps haeret, *non*, inquit, *ut lapsum Romanorum Pontificum, si verè contigisset, quovis praetextu (quod à liberalis historici candore procul abhorret) sive in Marcellino, sive in aliis pontificibus Romanis, excusandum sumamus. Quantumlibet enim consenserimus id accidisse, nihil est tamen quod praejudicium adferat Catholicae veritati: Quid enim, inquit Tertullianus, si Episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus à regulâ fuerit, ideo hereses veritatem obtinuêre?* &c. Verè Baronius, quem vide, ut & locum Augustini de unico baptismo contra Petilian. cap. 16. cum à Petiliano Donatista haec de Marcellino S. Augustino objicerentur, respondit; *facilius hac dici, quam probari, & utcunque hoc evicisset, nos aliorum bonitate* A. C. 302.

non coronamur, nec aliorum iniquitate laboramus. Nec id mirum in Marcellino, cum, & S. Petrus Princeps Apostolorum ter negaverit Christum, & Marcellinus suum errorem agnoverit, & cum Petro non tantum amarè fleverit, sed & mortem pro Christo constanter etiam appetierit? *Vide Platinam.*

A. C. 303. Immanissima per universum orbem Romanum hoc anno fuit persecutio; quemadmodum in Oriente, Palæstina, Ægypto, Africa, sic & in Italia, Hispania, Gallia, Britannia, & omnibus insulis Romano imperio subditis. Templa Christianorum eversa, Euangelia tradita, & à præsidibus provinciarum combusta sunt, unde traditores in Africa, Numidia, &c. & schisma Donatistarum non parum corroboratum &c. Vide *Eusebium*, qui est oculatus testis. Ubi videre licet sævissimam hanc decennalem persecutionem Diocletiani & Maximiniani Imperatorum, hujus in Occidente, istius in Oriente] exactè descriptam, ubi miraberis tam invictam martyrum constantiam, quam inauditam hostium crudelitatem, & stupendam bestiarum erga sanctos mansuetudinem. Ubi jure meritòque dici posset, ô bruta non bruta, & brutos homines! *Etiam hoc ingemiscimus*, inquit Sulpitius, *quod majestatem Christi feræ sentiunt, homines non verentur.* Hanc autem calamitatem, ut verbis Platinæ utar in vita Marcellini, *quam nostri passi sunt, à Deo permissam refert Eusebius, propter corruptos nimiâ libertate & indulgentiâ Christianorum mores: maximè vero Ecclesiasticorum, quorum perversitatem divina justitia frenare hâc persecutionè instituit, dum simulationem in vultu, dolum in corde, fallaciam in eorum verbis cerneret. Hi enim livore, superbiâ, inimicitiis, odiis inter se certantes, tyrannidem potius, quam sacerdotium sapere videbantur, Christianæ pietatis omnino obliti, ac divina mysteria prophanantes potius, quam celebrantes. Sed quid futurum,* pergit Platina, *nostrâ ætate arbitramur? quâ vitia nostra concrevêre, ut vix apud Deum misericordia nobis locum reliquerint. Quanta sit avaritia sacerdotum, & eorum maximè, qui rerum potiuntur, quanta libido undique conquisita, quanta ambitio & pompa, quanta superbia & desidia, quanta ignoratio tum sui ipsius, tum doctrinæ Christianæ, quam parva religio & simulata potius, quam vera, quam corrupti mores, vel in prophanis quoque hominibus (quos seculares vocant) detestandi, non attinet dicere, cum ipsi* ita

Euseb. toto fere lib. 8. histor. Eccl.

Euseb. lib. 8.

ita apertè & palam peccent, ac si inde laudem quærerent. Veniet (mihi credite, & utinam sim falsus vates) veniet Turcus hostis Christiani nominis, Diocletiano & Maximiniano violentior, Italiæ claustra jam pulsat; nos desides & somniculosi interitum communem expectamus, voluptati privatæ potius, quam communi utilitati consulentes. Hactenus Platina de sui temporis moribus.

Baronius multa præcedente anno attulit contra sacrificium à Marcellino idolis factum; jam verò plura adducit, quibus Actorum de condemnatione Marcellini fidem labefactare conatur. Ego, ut verum fatear, mendosa & depravata non nego, sed cum tres producant Petrus Crabbe & Binius editiones, & quartam Cresconianam Baronius ipse, non omninò falsa, & ab omni veritate aliena æstimare audeo, nec omnino vera, cum illius concilii non meminerit Eusebius, nec Ruffinus, nec Hieronymus, nec Socrates, Theodoretus, Sozomenus, &c.

Fusis per Galerium Maximinianum Cæsarem Persarum copiis, Narseo Rege cum conjuge liberisque capto, magnificus ab utroque Imperatore Romæ celebratus est triumphus. *Eutropius.* Quo facto uterque uno die, privato habitu, imperii insigne mutavit: Nicomediæ Diocletianus, Maximinianus Mediolani, sed ille sponte, sive ingravescente jam ætate fatiscens, sive Christianæ rei, cui par opprimendæ non erat, tædio fractus, Salonas in hortos secessit: Maximinianus auctoritate magis collegæ, quam voluntate, idem ut faceret adductus est. Eodem tempore renuntiantur Augusti Constantius Chlorus à Maximiniano & Galerius Maximinianus Armentarius à Dicletiano; Galerius creavit Cæsares Severum & Maximinum, sorore Galerii genitos, & paulò ante mortem Licinium. A. C. 304.

Marcellinus Episcopus Romanus martyrio moritur, succedit Marcellus. A. C. 306.

Constantius Chlorus moritur Eboraci in Britanniâ, qui biennio tantum, ut plerisque placet, Augustâ dignitate potitus est. Miti ac civili fuit ingenio, planèque liberali; qui neque contra Christianos quæstionem haberi passus est, & quos ejus professionis in comitatu suo esse sciret, cæteris antetulit. Persecutione ex edicto Imperatorum durante, Constantius, ut idem facere velle videretur, jubet,

bet, ut, qui in regiâ ipsi inserviebant, idolis sacrificarent, aut aulâ, omnibus dignitatibus privati, excederent: quo facto, aliis dimissis, eos, qui honores relinquere malebant quam religionem, revocavit. *Quomodo enim*, inquit, *illi fidem erga Imperatorem servare poterunt inviolatam, qui adversus Deum suum perfidi esse manifestè convincuntur?* hos verò majori benevolentiâ complexus est, *multòque pluris quam æraria copioso auro referta* meritò æstimandos judicavit. *Euseb. lib.* 1. *de vit. Constant. c.* 11. *& in Chronico*, *Orosius lib.* 7. *cap.* 23.

Constantinus Diocletiani & Galerii Maximiani insidias veritus, & velocissimè fugiens, in Britanniam venit, & fortè eodem tempore ibidem Constantium patrem fata ultima perurgebant, *ut loquitur Victor.* Postquam autem filium ex insperato adesse vidit, exiliens ex cubili illum amplexus est, *ut loquitur Eusebius lib.* 1. *cap.* 12. 13. 14. & paulò post Eboraci in Britanniâ diem extremum clausit. *Socrates lib.* 1. *cap.* 1. Succedit Patri per exercitum appellatione Cæsaris Constantinus, qui Augusti nomen sequenti anno à Maximiniano Herculio socero suscepit, primus Imperatorum Christianus. *Eusebius, & alii. Hier. Chronic. Zosim. lib.* 2. *Oros. lib.* 7. *c.* 25. &c. Matrem habuit Helenam Bithynam, *Baronio* Britannam, quam concubinam plerique fuisse dicunt: *Ambrosius* stabulariam, alii legitimam, sed obscuriore loco natam conjugem. *Seldeno* ex Iosepho Ægyptio est Edessena seu Rheaviensis, & legitima uxor; & fortè prior Constantii conjux, quam ob Theodoram repudiare à Maximiniano cogebatur, ut vult *Calvisius*. Fabulam seu commentum Nicephori de natali Constantini, ut & alias nugas omittimus. At Romæ, ubi Constantini allatæ sunt imagines, Maxentius Herculii filius à Prætorianis militibus subitò Imperator acclamatus est, qui initio populi demerendi gratiâ Christianis favere visus est, sed mox ad omne crudelitatis & flagitii genus, tanquam sus ad volutabrum, rediit. *Euseb. lib.* 8. *cap.* 26.

Optatus lib 1. *Aug* 3. *contra Parmen. &c.* Hoc ferè tempore schisma Donatistarum hâc occasione nascitur in Africâ: Lucilla fuit Carthagine Hispana, mulier præpotens & factiosa, quæ à Cæciliano archidiacono reprehensa, ulciscendi sui occasionem captabat. fortè accidit ut Mensurius Carthaginensis Episcopus à Maxentio Romam evocatus, senioribus quibusdam

vasa

vasa Ecclesiæ commendaret. Quo mortuo, Cæcilianus in ejus locum ordinatus est à Felice Aprungitano Episcopo (electio autem fuerat populi & cleri.) & Traditore, ut illi objiciebant Donatistæ: traditores autem dicti sunt, qui scripturas tradiderant comburendas persecutoribus, ut diximus. Ea res pessimè habuit Botrum & Cælesium, qui Episcopatum ambierant, & præterea presbyteros, quod ab iis reposceret Cæcilianus aurum & argentum, eorum fidei à Mensurio commissum: cujus indicem scedulam (brevem commonitorium vocat Optatus) ab anicula, cui ad servandum dederat Mensurius, acceperat Cæcilianus. Atque ita (ut iterum Optati verba retineam) *schisma confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit.* Nam presbyteris se conjunxit Lucilla, & simul communionem Cæciliani aversati sunt. Ab hisce confictum est crimen, quasi Cæcilianus foret vitio creatus. scriptum igitur ad primatem Numidiæ, ut Carthaginem Concilium indiceretur. Venit eo turba Episcoporum Traditorum fermè 70, exceptaque non à Catholicis, sed qui partibus studerent adversis. Accusatus inde Cæcilianus, quod vel Traditor foret, vel à Traditore esset constitutus: præterea quod vetuisset Diaconos cibum adferre martyribus carcere conclusis. Eo in Concilio Traditores, uti antè in Cirtensi synodo, denuò sibi mutuò ignoscunt, ac Cæcilianum absentem, quasi accusasse foret satis, condemnare non verentur: alterumque adversus eum renunciant Episcopum Majorinum, Lucillæ domesticum, qui in diaconio Cæciliani fuerat. Ita tum Carthagine altare contra altare est erectum: ac *pars* ea *Majorini* dicta est. postea autem teste Augustino epist. 68. eadem *Donatistarum* nomen accepit à Donato, qui Majorino successit, viro facundo, magnæque inter suos auctoritatis. Nisi potius id nomen fecit Donatus Numida à Casis nigris, Lucillæ domesticus, à quo Majorinus Episcopus Carthaginensis ordinatus est, quod postea scripsit Augustinus, atque ut verius etiam amplectitur Baronius. Mihi prior magis opinio probatur; partim quoniam ita sensit Optatus lib. 3, partim quia nec ostendi possit, Donatum à Casis nigris fuisse ducem factionis. Est quidem ille adversatus Cæciliano: sed tanti habitum, ut ab eo nomen sumeret factio, id neque ex Optato intelligas, neque item *Optatus pag. 58. edit. Commel.*

Auguſtino, nec actis Proconſularibus, quæ apud Baronium leguntur. At, inquit Baronius, parum eſt veriſimile, prius hanc factionem caruiſſe nomine; nec niſi Majorino defuncto, à Donato accepiſſe nomen. Quæ bellè dicerentur, niſi ante Donatum Epiſcopum vocata eſſet, *pars Majorini.* Etiam pro ſe adducit Baronius verba illa Theodoreti lib. 3. hæret. fabularum: *Lucilla adverſus eum concitavit Donatum.* Verum eſt ea ἀνιστορησία Theodoreti: qui abſque dubio non illum à Caſis Nigris, ſed Carthaginenſem intellexit Donatum: de altero autem fortaſſe nec inaudierat quicquam. *Voſſius.*

A. C. 307. A. C. 308. Plurimum ſævitur in Chriſtianos, & inter eos etiam in Pamphilum presbyterum Cæſarienſem, virum egregium, Euſebii Epiſcopi Cæſarienſis neceſſarium, ita ut inde dictus ſit Euſebius Pamphili: hic ante Euſebium Apologeticum ſcripſit pro Origine &c. Vide Euſeb. lib. 7. cap. 31. & Hieronymum in Pamphilo.

Donatiſtæ in Africâ Concilium colligunt Epiſcoporum 270. contra Cæcilianum. Mirare numerum.

A. C. 309. Marcellus Epiſcopus Romanus martyr moritur. ſuccedit Euſebius.

A. C. 311. Annus eſt perſecutionis decimæ ſub Diocletiano cæteris Imperatoribus decimus & poſtremus; quo inter alios martyrio periit Lucianus Preſbyter Antiochenus: qui etiam apologiam pro Chriſtianis ſcripſit. propter continentiam vitæ & ſacrarum ſcripturarum doctrinam laudatus. Vide Hieron. de Script. Eccleſ. in Luciano. Hæc idem de eodem epiſt. 107. & Apolog. adverſus Ruffinum. *Erat in Oriente triplex ſacra ſcriptura editio. Alexandria*, inquit, *& Ægyptus in ſeptuaginta ſuis Heſychium laudat auctorem: Conſtantinopolis uſque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat: Media inter has provinciæ Palæſtinos codices legunt, quos ab Origine elaboratos Euſebius & Pamphilus vulgaverunt: totuſque orbis hâc inter ſe trifariâ variatione compugnat.* Idem epiſt. 135. Harum trium vulgatam atque communem, κοινὴν, dictam, eſſe Palæſtinam editionem affirmat.

Euſebius l. 9. c. 6.

Euſebius Epiſcopus Romanus moritur: ſuccedit Melchiades, ſed hoc tempore aut ſcriptorum inopiâ, aut injuriâ temporum aut jacturâ librorum omnia Romanornm Epiſcoporum acta ſunt incerta. *Baron.*

Cum

Cum Maxentius filius Maximiniani immani tyrannide Romam vexaret, de liberandâ Urbe cogitat Constantinus, jam Augustus factus ab Herculio Maximiniano: qui pulsus Româ à Maxentio filio ob insidias ad Constantinum in Gallias fugerat, ubi simul Faustam filiam Constantino in matrimonium dedit: sed cum sub fœdere conjugii Maximinianus etiam adversus Constantinum generum nefaria moliretur, re per Faustam ejus filiam, Constantini uxorem detectâ, Massiliam fugiens, morte pœnas ibi perfidiæ luit. *Victor, Eusebius in Chronico, & hist. Eccles. lib.* 8. *c.* 14. *Eutropius*, &c. A. C. 312.

Constantinus jam Imperator, in Galliis hactenus commoratus, dum bellum parat, etiam de eligendo Deo deliberat. Et cum mens ejusmodi cogitationibus occupatur, vidisse Constantinum scribit Eusebius paulò post meridiem in cœlo signum crucis, ex lucis splendore formatum, soli imminens, cum horum verborum inscriptione: IN HOC VINCE; idemque ab omni exercitu conspectum, (literas fuisse aureas apud Surium dicit Artemius, Romanas seu Latinas Philostorgius Eccles. hist. lib. 1.) & postea dormienti Constantino apparuisse Christum cum eodem signo, & monuisse ut eo tanquam præsidio in præliis uteretur. Et addit Eusebius, se hæc juramento confirmata ex ore Constantini Imperatoris audivisse, & postmodum labarum, quod erat signum castrense universi exercitus, cui nomen Christi inscripserat, & signa militaria, & omnia arma signo crucis fuisse ornata. *Eusebius de vita Constantini l.* 1. *c.* 22. 23. 24. 25. 26. *& l.* 2. *c.* 7. 8. 9. 21. 22. *& histor. Eccles. l.* 9. *c.* 9. *Socrat. lib.* 1. *c.* 1. *Sozomen. l.* 1. *c.* 1. *Sozomen. l.* 1. *c.* 3. *cujus tamen non meminerunt scriptores gentiles, ut rectè observavit Baronius. Vide Iac. Gothofredum ad Philostorgium.*

Mirabitur fortè quispiam tam frequentem & publicum signi crucis usum in primitivâ Ecclesiâ; sed idem sciat, familiare hoc tum temporis fuisse & signo crucis facta sæpe miracula, & pulsos dæmones: non quod virtuti signi crucis ea tribuerint; sed dum in nomine Christi crucibus usi sunt, aut se signarunt, opem à Christo petierunt, facto crucis signo. Audiamus præter alios Cyrillum Hierosolym. catechef. 13. *Non pudeat vos*, inquit, *crucifixum confiteri, & in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur, & in panibus comedendis & in poculis bibendis, & in egressu & in ingressu, ante somnum*

recumbendo, & surgendo, eundo & quiescendo, magna hæc est custodia: quæ propter pauperes gratis data, sine labore propter infirmos, cum à Deo sit hæc gratia, & timor Dæmonum: triumphavit enim de illo hoc signo. Ostenta illi audacter: quando enim viderint crucem, recordantur crucifixi: metuunt enim eum, qui contrivit caput draconis. hæc Cyrillus. Quare Exercit. 13. cap. 33. sic loquitur Casaubonus, vir priscæ antiquitatis peritissimus: *Scimus veterem Ecclesiam & in vita communis usu & in ritibus sacris, multum usum esse venerabili illo signo, sed ut piâ ceremoniâ, quæ orationi adjecta animos fidelium ad Christi crucem,* & à cruce ad crucifixum, ut loquitur Cyrillus, *eveheret, non materiæ alicui terrenæ, aut figuræ, aut gestui affigeret. Hoc sensu sanctissimi & prudentissimi illi Antistites, qui Ecclesiæ in Angliâ in reformationis negotio præfuerunt, & in publicis locis passi sunt cruces remanere, & in nonnullis etiam ritibus sacris retinuerunt, ut in baptismo.* Vide annum C. 201.

Post diversas in suâ expeditione & itinere victorias, post debellatos prope Veronam Maxentii duces, pugnat Constantinus prope Romam cum ipso Maxentio; qui in fugam actus cum equitatu ad Pontem Tiberis Mulvium contendit: cum vero pons vim oneris ferre non posset, rumpitur, & sic cum reliqua multitudine Maxentius præceps in flumine exstinguitur. Caput ejus Romæ ac per Africam circumlatum est, ut *Nazarius in panegyrico narrat, Zosimus lib. 3.* Ex eo etiam mutatum est sacramentum militare in eam formam, quæ exstat apud Vegetium: *Per Deum, & Christum, & Spiritum sanctum, & majestatem Imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda & colenda est.* Grotius de jure belli & pacis. Hæc contigerunt 24. Sept. anno septimo Constantini, quando etiam inchoatur prima Indictio, quæ vocatur Cæsarea, si à Septembri incipiat; Romana vero incipit à Calendis Ianuariis sequentibus. Cæterum cur instituta sit Indictio, diversæ à diversis adducuntur caussæ. Aliam adfert *Onuphrius*, aliam *Scaliger*, aliam *Baronius*. Alii vero hoc anno & die Indictionem institutam volunt: quod hoc die Maxentius victus sit, & statim post victoriam Constantinus libertatem Christianæ religioni & Ecclesiæ dederit, ut sit quasi æra liberatæ à persecutionibus Ecclesiæ. *Calvisius. Indictionum originem,* inquit Petavius, *vulgò Constantini ætate prodiisse putant, ejusque anno 6,*

Christi

Christi 312, sed ego, qui sic sentiunt, divinare eos arbitror, nam nullum idoneum nec satis antiquum citant auctorem.

Constantinus ædes in Laterano, & à Laterano constructas Melchiadi Episcopo Romano donat. *Baronius.*

Constantinus Imperator fit summus Pontifex. Summi pontificatus auctoritas erat supra Consules: quippe qui posset comitia, ne fierent religionis intuitu prohibere, factaque reddere irrita, decretis à Senatu intercedere, eademque intercidere; fierentne bella, ex ejus arbitrio pendere, cujus quoque jussu Consules se abdicarent. *Cicero de naturâ Deorum lib. 2. & de legib. l. 2. Valer. l. 4. c. 2. & 3. Tacit. de morib. german.*

Munus Pontificis Maximi erat dignitas Imperatori propria: quam primus recusavit Gratianus Imperator, eumque imitatus est Theodosius. *Zosimus lib 4.*

Promulgatur nomine Constantini & Licinii Imperatorum Edictum, quo tam Christianis quam gentilibus libertas religionis conceditur. *Euseb. lib. 10. cap. 5.* A. C. 313.

Post crudelissimas & diuturnas diversorum Imperatorum adversus Christianos persecutiones, primus Imperatorum Romanorum Christianam religionem amplectitur Constantinus, & ab eo tempore nova Ecclesiæ facies apparuit. Nam antiquatâ, quæ eò usque duraverat, Ecclesiastici regiminis formâ, Aristocraticus & Democraticus, saltem ex parte, Ecclesiæ status, paulatim in Aristocraticum sub Exarcho, Ephoro, aut rectore Constantino, aliisque Imperatoribus mutatus est, postea in Monarchicum abiturus. Ex præcedentibus scriptorum, & præcipuè sanctissimi martyris Cypriani verbis unusquisque Ecclesiastici regiminis formam tum temporis usitatam observare & scire potest, ita ut nec à Clericis solis res Ecclesiæ sint gubernatæ, nec etiam per assessorum Laicorum collegium annuum aut biennale, quos hodie seniores vocant, sed per Episcopos, presbyteros, diaconos, & plebem, aut loco plebis per ejusdem Ecclesiæ seniores, id est, natu majores (qui Laïci synodorum actis etiam subscribebant hoc modo, *Consentiens subscripsi*) sed sine certo, ut diximus, collegio. Animadversione dignum est, primitivæ Ecclesiæ Christianos, ut in multis, sic etiam in formâ regi- *Regimen Veteris Ecclesiæ.*

minis secutos fuisse morem Iudæorum, apud quos præcipuus magistratus constabat ex collegio septuaginta Senatorum, quod synedrium vocabant, lectum ex Sacerdotibus præcipuis, & πρεσβυτέροις τοῦ λαοῦ, id est, senioribus seu principibus populi: sed ut majorem videas similitudinem Ecclesiæ Iudaicæ & Christianæ, Rex erat unus in populo Iudaicò, & unus erat rex Christus inter Christianos: in populo Iudaico duodecim fuerant Patriarchæ, & totidem erant Phylarchæ, quorum singuli singularum tribuum erant judices, totidem etiam habuit Apostolos Christus: Senatores magni synedrii erant septuaginta, totidem Euangelistas, id est, Euangelii prædica-
Luca 10. 1. tores, ab Apostolis secundos, & Christi discipulos, ad regnum suum stabiliendum constituit Christus: Tertia dignitas apud Iudæos erat judicum urbanorum, qui Græcè dicebantur πρεσβύτεροι τῶν πόλεων, apud Christianos presbyteri aut Seniores sequuntur Apostolos & Euangelistas: sic habuerunt & suos Episcopos, & Diaconos, & Hebræa, & Christi Ecclesia. Presbyteri verò inter Christianos diceban-
Act. 1. 20. tur & Episcopi id est inspectores, & pastores, ad pascendam Dei Ecclesiam, quos sanctus Petrus appellabat συμπρεσβυτέρους, id est, conseniores. Ex senioribus seu ex presbyteris præcipuus postea electus est in ejusdem Ecclesiæ Episcopum, qui à presbyteris solâ ordinatione differebat, ut sæpe affimat B. Hieronymus. Dia-
Act. 6. coni autem, qui septem ex discipulis Christi per multitudinem electi, ut ministrarent mensis, panem & vinum, προσφοράς, id est oblationes populi Christiani in Sacrario, aut Gazophylacio, seu Diaconio reponebant, & in mensis ab eisdem collocata, post celebratam Eucharistiam seu Cœnam Dominicam per præsidentem consecrata, fratribus omnibus distribuebant: deinde & pauperibus sublevandis in victu & vestitu ex Ecclesiæ facultatibus ministrabant. Imo & Stephanus & Philippus ad τραπεζῶν διακονίαν fidei prædicationem, & forte sacramentorum administrationem conjungebant; quare etiam dicebantur διάκονοι λόγου. Hæc est forma illius Ecclesiæ, quam nobis fabricarunt ipsi Apostoli, ut videre est *apud Lucam in Actis Apostolorum, & præcipuè cap.* 1. 6. 14. *&* 15. *& Iustinum martyrem in Apologiâ ad Antoninum Pium.* His, accrescente Christianorum numero, Ec-

clesia addidit subdiaconos, Acolytos, Exorcistas, Lectores, Ostiarios.

Statim post ascensionem Christi ad cœlum, in locum proditoris Iudæ, facta est electio Matthiæ Apostoli διὰ κλῆρον τῆς διακονίας, id est, per sortem ministerii: unde ortum habet nomen Clericorum, quamvis postea in electione ipsorum Clericorum potius locum invenerit χειροτονία, id est, electio cum consensu plebis per manuum extensionem. Χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν, &c. inquit S. Lucas Act. cap. 14. 23. *Is fuit vetus mos Ecclesia*, inquit Iustellus in notis ad Canones Ecclesiæ Catholicæ, *Episcopis ordinandis, ut rogarentur suffragia non modo cleri sed etiam populi; atque ut omnium de eo qui ordinandus erat judicia sciscitarentur, illius nomen plebi publicè proponebatur, factâ omnibus potestate, quicquid vellent eis objiciendi: & hoc est quod scribit Balsamo in Can. 5. Concilii Laodiceni,* ἐν ταῖς ψήφοις λεγόντων ἵνα πολλάκις καὶ ἀνάξια τῶν ψηφιζομένων, *& Zonaras in Can. 1. Apostol. cujus verba supra retulimus in annotationibus ad Can.* 109. inquit Iustellus. Hæc autem sunt Zonaræ verba; *Nunc quidem Cheirotonia vocatur absolutio precum, sanctique spiritus invocatio, dum sacerdotio quis initiatur, & consecrationem sortitur: Ex eo dicta, quod Pontifex extendat manum, benedicat homini ad sacra deligendo: sed ipsum suffragium quondam nominatum est Chirotonia. nam cum turba liceret in urbibus eligere sacrorum præfectos, conveniebat ipsa turba. Et alii quidem hunc, alii verò deligebant illum. Quatenus autem plurium suffragium vinceret, eligentes ferunt solitos extendere manus, & per manus ita porrectas numerabantur qui vel hunc vel illum deligissent. Plurium verò calculis electum summo sacerdotio præfecerunt. Chirotonia nomen hinc desumptum, quo sic etiam Synodorum Patres inveniuntur usi, suffragium nominantes Chirotoniam. Laodicensis nempe Synodus in canone quinto dicit; Non oportere Chirotonias in Audientium præsentiâ fieri. Chirotonias appellarunt calculos & suffragia. In plena quidem Pontificis approbatione consummationeque magis obtinebat consuetudo plures unà conveniendi: sed in suffragiis ferendis, eo quod inducerentur & accusarentur electorum virorum culpæ quædam, tunc & crimina proponerentur, aliquos vetatur adesse, & hæc audire.* Hæc Zonaras. Pergit Iustellus: *Hujus antiqui moris etiam extant vestigia apud*

Cypria-

*Cyprianum epist.*12.33.52.57.& præcipuè epist.68. ut videre licet in præcedentibus an.C.258.*Id moris fuit apud Græcos & Romanos tam in civilibus quam sacris,* ait Iustellus. *Hinc lapsu temporis civilis appellatio abiit in sacram. Legimus enim Paulum & Barnabam initio exorientis Ecclesiæ presbyteros per singulas civitates & Ecclesias χειροτονία, id est, por. rectione manuum, seu suffragio & consensu populi ordinasse. id testatur Lucas cap.* 14.23. *Eodem modo sacerdotes eligi docet Lampridius verbis Alexandri Severi: Vbi aliquis voluisset,* inquit, *vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est, rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus, si non probasset, subiret pœnam capitis. Dicebatque grave esse, cum id Christiani & Iudæi facerent in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in Provinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita.* Vide D. Blondelli dissertationem de jure plebis in regimine Ecclesiastico.

Hæc sub Imperatoribus Ethnicis Christianorum crudelissimis hostibus & persecutoribus, plebis auctoritas, à Cypriano epist. 55. ad Cornelium Episcopum Romanum, *majestas vocata*, integra quidem conservata est: sed sub Imperatoribus Christianis, quemadmodum auctoritas Episcoporum paulatim accrevit, ita & plebis decrevit. Nam cum summa potestas esset apud Imperatores, illi jam Christiani, aut ipsi, aut per delegatos Comites, senatores, aut Tribunos, & Notarios cum Episcopis, etiam subinde sine iis, res Ecclesiæ administrarunt, neglectâ plebe & populi senioribus. Quâ de re conquestus est Hilarius Diaconus, *quem sedente Damaso Papa commentarium in epistolas scripsisse constat*, inquit Blondellus, *quem vulgus putat esse Ambrosii: Apud omnes utique gentes,* inquit, *honorabilis est senectus, unde & synagoga, & postea Ecclesia, seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesiâ: quod quâ negligentiâ obsoleverit, nescio, nisi fortè doctorum desidiâ aut magis superbiâ, dum soli volunt aliquid videri.* De his Episcoporum ordinationibus, inter cæteros infinitos, sic loquitur Papa Leo Magnus an. C. 450. epist. 90. *Teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum seu meliorum seu seniorum testimonium, ordinis consensus & plebis.* Si autem plebs & honorati & meliores civium tantum auctoritatis in eligendis Episcopis habuerunt,

quid

quid in iisdem electionibus χειροτονίας Imperatores habuerint, & hodie magistratus habere debeant, unusquisque videt. Sed hæc posthac ipsa docebit historia, & pręcipuè Ecclesiæ Romanæ, in quâ plebis consensus in electione Papæ Romani, & ejusdem per Imperatorem confirmatio, ad duodecimum ferè seculum adquisitus & admissus est: cum post tempora Gregorii septimi contra antiquam con-consuetudinem, citra plebis & cleri consensum, & Imperatorum solitam confirmationem, à solis Cardinalibus Pontifex Romanus creari cœpit. Collabente ergo plebis & seniorū dignitate, ad Imperatorum & Episcoporum in Ecclesiâ regimen jamjam paulatim transibimus, & præcipuè in Ecclesiâ Orientali, ubi plerique secuti sunt Nicæni Concilii Canon. 4. & 6. quibus, nullâ factâ mentione Cleri aut plebis, provinciæ Episcopis Episcoporum electio & ordinatio demandatur. *Vide Grotium de imperio summarum potestatum circa Sacra.*

Illustre, me hercle, hoc est seculū, quo res Christianę in amplitudine & splendore quamplurimum auctę sunt: sed utrum cum amplitudine humilitas, cum splendore simplicitas, cum divitiis charitas accreverint, ipsa docebit historia. *Postquam ad Christianos principes venit Ecclesia*, inquit Hieronymus in vitâ Malchi, *potentiâ quidem & divitiis major, sed virtutibus minor facta est. Vbi Constantinus, & alii Imperatores*, ait Hospinianus, *se paulò liberaliores erga Ecclesias præbuerunt, juxta quosdam in aëre audita sunt, juxta alios parieti Laterani, seu domus Episcopi Romani inscripta sunt hæc verba*: hodiè venenum infusum est Ecclesiæ. Hæc narrat dictus Hospinianus ex diversis vetustis scriptoribus lib. 5. de Templis cap. 4. Hieronymus, quamvis solitudinis cultor, cladem tamen & ruinam Imperii Romani in vitiositatem Christianorum refert epist. 3. in epitaphio Nepotiani: *nostris*, inquit, *vitiis Romanus superatur exercitus; nostris peccatis Barbari fortes fiunt. Prò pudor, & stolida ad incredulitatem mens! Romanus exercitus orbis victor & Dominus ab his vincitur, ab his pavet, qui ingredi non valent: & non amputamus caussas morbi.* Salvianus Episcopus Massiliensis lib. 3. de judicio & providentiâ Dei, anno Christi 460. *Grave & luctuosum est quod dicturus sum. Ipsa Dei Ecclesia, quæ deberet esse in omnibus placatrix Dei, quid est aliud quam exacerbatrix Dei? aut præter paucissimos quosdam, qui mala fugiunt, quid est aliud omnis cœtus Christianorum quam sentina*

vitiorum? Quotum enim quemque invenies in Ecclesiâ, non aut ebriosum, aut adulterum aut raptorem aut latronem, aut homicidam? in hanc probrositatem morum penè omnis Ecclesiæ plebs redacta est, ut in cuncto populo Christiano genus quodammodò sanctitatis sit, minus esse vitiosum. Ne quid dicam de morum improbitate, de arrogantiâ, invidiâ, ambitione & avaritiâ Cleri, de quibus conqueritur anno C. 284. in suâ historiâ Ecclesiasticâ Eusebius: cum prima & sincerior illa ætas vidit Episcopos certatim ad præcellentiam contendentes, non semper ex donis spiritualibus, sed etiam ex fumosis titulis; sic paulatim irrepserunt vitia, & curam gregis in mundani imperii speciem mutarunt: Nec quid de Episcoporum Occidentalim gravibus erroribus & vitiis sui temporis narrat sub finem libri secundi historiæ sacræ Sulpitius, an. 401: quid in Oriente. Chrysostomus Moral. sec. ad 2 Cor. 12. an. ferè eodem: quid Amminianus Marcell. lib. 27: quid Bernardus passim, sed præcipuè lib. de consideratione ad Eugenium, an. C. 1125: Quid Nicolaus Clemengis an. 1400. lib. de corrupto Ecclesiæ statu cap. 3. his verbis: *Ubi paulatim ex divitiis,* inquit, *rerumque secundarum affluentiâ luxus & insolentia in Ecclesiam subiêre, tepescere sensim cœpit religio, virtus hebescere, solvi disciplina, charitas minui, tolli humilitas, paupertas opprobrio simulque parsimonia: sed ut pompis & luxui res subesset, avaritia crebrescere, quæ non diu suis contenta finibus, aliena non modo ambire, sed rapere & invadere moliretur, inferiores opprimere, & tam jure quam injuriâ spoliare.* Audiamus præterea judicium magni viri de morum in Ecclesiâ corruptione, antequam historiam undique Christianam aggredior: *Vera illa,* inquit, *atque simplex pietas, quæ inter Christianos gravissimè vexatos oppressosque floruerat, paulatim refrigescere cœpit, ex quo per Constantinum & sequentes Imperatores effectum est, ut ea professio non tuta tantum, sed & honorata esset, mundo velut intruso in Ecclesiam: Principes primum Christianos bellandi nullum fecisse modum, etiam cum pace frui liceret: Episcopos acerrimè inter se certasse de summis sedibus, ac sicut olim arbori vitæ prælata arbor scientiæ, maxima dederit mala: ita tunc quoque curiosam eruditionem pietati antehabitam, ex religione artem factam. Cui deinde consequens fuerit, ut ad exemplum eorum qui turrim Babylonicam ædificabant, affectatio temeraria rerum sublimium dissonas locutiones & discor-*

discordiam pareret; quibus plebs conspectis, sæpe nescia quo se verteret, culpam in sacras literas rejecit, & eas tanquam venenatas cœpit fugere. Religio autem passim non in mentis puritate, sed quasi reducto Iudaismo in ritibus collocari cœpit, & in iis, quæ corporis magis exercitationem, quam animi emendationem in se continent; itemque in studio flagrante semel electarum partium: tandemque evenit, ut ubique multi essent Christiani nomine, re paucissimi. Non dissimulavit Deus hæc populi sui vitia, qui ex ultimo Scythiæ & Germaniæ recessu immensa agmina quasi diluvio effudit in orbem Christianum, & cum data ab his strages maximæ non satis profecissent, ad corrigendos superstites, justo Dei permissu, in Arabiâ Mahumetes novam sevit religionem &c.

In primitiva illa trium seculorum Ecclesia, post tot persecutiones, post tot & tanta supplicia, cum aquis mergerentur, flammis urerentur, crucibus affigerentur, leonibus objicerentur innumeri Christiani, accrevit indies eorum numerus, ita ut *sanguis martyrum diceretur semen Ecclesiæ*. Hi tam ardenti flagrabant amore Christi, ut nec carceres, nec equuleos, nec exilia nec metalla, nec latomias, nec gladios, nec laqueos, nec leones, nec crudelissimas timerent mortes, imo admirabili & vix credibili quâdam aviditate hilares illas expeterent. Ut tum floruit Christi sponsa, pietate in Deum, charitate in proximum, cum sanctâ morum simplicitate: sic posthâc in earum locum brevi succedent ambitio, avaritia, æmulatio, contentio, & omne malorum genus: fuêre tamen iisdem temporibus etiam viri in Ecclesia non pauci, sanctitate morum, & doctrinâ eximii, de quibus singulis suis temporibus dicemus.

Sed redeamus ad historiam. Cum per edicta Principum pax, religionis libertas, & templa Christianis essent reddita, & ab externo hoste nihil postmodum timendum, Donatistæ in Africâ adversus Cæcilianum, Episcopum Carthaginensem, Constantinum Imperatorem interpellant, quem tanquam pseudepiscopum, absentibus Numidis, à *traditore* Felice Aprungitano Episcopo, ordinatum afferebant & accusabant, ut diximus. Imperator causam eorum commisit judicandam Melchiadi Episcopo Romano, Rhætico Antunensi, Materno Coloniensi, Marino Arelatensi collegis, ut inquit Imperator apud Euseb. lib. 10. cap. 5. Optatus Milevitanus lib. 1.

quindecim Italos additos ſcribit, qui convenerunt in Laterano Epiſcopi Romani Palatio; ubi Donatiſtæ cum eorum principe Donato condemnantur & Cæcilianus abſolvitur. Donatiſtæ in Africa denuo tumultuantes, & ab Aniliano proconſule iterum damnati, ad Imperatorem provocant, qui ſynodum ſuper eorum quæſtione convocat Arelatum.

Euſeb. l. 10. cap. 5. Inſcriptio epiſtolæ Imperatoris ad Melchiadem de prædicto Epiſcoporum conventu in cauſâ Cæciliani hæc eſt. *Conſtantinus Auguſtus Melchiadi Epiſcopo Romano & Marco S.* Baronius cum textum videat depravatum pro καὶ Μάρκῳ legendum cenſet ἱεράρχῳ, *qua vox*, inquit, *Melchiadis titulum demonſtrat.* Rationem aliam non addit; ſed malè; cum ille titulus nunquam antea Romano Epiſcopo dari ſolitus ſit: cum ratione verò pro Marco ſtatuere potuiſſet Materno vel potius Marino, qui interfuit conventui præcedenti, & poſtea præſes erit hujus Concilii Arelatenſis, ipſe Epiſcopus Arelatenſis, etiam præſentibus Epiſcopi Romani legatis. Cardinalis Peronius, ne Papæ Romano tribuatur ſecundus, omittit voces καὶ Μάρκῳ, & ſcribendum illarum loco putat, καιρὸν μακρὸν, id eſt, tempus longum: ſed dicendum fuiſſet, inquit Blondellus, pro Marco, in Græco Euſebii exemplari malè poſito, Mirocli, qui tum temporis erat Epiſcopus Mediolanenſis. Ex diviſione Imperatoris Adriani, quæ ferè eadem erat tempore Conſtantini & longo poſt tempore, Italia duas habebat Metropoles dignitate æquales, & ferè collaterales, quæ dividebant Italiam in duas diœceſes, quarum altera erat Roma, & novem ſibi ſubjectas habebat provincias in rebus Eccleſiaſticis, altera Mediolanum, quæ ſeptem: quemadmodum duos habebat vicarios Præfecti prætorio in rebus civilibus Roma, quorum alter dicebatur Urbis, alter Italiæ, ut diximus anno 272 ſub finem. Hàc prædictâ epiſtolâ diverſos ex diverſis locis convocat Epiſcopos ad hoc Concilium Conſtantinus. vide etiam epiſtolam Conſtantini ad Chreſtum, quâ ipſum cum collegis ad dictum Concilium vocat, apud Binium.

Sex. Aurelius Victor in Adriano Notitia Imperii.

Quemadmodum hoc anno Donatiſtę Conſtantinum Imperatorem interpellant contra Orthodoxos ſeu Catholicos; ſic Catholici anno Chriſti 413. & 414. ad Imperatorem Honorium contra Donatiſtas

natiſtas provocant: & ut nunc Conſtantinus Eccleſię curam gerit, ſic etiam dicto tempore Honorius, & ante eum Pater Honorii Theodoſius Imperator ſacris remediis, turbidis Eccleſiæ rebus medentur.

Apud Euſebium lib. 10. cap. 6. Imperator per Hoſium pecunias Eccleſiis diſtribui jubet, & cap. 7. apud eundem Euſebium Eccleſiarum præſides per Conſtantinum à publicis oneribus liberantur, ita ut immunitas Eccleſiaſtica, ſit beneficium Imperatoris: quod manifeſtè etiam docet Sozomenus lib. 1. cap. 9. quod cum vetuſtæ ſit originis, apud poſteros, liberalitatis Principum immemores, obliteratum videtur. *Conſtantinus M. aliique Imperatores Chriſtiani favore religionis multa Eccleſiis aliiſque piis locis privilegia dederunt, quibus olim non gaudebant, cap. 41. nos ſi cauſ. 2. quæſt. 7. cap. 27. ſi tributum, cum ſeq. cauſ. 11. quæſt. 1. & cap. 22. tributum. cauſ. 23. quæſt. 8. Gudelin. de jure noviſſ. lib. 6. cap. 7. in verſ. reliqua. Chriſtin. vol. 2. deciſ. 17. num. 12.* immunitates largiti ſunt. *de quibus in his. LL. & paſſim hoc tit. cum ſeqq.* Groenevvegen.

Melchiades Epiſcopus Romanus moritur, ſuccedit Sylveſter. A. C. 314

CONCILIUM ARELATENSE.

Appellaverant ad Imperatorem Donatiſtæ Romæ damnati, ut diximus, ejuſque mandato conveniunt in Arelatenſi Concilio 200 Epiſcopi, Itali, Galli, Hiſpani &c. Vide *Optatum contra epiſtolam Parmen. lib. 1.* Et tanquam communis à Deo conſtitutus Epiſcopus miniſtrorum Dei, coëgit Concilium Conſtantinus, Baronio adhuc Catechumenus, *& in mediâ eorum frequentiâ ac congreſſu adeſſe, & unà conſidere non eſt dedignatus*, &c. verba ſunt Euſebii in vitâ Conſtantini lib. 1. c. 37. & 38. In quo abſolvitur Cæcilianus, damnantur Donatiſtæ, quos quamvis contumaces, illæſos cum viatico abire juſſit Conſtantinus. Auguſtinus epiſt. 68. ad Januarium. *Poſtea & ipſe* (Conſtantinus) inquit, *coactus Epiſcopalem cauſam, inter partes cognitam, terminavit.*

Procemium Concilii Arelatenſis, & epiſtola ſynodi ad Sylveſtrum ex parte hæc fuit: *Domino & ſanctiſſimo fratri Marinus & cœtus Epiſcoporum: Quæ decrevimus communi conſilio caritati tuæ ſignifi-*

cavimus, ut omnes sciant quid in futurum observare debeant, &c.

In alia concilii Arelatensis epistola ad Sylvestrum à Baronio citata ex P. Pithœi bibliothecâ deprompta, hæc verba reperies: *Dilectissimo Papæ Sylvestro Marinus & cæteri Episcopi: Piissimi Imperatoris voluntate ad civitatem Arelatensem adducti, inde te religiosissime Papa cum meritâ reverentiâ salutamus. Vtinam, frater dilectissime, ad hoc tantum spectaculum interesses, te pariter nobiscum judicante: Placuit etiam à te qui majores diœceses tenes, per te potissimum insinuari* &c. hæc pauca tantum ex illâ Concilii Arelatensis epistolâ desumpsimus, ut istius temporis stylum scribendi ad Episcopum Romanum videres.

. Caussâ Cæciliani absolutâ, quæ ad optimum Ecclesiæ regimen pertinere videbantur, patres Concilii canonibus 23. decernunt. Finitâ autem synodo Episcopi eâdem munificentiâ ab Imperatore dimissi sunt, quâ ad Concilium convocati erant. *Euseb. lib.* 10. *cap.* 5. *August. epist.* 68. *& Optat. Milevit. contra Parmenonem.*

Primo canone jubetur eodem die per universum orbem celebrari festum Paschatis: id est, die Dominico, post diem decimam quartam lunę, quod observabat Ecclesia Occidentalis ob Christi resurrectionem eo die factam: cum quędam Ecclesiæ Asiaticæ, sequentes consuetudinem à Ioanne Apostolo acceptam secundùm morem Iudæorum decimâ quartâ Lunâ celebrarent. Vide *annum* 198.

Canon 2. *De his qui arma projiciunt in pace, placuit abstinere eos à communione.* Nam multi sub persecutione Diocletiani & Maximiniani militiam deserebant, ne in aliquam idololatriæ speciem impingerent. Iam vero datâ Ecclesiæ pace sub Constantino, ut Imperatori gratificarentur, vetant Patres militiam deserere, nisi velint abstinere à communione. communio autem alia est orationis seu societatis fidelium, alia Eucharistiæ.

Canon octavus jubet hęreticos, qui baptizati essent in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, recipere in Ecclesiam cum manus impositione, sin minus, eos baptizare. Nam Donatistæ quosvis etiam ritè baptizatos rebaptizabant. quare pro *Arrianis* legendum Afris, aut Africanis, quia in Africâ Donatistæ præcipuè habitabant.

Canon 13. loquitur de his qui scripturas sanctas tradidisse dicuntur, &c. In persecutione decimâ sub Diocletiano jussum erat pro-

provinciarum prǽsidibus, ut Christianorum templa diruerent, Evangelia tradita comburerent; &c. qui Christiani ea tradiderant, vocabantur in Africâ & Numidiâ Traditores: contra hos agit hic Canon.

Canon 14. est contra Donatistas, qui Cæcilianum & Felicē Aprungitanum falsò accusarant, quod causâ coram se ventilatâ, per exactum examen manifestè patuit. hi ad exitum usque excommunicantur.

Can. 16. delinquentibus & excommunicatis prohibetur aliis in locis communionem recipere, præterquam iis ubi sunt excommunicati.

Can. 21. De his qui usurpant, quod soli dibeant Episcopum ordinare, placuit ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis septem aut tribus Episcopis.

Occasione Concilii Arelatensis quosdam Canones diversorum Conciliorum, sequentibus ferè annis, & circa hæc tempora celebratorum, adferam, qui in nostrum hoc seculum maximè quadrant; ut videamus, quam variæ & mutabiles sint res humanæ, non tantum in secularibus, sed etiam Ecclesiasticis.

CONCILIUM ELIBERINUM.

PRimum sit Eliberimum, habitum secundum Baronium an. C. 306. Vossio & aliis serius, Eliberi civitate Hispaniæ Bæticæ, cui interfuit magnus ille Osius, Episcopus Cordubensis & posthâc futurus præses Concilii Nicæni. Canones habet illa synodus 81. Inter quos plures non tantum lapsos à communione arcent, sed & in fine vitæ eam dari negant, quod videntur habere commune cum Novatianis. *Albaspinus* Patres hic loqui putat de illa communione, quæ est fidelium societas, seu jus societatis. Canone 2. mentio fit *flaminum*, qui, cum antea fuissent sacerdotes gentiles, facti erant Christiani, vel, qui jam Christiani sacerdotio gentilium fungebantur. ut inquit *Albasp.* Can. 5. *qui casu servum famulamve occidisset* 5. *annos, qui voluntate* 8. *annos abesse à communione debebant*, sed apud Romanos tum temporis domini habebant jus vitę necisque in servos, quod jus mutavit Constantinus. Canon 26. loquitur *de celebrandâ superpositione jejuniorum die Sabbati.* Die Veneris jejunabatur in Ecclesiâ, quod eo die mortuus sit Christus: Eliberini patres adjiciunt diem Sabbati; sequentes

tes morem Romanorum, qui dicebant jejunandum & plorandum esse cum Apostolis: atqui illi plorarunt & jejunarunt, cum ablatus esset sponsus, Matth. 9. Mediolanenses in Italiâ, & tota Ecclesia Orientalis jejunabat die Veneris tantum, & non jejunabat die Sabbati aut Solis, quod essent illi dies lætitiæ: nam die Sabbati absolverat Deus opus creationis mundi, quem etiam consecraverat, & eundem ut festum venerabantur Orientales. die verò Solis Christus à mortuis resurrexit. semel in anno die Sabbati jejunabant Orientales, nimirum pridie Paschatis. Can. 29. *oblatio* est munus panis & vini, quod populus dabat Diacono, Diaconus presbytero ad celebrandam synaxin.

Canon 33. hic est: ***Placuit in totum prohibere Episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, positis in ministerio, abstinere à conjugibus suis, & non generare filios: quod quicunque fecerit, ab honore clericatus exterminetur.*** Hic loquar verbis Baronii: ***Si privatio præsupponit habitum, fuisse in usu & observatione quæ prohibentur necesse est;*** sed quod amplius: Si hoc concilium jubet abstinere clericos ab uxoribus suis; peccat contra S. Scripturam, & Canonem Apostolicum 5. & praxin primitivæ Ecclesiæ, & Concilii Ancyrani Canonem 9. & Gangrensis 4.

I. Contra scripturam peccatur, quia non tantum in eâ non prohibetur, sed & in V. & in N. Testamento omnibus permittitur, tam Ecclesiasticis quam secularibus, tam viduis quam virginibus. Vide 1 Cor. 7. & 1. ad Tim. 3. 4. & ad Titum. 1. Hieron. epist. 83. ad
II. Oceanum. Secundò contra Canonem Apostolicum, quorum quintus hic est: ***Episcopus aut Presbyter aut Diaconus suam uxorem non ejiciat occasione religionis. Si vero ejicit à communione pellatur: persistens ordine removeatur.*** Ubi sic Zonaras: ***Hoc enim videtur in calumniam fieri nuptiarum, tanquam mixtio conjugum faciat immundiciam; Scriptura vero dicit honorabiles nuptias, & impollutum cubile. Meminit autem canon & Episcoporum conjuges habentium : quia liberum tunc erat Episcopis legiti-***
III. ***mum cum mulieribus conjugium.*** Tertiò contra praxin priscę Ecclesię: nam primis tribus seculis nec per Doctores, nec per synodos prohibitum Clericis matrimoniũ, sed per hæreticos; quos refutavit Clemens Alexandrinus. Ab Ignatio dicuntur Apostoli suas habuisse uxores,

sed

ſed in ſuppoſititiâ ep. ad Philadelph. Vide *Clement. Alexand. Strom. lib.* 3. *Euſeb. lib.* 3. *cap.* 27. Uxorem habuit Nicolaus Diaconus, Tertullianus, Chæremon apud *Euſeb. lib.* 6. *cap.* 41. Felix preſbyter apud *Cyprianum epiſt.* 19. cui Victoria conjux. imo & ipſe Cyprianus, & Cypriani κατηχητὴς Cæcilius apud Pontium Diaconum in vita Cypriani &c. Quartò contra Canones Ancyranum & Gangrenſem; imo & ipſum concilium Nicænum, quæ omnia ſuo tempore & ordine producam. Sed quidam dubitant de ſenſu Canonis Eliberini, & aliam adhibent interpretationem, nempe *poſitù in miniſterio* interpretantur per *tempus vicis ſua*, ſive *cum inſtat ſolennis Euchariſtiæ celebratio*, ut loquuntur Patres Concilii ſexti Generalis in Trullo Canone 13. Sic 13, *reſponſio Timothei Alexandrini maritis uxorum uſum Sabbatis & diebus Dominicis interdicit,ut majori cum pietate & reverentiâ communicare poſſent.* Albaſpinus. Sed liceat mihi majori jure adverſus hos Concilii Eliberini Patres de hoc Canone proferre,quod illuſtriſſimus Baronius de Canone 36, ejuſdem Concilii adverſus eoſdem Patres dicit an. C. 57. *Anne potuit aut debuit decem & novem Epiſcoporum conventus in orbis angulo congregatus aliud ſtatuiſſe, quam ubique locorum univerſalis profitetur Eccleſia?* Et: *Epiſcoporum canon, quem totius Eccleſiæ Catholica uſus contrarius continuò abolevit, imo antequam naſceretur exſtinxit?* Locus Pauli Apoſtoli qui eſt 1 Cor. 7. 25. & 26. malè intellectus, errori occaſionem multis in primitivâ Eccleſiâ dediſſe videtur, qui cum ſciret inſtare multas & crudeliſſimas Chriſtianorum perſecutiones, prudens hoc illis dedit conſilium; *Exiſtimo autem,* inquit,*hoc bonum aut melius eſſe propter inſtantem neceſſitatem* & futuras anguſtias, quas tam facilè fugere non poſſunt conjuges cum re familiari & liberis, quam cælibes ab omni ônere liberi: licet etiam cælibes ad omnia ſacra munera ſint expeditiores; nam minus habent curarum, qui ſe tantum, quam qui totam curant familiam: ſed præceptum nullum eſt. Nam cap. 7. verſ. 2. ibidem dicitur, *propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem, & unaquaque ſuum virum habeat.*

Can. 34. *Cereos incedere per diem in cœmitereo vetat, ne anima ſanctorum inquietarentur.* Priſci fideles ſolebât ad cœmiterea oratum ire aut pro ſeipſis, aut pro defunctis, quas preces vocabant refrigerii preces,

itaque volunt non id dictum esse respectu animarum mortuorum sed viventium, id est fidelium: nempe ne cereis precantes, in precibus turbarentur. Cereis & lucernis sæpe usi sunt Christiani veteres, *in antelucanis cœtibus*, & loquitur Tertullianus lib. de coron. milit. c. 3. *& nocturnis convocationibus*, ut ait lib. 2. ad Uxorem cap. 4. imò & tempore persecutionis in cryptis, in quibus frequenter ad preces conveniebant. Interim ridet usum lucernarum interdiu Tertullianus, & prohibet ne Christiani in festis Imperatorum paganorum iis utantur. *Accendat ergo lucernas*, inquit, *quibus lux nulla est, &c. tu lumen es mundi.* Et apologetic. cap. 35, gravi ironiâ dicit Christianos damnandos, quia in festis Imperatorum, *Lucernis diem non infringunt*, & cap. 46, loquitur de Ethnicis: *Lucernas meridie vanas proferunt: quando lucente verâ face solis, nullo opus est lumine*, inquit ibidem Paraphrastes. Postea verò placuit, ut in sacris de die quoque veteri luminarium insisteretur consuetudini. Hoc Vigilantius multum culpabat in Ecclesia Occidentali: sed B. Hieronymus illi occurrit, contra Vigilantium cap. 3. *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Euangelium, accenduntur luminaria, in sole rutilante: non utique ad fugiendas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.*

Can. 35. prohibet, *ne fœminæ in cœmiteriis pervigilent.* Cœmiteria plerumque erant extra urbem rarò in urbe, quò cum pauci homines venirent, poterant mulieres ibi sub prætextu precum cum aliis consuescere: erant enim sepulcra cryptæ subterraneæ, ubi tutò peccabatur. Videatur Hieronymus ad 40 cap. Ezech. de cryptis martyrum.

Canon. 36. hæc habet: *placuit picturas in Ecclesiis esse non debere, ne quod colitur aut adoratur in parietibus pingatur*: aut fortè, ne adoretur quod in parietibus pingitur. Ad hunc canonem quidam respondent non simpliciter sed tantum secundum quid picturas vetari, quatenus nimirum decidentibus parietum crustis picturæ deformarentur. Ad tertium usque seculum nullæ fuerunt in Ecclesia Dei picturæ, ne cum gentilibus colludere viderentur, qui Iovem, Martem similesque Deos in templis pingebant: posteà verò cum nullum periculum esset à gentilibus, picturæ in templa sunt introductæ, ut imperiti ex iis de mandatis scripturæ instituerentur. Albaspinus vult patres Hispanos locutos esse non de pi-

cturis

cturis sanctorum martyrum, *sed Dei & ipsius Trinitatis, quia*, inquit, *illi non adorantur*. Verum dicit Albaspinus, primis seculis nondum adorabantur martyres, sed tantum colebantur, id est amore & honore eos prosequebantur. Imò & ipse Deus apud eorum cineres sępe miracula faciebat: qua de re pręter cęteros vide *August. de civ. Dei lib.* 22. *c.* 8.

Can. 43. jubet *ut cuncti festum Pentecostes celebrent*, non quod tum demum hoc festum fuerit institutum, nam & quinquaginta dies inter Pascha & Pentecostē diu festi fuêre habiti. *Tertull. de corona militis c.* 3.

Ad Can. 56. de magistratu distinguendum, nam ante Constantinum omnes magistratus erant gentiles, & sic Christiani cogebantur sequi nutum gentilium.

AdCan. 60. *si quis idola fregerit*, dicendum non licere proprio motu. 1. quia tale quid in Euangelio non pręcipitur, nec Apostoli suo exemplo præiverunt. 2. quia ex eo concitatur persecutio. 3. quia Christus dicit, si quis te persecutus fuerit, fuge in aliam civitatem.

In canon. 76. mentio fit *Laica communionis*, quę communicandi ratio non fuit alia, sed alio loco. Ex aliis synodis videndum est ubi Laici consistere soleant. Episcopi & presbyteri stabant ante altare, diaconi intra chorum, non tamen ante altare, Laici extra chorum, Monachi inter Laicos & Diaconos choro proximi, ad meridiem viri, ad aquilonem mulieres. Ut autem sciamus qui sint Laici, primò videamus qui sint Clerici. Κλῆρος Græcè, Latinè sors dicitur, aut etiam nota sive calculus, quem vasi injicimus ad sortiendum. *Deuter.* 4. 20. *&* 9. 29, κλῆρος significat populum Israëliticum sive patrimonium Dei. Apud Petrum 1. cap. 5, est populus Christianus, ubi vetat, presbyteros sive pastores, *dominatum exercere in cleros*, id est, in gregem Christi: seu potius per cleros intellige portiones seu partes gregis Dominici, quæ singulis pascendæ, velut sorte contigerunt: allusione factâ ad populum Israëliticum, cui factâ sortitione per tribus terra Canaan distributa est. Interdum generaliter pro universo populo Christiano sumitur, interdum specialiter, ut clerus Romanus &c. id est populus istius urbis Christi fidem amplectens: sed nunc clerus dicitur pro clericis, id est, pro iis, qui Ecclesiæ ministeriis sunt deputati. His quasi opponuntur Laici, à λαός, latinè populus, quasi populares & profani, qui, ut loquitur Budæus, sacris non sunt initiati: *Act.* 1. 25.

hujus vocabuli etiam fit mentio in epistolâ Clementis Romani ad Corinthios. Populus ergo Christianus comprehendit utrosque: sed illi, usu sic volente, κατ' ἐξοχὴν dicuntur Clerici, hi peculiariter Laici. *Vossius.*

Codex Canonum. Duo præcedentia Concilia, Arelatense & Eliberinum in corpore seu codice canonum universæ Ecclesiæ, ut illum vocat Iustellus, Iurisconsultus Gallus, priscæ antiquitatis indagator peritissimus, non habentur: nam in eo tantum est habita ratio conciliorum Græcorum. Quidam Eliberinum in dubium vocant, tum quia videtur favere in multis Novatianis, tum quia prohibet picturas in Ecclesia esse. Bellarminus hoc concilium in quibusdam errasse dicit, neque comprobatum ab Episcopo Romano. Vide *notas Albaspini in hoc Concilium lib. de veteribus Ecclesiæ ritibus.* Codicem autem illum canonum Catholicæ Ecclesiæ, seu collectionem Canonum jam ante factam, communi majorum auctoritate approbatam, ut eam appellat Baronius ad an. C. 341. pag. 453. unde ortum trahit Jus Canonicum., edidit idem ille Imperator, qui orbi restituit Codicem Juris Civilis. Continet autem ille canonum codex apud Justellum Canones sequentium conciliorum; nimirum Nicæni, Ancyrani, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani primi, Ephesini & Chalcedonensis. de quibus agemus posthac suis temporibus. Initium sit ab Ancyrano, nam sequimur ordinem temporis, Codicis autem initium est à Nicęno Concilio.

CONCILIUM ANCYRANUM.

ANcyrani Concilii, Ancyræ in Galatiâ Asiæ provinciâ an. C. 314. celebrati Canones sunt 25. ubi canon 2. *Diaconos, qui immolaverant, jubet cessare ab omni ministerio, sive panem vel calicem offerendi vel prædicandi.* In concilio Arelatensi can. 15. absolutè prohibetur Diaconis offerre, his verbis. *De Diaconis, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere.* In concilio Laodiceno diaconis videtur permissum, cum solis interdicatur subdiaconis. Canonis verba hæc sunt: *non oportet subdiaconum panem dare, aut calicem benedicere.* Concilii hujus Ancyrani canone 1. & 2. presbyteris & diaconis promiscuè & sine differentia eâdem pœnâ

propter

propter immolationem, oblatio & verbi prædicatio prohibetur seu adimitur. Quare multi diversam huic oblationi tribuunt significationem: alii similem Presbyteris & Diaconis ob immolationem ab hoc concilio constitutam pœnam, cum non simile eorum fuerit ministerium, mirantur; & ex hisce prædictis canonibus valdè verisimile arbitrantur, diaconos præcedentibus seculis, tempore persecutionum, eodem modo, quo presbyteri, solitos fuisse offerre, id est Eucharistiam aut cœnam Dominicam celebrare. Caussam quare Diaconi ministerium offerendi panem & calicem exercuerint alii statuunt fidelium copiam, & presbyterorum inopiam, alii diversitatem ceremoniarum in diversis Ecclesiis; alii hoc quidem licuisse volunt, sed postea non placuisse, ut nec matrimonium in iisdem: alii ex juris & disciplinæ corruptela tempore persecutionum, cum sæpe deessent presbyteri, in quibusdam locis id factum putant. Ego unum addam ex Sacrâ scripturâ. Cum Apostoli *Act. cap. 6.* congregati convocassent multitudinem discipulorum, & incommodum sibi judicassent, derelicto sermone Dei mensis ministrare, jubent ut ex fratribus in eum finem eligant septem viros spectatæ probitatis, plenos spiritu sancto & sapientiâ. Eligitur cum reliquis Stephanus, vir plenus fide & Spiritu sancto, qui edebat multa signa & prodigia in populo, (quod de illis septuaginta dicitur *Lucæ* 10.) sic & Philippus prædicat sermonem Dei *Actor. cap.* 8. in Samariâ, & multa facit miracula, spiritus immundos pellit, paralyticos & claudos sanat, & cum credidissent Euangelio, baptizat viros simul & fœminas. Angelus autem Domini eum mittit Gazam, ubi invenit Æthiopem, Eunuchum reginæ Candacis, quem ad fidem Christi convertit & baptizat. An ergo ita mirum videri debet, si hi diaconi Spiritu sancto pleni, & cum miraculis Christum prædicantes, & conversos baptizantes, & panem & calicem suis fidelibus consecrarint & obtulerint? *Vide Petavii diatribam de potestate consecrandi & Albaspinum lib.* 1. *de ritibus veteris Ecclesiæ cap.* 5. *&* 6. qui alias adferunt hujus oblationis significationes. Canon 5. 6. &c. agunt de variis *animadversionis seu disciplinæ gradibus in veteri Ecclesiâ usitatis, quorum omnium meminit Gregorius Thaumaturgus in epistolâ canonicâ* 11. *& Basilius in epistolâ canonicâ* 3. *ad Amphilochium. can.* 58. Qui adulterium commisit,

 annis

annis quindecim: quatuor quidem annis plorans; quinque verò audiens; quatuor succumbens; & uno stans. *Christoph. Iustellus in notis ad codicem Canonum universæ Ecclesiæ.* Vide *an.* C. 150, *ubi prolixè agitur de ritibus Ecclesiæ primitivæ, & exemplum apud Eusebium lib.* 5. *cap.* 28. *de Natali.*

Canon. 10. hæc habet. *Diaconi, quicunque ordinantur si in ipso ordine protestati sint, dicentes, se velle habere uxorem aut non posse se continere, si postea uxorem duxerint, maneant in ministerio, quod eis Episcopus licentiam dederit: qui vero tacuerint & susceperunt manus impositionem professi continentiam & postea nuptiis obligati sunt, à ministerio cessare debebunt.*

Hoc canone diacono etiam ordinato permittitur uxor, si modo dixerit se in cælibatu non posse vivere; ex quo certâ & indubitatâ ratione inferre licet non esse illis prohibitum jure divino. Imò canon Apostolicus quintus, supra nemoratus interdicit presbyteris & diaconis uxorem caussâ religionis linquere: ut etiam concilii Gangrensis canon quartus.

Canon Ancyramus 14. hic est: *Hi qui in clero sunt, presbyteri vel diaconi & à carnibus abstinent: placuit eas quidem attingere, & ita, si voluerint ab eis abstinere. Quod si tantoperè eas abominentur, ut nec olera, quæ cum iis decoquuntur comedenda putent, tanquam non consentientes canoni, ab ordine cessare debebunt.*

Hisce temporibus austeri erant homines, non tam ex regula Christi, quam ex forma vitæ suæ: quare multi virginitatem spondebant, ex consilio Pauli, quidam secundas nuptias vitabant, quidam carnibus abstinebant, adversus malum incontinentiæ: sed cum quædam adesset ἐθελοθρησκεία, cum detestatione & contemtu, eam inter Christianos omnino fugiendam censuerunt patres Ancyrani. Vide Canonem Apostolicum 51.

Can. 15. usurpatur Dominicum pro templo seu Ecclesia. sic in edicto Maximini apud Eusebium lib. 9. cap. 10. & in vita Constantini, *templa*, inquit, *quæ erant Deo consecrata, domini nomen obtinuerunt, quod nomen non ex hominibus, sed ex ipso omnium Domino illis fuit impositum, & propterea Dominica sunt appellata.*

Canone 19. *Virgines, quæ tanquam sorores, cum quibusdam habitant, probi-*

prohibentur. Honorius & Theodosius Imperat. l. 19. C. de episc. & cler. *eum qui probabilem seculo disciplinam agit, decolorari consortio sororia appellationis non decet.* Ita solebant quidam clerici propudia sua, sorores appellare, & sub pietatis nomine vitia sua tegere. hujusmodi erant συνείσακτοι & ἀγαπηταὶ hoc est virgines, quæ, *ut ait Hieronymus in epist. ad Oceanum*, à charitate nomen trahentes, quasi spiritali amore conjunctæ, sic dicebantur ab illis, penes quos habitabant, ecclesiasticis, quorum sine nuptiis uxores erant, aut potius concubinæ. *Iustellus in hunc canonem.*

CONCILIUM NEOCÆS.

CONcilium Neocæsariense Cappadociæ in Ponto celebratum est an. C. 314. Ancyrano posterius, Nicæno antiquius, canones habet 14. quorum primus hic est: *Presbyter si uxorem duxerit ab ordine suo moveatur; quod si fornicatus fuerit vel adulterium commiserit, penitus extrudatur & ad pœnitentiam inter Laicos redigatur.* Non hic rescinditur matrimonium sed tantum dignitate ordinis privatur presbyter: scortator autem & adulter puniuntur. 2 canon vetat *nubere duobus fratribus & ducere in uxorem duas sorores.* 3 Canon *frequentia matrimonia utriusque sexus, sub pœna pœnitentiæ prohibet.* Canon 7. *Presbyteri in nuptiis Digami prandere prohibentur, cum enim pœnitentiam requirat, Presbytero non sunt illa nuptia convivio approbanda.* Non prohibet secundas nuptias Paulus sed permittit: magna certè est in his synodis severitas, sed dicit *homines ex paganismo ad Christum conversos terrore debuisse percelli* Innocentius. Canon 11. vetat *ordinari presbyterum, etiamsi dignum, ante annum ætatis trigesimum*: quia Christus illo anno cæpit docere. Canone 13. *Eucharistia sub utraque specie Laicis exhibetur.* Idem canon mentionem facit Chorepiscopi. *Solent veteres instituta à Christo munera, cum muneribus post Christi ascensum in Ecclesia usurpatis, comparare. Episcopos quidam comparant cum Apostolis propter eximium jus* τῆς χειροθεσίας. *cum septuaginta alii comparant diaconos, ut Ignatius, alii presbyteros, ut Hieronymus, alii Chorepiscopos, ut synodus Neocæsariensis* hoc canone. *Videntur autem mihi Chorepiscopi, quos* περιοδευτὰς, id est circuitores *vocant optimè illis respondere.* 1 Cor. 7.

Nam

Nam hi ab Episcopis in partem sui laboris assumpti, cum docendi potestate per agros mittebantur. sed & Presbyteros & Diaconos, non omnes quidem, sed eos quibus docendi populum potestas ab Episcopo facta esset, fateor bis 70. non malè comparari. Diversos autem fuisse gradus in his 70. ab Apostolis vel inde apparet, quod Matthias ex hac classe εἰς τὴν Ἀποστολικὴν ἐπισκοπὴν *provectus est.* Grotius. Chorepiscopos alii vocant Latinè Episcoporum vicarios, alii presbyteros & comministros, villarum nempe, vicorum, ruris & agrorum. Vide *epist.* 181. *Basilii Magni ad Chorepiscopos.* Canon 14. & ultimus ad consuetudinem Apostolorum Actor. 6, jubet septem esse diaconos in Ecclesiis. Sic *Sozomenus lib.* 7 *cap.* 19. apud Romanos septem fuisse diaconos refert, apud alios autem eorum numerum fuisse promiscuum.

CONCILIUM GANGRENSE.

Gangre Plinio, γάγγρα Straboni, urbs erat Paphlagoniæ in Asiâ; ubi habitum est Concilium Gangrense, an. C. 325. Iustello contra Eustatium Sebastenum Galatam, Baronio an. C. 361, contra Eutactum, Blondello post Nicænum inter annos 325 & 341. contra alium Eustathium, quam qui fuerat tempore S. Basilii Episcopus Sebastæ in Armeniâ, ubi simul indicat errores Socratis, Sozomeni, Baronii, & Perronii. Vide *Blondellum de primatu in Ecclesia, pag.* 138. & 664. fuit quidem provinciale concilium, sed confirmatum in sextâ Synodo generali in Trullo celebratâ, & à Symmacho Papa, ut testatur Baronius, qui illos canones auctoritate Apostolicâ conditos affirmat, & à Leone 4. ut habet Binius. *Cum quidam Eustathius,* pergit Binius, *adeo monachismo faveret, ut reliquos Christianorum ordines sperneret, & prætextu sanctitatis Ecclesiam Dei multis modis turbaret: nam matrimonium & carnis esum damnabat, presbyteri conjugati oblationem rejiciebat, uxores à maritis, capillis amputatis & mutatâ veste, servos à Dominis sub specie pietatis abigebat, concilium hoc Gangrense in Asiâ minore Episcoporum 16. est celebratum, constans ex canonibus* 20. Primus Anathema dicit eis, *qui nuptias accusant & dormientem cum viro suo fidelem ac piam detestantur, quasi non possit in regnum Dei ingredi.* Secundus anathema eis dicit, *qui condemnant cum pietate & fide edentem carnes absque sanguine, & idolis immolato, & suffocato,*

suffocato. de hoc decreto Apostolico alibi latius à nobis dictum, nempe ad Act.cap.15. & ubi de Ecclesiæ veteris ritibus, an.C.150.

Quartus canon hujus synodi Gangrensis hic est: *Si quis discernit presbyterum conjugatum, tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo se abstinet, anathema sit.* quæ etiam confirmat *Socrates l.2.cap.33. & Zozomenus l.3.cap13.* Ex quibus fit manifestum, jure divino non esse prohibita presbyterorum matrimonia, nec esse legem synodi alicujus œcumenicę, quæ obligat Ecclesiam universalem, sed tantum hujus aut istius provinciæ, ut vidimus. Considerandi hic sunt Can.1.4.10. & cum epilogo pręfatio ad Armeniæ Episcopos. & an.C. 361, num.44, hæc verba Baronii: *auctoritate Romani Pontificis Gangris congregatâ Synodo quot hæreses delirus Eustathius statuerat, tot adversus eas statutis canonibus patres paribus suffragiis damnavêre.* Auctoritate Papæ congregatam dicit hancSynodū Baronius, sed levi conjecturâ, quiaHosii nomen interPatres subscriptos invenitur: atqui nulla alia ejus fit mentio apud historicos Ecclesiasticos. sed nota, quas invexerit hæreses Eustathius, Baronio Eutactus: castum matrimonium vituperavit, conjugium presbyterorum improbavit, Liturgiam seu oblationem conjugatorum presbyterorum rejecit.

Canon 11. anathema illis dicit qui ἀγάπας contemnunt: Agape autem erat sobrium convivium, quo ditiores pascebant pauperes fratres in Ecclesia post Eucharistiæ celebrationem: de qua vide an. C. 150, de ritibus veteris Ecclesiæ.

Canon 12 dicit *anathema iis, qui ob usum pallii superbiunt, & se aliis justiores æstimant.* Christus & Apostoli induti erant tunicâ, & supra eam pallio. Ex Actis constat de pallio, ubi Paulus poscębatur ad supplicium: ad eundem modum sacerdotes in Ecclesia Dei etiam tunica utebantur. De pallio autem est aliqua differentia, quia non omnes eo utebantur, sed qui severiorem degerent vitam. Pallium Græcorum fuit vestis, quæ collobium dicebatur: & erat duplex, unum vulgare, quo honoratiores cives utebantur, quod ab uno latere circumjiciebatur, ut interior vestis videri posset: Alterum Philosophicum, & præcipuè Cynicorum, qui se totos pallio involvebant, sed ita tamen, ut unum brachium extaret. Ejusmodi etiam veste Philosophi Romæ utebantur, & apud Christianos, qui

rigidius viverent, ut Episcopi, presbyteri, sacerdotes, non tamen omnes. Tertullianus prius togâ, postea etiam pallio uti cœpit, unde illud de eo proverbium, *A togâ ad pallium.* quo denotatur eum à meliori ad deterius vitæ genus se contulisse. Quamdiu persecutio duravit, hic ritus viguit, sed cessante persecutione lætiori veste sacerdotes usi sunt. Tunica etiam vulgaris dicebatur collobium, quæ non habebat manicas, altera verò habebat, quod mollius esse credebatur: pro eâ autem tunicâ postea usi sunt Dalmaticis, seu χειροδύκοις Dalmaticis. Pro pallio autem utebantur byrro: qui erat vestis genus aliquantum vilioris. Vide P. Pithœum lib. 2. adverf. subseciv. cap. 16. *Vossius & Iustellus.*

Canone vigesimo & ultimo anathema iis dicitur, *qui superbientes ea execrantur templa, in quibus memoriæ martyrum celebrantur.*

An.C.169. tempore Polycarpi, iis locis, ubi ossa & cineres martyrum condita erant, Christiani condebant basilicas, atque in iis conventus habebant: tum ut ibi quotannis Deo gratias agerent pro singulari eorum erga magistrum benevolentiâ, tum ut ibidem potius quam alibi incitari possint Christiani ad similem patientiam, ubi annuâ commemoratione eorum virtutes ad posterorum exercitationem & imitationem celebrantur.

Gratianus *distinct.* 29. *reg.* 1. *& distinct.* 30. *Illud*, ut quędam hujus concilii dogmata, aliis conciliis contradicentia, excuset, citat Gregorium M. his verbis: *Regulæ S. S. Patrum pro tempore, loco, persona & negotio instante necessitate traditæ sunt: ergo etiam pro tempore, loco,* &c. *instante necessitate mutari possunt & debent.*

Ut autem videas, ad quam regulam canones suos formarint hujus concilii Patres, addam hujus Synodi prudentem & consideratione dignum epilogum. *Hæc autem scripsimus, non qui in Ecclesiâ Dei secundum scripturas sanctum propositum continentiæ eligunt, vituperantes, sed eos, qui abutuntur proposito in superbiam, & extolluntur adversus simpliciores abscindimus: & damnamus eos, qui adversus scripturas & ecclesiasticas regulas nova introducunt præcepta. Nos autem virginitatem cum humilitate admiramur, & continentiam, quæ cum castitate & religione suscipitur, approbamus: & renunciationem secularium negotiorum cum humilitate recipimus: & nuptiarum castum vinculum honoramus: & divitias*

ritias cum justitia & bonis operibus non spernimus: & habitum simplicem & vestem viliorem pro corporis indigentiâ non fucatam laudamus: sicut solutas & fractas in vestibus processiones reprobamus & domos Dei bonoramus, & conventus, qui in iis fiunt, tanquam sanctos & utiles suscipimus: pietatem in privatis domibus non claudentes, sed omnem locum in nomine Dei ædificatum honoramus, & congregationem in eadem Ecclesia factam pro utilitate communi recipimus, & bona opera, quæ juxta vires in fratres pauperes exercentur, secundum Ecclesiasticas traditiones beatificamus, & omnia quæ per sanctas scripturas & Apostolos sunt tradita, in Ecclesia celebrari exoptamus.

Acta Sylvestri Episcopi Romani Baronio sunt corrupta; nec multò fideliora quæ de disceptatione Sylvestri cum Iudæis narrant Zonaras, Metaphrastes, Cedrenus, Nicephorus, & ex iis alii plurimi. A. C. 315

Cum Alexandrum & Arrium inter magnæ fuissent æmulationes & variæ contentiones, & Alexander factus Episcopus Alexandrinus in concione subtilius de Trinitate Dei disseruisset, & illi interfuisset Arrius, ejusdem Ecclesiæ presbyter, & homo dialecticus, putavit hic ita de Trinitate eum loqui, ut videretur σαβελλιανίζειν, quia Deum unum esse dicebat Patrem, Flium & Spiritum Sanctum, verbis quidem aliter loqui, sed reipsâ sentire cum Sabellio videbatur. Vide Socratem lib. 1. cap. 3, ubi etiam invenies in epistolâ Alexandri ad omnes Ecclesias Arrii sententiam, quæ instar contagii ab Alexandriâ statim per universum orbem est pervagata. Orthodoxi statuebant Filium à Patre ab æterno genitum, ejusdem esse cum patre substantiæ. Arrius vero dicebat filium in tempore ante mundi tempora ex nihilo à patre productum seu creatum, & aliquando non fuisse, & esse κτίσμα καὶ ποίημα ἐκ τῶν μὴ ὄντων, Quæ opinio toti mundo incredibiles dedit turbas. *Ruffin. l. 1. c. 11. Socrates l. 1. c. 3. Theodoretus lib. 1. c. 3 Sozomenus l. 1. c. 2.*

Constantinus Imperator totius orbis imperium solus affectans, Licinio etiam Imperatori, Constantiæ sororis suę marito, Christianorum hosti acerrimo, bellum infert; quo tribus prœliis per Constantinum victo, pax per Constantiam Licinii uxorem componitur. *Eutrepius in Constantino, & alii.* A. C. 316

Postremò Licinius navali & terrestri prælio superatus apud Nicomediam se dedidit, & contra religionem sacramenti Thessalonicæ privatus occisus est. *Idem.*

Donatistæ ad Imperatorem appellant: Ille Laicus, & necdum baptizatus, eorum caussam Mediolani judicat, Cæcilianum absolvit, Donatistas damnat, & cum contempto Imperatore obstinati manerent, damnat illos exilio; à sanguine eorum abstinet. *Baron.*

A. C. 318. Arius ab Alexandro Alexandriæ Episcopo in synodo excommunicatur, & presbyterio privatur: quare relictâ Ægypto, per Palæstinam venit Nicomediam in Bithyniâ, ubi Eusebius (non ille historicus, sed Episcopus Nicomediensis) assensit Arii sententiæ, & illius ergò ad Alexandrum scripsit. Alexander ubi vidit Arii opinionem divulgari, quam plurimas ἐγκυκλικὰς literas scripsit ad Ecclesias, quibus sententiam suam explicabat. *Socrates lib. 1. cap. 3.*

Constantinus mittit Osium cum insigni epistolâ ad Alexandrum & Arium pro concordiâ & pace. *Euseb. lib. 2. cap. 62. in vita Constantini.* Socrates l. 1. c. 4, *Litteras mittit Constantinus per virum spectatum & fidelem, Osium nomine, Episcopum Cordubæ, quæ civitas est Hispaniæ (hunc enim Imperator singulari amore complexus est, & honore summo prosecutus) ad Alexandrum & Arium.* In hisce litteris Imperator se vocat mutuæ dissensionis arbitrum, & pacis moderatorem. Sozomenus l. 1. c. 15. *Mittitur Osius ab Imperatore in Ægyptum & Orientem.* Baronius hunc Osium à Sylvestro Papa missum dicit sed non probat. Imo Constantino rem Christianam procurante, nulla fit mentio Silvestri Papæ apud historicos Ecclesiasticos, nec etiam in epistolâ Constantini.

.1 .Zosimus historicus gentilis in vitâ Constantini: *Ægyptius*, id est magus, *quidam ex Hispaniâ delatus* (fortè hic est Osius, ut etiam opinatur Baronius) *Palatinisque mulierculis familiarior factus, & ad Constantini colloquium admissus, sententiam doctrinæ Christianorum habere vim abolendi quodcunque peccatum confirmavit,* &c. *hanc orationem cum non gravatè Constantinus accepisset, patrita missa fecit, perceptis iis, quæ hic Ægyptius offerebat.*

Osius

Osius in Ægypto Concilium convocat ad componendas turbas. A. C. 319.
Euseb. Athanasius in apologiâ de fugâ suâ sic de Osio: *In quâ synodo non ille dux & antesignanus fuit? quem non ille recta tuendo in sententiam suam pertraxit? quæ Ecclesia non illius præsidentiæ pulcerrima monumenta retinet?*

Hoc anno Imperator Donatistarum precibus fatigatus, quos ex illis in exilium miserat, indulgens relaxat: Deo relinquens puniendos, quos nulla pœna correxisset aut clementia principis emolliisset. Baron. A. C. 321.

Constantinus filium Crispum jam Cæsarem & uxorem Faustam, & Licinium juniorem, & multos senatores occidi curat, ut referunt *Zosimus, Victor, Eutropius, Osorius, Sidonius Apoll. Pomponius Latus, Bapt. Ignatius*; nihil dico quid de Constantino Iulianus Imperator in suis Cæsaribus, quid Eunapius de vitis Philosophorum in Ædesio, & alibi.

Hæc tam manifesta negant Sozomenus & Evagrius, qui in Zosimum acriter invehitur. ille *lib.* 1. *cap.* 5. hic *lib.* 3. *cap.* 40. 41. Si autem caussas cædium nosse velis, consule prædictos auctores tam paganos quam Christianos.

Plurima hoc anno reperies apud Baronium de Silvestro Episcopo Romano, frigida certè & frivola & tanto viro indigna. De baptismo Constantini, synodo Romanâ sub Sylvestro, Actis Sylvestri, fugâ Sylvestri, leprâ Constantini, Eusebii dolo in baptismo Constantini, contra quem Psalmistæ illud adfert: *mentita est iniquitas sibi*; de rebaptizatore Eusebio Nicomediensi, Baptisterio Constantini, de draconis ore occluso per Silvestrum, de celeritate in condendis Basilicis, de donatione Constantini, de nulla facta mentione Arii in secunda synodo Romana, de ultimo canone ejusdem synodi, de inito consilio inter Sylvestrum & Constantinum de convocando in annum sequentem Concilio Nicæno, Vide simul Epilogum ejusdem anni, ubi Sylvestrum Episcopum Romanum magni Constantini baptizatorem, monitorem & impulsorem ad omnes has actiones Ecclesiasticas fuisse statuit, cum apud alios historicos nulla horum fiat mentio, sed omnes dicant Osium Cordubensem Episcopum, qui apud Constantinum in flagranti erat gratiâ, fuisse, quo

 hisce

hisce in rebus potius usus est Imperator. Cujus viri laudes vide apud Athanasium & infinitos alios. Mirari satis non possum Baronii, magni sanè viri, multijugam eruditionem & lectionem & simul tantam in credendo facilitatem. Quare ego potius hæc & similia ab aliis ipsi suppeditata, sed non lecta aut saltem non satis attentè examinata arbitror, cum anno 336, pag. 396. in simili causâ bene dicat: *procul absit ab Ecclesiastico tractatore omnis turpis suspicio fictionis & impostura, qui purâ luce tantummodò gaudeat veritatis: præstat enim ingenuè ignorantiam fateri magis, quam ex mendaciis emendicatam scientiam affectare.* Mirari, inquam, satis non possum hæc in illo viro, qui nobis singulis tomis tam multa falsa ingenuè, me hercle, & candidè detegit, & inter cætera adulterinas illas merces cujusdam mercatoris, sub nomine Isidori in suâ collectione, quem Hispalensem Episcopum fuisse, multi & magni viri crediderunt: qui dico, nobis obtrusit spurias epistolas S. Clementis, & omnes decretales, primis Romanæ Ecclesiæ Episcopis attributas, pro veris &c. Baron. *tom.* 2. *an.* 102. *sect.* 6. *&* 7. *& tom.* 3. *an.* 357. *sect.* 66. *an.* 356. *fol.* 396. *sect.* 5. 6. *&* 7.

Acta Sylvestri Papæ (quæ multas fabulas continent) ipse Baronius *in nonnullis depravata dicit, & multa à diversis superaddita, qua rem veram in discrimen possent adducere, & inde factum esse, ut fidei eorum haud parum sit derogatum*: Ex iis nihilominus lepram & baptismum Constantini per Sylvestrum, Manlianâ auctoritate, probare conatur contra ipsam antiquitatem; cum tamen sæpè optimè dicat, *se non facile credere aliis, qui de rebus antiquis absque veterum assertione scripserunt. Euseb. lib.* 4. *de vitâ Constantini cap.* 62, baptizatum dicit Constantinum sub finem vitæ Nicomediæ, ab Eusebio Episcopo ejus loci & Arriano, imo Arrianorum principe, A.D. 337. Idem alii omnes asserunt. Apud *eundem Eusebium cap.* 63. *& Ambrosium in oratione de morte Theodosii, & Socratem lib.* 1. *c.* 26. *videbis baptismum patris, & filiorum hæreditatem*, ut simul cum cæteris fabulis evanescat donatio Constantini. *Idem habet eodem modo Sozomenus l.* 2. *c.* 32. *& Hieron. in Chronico, & Theodoret. l.* 1. *c.* 31. His etiam Cardinalis Perronius adstipulatus est, in Respon. p. 239. *dum post Nicænam synodum baptizatum ab Eusebio Nicomediensi Constantinum asseruit.*

Syno-

Synodus Romana à Sylvestro collecta quibusdam est supposititia. Baronius dicit editionem usque adeo esse depravatam, ut vix sit reperire versum, in quem mendum non irrepserit. Schultingius quoque in Ecclesiasticâ bibliothecâ de his pluribus conqueritur, ubi inter alia sic disserit: *Vetus & justa est*, inquit, *hac omnium doctorum hominum querela, veritati Ecclesiastica tam multa admixta fuisse mendacia, qua magnoperè fidem & auctoritatem ejus historia elevent.* Deinde notat & redarguit ea, *qua traduntur de lepra Constantini, balneo sanguinis pueri lis, de lepra Vespasiani, de Gamaliele, de Beronice, de actis Christi & diva Virginis*, &c.

CONCILIUM NICÆNUM.

COnstantinus ad finiendas, ex Arrii dogmate per universum orbem disseminato, natas in Ecclesiâ turbas, ex universo orbe convocat Concilium Episcoporum 318, in urbe Nicæâ Bithyniæ regionis, inter quos multi fuêre martyres & confessores. *Euseb. lib.* 3. *cap.* 5. *de vita Constant. Ruffinus lib.* 1. *cap.* 1. *Socrates lib.* 1. *cap.* 8. *Theodoret. lib.* 1. *cap.* 7. *Sozomenus lib.* 1. *cap.* 16. *Gelasius Cyzicenus l.* 2. *c.* 5. *& apud illos ipsi patres Nicani.* Nulla apud eos in convocatione fit mentio Episcopi Romani: & tamen convocatum hoc Concilium auctoritate Sylvestri affirmat Baronius, Bellarminus, Binius. A. C. 325.

Primus Patrum in hoc Concilio fuit Osius, *nominis & fama celebritate insignis*, Imperatoris familiaris & intimus amicus, quem, nullo, quod sciam, teste, præterquam Gelas. Cyziceno, qui scripsit an. C. 476. legatum Episcopi Romani fuisse vult Baronius, & tamen suo nomine tantum subscribit, hisce verbis: *Osius Episcopus civitatis Cordubensis provincia Hispaniæ dixit: Ita credo sicut superius scriptum est.* Sylvestri vero Legati Victor & Vincentius hoc modo subsignant: *Victor & Vincentius presbyteri urbis Roma, pro venerabili viro Papa & Episcopo nostro sancto Sylvestro subscripsimus, ita credentes, sicut supra scriptum est.* sed Sozomenus Iulii Episcopi Romani fuisse legatos refert. Eusebius, Ruffinus, Socrates, Theodoretus nominis Episcopi Romani non meminerunt. Vide *Euseb. de vita Constant. lib.* 3. *cap.* 7. *Theodoret. lib.* 1. *cap.* 7. *Sozomenum lib.* 7. *cap.* 17.

Concilium hoc Nicænum est primum œcumenicum seu universale.

sale. Vox œcumenicum dicta est ab οἶκος domus, quod ab οἰκέω habito, unde οἰκεόμενος οἰκούμενος, & σύνοδος οἰκουμενική, quasi omnium in terrâ habitantium. sed hæc vox sumitur latè & strictè, strictius sumpta dicitur de ea synodo, quæ collecta est ex Episcopis orbis Romani. Ita dicitur synodus œcumenica Nicæna synechdochicῶs, pro parte orbis universi. Non enim huic Synodo interfuerunt Episcopi Æthiopiæ, Parthiæ, &c. Eorum verò, quæ in hoc Concilio à Patribus constituta sunt, quædam spectant Arium, quædam fidem, quædam festum Paschatis, quædam disciplinam & regulas Ecclesiasticas.

Arius cum suis in exilium missus est, ejusque libri combusti.

Arii dogma (pro quo vide contra synodi patres disputantes Philosophos *apud Gelasium Cyzicenum lib. 2. cap. 13. & seq. apud Athanasium epistol. ab Iovinianum Imperatorem, Socratem lib. 1. cap. 5. & Theodoret. lib. 1. cap. 10* Damnatur his verbis: *Qui dicunt; erat, quando non erat, & priusquam gigneretur non erat, aut quod ex nihilo factus est, aut ex aliâ substantiâ seu essentiâ, dicentes aut creatum aut alterabilem filium Dei, hos tales anathemizat Catholica & Apostolica Ecclesia.* In quem finem à Patribus hujus Concilii conditur symbolum fidei, dictum Nicænum, quod inter cætera filium Patri ὁμοούσιον, id est consubstantialem declarat, & Deum verum ex Deo vero, natum non factum statuit. Sed videamus ipsa Symboli verba: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum Dominum Iesum Christum, filium Dei, genitum à Patre unigenitum, hoc est ex Patris substantia, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero genitum non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo & quæ in terra; qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlo, incarnatus est, homo factus est, passus est, resurrexit tertiâ die, ascendit ad cœlos, venturus est judicare vivos & mortuos: Et in Spiritum sanctum.* de hoc symbolo consule dissertationem Vossii de symbolis tertiam.

Hic obiter notandum vocabulum ὁμοούσιον, consubstantiale seu coëssentiale non inveniri in sacra scriptura, sed tamen, ut loquitur Eusebius apud Theodoretum lib. 1. cap. 12. & 13. histor. Ecclesiast. *Priscos quosdam Doctores, & celebres Episcopos scriptoresque scimus in dispu-*

disputatione Deitatis Patris & Filii, inter alia etiam hanc dictionem coëssentialis usurpasse: nimirum ante Patres Concilii Nicænensis, quod testatur Athanasius. (ut diximus an C. 272.) in epistolâ de sententiâ Dionysii Alexandrini factum à Dionysio Alexand. in apologiâ ad Dionysium Romanum. Et tamen diversæ Ecclesiæ post celebratum Concilium Nicænum iniquo tulerunt animo usos hos patres fuisse vocabulo Consubstantialis, quod rejectum, aut saltem alio sensu usurpatum fuerat à Patribus Concilii Antiocheni contra Samosatenum: Ita etiam, ut in diversis conciliis illud ὁμοούσιον fuerit omissum à multis cætera Catholicis: Imo & S. Basilius & S. Gregorius Nazianzenus & alii prisci patres voces ὁμοούσιος & τριάς, etsi clarissimis scripturarum testimoniis contentas, & sacri Concilii Nicæni auctoritate firmatas, usurpare vix audebant; *parcentes*, (inquit Basilius) *uti nominibus, quæ non exstant in scripturis totidem literis*.

Tertiò, tempus celebrandi festum Paschatis, disputatum antehac inter Victorem Episcopum Romanum & Episcopos Asiaticos, constituitur dies Dominicus post Iunam decimam quartam; ne Christiani (ut videre est in epistolâ Constantini ad Orientales apud Eusebium) hoc commune haberent cum Iudæis, & quia altera consuetudo apud plurimas Ecclesias observabatur. *Euseb. in vitâ Constantini lib. 3. cap. 16. & Socrates lib. 1. cap 5. &c.* Et eodem *lib. cap. 17.* sic pergit Constantinus apud Eusebium: *Unum enim libertatis nostræ diem festum, hoc est sanctissimæ passionis servator noster nobis tradidit, unamque Ecclesiam catholicam esse voluit. Cujus quidem membra tametsi in multa variaque loca dispersa sint, tamen uno spiritu, hoc est, divinâ voluntate & nisu coalescunt. Vestra igitur sanctitatis prudentia consideret, quam grave, imò quam indecorum sit, ut iisdem diebus alii jejuniis vacent, alii agitent convivia; ac post dies Paschatis alii in festis & animorum remissione versentur, alii præscriptis jejuniis se dedant.*

Ut etiam videamus quæ disciplinam & regulas Ecclesię spectant, addam canones hujus Concilii omnes, nimirum 20, sed in compendia redactos.

De eunuchis agit, & vetat castrationem sui ipsius: idque propter Leontium Episcopum, qui Concilio intererat, & seipsum castraverat, ut anteà amore continentiæ Origines. CANON. I.

2. *Vetat gentiles statim post baptismum ad clericatum promoveri.* Hi diecebantur Neophyti, qui ex paganismo Christi fidem amplexi per baptismum Ecclesiæ insiti, in doctrinâ non satis confirmati, nec in vitâ satis probati erant. Et tamen S. Ambrosius, & Nectarius, necdum baptisati & adhuc catechumeni ad episcopatum ille Mediolani, iste Constantinopoli electi sunt.

3. *Vetat omnes ex Clero subintroductam habere mulierem.*

4. *Vetat ordinari Episcopum à paucioribus, quam tribus Episcopis: firmitas autem eorum quæ geruntur, per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuitur.* Theodor. lib. 5. cap. 9. & 23.

5. *Vetat clericum aut laïcum excommunicatum ab aliis recipi; & in eum finem in unaquaque provinciâ bis quotannis concilium convocari jubet, ut in iis quæstiones discutiantur.*

6. *Statuit unicuique Primati suæ jurisdictionis limites: & sine metropolitani voluntate non esse ordinandum Episcopum.*

7. *Episcopo Hierosolymitanò tribuit honorem, salvo honore Metropolitani,* qui est Cæsariensis.

8. *Iubet Novatianos*, qui & Cathari id est mundi dicuntur, *si ad Catholicam Ecclesiam venire velint, cum manus impositione recipi, ita ut qui sunt clerici, in clero permaneant.* Exceptis διγάμων ἐξάρχοις. Vide synodicam epistol. concilii Nicæni apud Theodoret. lib. 1. cap. 9.

9. *Non admittendos vult presbyteros, sine examine provectos.*

10. *Lapsos, ad ordinem cleri promotos, deponi jubet.* vide Cyprian. epist. 91. & 164. & 168.

11. *Iubet sponte lapsos pœnitentiam agere; ut tribus annis inter audientes, sex in omni contritione habeantur, duobus sine oblatione populo in oratione communicent.*

12. *Iubet ut qui semel è militiâ sub Licinio egressi abnegantes Christum, ad Ecclesiam redire volentes tredecim annos in pœnitentia traducant.*

13. *Iubet moribundo dari viaticum, quod est corpus & sanguis Domini, ita tamen ut pro rei occasione, & judicio Episcopi omnia dirigantur.*

14. *Iubet ut Catechumeni lapsi, tribus tantum annis sint inter audientes, postea autem cum Catechumenis orent.*

15. *Vetat ne Episcopus aut presbyter de civitate in civitatem transeat, quod si fiat, jubet restitui propriæ Ecclesiæ.*

Vetat

Vetat ne aliquis ordinet in suâ Ecclesiâ alienum, sine consensu sui Episcopi. 16.

Vetat ne clerici pecuniam fœnori dent. 17.

Vetat ne Diaconi offerant sacramenta presbyteris: nam hoc est contra regulam & consuetudinem, sed jubet ut Diaconi sacramenta accipiant ab Episcopis aut Presbyteris. 18.

Iubet Samosatenienses & Montanistas, ad Ecclesiam Catholicam venientes, baptizari. 19.

Iubet diebus Dominicis & à Paschatis festo ad Pentecosten stantes orare. Quia primâ feriâ, id est die Dominicâ Christus resurrexit, tum enim oraturi surgebant,& stabant ad illud tempus,quo Spiritum sanctum venturum promiserat Christus: atque illa erant lætitiæ tempora. Alioqui in veteri Ecclesia semper flectebant genua, cum preces ad Deum fierent, Addam paucas ad hos canones notas. 20.

Ex occasione canonis tertii actum quid inter Patres Concilii Niceni de cœlibatu Clericorum suspicatur illustrissimus Baronius, & affirmant Socrates & Sozomenus. Talis autem est canon integer ex versione Dionysii Exigui: *Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, aut alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam seu extraneam habere mulierem, nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt.* Audiamus Socratem lib. 1. cap. 8. *Visum erat*, inquit, *Episcopis*, Concilii Nicæni, *legem novam in Ecclesiam introducere, ut sacris initiati, Episcopi videlicet, Presbyteri & Diaconi cum uxoribus, quas in statu Laico duxissent, non dormirent. Cum autem hac de re consultatio instituta esset, in medio Episcoporum consessu surgens Paphnutius in Thebaide Episcopus, vir sanè adeò sanctus & pius, ut eximia cumprimis ab eo miracula ederentur, clamabat, grave jugum consecratis viris non esse imponendum, dicens honorabile esse cubile & conjugium impollutum, videndumque ne nimio exquisita vitæ studio, Ecclesiam gravi incommodo afficerent. Viri autem cum legitimâ uxore concubitum castimoniam appellavit.* Et paulò post: *Totus ergo sacer conventus verbis Paphnutii consensum prebuit. Quapropter hanc quæstionem sopiverunt, uniuscujusque arbitrio abstinentiam ab uxoris consuetudine permittentes. Et de hac re nullam legem tulerunt*, inquit Sozomenus, *sed eam in cujusque arbitrio,*

non in necessitate poni voluerunt. At veterem quidem traditionem fuisse, ut qui cœlibes gradum sacerdotalem consecuti essent, postea minimè uxores ducerent: qui autem post nuptias ad eum ordinem vocati, hi ab uxoribus minimè separarentur. Sozomenus lib. 1. cap. 22. Tale quid habet concilium provinciale Ancyranum: At ego, ut verum fatear, non memini me unquam ejusmodi universalem totius Ecclesiæ legem seu traditionem vidisse: & esset contraria Canoni Apostolorum quinto, & Gangrensis synodi canoni quarto, & praxi Ecclesię Græcæ: nam neminem uxoratum à presbyterio arcent, eosque (Photio apud Baronium an. C.861.pag.210. teste) non ferunt, qui se ab uxoratis secernunt. hanc de Paphnutio historiam etiam refert Gelasius Cyzicenus, sed dictæ non meminit traditionis. Non ergo interdictio matrimonii est juris divini, aut Ecclesiæ universæ, (nam non est decretum Catholicum, nisi per concilium aliquod œcumenicum) sed ex consuetudine. huc autem summa istius quæstionis redit: Ut clericus, qui Laicus uxorem duxit, eam habeat: aut si cœlebs vivat, maneat in cœlibatu sine scandalo, & sine subintroductis & cōtubernio fœminæ, aut cum eâ, quam proxima consanguinitas à suspicione mali liberat.

Subintroductus, Græcè συνείσακτος, *peculiari significatione dicebatur socius vel socia cœlibatus, sive virgo contubernalem habens virum, sive monachus, aut presbyter, aut diaconus fœminam non conjugem, sed sociam seu administram.* Budæus. Vide *Iustelli notas in hunc canonem Codice Can. universæ Ecclesiæ, & in can.* 39. Duo hoc loco consideratione digna inter cætera sunt; primò quod prohibeantur subintroductæ in hoc concilio clericis, hoc vero tempore permittantur; secundò, quod permittatur eisdem in eodem Concilio matrimonium, hoc vero tempore non tantum prohibeatur, sed instar fornicationis & etiam peiori loco habeatur. Quid hic inter cætera Baronius? *Quomodo,* inquit, *sancta synodus antiquam à temporibus Apostolorum consuetudinem abrogare potuit, quæ ordinatos conjugatos à sacris arcebat, si se iterum uxoribus miscuissent?* sed ego non video quibus rationibus hoc probare posset vir illustrissimus, & si hoc verum, quare Spiridion, Tremithuntis oppidi Cypri Episcopus, virtutibus & plurimis miraculis clarus, ut narrat Sozomenus, uxorem & liberos habuit, & huic tam magno & sancto concilio interfuit? *qui tamen non propterea negli-*

negligentius res divinas obiit, inquit Sozomenus lib. 1. cap. 11.

Ad canonem quintum hæc habet Platina in vitâ Sylvestri: *Decernitur etiam ab Concilio Nicano, & quidem sanctè, ne cuipiam fieret injuria, ut singulis annis in unaquaque provinciâ concilium haberetur.* Canon Nicænus jubet, ut bis singulis annis Concilium in unaquaque provinciâ celebretur; *unum quidem ante τεσσαρακοστήν, quadragesimam Pascha, ut omni dissensione sublatâ, munus offeratur Deo purissimum: secundum vero circa tempus Autumni*: Verba sunt canonis. *Quare*, pergit Platina loco prędicto, *hoc sanctum institutum aboleverint nostra atatis Pontifices non video: nisi quia censuras bene viventium & sentientium reformidant. Postremò vero decernitur canone decimo quarto, ne quis de minore Ecclesiâ ad majorem transeat, ambitionis & avaritia caussâ: quod certè non observatur, cum siccis faucibus, tanquam lupi famelici, precibus, pollicitationibus, muneribus, largitione uberiores Episcopatus, omissis primis, omnes quarant & efflagitent.* sic Platina.

Canon sextus Concilii Nicæni constituit limites jurisdictionis vel diœceseos singulis Patriarchis, & præcipuè Alexandrino, idque hac de caussâ: Meletius Episcopus Lycopolis in Thebaide, (quæ regio inter cæteras est sub administratione Ecclesiasticâ Alexandrini) *à Petro Alexandria Episcopo*, ut refert Socrates, *qui regnante Diocletiano mortem obierat martyrio, cum multis aliis de caussis, tum maximè, quod tempore persecutionis fidem inficiatus idolis immolaverat, munere episcopatus abdicatus est: qui cum esset abdicatus, pluresque haberet, qui erant ipsius dicto audientes: illis, qui ab illo usque tempore ad hodiernum diem, in Ægypto Meletiani vocantur, ducem haresis se prabuit.* Socrates lib. 1. cap, 3. Theodoret. lib. 1. cap. 9. in synodica Concil. Nic. Aliter, & fortè deceptus, ut loquitur Baronius, de Meletianis hæc refert Epiphanius hæresi 69. Approbarunt acta Petri adversus Meletium Achillas & Alexander Petri successores. Cum vero Meletius, & ejusdem in schismate sectatores, contra regulam & consuetudinem Ecclesiæ Episcopos, Presbyteros, &c. ordinarent, quæsitum fuit à Synodo, an illa potestas concedenda esset Meletio seu Meletianis. Ad sedandam igitur hanc quæstionem & ad promovendam in Ecclesiâ pacem à Patribus 318, factus est hic canon sextus: in quo observandum, quomodo jura Patriarcharum civilis dignitas & consuetu-

ſuetudo introduxerit, Concilia firmaverint, Imperatores ſanciveverint. Nam in hoc canone prædictâ occaſione trium principum Patriarcharum, Romani, Alexandrini,& Antiocheni confinia definiuntur, & origo refertur ad τὸ συνηθὲς, conſuetudinem, & inſuper ſynodus decernit obſervationem illius conſuetudinis religioſam verbis his graviſſimis, quæ ceu oraculum Eccleſia Catholica ſemper venerata eſt, nempe τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, ut antiqui mores obtineant; mandans etiam τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις, privilegia ſervari Eccleſiis. ſed cum hunc canonem diverſi diverſo modo interpretentur, diverſas addam verſiones, ut ex iis veritas clarius appareat.

Hæc autem eſt verſio Dionyſii Exigui, qui *maximus fuit doctrinâ*, ut inquit Baronius, & eſt omnium exactiſſima, & reperitur Tomo primo Conciliorum cum ejuſmodi titulo: De privilegiis, quæ quibuſdam civitatibus competunt; Canon 6. *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam & Pentapolin, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem: Quia & urbis Romæ parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam cæteraſque provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis.* Altera ejuſdem Canonis verſio quæ etiam reperitur tomo primo Conciliorum, priori non eſt diſſimilis. Tertia eſt ex editione Græcâ per Aëtium Archidiaconum Conſtantinopolitanum producta, cum hoc titulo: *Canon 6. 318. ſanctorum Patrum: Antiquæ conſuetudines quæ ſunt in Ægypto maneant: ita ut Epiſcopus Alexandrinus habeat poteſtatem omnium: quia & Epiſcopo Romano illud aſſuetum eſt: ſimiliter autem & apud Antiochiam cæteraſque provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis*, &c.

Hæ tres verſiones canonis 6. prædicti aliquo modo quidem variant, ſed in præcipuis & ad rem pertinentibus, conveniunt: quemadmodum etiam canon ſextus in codice Canonum univerſæ Eccleſiæ apud Chriſtoph. Iuſtellum, & apud Gelaſium Cyzicenum in commentario Actorum Concilii Nicæni. *fuit ille Gelaſius presbyteri Cyziceni filius, Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus, qui tribus libris complexus eſt an. C. 476, res in Nicæna Synodo geſtas, ſecutum ſe dicit, cum alios, tum acta veteribus membranis inſcripta, quæ fuerant Dalmatii Cyzicenorum Epiſcopi, Socrati etiam memorati lib. 7. c. 28.* Voſſius. Prorſus

sus similem, aut potius sextum Concilii Nicæni canonem perspicuè explicantem invenies canonem in exemplari Arabico sub Pio IV. ex Ægypto Romam delato, ut narrat Alphonsus Pisanus apud Binium tomo 1. post acta Concilii Nicæni. Verba hæc sunt:

Constitutum est, ut Ægypti Episcopus, id est, Patriarcha Alexandrinus præsideat & habeat potestatem totius Ægypti, & omnium locorum, civitatum & castellorum quæ sunt circa eam, quia sic convenit. Siquidem similiter Episcopus Romæ, id est successor Petri Apostoli, potestatem habet omnium civitatum ac locorum, quæ sunt circa eam. Ac similiter Episcopus Antiochiæ, id est, Patriarcha, potestatem habet provinciæ illius totius & eorum locorum, quæ circum eam sunt. Et in aliis item locis servari debet, quod in præterito constitutum est. Hic autem eorum omnium idem est sensus: Quia Episcopus Romanus in iis provinciis, quas jure Exarchi seu metropolitæ gubernat, potestatem habet ordinandi Episcopos: eadem quoque sit potestas Alexandrino per eas provincias, in quibus jus primatis seu metropolitani ei competit, circa Episcoporum ordinationem. Vide canonem secundum Concilii Constantinopolitani, qui controversum hunc sextum canonem dilucidè exponit & declarat.

At Baronius aliam nobis producit explicationem hujus Canonis nempe secundum Paschasini Episcopi Lilybeensis, legati Leonis Episcopi Romani in Concilio Chalcedonensi, verba; quæ tamen ut malè citata à totâ illâ synodo rejiciuntur,& canon 6. genuinus è codice Constantinopolitanæ Ecclesiæ à Secretario recitatur, ejusdem argumenti & verborum similium, qualem vides in tomo Conciliorum primo, ut jam ostendimus.

Hæc autem est versio Latina ex editione Græca Paschasini, ut manifestam videas differentiam: *Propterea quod Ecclesia Romana semper habuit primatum, teneat autem & Ægyptus; adeo ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem: quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo: similiter & qui in Antiochiâ est constitutus, & in cæteris provinciis primatum habeant Ecclesiæ* civitatum ampliorum. &c. Explicationem hujus canonis apud Baronium si legere lubet, dices eam aut violentam aut non satis exactam. Nam illa Paschasini versio non convenit cum exemplari Græco nec cum versione Latinâ, & quamvis as-

ferat

ferat Baronius Paschasinum & Dionysium in translatione idem fuisse secutos exemplar; diversum tamen docet ipsa versio: Nam Paschasini nec cum rei veritate, nec cum ratione, nec sibi convenit, nisi ad hunc modum eam explices, quod commodè fieri potest. Quia Ecclesiâ Romana semper habuit primatum in ordinandis Episcopis in suâ diœcesi, teneat & Ægyptus primatum, adeo ut Episcopus Alexandriæ etiam habeat potestatem omnes ordinandi Episcopos in sua diœcesi; quemadmodum facere consuevit Episcopus Romanus, & Antiochenus: & similem habeant primatum in ordinandis Episcopis Ecclesiæ civitatum majores in cæteris Imperii provinciis.

Sed audiamus etiam hujus canonis explicationem per Ruffinum l. 1. c. 6. historiarum Ecclesiast. nobis relictam, quam ægerrimè fert Baronius, ita ut acriter eum perstringat: hæc habet Ruffinus: *Et ut apud Alexandriam, & in urbe Româ vetusta consuetudo servetur: ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Suburbicariæ autem Ecclesię erant earum in Italiâ circa Romam civitatum, quæ Præfecto Urbis erant subditæ. Vide commentarium in Notitiam cap. 4. & Iacobum Gothefredum: *Ita & Episcopus Romanus*, &c. Italia constat ex regionibus annonariis & urbicariis seu suburbicariis, quæ posteriores erant territorium urbis Romæ, seu Pręfecti ejusdem, quod extendebatur ad centesimum lapidem seu milliarium. Vide Salmasium in notis ad Trebellium Pollionem in historiâ Augustâ; & ejusdem epistolam de regionibus & Ecclesiis suburbicariis, ubi quatuor statuit regiones urbicarias seu suburbicarias seu suburbanas; nempe Valeriam, Latinam, Tusciam suburbicariam, & Picenum suburbicarium, quæ erant Urbis territorium, & jurisdictio Pręfecti Urbis in civilibus, & in Ecclesiasticis Episcopi Romani. Pręfectus vero prætorio Italię duos habebat Vicarios, quorum alter dicebatur Vicarius Urbis qui Romæ, alter Italiæ, qui Mediolani commorabatur. Ille regebat suburbicarias & quasdam annonarias, imo & Siciliam, Sardiniam & Carsicam, hic regiones Italicas numero septem in civilibus, in Ecclesiasticis Archiepiscopus Mediolanensis. Episcopo autem Romano Salmasius tantum concedit illas suburbicarias, & postea accessisse dicit Tusciam annonariam & Picenum annonarium, quod Longobardorum tempore Marchia dictum, cui & Umbria, ut vicina adjuncta

cit specialem Episcopi Romani fuisse diœcesin. Disputat Salmasius in hac epistolâ contra Sirmundum doctissimum Iesuitam, qui totum Occidentem statuit esse Episcopi Romani diœcesin, fortè ex Canone 3. Concilii Sardicensis, in quo, si legitimus est, conceditur unicuique Episcopo provocatio ad Episcopum Romanum, quâ de re suo loco paulò post latius agemus. Vide etiam Blondellum *de primatu in Ecclesiâ cap. 33. sect. 1. §. 1. &c. sed præcipuè sect. 5. parag. 17.* ubi distinguit inter Præfectum Urbis & Vicarium urbicum: *Sub jurisdictione seu potestate Præfecti Vrbis erat* (inquit Blondellus) *Roma & ager Romanus cum parte Campaniæ & Samnii, quæ pars postea divisa, & dicta Valeria, Tuscia & Picenum: Sub Vicarii urbici jurisdictione erant regiones urbicariæ seu suburbicariæ, & annonariæ, ut Samnium, Apulia, Calabria, Lucania, Brutii, Sicilia, Sardinia, Corsica. In illas quatuor regiones Præfecti Vrbis Episcopus Romanus habuit, secundum antiquam consuetudinem jurisdictionem Metropolitanam, in annonarias autem & suburbicarias, quæ erant sub jurisdictione Vicarii Vrbici, Patriarchalem seu primatus.* Sed consule ipsum auctorem. Grotius, epistolâ 83. ad Gallos laudat & approbat diatribam Blondelli de suburbicariis. Sæpe etiam meminit Blondellus in opere de primatu in Ecclesiâ libri de suburbicariis regionibus, impressi Francofurti anno 1618. quem videre non contigit. Baronius urbicariarum & suburbicariarum significationem latius extendit, & ineptum dicit Episcopo Romano minorem velle tribuere jurisdictionem, quam Alexandrino, *cum diœcesis Pontificis Romani,* inquit, *sui amplitudine toto Christiano orbe sit diffusa.* Sed condonemus Baronio hyperbolicam illam de auctoritate Episcopi Romani locutionem, & quod veritati maximè affine proferamus. Omnes hoc fateri debemus, nec quisquam antiquitatis peritus negabit, Romanum Episcopum dignitate, omnium Episcoporum Imperii Romani fuisse primum seu Principem seu caput &c. & proinde valdè credibile ejus diœcesin & potestatem non fuisse clausam intra limites jurisdictionis Præfecti Urbis, ita ut Blondelli judicium hoc loco non sit rejiciendum. Epistola synodica Concilii Arelatensis ad Silvestrũ Episcopum Romanum: ex P. Pithœi bibliothecâ deprompta hoc etiam docet, dum sic ait: *Placuit etiam à te, qui majores diœceses tenes, per te potissimum insinuari* &c. vide an. C. 314.

Hæc erat primitivæ Ecclesiæ consuetudo, ut secundum dignitates urbium civiles dignitates ecclesiasticas æstimarent. Hoc docet Concilii Nicæni canon 7. his verbis: *Quia consuetudo obtinuit & antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salvâ Metropolis propriâ dignitate.* Major quam cæteris Palæstinæ Episcopis honor deferebatur in multis,& præcipuè in ordine sessionis in Conciliis, Episcopo Hierosolymitano, propter promulgatam ibi doctrinam Christi,& passum in ea urbe nostrum servatorem; sed tamen secundum dignitatem civilem major honor debebatur Metropolitano Cæsariensi, quam sequebatur ut plurimum dignitas ecclesiastica. Et in Concilio Constantinopolitano primo, œcumenico secundo, Episcopo Novæ Romæ, id est Constantinopolitano eadem de caussa maxima post Episcopum Romæ veteris dignitas tribuitur, quiá nova Roma etiam est sedes Imperatoris: quæ dignitas Episcopo Constantinopolitano confirmatur in Concilio Chalcedonensi, & ibidem hic additur Can. 17. *Civiles dispositiones & publicas Ecclesiasticarum quoque parochiarum ordines subsequantur.* Vide Baronium ad an. C. 39. §. 10. per diversa exempla probantem Ecclesiasticos ordines sequi dignitates civiles; qui locus producetur an. C. 451.

Ad canonem undecimum: Ecclesia constabat ex triplici genere hominum: Primò *pœnitentium*, qui aut in Idololatriam lapsi erant, aut homicidium aut adulterium commisissent. secundò *Catechumenorum*, qui ita dicti sunt, quod instituerentur in religione Christianâ, qni erant duplices: qui necdum satis instituti baptizari non poterant, dicti *audientes*, & qui baptismum exspectabant, dicti *competentes*. Tertiò *fidelium*, qui soli erant participes corporis & sanguinis Domini. Atque hi quidem omnes admittebantur in templum, sed qui graviter & enormiter peccassent arcebantur sæpe & tecto & limine templi. Vide *Tertull. lib. de pœnit. cap. 6. & lib. de præscript. adversus hæret. cap. 41. Cyprianum ep. 13. Concil. Constantinop. can. 7.* &c. Templum vero ipsum distinguebatur septo, intra quod verè fideles; proximè illud septum & à lateribus consistebant Catechumeni; in alio verò seorsim consistebant ἐνεργούμενοι, id est obsessi à diabolo, leprosi, & qui infando incestu se maculassent. Inter Catechumenos etiam sæpe consistebant pœnitentes: qui cum Catechumenis peractis pro

iisdem

iisdem precibus templo simul exibant, antequam cœna Dominica celebraretur, cum Diaconus more solito dixisset; Ite missa est, id est, missio seu dimissio populi, Græcè ἄφεσις λαῶν. *Iustellus, & Vossius.*

Duodecimus canon loquitur de iis, qui semel conscientiâ puncti militiæ cingulum abjecerant, (solent Imperatores gentiles honoratioribus militibus dare cingulum) quibus reditus ad militiam sub Licinio non patebat, nisi per fidei Christianæ abnegationem: quæ quia eò erat gravior, quò prior ille actus majorem in illis legis divinæ cognitionem testabatur, ideo hi defectores gravius etiam puniuntur, quam illi, de quibus egerat præcedens canon, qui sive periculo vitæ, aut facultatum amittendarum Christianismum abjecerant. non tamen, ut quidam arbitrantur, per hunc canonem omnis militia Christianis prohibetur. *Iulianus Imperator, quamvis esset Apostata, habuit tamen sub se Christianos milites: quibus cum dicebat, producite aciem pro defensione republica, obediebant ei: cum autem diceret iis, producite arma in Christianos, tunc agnoscebant Imperatorem cœli,* ut loquitur S. Ambrosius. Idem docet Thebæa legio, constans ex Christianis 6666, anno C. 297. *Iustellus in notis ad hunc canonem. Grotius de jure belli & pacis lib. 1. cap. 2. Albaspinus lib. de veteribus Ecclesiæ ritibus in notis ad can. Asiæ.*

Canon. 13. per Viaticum in veteri Ecclesiâ intelligitur donum εὐχαριστίας, quod dabatur per presbyterum pœnitentibus gravi morbo decumbentibus & moribundis, qui tam diu non supervixissent, ut annos pœnitentiæ complerent, & possent corporis & sanguinis Domini participes fieri. *Paullò aliter hunc canonem explicat Albaspinus loco supra citato. Vide Concilii Carthag. 4. can. 78.*

Eadem Nicæna synodus canone 19 decrevit quosdam hæreticos, ad catholicam Ecclesiam venientes esse baptizandos, ut Paulionistas (qui sunt Samosatiniani, δεύτεροι ἰουδαῖοι Epiphanio dicti hæres. 65. & Christum ψιλὸν ἄνθρωπον statuebant) & Cataphrygas seu Montanistas (qui Montanum Paracletum credebant, quorum tamen non meminit Codex Canonum Iustelli,) non quod probent anabaptismum Patres Concilii, sed quod pro rato non habeant baptismum, qui non fit in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Diaconissarum

rum etiam fit mentio in hoc Canone 19, apud Iustellum, sed de iis vide Concilii Laodiceni can. 11. an. C. 362.

Baronius Concilii Nicæni canonibus addit canonem de appellatione ad Episcopum Romanum, quem produxerunt Zosimi & Bonifacii Episcopi Romani an. C. 419, in synodo Carthaginensi legati: quamvis nec apud Græcos nec Latinos auctores inveniatur, & sit fortè canon Concilii Sardicensis, de quo alibi latius. Asserere conatur illum canonem verbis *Theodoreti l. 2. c. 4. & Socratis l. 2. c. 13.* sed illa sunt verba ipsius Iulii Episcopi Romani ante Concilium Sardicense ab iisdem relata. Adducit etiam Epistolam Concilii Nicæni ad Sylvestrum, & Sylvestri epistolam respondentem ad dictum Concilium: quæ ipsi Baronio sunt mendosissimæ & mendacissimæ. Quare ego, ut verum fatear, non possum satis admirari & deplorare in tam magno viro, tam magnum partium studium. Cum canon hujus ejusdem Concilii quintus disertis verbis vetet, aliquem excommunicatum ab alia Provincia recipi, & jubeat eumdem examinari à synodo Episcoporum ejusdem provinciæ, eamque ob caussam bis quotannis in singulis provinciis concilia convocari præcipiat: quæ etiam ab œcumenicis conciliis sequentium seculorum confirmata sunt. sed, proh dolor, magnorum ingeniorum maximum sæpe est venenum privata utilitas. De canonibus 80. Pisani & Turriani vide Binium Concilior. Tom. 1. quorum plurimos esse suppositios manifestum facit consensus omnium scriptorum, qui non plures quam 20 statuunt. Ut *Theodoret. lib. 1. c. 8. Gelas. Cyzicenus act. Concil. Nicæni l. 2. Carthag. Concil. 6. & codex canonum Christ. Iustell.*

Pauca hoc loco notanda veniunt, ut videamus etiam in negotio religionis non pauca tum temporis ab Imperatoribus acta fuisse. Quamprimum litem haberet cum Alexandro Arius, ut eam compesceret Imperator, adhuc Catechumenus, Hosium Cordubensem suum amicum cum insigni epistolâ ad concordiam monitoriâ Alexandriam mittit. Cum autem eâ legatione nihil efficeret, convocat Concilium Episcoporum 318. Nicæam Bithyniæ; cum convenissent, hortatur eos ad pacem, *neque desistit eos ad concordiam urgere,* inquit Eusebius, *donec universos à disceptationibus ad ejusdem sententiæ & dogmatis societatem abduceret, ut & conjungerentur in fidei professione*

sione & in festivitatis salutaris tempus idem universi consentirent. Concilio finito decreta patrum servanda per literas Ecclesię Alexandrinæ & omnibus Ecclesiis denunciat, atque ita ex canonibus facit leges. Arrium cum suis exilio mulctat, libros ejusdem comburit & sectatores minis terret. Omnes 318. Episcopos convivio excipit, quo peracto omnibus dona distribuit. In initio Concilii quidam Episcopi libellos, quibus se mutuò accusabant, Imperatori obtulerant, *quos lino ligatos, & sigillis obsignatos, coram omnibus combussit,* ut loquitur Sozomenus: Et eos exhortatus est, ut in fide concordiam & pacem inter se mutuò conservarent, ut, quemadmodum ille libellos contentionum igne elementari concremasset, ita illi suas contentiones divino charitatis flammâ obliterarent & absumerent. *Laudatissimus ergo Rex Apostolicas curas suscipiebat animo suo*: inquit Theodoretus, *at Pontifices*, id est Episcopi & sacerdotes, *non solum non ædificare Ecclesiam, sed illius etiam fundamenta labefactare conabantur.* *Theodor. l. 1. c. 24.*

Sub Sylvestro Romæ dicitur celebrata synodus, quæ continet non tantum multa incerta, sed & manifesta mendacia. *Baronius.*

Alexandro Episcopo Alexandrino mortuo, Athanasius, qui etiam Concilio Nicæno interfuit, eligitur in ejus locum, à quo sibi metuentes Arriani concordiam ineunt cum Meletianis in Ægypto, ut communi consensu Athanasium oppugnent. *Athanas.* & *Theodor.* Constantinus edicto dirui jubet templa Valentinianorum, Marcianorum, Paulianorum &c. *Euseb. in vitâ Constant. l. 3. c. 61.* Circa tempora Concilii Nicæni Indi inferiores religionem Christianam amplexi sunt, auctore Frumentio, qui puer eò abductus procurator postea regis effectus est, & templum ibidem ædificavit, *Socrates lib. 1. cap. 15. Theodoret. lib. 1. cap. 22. Sozom. lib. 2. cap. 23.*

Constantinus Imperii sedem in Oriente conditurus eligit locum prope Trojam, ubi etiam muros urbis ad aliquam altitudinem erexit. Verum cum Bysantii situm postea consideraret, eum locum prætulit, & fabros cum omnibus instrumentis eo transtulit. Imo & nobiles aliquot viros Romæ excitat, qui Constantinopolim commigrent, quibus providet de stipendio & annonâ. Civibus etiam, qui Constantinopoli habitare volebant, annonam dedit, unde urbs brevi spatio in immensum aucta est, *cum omnium fere urbium nuditate,*

ut loquitur in Chronico Hieronymus : distribuit civibus quotannis octuagies centena millia medimnorum frumenti, quæ sunt ultra vicies quater centena millia modiorum. *Zosimus, Zonaras*, &c.

Imperator Constantinus insigne templum condidit Hierosolymis loco sepulcri & resurrectionis Christi; quod Eusebius *lib. 3. cap. 24. & seq. de vitâ Constantini* prolixè describit, & exstructum dicit circa salutare illud antrum, in quo Christus sepultus dicitur, diruto templo & simulacro ab Hadriano Imperatore ibi posito. Secundum templum construxit Helena Constantini mater in monte Olivarum, loco ascensionis Domini in cœlum; Tertium Bethlemi, loco nativitatis. Hoc tempore primùm fit mentio ornatus in templis antea incognitus, ortum habens ex Constantini & Helenæ munificentiâ & devotione. Ruffinus *histor. Eccles. lib. 1. cap 7.* narrat Helenam in loco, ubi crucifixus pependerat Christus, ejusdem crucem miraculosè invenisse & agnovisse, & præterea clavos, quibus cruci affixus fuerat, ibidem reperisse, ex quibus frenos & galeam belli usibus aptam sibi Constantinum composuisse addit. *Idem refert lib. 1. c. 13. Socrates; l. 1. c. 18. Theodoretus; & l. 2. c. 2. Sozomenus.* Sed nihil de iis, quod mirandum, Eusebius, cum fuerit in adnotandis & describendis similibus diligentissimus, & tempore Helenæ, & integro seculo ante prædictos historicos vixerit. præterea mirum videtur quod ex clavis frenos & galeam factos dicant, cum tamen hodie Romæ, Mediolani, Treviris, & fortè alibi cum summâ veneratione adserventur & ostendantur. qui plura volet videat *Vossium Harmon. Euang. lib. 2. cap. 7.*

A. C. 326. Antonius dictus Magnus cum frequenti monachorum numero in solitudine & montibus Ægypti floret, quò confugerant timore persecutionum, relictis urbibus; *ubi vivunt in summâ vitæ pietate & morum sanctitate, cum jejunandi & vigilandi rigido exercitio*, &c. Athanasius in vitâ Antonii.

A. C. 327. & A. C. 328. Unde autem monachi originem habeant diversa est diversorum opinio, sed ab Essenis Iudæorum ascetis ortos illos esse ob exactam similitudinem Monachi seu Anachoritæ & Eremitæ Christiani cum Iudæo Esseno, valde est probabile. Hac occasione paucis eorum originem demonstrabo. Primus omnium monachorum seu Eremitarum

tarum inter Christianos fuit Paulus Thebæus Ægyptius, qui natus annos 23, an. C. 253, fugiens persecutionem Imperatoris Decii, abiit in desertum, ubi *cibum & vestimentum illi palma præbebat*, & incognitus & solus annos 90 ferè moratus est usque ad annum C. 341, secundum supputationem Scaligeri, quo anno obiit præsente Antonio etiam Eremita, ut in ejus vitâ scribit *Hieronymus, quam vide apud Heribertum Rosvveydum lib. 1. de vitis Patrum.* Secundus fuit idem ille Antonius Ægyptius, de quo vide in vita Antonii ab Athanasio descriptâ, (quamvis ibidem prædicti hujus Pauli non meminerit Athanasius) qui monasterium in Thebaide Panchomii primus habuit, & plura cœnobia condidit, & multos alios timore persecutionis relictis civitatibus ruri aut in desertis degentes collegit, *cœnobiticaque vitæ primus jecit iu eremo fundamenta, ita ut Cœnobitarum monachorum idem institutor sit habitus, vel potius restitutor, si Essenorum, qui in Ægypto sub Marco primo Alexandrinorum Episcopo floruerunt, ratio aliqua habenda videatur, quos Christianos fuisse suo loco, an. C. 64. demonstravimus*, inquit Baronius, idque rationibus satis probabilibus, imitatus in eo Eusebium, Epiphanium, & alios. sed *quod Christiani non essent, & merè Esseni, statim initio libri ostendit Philo. sed & Sabbati summus cultus & reliqua, quæ à Philone de ipsis narrantur, satis levitatis damnant Eusebium, & reliquos veteres, qui Eusebium secuti, idem hariolati sunt. Sed in Annaliûm tomo primo tacitè perstringitur opinio nostra ab auctore, qui tamen fatetur, veros Essenos Iudæos fuisse. Mirati sumus, quomodo ille putavit in unum hæc bene convenire posse, Iudaismum & Christianismum. Vt hoc probet, ait veteres Patres idem scribere, quod Eusebium. Atqui ex Eusebio hoc desumpserunt, & ejus auctoritate contenti Philonem non consuluerunt, quem si legissent, nunquam tam ridicule sententiæ sensum accommodassent. Hæc vero puerilia sunt*, inquit Scaliger in prolegomenis in opus de emendatione temporis, quem etiam vide dicti operis lib. 6. in initio. sed videatur ipse *Philo lib. de vitâ contemplativâ, & Iosephus antiq. lib. 18. cap. 2. & de bello Iudaic. lib. 2. cap. 7. item dissertatio Porphyrii Philosophi Pythagorici lib. 4. de abstinentiâ.* Tertius Eremitarum fuit Hilarion, qui in desertis Palæstinæ prope Gazam vixisse ab Hieronymo in ejus vitâ describitur, & familiaris illi fuisse dicitur Epiphanius Salaminæ Episcopus, qui floruit

Sozomenus lib. 1. c. 12. & 13.

Baron. an. C. 318.

Euseb. hist. eccles. lib. 2. c. 17. Epiph. hæresi 29.

ruit ſecundum Bellarminum an. C. 370. de *Hilarione, & aliis Ægypti & Palæſtinæ monachis vide Sozomenum l. 3. c. 13.*

In Occidente primus fuit Benedictus Nurſinus, in Umbriâ Italiæ regione natus, qui cum diu in ſolitudine vixiſſet, tandem ad Caſſini montem, & villam M. Varronis an. C. 529. cœnobium condidit, apud poſteros valde celebre. Hunc ſecuti infiniti alii. nam Benedictini poſtea abierunt in Cluniacenſes, Camaldunenſes, Valliſumbrenſes, Montolivetenſes, Grandimontenſes, Ciſtercienſes, Sylveſtrenſes, qui & humiliati appellantur, Cœleſtinos, Divæ Iuſtinæ. In Angliâ S. Gilbertus ſuam inſtituit religionem, ſicut in Germaniâ Mellicenſes, Caſtelenſes, & Burfeldenſes: imo & totidem ferè Monacharum familiæ inſtitutæ ſunt. Novi poſtmodum orti ſunt ordines, & alterius familię, ut Hieronymiani ſimpliciter dicti, & Hieronymiani eremitani, qui B. Hieronymi imitatores eſſe voluerunt. præterea Auguſtiniani Canonici ſeu regulares, & Auguſtiniani Eremitani: atque is primus eſt ordo mendicantium, & tamen de utriuſque ordinis origine ambigitur, quamvis in diverſas diviſi ſint familias. Hos ſecuti ſunt Cartuſiani, Carmelitæ, qui ſunt ſecunda mendicantium ſecta, Præmonſtratenſes, & Crucigeri.

Poſtea exorti ſunt Prædicatores ſeu Dominicani, qui ſunt tertia mendicantiũ familia, & Franciſcani, diviſi in Minores, Capucinos, Recollectos, & Obſervantes, qui quartũ efficiunt mendicantium cœtum. Franciſci regulam etiam ſequitur ordo ſanctimonialiũ S. Claræ. Ordines præterea ſunt Trinitatis, Servorum Deiparæ, Brigidenſium, Ieſuatorum, Novorum Eremitanorum, Bonorum hominum, Minimorum, Ieſuitarum &c. Sunt etiam ordines militares, ut ordo equitum Rhodiorum ſeu Ioannis Hieroſolymitani, Templariorum, militum Teutonicorum in Germaniâ, Divi Iacobi, Calatravenſes in Hiſpaniâ, milites Ieſu Chriſti in Luſitaniâ, Sanctæ Mariæ de redemptione captivorum, & milites Monteſiæ in Arragoniâ, &c. Monachi autem antiquitus dicti ſunt, quod ſolitudinem promitterent, & cœtus omnes, quantum fieri poſſet, fugere deberent, procul à reliquorum hominum conſuetudine ſecedentes, ut cultui divino melius vacare poſſent, & vitam agerent nomini ſuo reſpondentem in ſolitudine. Nam Monachus Græcè indicat hominem ſolitarium.

Promit-

promittunt plerique castitatem, paupertatem, & obedientiam. *Bella sanè promissio*, inquit Polydorus Virgilius, *si affectiones animi possent claustris compesci, & caro solitudine & otio domari, id quod divus Hieronymus valde laborando, ut ipse testatur, efficere vix potuit.* quem vide *de Monachis sui temporis epist. ad Eustochium, & August. epist.* 137. *cap.* 28. *Et Severi Sulpitii Gallum de Monachis Orientalibus.* Ego, ut verum fatear, primam & liberam illam κοινοβίων inter Christianos institutionem improbare nunquam potui, nec etiam hodie eam aspernendam censeo. si quid à quibusdam in eâ peccatum, tollatur abusus, restituatur usus. multum sanè, ut ego quidem judico, & reipublicæ & Ecclesiæ utilitatis adferre posset, ad propagandum apud Indos & alias nationes exteras Christi Euangelium. Hodie vero multi vix ex ephebis egressi nimis properis & sæpe minus prosperis matrimoniis obruuntur, imo suffocantur.

Donatus hoc ferè tempore fit post Majorinum Carthaginiensium Donatistarum Episcopus; homo superbissimus, sub quo exorti Circumcelliones, qui multa immania scelera adversus Catholicos perpetrarunt. *August. passim.* A. C. 331.

Magni motus inter Athanasium & Eusebium Nicomediæ Episcopum. Hic Baronius carpit facilitatem Constantini, quâ calumnias ab Eusebianis in Athanasium dictas admittit. A. C. 334.

Ad sedandas illas turbas Tyrum convocat synodum Constantinus, ut testantur *Eusebius in vitâ Constantini lib.* 4. *cap.* 41. *Ruffin. lib.* 1. *cap.* 11. *Socrates lib.* 1. *cap.* 20. *Theodoret. lib.* 2. *cap.* 27. *Sozom. lib.* 2. *cap.* 24. Apud quos invenies epistolam Constantini ad Episcopos, & in eà manifestum imperium in Ecclesiæ ministros. Eusebius loco prædicto de synodo Tyrensi: *Imperator collegit ex omni Ægypto, Africâ, Asiâ, Europâ, frequentem Episcoporum cœtum, post Nicænum omnium maximum*, &c. quod idem concilium postea Hierosolymas est deductum: ubi Athanasius accusatur, damnatur, & relegatur (*sed ab inimicis suis*, ut dicebat, *quos ipse damnaverat*) Treviros in Gallias. In synodo Tyrensi multa crimina falsò ab Arrianis Athanasio objiciuntur, ut contemtus edicti Imperatoris, amputatio brachii Arsenii, quo ad fascinandum uteretur, stuprum &c. Innocens tamen Athanasius A. C. 335.

exilio multatus Treviri aliquamdiu degit. *Socrates, Theodoretus.* quod primum est Athanasii exilium : sed postmodum sedi restituitur à Constantino Minore Magni Constantini filio. an. 338. hoc loco exilii dicitur composuisse celebre illud symbolum; Quicunque vult salvus esse &c. *de quo accuratam vide dissertationem Vossii de symbolis.*

Offert in illâ synodo fidei formulam Arius, sed quorundam opinione ambiguam & callidè compositam : omissum enim fuit verbum Consubstantiale. *Recitatur à Socrat. lib. 1. c. 19. & 25. Sozom. lib. 2. c. 26.* & ferè eadem est cum symbolo dicto Apostolico : quare auctoritate Concilii Hierosolymitani, & approbatione Constantini Ecclesiæ suæ Arius cum suis restituitur, sed à populo non recipitur.

Moritur Silvester Episcopus Romanus. Et nota a S. Petro usque ad hunc Silvestrum omnes Pontifices mortuos esse martyres, exceptis quinque aut sex Confessoribus; sic eos vocat Cyprianus, qui multa pro confessione Christi passi, mortui sunt morte naturali, ut & hic Silvester primus, de quo licet omnia, ipso confitente Baronio, temporis injuriâ sint incerta, sic loquitur idem Baronius : *Verum ejus præclaræ res gestæ licet in terris nobis obscuræ, Deo tamen & Angelis & hominibus in cœlis perspicua & conspicua apparent : Quarum Ecclesia Catholica benè conscia, anniversariâ commemoratione recolit nomen ejus, utpote sacerdotis verè magni, Pontificis Maximi, Principis Episcoporum, hæredis Apostolorum: qui & primatu alter Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moses, judicatu Samuel, potestate Petrus, ac denique exstitit auctoritate Christus,* &c.

Vide stupenda elogia, quorum tamen nemo scriptorum Ecclesiasticorum, aut antiquorum patrum, quod sciam, meminit; sed imitatur Baronius ex parte Gregorium Nazianzenum, Nyssenum, & Syrum Ephrem in laudibus Basilii an. C. 378.

A. C. 336. Constantinus Imperator tribus, ex Faustâ Maximiani Imperatoris filiâ, filiis, Constantino Constantio & Constanti imperium orbis Romani partitur, & in fide apud multos malè audit. Athanasium Alexandriæ, Marcellum Ancyræ Episcopos synodi Nicæni acerrimos defensores exilio damnat, Arrianos restituit, & in fine vitæ ab

ab Eusebio Nicomediensi Episcopo, Arrianorum, ut dicitur, Coryphæo baptizatur, quod, donec ad Iordanem fluvium ventum esset, differre voluerat: sed animosè defenditur à Baronio Constantinus, & deceptum ab Eusebianis probare conatur, quem vide. Hieronymus in Chronico suo ad ultimum annum Imperii Constantini ita scribit: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus in Arrianum dogma declinat, à quo usque in præsens tempus Ecclesiarum rapina, & totius orbis secuta est discordia.* Eadem fere habet Chronicon Isidori, & vide Theodoretum lib. 2. cap. 32. Baronius ipse consequens hoc admittit, nempe, si certum est Constantinum ab Arriano baptizatum, eum etiam in Arrianorum perfidiâ baptizatum. Verum antecedens hoc negat, & ad loca supra adducta non satis solidè respondet: nam propugnat veterem fabulam, de Constantino à Sylvestro Papa baptismate tincto. Vide *plura apud Baronium tom.* 3. *ad an.* C. 324. *Constantini* 19. nec non locum Luciferi Calaritani Episcopi, qui lib. 1. pro B. Athanasio caussam exilii Athanasii, in quod conjectus fuit post Concilium Nicænum à Constantino, hanc dicit fuisse, *quod noluerit esse Arrianus.* Exstat locus tomo tertiò Baronii pag. 385. *Vide omnes historicos Ecclesiasticos & Euseb. de vitâ Constant. lib.* 4. *cap.* 61. 62. &c.

Arius moritur, delapsâ alvo cum fluxu sanguinis, intestinorum & viscerum. *Socrates l.* 2. *c.* 25. *Sozom. l.* 2. *c.* 28. *in fine*: sed diversi diversimodè, ut fieri solet, hanc historiam narrant, quam conciliare Baronius conatur.

Moritur Marcus, succedit Iulius Episcopus Romanus. A, C. 337.

Moritur Constantinus in suburbio Nicomediæ, jam baptizatus ab Eusebio urbis Episcopo, cum vixisset annos 66. imperasset an. 30. menses 9. dies 27. & sepelitur Constantinopoli in Basilicâ Apostolorum; sic Constantinus, morti vicinus, ut habet Eusebius, & Ambrosius etiam in oratione funebri Theodosii testatur, baptizatur: quod & filii illius imitati sunt. nam Constantius in agone fere voluit baptizari: Constantinus & Constans interfecti sunt antequam baptizarentur. Idem affirmat Baronius ex Ambrosio de Gratiano & Valentiniano Imperatoribus. Constantinus quantum ab Eusebio laudatur, tantum à Zosimo pagano vituperatur. Vide Leoncla-

vii pro Zosimo apologiam quam Latino suo Zosimo præmisit.

Constantinus autem secundum Eusebium historicum Concilia convocavit, Episcopis imperavit, quæstiones de fide composuit, preces, dies festos, & modum eos celebrandi præscripsit, imo quasi sacerdos Deo suo sacrificabat, & se Episcopum his verbis vocabat: *Vos*, inquit, *intra Ecclesiam, ego extra ecclesiam à Deo Episcopus constitutus sum.* Eusebius lib. 4. cap. 18. 22. 24. &c. in vitâ Coustantini. Succedunt in locum patris Imperatoris tres filii, Constantinus natu maximus, cui contigit Europæ pars trans Alpes, nempe Galliæ, Hispaniæ, Alpes Cotiæ, Britannia & Hibernia. Constantius natu secundus, cui imperium Orientale Ægyptus, Asia, & Thracia cum urbe patriâ: & Constans natu minimus, cui contigit Italia, Africa, Illyricum, Græcia, Sicilia, cum reliquis Insulis. *Euseb. lib. 4. de vitâ Constantini cap. 63. Ruffin. l. 1. cap. 11. Socrat. l. 1. cap. 25. & 26. Theodoretus lib. 2. cap. 31. Sozomen. l. 2. cap. 32. Oros. l. 7. c. 28. & 29. Eutrop. lib. x. Zosimus lib. 2.* Quidnam, quæso, nunc remedii superest ad conservandam Donationem Constantini factam Sylvestro Episcopo Romano, quâ beatiss. Petro & Paulo, & Beato Papæ Sylvestro, & omnibus successoribus concedit potestatem & gloriæ Imperialis dignitatem, cum omnibus ornamentis imperialibus, ut coronâ &c. Quam tamen doctiores omnes tanquam supposititiam rejiciunt, & ipse Baronius genuinam esse negat. Conatus tamen aliquid est pro magnitudine Imperii ecclesiastici Genebrardus (qui donationis Constantini non meminit) cui respondit M. Antonius Marcellus, patritius & Senator Venetus, *libro de seculari Romanorum Pontificum jure.*

Antoninus 1. parte hist. tit. 8. c. 2. & alii.

Sed examinemus ipsum Donationis edictum, & quid veritatis in eo inveniatur consideremus. 1°. Præmittemus hanc donationem non posse esse veram, cum vivo Imperatore Imperium inter tres filios sit divisum, ut paulo ante ex variis historicis demonstravimus. 2°. Urbis Episcopi ab eo etiam tempore se semper Imperatoris vocarunt servos, & iidem Imperatores Romam suam dixerunt urbem. 3°. Nemo veterum historicorum, tam Christianorum quam gentilium, tam Ecclesiasticorum quam profanorum hujus donationis memi-

meminit: Nec Eusebius, nec Ruffinus, Socrates, Sozomenus &c. inter Christianos; nec Zosimus, Ammian. Marcellinus, Eutropius inter Gentiles. 4°. In hoc edicto fit mentio Constantinopolis, cum necdum condita esset. 5°. Leprâ laborasse dicitur Constantinus Magnus, quod de alio ejusdem nominis Imperatore narratur apud historicos. 6°. Loquitur de fonte sanguinis puerorum, qua sanaretur leprosus Imperator; item de apparitione B. Petri & Pauli Constantino factâ, & tamen eorum nulla fit mentio apud Eusebium, qui satis prolixè, ejusdem descripsit vitam. 7°. Constantinus dicitur baptizatus à Sylvestro Episcopo Romano, cum sit baptizatus sub finem vitæ in suburbio Nicomediæ ab Eusebio ejusdem urbis Episcopo. 8°. Traditur Sylvestro non tantum potestas Imperialis, sed & principatus supra reliquos Patriarchas, contra canones Concilii Nicæni, paulò post sub ipso Constantino celebrati: imo & supra Episcopum Constantinopolitanum, qui necdum erat in rerum naturâ, ut nec ipsa Constantinopolis: nam mutatum est Byzantium urbs Thraciæ in Constantinopolim, 10 ferè annis post Constantinum quarto Consulem. 9°. Constantinus concedit Sylvestro principatum in omnes totius mundi Ecclesias; sed nemo plus juris in alium conferre potest, quam ipse habet. 10°. Duplex est error in scriptionis tempore, aut allegatione Consulum: scribitur Coss. Constantino quarto & Gallicano, cum Imperator Constantinus secundum fastos nunquam cum privato fuerit consul, & Constantinus quarto fuerit consul cum Licinio an. C. 315. Gallicanus autem cum Basso an. C. 317. Baronius putat hoc edictum ab aliis ita interpolatum aut corruptum, & in Græcos criminis invidiam transferre conatur, sed alii sub Paulo I. id fabricatum censent, alii sub Gregorio secundo, qui expulit Imperatorem Leonem Isauricum Italiâ, cum necdum donatio facta esset à Pipino. Unicum autem pro hac donatione argumentum adfert Baronius, nimirum, quod Pipinus dicat à Longobardis Episcopo aut Ecclesiæ Romanæ ablata se restituere. quod verum esse potest de quibusdam agris & possessionibus privatis: sed hæc nihil ad hanc quæstionem. *Vossius*. Alii tradunt donationis hujus mentionem primò factam tempore Leonis IX.

Quidquid id est, timeo Danaos, timeoque Latinos.

Vide diploma donationis Ottonis III. an. C. 1002. in quo hæc Constantini donatio rejicitur, & ejusdem fabrica cuidam Ioanni Diacono, cui cognomen à Digitis, tribuitur.

Audi illud lectu admodum jucundum, quod in Camerarii subcesivis oper. cap. 61. invenitur: *Venetos nempe, ante aliquot annos à Pontifice Romano, postquam Anconam in suam potestatem redegisset, interpellatos fuisse, quo jure vectigalia & alias jurisdictiones in mari Adriatico sibi solis vindicarent, tum tamen nulla privilegia hac de re monstrare, neque jus suum docere legitimè possent: Ad hanc rem eos respondisse, se mirari, quod ista privilegia peterentur demonstrari, quæ Pontifices ipsi penes se, & quidem archetypa, tanquam rem sacram diligentissimè in suis archivis conservarent; eaque facile reperiri posse, si donationis Constantini membranæ pars exterior, in quâ ea majusculis litteris scripta essent, accuratius inspiceretur. Sciebant enim Veneti donationem illam ab otioso quodam homine fictam esse, & fraudulenter suppositam.* Fraudem etiam viderunt *Antoninus, Otto Frisingensis, Aventinus, Alciatus jurisconsultus, Pontificum fautor maximus, Laurent. Valla, Cujacius, Pigbius, Marsilius Ficinus, Cardinalis Cusanus*, &c.

Post Constantini Imperatoris obitum statim omnes patrueles ejus militaris oppressit seditio, si non incitante, saltem dissimulante Constantio Imperatore. Cum his etiam Optatus patritius novo & à Constantino excogitato titulo, & Ablavius præfectus Prætorio trucidati. Tum Dalmatius Constantii fratris Constantini filius, Galli & Iuliani frater etiam periit: quod Iulianus ipse testatur epistolâ ad Senatum populumque Atheniensem scribens: *Gallum ægritudo, Iulianum tenera ætas* (erat enim quinquennis) *vix neci subtraxit.* Et paulò post dicit *Gallum cæsum in unius spadonis & cubicularii gratiam. His parricidialibus auspiciis imperium inière fratres tres, quos inter haud diu concordia tenuit.* Petavius *ex Eutrop. lib. 10. Socrat. lib. 2. cap. 5. Zozimi lib. 2.*

A. C. 338. Athanasius ab exilio Treviris redux, per Constantinum filium regio diplomate Alexandrinæ ecclesiæ restituitur. Arriani autem ipsi statim negotium facessunt, quod restitutus esset absque Synodali decreto. *Athan.*

Magnæ

Magnæ contentiones inter Athanasii asseclas & Eusebianos. Eusebius hic erat Nicomediensis, qui per Constantium succedit in locum Alexandri, Episcopi Constantinop. & caput erat Arrianorum. Populus vero eligit Paullum. Orientales accusant Athanasium apud Julium Papam Romanum. A. C. 339.

Constantinus cum limites sui imperii auctos vellet, bellum movet Constanti fratri, sed apud Aquileiam occiditur: sic summa imperii occidentalis in Constante remansit. A. C. 340.

Eodem anno moritur Eusebius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, vir Hieronymo diligentiss. & doctiss. Cedreno πολυμαθὴς καὶ πολυΐστωρ. Hunc Socrates l. 2. c. 17. & Theodoretus l. 1. c. 12. 13. & alii ab Arrianismo erudité defendunt: Baronius eundem ejusdem hęreseos accusat, & verè: *ut videlicet demonstrat. Euangelica l. 4. c. 3. & l. 5. c. 2. & in vitâ Constantini, & in oratione in laudem ejusdem, & fortè alibi.* Vide Hieronymum. nec tamen ideo ejus libros rejiciendos quis existimare debet, cum alioquin sint eximii, imo forte necessarii, *& propter rerum notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, usquequaque non renuendi*, ut loquitur Concilium Roman. sub Gelasio. Excellunt ejus Chronica, præsertim cum notis Jos. Scaligeri. lib. de præparatione Euangel. & historiæ Ecclesiast. qui quamvis fuerit veterum accuratissimus, aut, ut loquitur Hieronymus, diligentissimus, non tamen fuit sine magnis erroribus, ut loquitur *Scaliger. de emendat. temp. lib. 14. & in animadversionibus in ejusdem Chronica.*

Graves imperante Constantio & continui tumultus infestam habuerunt Ecclesiam. Nam Arriana hæresis, quæ Constantini metu se hactenus represserat, caput erexit. Una mali tanti dux fœmina Constantia, quæ Licinio nupserat, & moriens presbyterum quendam Constantino fratri commendarat, Arianâ imbutum hæresi, quem ille magni deinceps fecit: eique moriens testamentum suum commisit. Quod ubi Constantio in manus tradidit, non minore apud hunc loco esse cœpit. Quare ut de Arrio revocando Constantino persuaserat; sic apud Constantium perfecit, ut is hęresis illius fautorem se profiteretur acerrimum, ejusque dilatandæ studio cuncta misceret. *Petavius.* *Ruffin. l. 1. c. 15. Socrat. l. 3. c. 26. Sozom. l. 1. c. 34.*

Athanasius relictâ Alexandriâ fugit Romam ad Constantem Impera- A. C. 341.

peratorem & Iulium Romæ Episcopum: qui Romam Concilium tam Orientalium quam Occidentalium convocat. Cum vero Orientales, seu Eusebiani, ut loquitur Baronius, non venirent, Athanasium Alexandriæ, & Marcellum Ancyræ Episcopos absolvit, & ad sedes suas remittit, cum literis satis animosis ad Episcopos Orientales: qui ægrè eam reprehensionem ferunt, & ad Iulium Romanum Episcopum epistolam scribunt, ironiæ plenam, & gravissimarum minarum non expertem, negantque Romanam Ecclesiam, quamvis prima sit omnium, quicquam juris in Orientales habere (quod dixerat Iulius) ut nec Orientales in Romanam: indignati se posteriores ideò ferre, quod magnitudine Ecclesiæ superarentur, idque cum virtute & pio vivendi instituto longè superiores essent. Vid. *Sozomenum lib. 3. c. 7. & Socratem lib. 2. cap. 11.* de litteris Iulii. *Hi Orientales*, inquit, *ubi eas* (literas Iulii) *acceperunt, Iulii reprehensionem contumeliæ loco ducunt: Concilium Antiochiæ convocant, ibi simulatque convenerant, de communi omnium sententiâ epistolam conscribunt, per quam Iulium acrius insimulant, ostenduntque, si qui eorum arbitrio Ecclesiâ forte exacti essent, rem ab eo non debere decerni: nam quando Episcopus Romanus Novatum* (seu potius Novatianum) *Ecclesiâ exturbarat, ipsos minimè contradixisse.*

Socrat. lib. 2. c. 13. Scripserat ad Episcopos Orientales Iulius, *illos contra canones Ecclesiæ egisse, quod ipsum ad concilium non vocassent, quippe cum canon Ecclesiast. vetet, ne decreta absque sententiâ Episcopi Rom. Ecclesiis sanantur*, &c. & accusat eos, *quod contra fidem Concilii Niceni novas res moliti fuerant, quodque contra leges Ecclesiæ ipsum ad concilium non vocarant. Nam legem esse ad sacerdotii dignitatem spectantem quæ pronunciat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Rom. constituuntur*, &c. Verum hæc quidem ab Episcopo Romæ Iulio scripta dicuntur, sed non probantur, nec unquam mihi visus talis canon, sed potius contrarius est *Sozom. lib. 3. c. 9.* quartus & quintus concilii Nicæni. In Sardicensi synodo hujus ferè argumenti canones inveniuntur, sed de hac postea: nam illa 346. anno convocata, & an. C. 347. celebrata est. Quare ego mihi vix imaginari possum hæc scripta esse à Iulio ante Sardicense Concilium, cum repugnent canonibus Nicænis, consuetudini & rationi. fuit ille Papa multorum judicio vir nimis prudens, quam ut tam grandes

grandes & tam manifestos committeret errores. Ego malo eos imputare Socrati & Sozomeno, historicis non rarò cespitantibus, apud quos non paucos errores observat & refutat illustrissimus annalium scriptor Cardinalis Baronius ad an. C. 342. & alibi.

Cum vero magnus ille vir ex hoc loco statuat Episcopum Romanum Orientis etiam ac totius Orbis Episcopos plenam & citandi & absolvendi seu condemnandi habuisse potestatem, sic ad ea respondet Vossius: Quæ sententia satis refellitur, vel ipsis Synodi Antiochenæ, in Encæniis habitæ, literis, ad Iulium Papam. Nam quid scripserint abundè ex responso Julii cognoscitur. Nihil æquè graviter ferunt, quam quod ille Orientales citandi auctoritatem sibi vindicasset. Et tamen excusari Iulius potest. Nam Eusebiani legati, cum à presbyteris, quos Athanasius & Alexandrina synodus miserat, convicti essent; Concilium petierant, in quo solidè se crimina Athanasio ingesta comprobaturos ajebant. Quid mirum igitur, si Julius, primæ sedis Episcopus (cum Athanasius, qui proximæ sedis foret iis temporibus Patriarcha ab Orientis Episcopis opprimeretur, iique hoc mirificè studerent, ut penes Occidentales etiam, ac præcipuè Iulium Papam judicium foret) de synodo consenserit, in quâ de Athanasii caussâ ageretur: & propterea uti ad Patriarcham, ita ad Eusebium etiam, & alios qui de Athanasio literis suis questi erant de die Synodo decretâ, literas daret? Sponte se submiserunt legati, nec ullis potius se Athanasius submittere malebat. Nec generale poterat Concilium esse, in quo omnium principis Ecclesiæ desideraretur auctoritas. Sed ut illa ob primæ sedis honorem agnoscimus; ita negamus hinc sequi, Julium sibi in Ecclesias Orientis potestatem ullam vindicasse, Longè aliud liquebit, ipsam Julii epistolam, sanè modestam, legenti apud Athanasium Apologiâ secundâ. Nec eâ mente unquam Romam se contulisse Athanasium, quasi illum unum haberet œcumenicum pastorem; indicant hæc ejus verba apud Theodoretum lib. 4. historiarum c. 3. *Huic fidei* (Nicænæ) *omnes ubique Ecclesiæ assensæ sunt ut Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ, totius Dalmatiæ*, &c. Ubi videmus Ecclesiam Romanam non memorari seorsim; sed sub Italicâ comprehendi; neque primo loco, sed quarto, pro terrarum situ memora-

Vossius dissertat. 2. de 3. symb. c. 9.

ri. Nec sanè Athanasius Romanum Episcopum unquam vocat universæ Ecclesiæ Episcopum: sed apud eundem Theodoretum lib. 11. cap. 15. Liberium appellat Episcopum Romæ: & lib. de Synodis, duos referens Dionysios, unum Alexandriæ, alterum Romæ præsulem appellat. Et Epistolâ ad Africanos nominat Damasum Comministrum suum, & magnæ Romæ Episcopum. Quæ satis arguunt, Romanum Episcopum pro Romano ac particulari, non œcumenico pastore, habuisse. *Hæc Vossius.*

CONCILIUM ANTIOCHENUM.

Concilium Antiochenum per Encænias Ecclesiæ Antiochenæ hoc an. 341. convocatum est ab Imperatore Constantio, cui & ipse interfuit, ubi convenerunt Episcopi 90, & juxta alios plures; multi Orthodoxi, pauci Arriani. Canones habet 25.

1. *Approbat Concilium Nicanum in celebrando Paschatis festo.*
2. *Condemnat eos, qui S. scripturam in templis audiunt, & non communicant, quos vocant Audianos.*
3. *Vetat clericum ad aliam Ecclesiam migrantem ibidem commorari.*
4. *Vetat Clericum exauctoratum ministrare.*
5. *Condemnat Clericum, qui contempto suo Episcopo, & relictâ suâ Ecclesia, alibi altare erigit.*
6. *Vetat suscipi ab aliis clericum à suo Episcopo excommunicatum.*
7. *Vetat suscipi peregrinum absque pacificis.*
8. *Chorepiscopo canonicas scribere permittit, non verò presbyteris.*
9. *Metropolitano dat curam totius provinciæ, ut sine ipso nihil magni agere liceat Episcopis, neque ipsi sine Episcopis.*
10. *De officio Chorepiscoporum.*
11. *Vetat Clericos adire Imperatorem sine consilio Episcoporum & Metropolitani.*
12. *Clerico ab Episcopo exauctorato non permittitur adire Imperat. sed majorem Episcoporum synodum.*
13. *Vetat exterum clericum in aliâ provinciâ quid sacri agere sine consilio Metropolit. & Episcoporum.*
14. *Si quis Episcopus accusatus sit in Synodo provinciali, & sententiæ varient, vicinos convocare jubetur Episcopos Metropolitanus, ut per eos & comprovinciales lis decidatur.*

Si

Si quis Episcopus accusatus ab omnibus comprovincialibus Episcopis condemnatus sit, ratum & firmum esse judicium statuit. 15.

Vetat ordinari Episcopum sine consilio Metropolitani & Synodi Episcoporum. 16.

Ad evitandas controversias Ecclesiasticas, bis in anno concilia celebrari jubet, nimirum in vere & autumno, secundum Canonem Concilii Nicani quintum, &c. 20.

Hic paucis quid monendum de corpore canonum, prout à Iustiniano confirmatum est. Illud autem comprehendit quatuor Concilia œcumenica, primum Nicænum adversus Arrium: secundum Constantinopolitanum adversus Macedonium: tertium Ephesinum, adversus Nestorium; quartum Chalcedonense adversus Eutychem. Postea autem quinque synodi insertæ sunt inter Nicænum & Constantinopolitanum Concilium; nempe Ancyranum, Neocæsariense, Gangrense, Antiochenum, & Laodicense, ut alibi diximus. Hoc corpus synodorum Dionysius Exiguus, Abbas Romanus, natione Scytha, è Græco Latinè vertit; sed ille adjecit synodum Sardicensem, de quâ paulò post. *Vide præfationem Iustelli.*

Ad can. 7. *&* 8. Antiqui in eo consentiunt, jam tum à tempore Concilii Nicęni moris fuisse, ut Episcopi negotia sua inter se litteris communicarent, quæ diversis epithetis, pro ratione objecti, proferebantur; nam respectu conditionis eorum qui scribebant, dictæ fuerunt nomine generali, *Ecclesiasticæ.* Respectu vero vinculi, quod erat inter eos, qui eas mittebant & remittebant, tres diversos habuerunt titulos; & dictæ fuerunt *communicatoriæ*, *& pacificæ*: respectu regulæ, quæ eas reddebat necessarias, *Canonicæ*: eædem litteræ, diverso respectu, nunc vocantur *commendatitiæ*, *συστατικαὶ*, *Paulus* 2 *Cor.* 3. 1. nunc *dimissoriæ*, ἀπολυτικαὶ, quando quis itineri se accingit, eas secum adducit tanquam testimonium fidei, vitæ, morum &c. *vide Can. Apostol.* 33. Latini plerique eas appellant *formatas*, per quarum commercium & contesserationem, ut loquitur Tertullianus, admirando mòdo communio inter Ecclesiæ membra, etiam magnis intervallis dissita, exercebatur & conservabatur. *formatis* autem litteris certæ notæ, ut ferunt, ac tesseræ, certa signa ac symbola adhibebantur, ex quibus cognoscere licebat an genuinæ vel suppositi-

tiæ essent: & qui peregrinabantur ejusmodi *tesseras epistolares* sive *formatas epistolas* deferentes, hospitio suscipiebantur illisque pro viatico erant. Characteres, qui in principio litterarum scribebantur, erant primo Π, hoc est πατὴρ, pater, deinde Υ, id est υἱὸς, filius, tertio Α, hoc est ἅγιον, sanctus, atque Π, hoc est πνεῦμα, spiritus. Post has scribebatur prima littera nominis illius, qui scribebat, secunda dein illius, ad quem scribebatur. tertia erat litera nominis illius, qui deferebat eas, & quarta erat loci istius unde scribebatur. hinc addebatur annus indictionis, & vocula ἀμήν. nemo autem sciebat quid litteræ illæ vellent, præter Episcopum, ad quem literæ mittebantur. Hoc est arcanum Concilii Nicæni in formatis literis, uti ex Yvone, Burchardo & Gratiano canonum editoribus apparet. Vide *Baronium an. C.* 325. *Iustellum in Can.* 87. *&* 189. *codicis canonum universæ Ecclesiæ. Blondellum lib. de primatu in Ecclesiâ cap.* 26. *sect.* 14. *pag.* 470. qui hæc nimis frivola, incerta, & indigna gravissimo & sanctissimo illi Patrum Nicænorum consessui esse judicat; propter multas rationes, tum etiam, quia *auctor, quicunque ille fuerit, fuit Latinus, novus, & rerum ignarus.* Antiqua apud gentiles institutio fuit, ut hospitii necessitudo certâ notâ ceu pignore contraheretur, & diceretur tessera hospitalitatis, quâ apud eos mutuæ amicitiæ fovebantur & ad posteros manabant.

Ad 8. *Can.* *&* 10. Χώρα est territorium urbis, & vicus, ager, regio. Erant autem presbyteri urbici & rurales, & sicut urbici suum habebant Episcopum, sic & rurales, qui dicebatur Chorepiscopus, qui non solum hoc singulare habebat præ presbyteris, quod Episcopus diceretur, sed habebat etiam potestatem imponendi manus: sed cum ille crearet & deponeret Presbyteros & Diaconos, quoscunque volebat, hoc decimo canone modus illi constituitur, & relicta illi est potestas creandi subdiaconos, anagnostas, id est lectores, & exorcistas (qui adjurando ejiciebant spiritus malos. quod donum non solum clerici, sed etiam laici habebant, quamvis præcipue *clerici*, ut patet *ex Tertulliano lib. de coronâ militis cap.* 11) non autem presbyteros aut Diaconos sine Episcopo civitatis, cui & ipse & regio integra subjicitur.

Marti 16. 17. Addam Symbolum hujus Concilii, ut videas in quibus differat

ab

ab eo, quod in Concilio Niceno à 318, patribus est compositum; Epistola autem synodica prolixam spirat Ecclesię, ob pauca verba turbatæ, pacem & concordiam. *quam vide Concil. tomo. 1. præfat. Concilii Antiocheni.*

Hæc autem est expositio fidei, *quæ exposita est in Synodo habitâ per Encænias Ecclesiæ Antiochenæ*, ut inquit B. Hilarius lib. de Synodis: *Consequenter Euangelicæ & Apostolicæ traditioni, Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, cunctorum, quæ sunt, ædificatorem, & factorem & provisorem, ex quo omnia: & in unum Dominum Iesum Christum, filium ipsius unigenitum, Deum, per quem omnia, qui generatus est ex patre, Deum de Deo, totum ex toto, unum ex uno, perfectum de perfecto, regem de rege, dominum de domino, verbum, sapientiam, vitam, lumen verum, viam veram, resurrectionem, pastorem, januam, inconvertibilem & immutabilem, divinitatis essentiæque & virtutis & gloriæ incommutabilem imaginem, primum editum totius creaturæ, qui semper fuit in principio apud Deum, Verbum Deus, juxta quod dictum est in Euangelio: Et Deus erat verbum, per quem omnia facta sunt, & in quo omnia constant, qui in novissimis diebus descendit de summis, & natus est ex virgine, secundum scripturas, & agnus factus est mediator Dei & hominum, prædestinatus fidei nostræ, & dux vitæ, dixit quippe: non enim descendi de cœlis, ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui me misit. Qui passus est, & resurrexit pro nobis tertiâ die, & ascendit in cœlos, & sedet in dexterâ patris, & iterum venturus cum gloriâ judicare vivos & mortuos. Et in Sanctum spiritum, qui in paraclesin & sanctificationem & consummationem credentibus datus est, juxta quod & dominus Iesus Christus ordinavit discipulis dicens: Pergite & docete universas gentes, baptizantes eas in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. manifesta utique patris verè patris certaque Filii verè Filii, notaque Spiritus sancti, verè Spiritus sancti. hisque nominibus non simpliciter neque otiosè propositis sed significantibus diligenter propriam uniuscujusque nominatorum substantiam & ordinem & gloriam, ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum. hanc ergo habentes fidem, & ab initio, & usque in finem habituri in conspectu Dei & Christi, omnem hæreticam pravam sectam anathematizamus: & si quis præter salubrem scripturarum & rectam fidem docet, dicens aut tempus aut spatium aut seculum aut esse aut fuisse,*

prius quam generaretur filius, anathema sit. Et si quis filium conditionem dicit, quemadmodum unum conditionum: aut nativitatum, sicut sunt nativitates: aut factionem, sicut sunt factura; non sicut divinæ scripturæ tradiderunt singula, quæque superius dicta: Et si quis aliud docet, aut euangelizat, præter quod accepimus, anathema sit. Vide Socratem lib. 2. cap. 7.

In hoc Concilio Athanasius accusatur & damnatur,& in ejus locum à paucis Arrianis, jussu Constantii, eligitur Gregorius Cappadox, etiam Arrianus, qui cum per Philagrium præsidem armatâ manu in Ecclesiam Alexandrinam introduceretur, fugâ inter alios, templo exeuntes, evadit Athanasius. Populus verò turbatus Ecclesiam Dionysii Alexandrini incendit. *Socrates lib. 2. cap. 8. Sozomenus lib. 2. cap. 5.* Hoc est secundum Athanasii exilium, sed restituetur per Constantem Imperatorem an. C. 348.

Iulius autem cum se ab Orientalibus contemni videret, cum Constante Imperatore Occidentis agit, & orat ut ad fratrem Constantium scriberet de convocatione Synodi universalis. *Socrates lib. 2. cap. 14. Sozom. lib. 3. cap. 9.*

Baronius plerumque hos Orientales vocat Eusebianos, & Arrianæ doctrinæ sectatores, sed perperam: fuerunt quidem aliqui inter eos, sed pauciores: quod ipsi Patres Sardicenses Occidentales epistolâ ad Iulium Romæ Episcopum manifestè indicant, his verbis: *Patuit apud omnes, qui convenerunt ex partibus Orientis, qui se appellant Episcopos, quamquam sint ex his certi auctores, quorum sacrilegas mentes Arriana hæresis pestifero tinxit veneno, diu tergi versatos propter diffidentiam ad judicium venire noluisse.*

Erant ergo aliqui inter eos hæretici, sed plurimi erant sectatores fidei Catholicæ, quod ex eo etiam evidenter patet, quod approbavit eorum symbolum S. Hilarius, Arrianorum acerrimus hostis, fidei Orthodoxæ contra ipsum Constantium constantissimus propugnator; quamvis vox homousios ab iis fuerit omissa, *lib. de Synodis ad Gallos & Germanos Episcopos, pag. 312.*

CON-

CONCILIUM SARDICENSE.

BAronius vult Concilium Sardicense à Julio Pontifice Romano procuratum, indictum, convocatum. At Socrat. lib. 2. c. 16. *Edicitur Concilium generale, ut omnes Sardicam commeent, idque de sententiâ duorum Imperatorum &c. petitione Pauli & Athanasii.* Sozomenus lib. 3. cap. 9. *Cum Iulius litteris apud Episcopos Orientis nihil proficeret, caussam Athanasii & Pauli ad Constantem retulit.* & cap. 10. *Cum Constans literis nihil proficeret, Athanasius & Paulus ad eum accedunt, ut concilium cogeretur* &c. *Sententiâ utriusque Imperatoris decretum est, ut Episcopi partis utriusque ad statutum diem Sardicam urbem Illyrii convenirent.* Vide Libellum synodicum ad omnes Episcopos apud Theodor. lib. 2. cap. 8. A. C. 346.

Sardicam veniunt trecenti ferè Episcopi ex Occidente, ex Oriente 76, Socrati lib. 2. cap. 16. & Sozom. lib. 3. cap. 12. Theodoreto 250. Athanasio, qui interfuit 170, ex Occidente Sardicam 90, ex Oriente Philippopolim 76. aut 80. *epistola ad solitarios.* Ubi Athanasio sunt trecenti, adduntur illi, qui Concilium jam celebratum anno undecimo à morte Constantini patris, postea approbarunt. Sardica est civitas Illyrici, ditionis Coustantii, ubi conveniunt Occidentales; Orientales autem discedunt Philippopolim, quæ est urbs Thraciæ, quia præsentes nolebant Athanasium & Marcellum, paulò ante ab ipsis condemnatos. A. C. 347.

Occidentales Synodi Sardicensis patres Synodum Nicænam confirmant, Arrianos condemnant, Gregorium Cappadocem Episcopum Alexandrinum abrogant, Athanasium, Marcellum aliosque absolvunt, qui postea per Constantium Imperatorem suis sedibus restituuntur. Pauli Episcopi Constantinopolitani nulla fit mentio in eorundem Patrum epistolis ad Iulium Romanum Episcopum, nec in epistolâ ad Ecclesiam Alexandrinam, nec in eâ ad omnes Ecclesias, ita ut Socrates & Sozomenus hic multa incondita narrent. has epistolas legenti luce meridianâ clarius apparebit, nihil in iis Iulio plus tribui, quam cæteris Episcopis, quem pariter vocant amicum, collegam, Comministrum, quemadmodum & alios

Episco-

Episcopos: ita ut jure clausula illa de appellatione ad sedem Petri in epist. Synodi Sardicensis sit suspecta, cum sit nova, absurda, & quasi interpolata, idque manu barbarâ, & non illius ævi. sic etiam auctam judicant appendice, fidei regulam continente, *Baronius* & *Binius*. Et quod maximè mirandum, ante celebratam hanc Synodum Julio Papæ tribuunt *Socrates* & *Sozomenus* auctoritatem supra alios Episcopos (cujus tamen Concilium Nicænum non meminit) & post finitam eandem synodum, in quâ sola per diversos canones jus appellandi ad Episcopum Romæ aliis Episcopis conceditur, quasi veterno obruti, nullam eâ de re faciunt mentionem.

Quid vero de auctoritate Canonum hujus synodi judicandum sit, diversi diversimodè censent. Quidam eos supposititios, aut saltem adulteratos esse existimant. Primò, propter Canonum incertum numerum & ordinem: secundò, ob diversitatem exemplarium tam Græcorum quam Latinorum. Tertiò, quod ipsa synodus septuaginta annis toti Christiano orbi fuerit incognita. Nam ab anno 347. usque ad annum 419. nemo de eâ mentionem fecit, imo Africa penitus eam ignoravit: & quomodo potuit eam ignorasse, si fuisset habitum concilium legitimum, ne dicam Vniversale, & in solitis canonibus instructum, cum ab Athanas. in Apolog. 2. multi Africanorum ipsi concilio Sardicensi interfuisse dicantur. Codex Canonum à concilio Chalcedoniensi comprobatus, à Iustiniano confirmatus & editus, non meminit hujus Concilii. Additum postea est à Dionysio Exiguo, qui vixit an. 630. nec unquam receptum est ab Ecclesiâ Græcâ, ut testatur Papa Nicolaus primus tom. conciliorum 3. epistolâ 6. ad Photium. Et quis credere audet Universale Concilium, quale esse vult Baronius, ita posse negligi & obliterari? Et præsertim Romam potuisse ejus dignitatis & prærogativæ, per universale Concilium concessæ, oblivisci, quam tanto conatu postmodum sibi acquirere sategit: Præterea, quâ de caussâ per eundem Osium Canone tertio datur Iulio Papæ illa auctoritas, quæ Canone quinto aut septimo Episcopo Romano conceditur? Quare tres fabricant canones, cum idem uno comprehendi potuisset? Quare stylo tam inepto & obscuro, ut non videatur Latinitas illius temporis, sed longè posterioris, cum major in Occidente fuit barbaries?

baries? Et si auctoritas illa dependet ab his infirmis & ferè intermortuis canonibus, quare juris divini eâ esse vult Baronius? Hęc procul dubiò animadvertit Gelasius Episcopus Romanus A. C. 494. qui neglectis his incertis canonibus, (nam nec quidē synodi hujus meminit in suâ epistolâ in quâ describit quatuor concilia universalia) ad verba Christi in Euangelio S. Petro dicta, non imprudenter se contulit.

Orientales patres, & inter eos Stephanus Patriarcha Antiochenus, & diversi Confessores, novam fidei confessionem ad Occidentis Episcopos mittunt, in quâ Arius condemnatur, quod diceret tempus fuisse, quo non fuisset Christus, & dicebant fuisse ab omni seculo: interea vocem ὁμοούσιον omittunt. Praterea anathema dicunt Sabellianis & Photinianis, & excommunicant Iulium, Osium, Protegenem &c. quod facerent contra Canones Ecclesiæ: quâ de caussâ mirum in modum exacerbatur Baronius. Ille Osius hujus concilii, ut & antea Nicæni, fuit præses, Legati Pontificis, Archidamus & Philoxenus presbyteri.

Sulpitius Severus historiæ sacræ lib. secundo magnum refert errorem hujus Sardicensis concilii, quod Marcellum Episcopum Ancyranum, Sabellianum hæreticum (*qui diu sub pallio catholico latuerat*, teste Baronio) absolverit, ab Orientalibus antea, & ab ipso Athanasio etiam postea damnatum. Is Marcellus fuit Photini magister, cujus errorem tribus libris refutavit Eusebius Cæsariensis, in quibus docet eum non aliter quam Sabellius Afer, & Paulus Samosatenus Christum ψιλὸν ἄνθρωπον statuere. *Socrat. lib. 2. cap. 16.* Hunc eundem Marcellum Athanasius, cum eum comperisset non esse sanæ fidei, post Concilium Sardicense denuò à communione suspendit. *Hinc Orientalibus data est occasio decreta illius synodi subvertendi, etenim eis color quidam suppetere videbatur, quod tam injustè fuisset pro Athanasio judicatum, quam Marcellus fuerat absolutus*, ut loquitur *Sulpitius*. Vide de eodem Marcello conquerentem Basilium epist. ad *Athanasium*. *Epiphanius* scribit *Sabellium* docuisse eundem esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unamque personam, sed tria nomina. *Photinum* statuisse Christum non fuisse ante Mariam, atque ex illa principium habuisse; sed per sanctę conversationis meritum eximio divinitatis honore dotatum, atque

actionum merito in Deum profecisse: quemadmodum commemorat *Socrates lib. 2. cap. 14. 15. 16 24. 25.* Baronius vult Sardicense concilium esse œcumenicum, ut fuit Nicęnum, & esse ęqui ponderis canones, quod apud neminem inter antiquos reperio. Iustinianus Imperator œcumenicum vocat ex convocatione,& intentione Imperatorum Constantii & Constantis; sed conventus impeditus est per schisma Orientalium, qui Philippopoli conveniebant: unde & auctoritatem & nomen œcumenici seu universalis Concilii in universo mundo amisit: imo & diu omnes omnino scriptores tanquam abortivum & imperfectum latuit, ut diximus. Nec innotuit ante annum 419, cum inter Zosimi & Bonifacii Papæ legatos, & patres Concilii Carthaginensis acriter disputatum est de non provocando ad Concilia transmarina, & Papę legati sustinerent licere unicuique Episcopo aut presbytero provocare ad Episcopum Romanum, ex auctoritate Canonis Concilii Nicæni: at ex authenticis dicti Concilii exemplaribus contrarium à Patribus Africanis docetur, nihil contradicentibus Zosimo aut Bonifacio.sed vide locum. Imo in factione illà Theophili Alexandrini adversus Ioannem Chrysostomum Constantinopolitanum an. C. 404. usus fuisset auctoritate hujus Concilii Sardicensis, si œcumenicum fuisset, Papa Innocentius; sed contrarium potius statuere videtur, qui in epistolà ad Theophilum sic loquitur: *Iuxta Concilii Nicæni canones & decreta contende: alios canones Romana non admittit Ecclesia.* Et epistolà ad Constantinopolitanos: *Canonibus porro obsequendum esse scribimus, qui Nicææ sunt decreti: quos solos consectari decet Ecclesiam Catholicam, & juxta eos judicare,*&c.similia plura possunt adduci exempla.Sed per utriusq;concilii Nicęni & Sardicensis canones unum & idem efficere vult concilium Baronius: non autem video quo pretextu, cum differant tempore 22 annorum, & numero & argumento Canonum, & caussà convocationis & loco. Convocavit Nicænum Constantinus pater, Sardicense Constans filius, illud tempore Sylvestri, hoc Iulij Episcopi Romani. Binius Sardicense vocat appendicem Nicæni, cum patres nullibi in suis epistolis ad Iulium Papam & omnes Episcopos ejus rei faciant mentionem. sed hoc ita placet Binio. Quotiescunque Romana & Antiochena Eccle-

sia

fia contenderent de provocatione, folet Romana Ecclefia dicere, non effe attendendum ad ea, quæ Antiochena ftatuit Synodus, cum ea non fit univerfalis fed particularis. Cui contra Antiochena idem dicere de Sardicenfi. Rurfus Romana dicere, Antiochenam habitam fine affenfu Epifcopi Romani: cui item oggerere Antiochena, Sardicenfem habitam effe invito Imperatore Conftantio, &c. Hoc tamen dici poffet, fi legitimum hoc eft Concilium, habere ex eo Epifcopum Romanum jus illud in Occidentales, quod Baronius eum habere contendit in omnes Romani orbis Epifcopos. Orientis & Africæ Epifcopi nunquam Dominum admiferunt Epifcopum Romanum, Occidentis autem Epifcopi fe paulatim ei fubjecerunt; utrum autem hoc fit juris divini, aut humani difceptatur; & quando & quomodo hoc acciderit quæritur. Negant hoc Concilii Nicæni canones 4. 5. 6. 7. Conftantinopolitani 2. & 3. Ephefini 8. aut ultimus, Chalcedonenfis 9. 17. 19. 25. 28. Antiocheni, qui etiam continentur in Cod. can. univerfæ Ecclefiæ, 15. 19. 20. negant canones Africani de non provocando ad concilia tranfmarina, & patrum Africanorum 217. epiftola ad Cœleftinum Epifcopum Romanum, an. C. 419. Affirmat folum Sardicenfe Concilium. *Non damno*, inquit Erafmus præfatione in Hilarium, *ftudium illorum, qui fobriè defendunt Pontificis auctoritatem; adverfus quorundam feditiofam petulantiam: tametfi magis optarim fic efflorefcere Chrifti gloriam, ut totius mundi gloriam obfcuret, etiam fi fieri poffet Petri & Pauli, non modo Romani Pontificis. Sic enim obfcurati, verè fuerimus gloriofi: fi nos ex nobis nihil effemus, fed Chriftus effet omnia in omnibus.*

Baronius Sardicenfe hoc concilium nil minus auctoritatis habere affirmat quam Nicænum, imo præftare, fi numero res agenda effet, cum non fuerint plures quam 90 Epifcopi Occidentales & 80 Orientales; in univerfum 170. ut docet *Athanafius epiftolâ ad folitarios*, ut jam diximus. Præterea Baronius Ofium Apoftòlicæ fedis, id eft, Epifcopi Romani legatum ftatuit, fed nullâ ratione: huic quidem inter Antiftites Athanafius primas defert, dum inter illos, quos recenfet, primo loco ponit Ofium Epifcopum Cordubenfem & Protegenem Epifcopum Sardicenfem fpectatos ambos in Concilio Nicæno viros &c. quos principem locum in fynodo Sardicen-

si tenuisse tradit *Sozomenus lib. 3. cap. 11. Agebat autem Osius*, verba sunt Baronii, *Patronum synodi, cujus muneris erat definienda proponere, atque singulorum rogare sententias*, cum tamen non fuerit legatus Iulii, & ipse Osius subscribat; *Hosius ab Hispaniâ*, tantum.

Epistolæ Concilii Sardicensis ad omnes Episcopos sic subscribitur: *Hosius ab Hispaniâ. Iulius Romæ per Archidamum & Philoxenum Presbyteros* &c. Cum: si Osius Iulii legatus fuisset, subscribere hoc modo legati debuissent: Iulius Romæ Episcopus per Hosium Episcopum, & Archidamum & Philoxenum presbyteros. Vide *Severinum Binium conciliorum tomo primo*.

Nota obiter occasione hujus concilii Sardicensis scissam esse Occidentalem ecclesiam ab Orientali; & hoc loco (ubi est mons Susacis *Nicephoro Callisto*, sed Tisucis *Socrati lib. 2. cap.* 18.) inter Illyrium nempe & Thraciam fuisse positum limitem Imperii Orientalis & Occidentalis à Constantino patre, cum divisas Imperii partes filiis transcriberet.

A. C, 348. Constans minatur bellum adversus fratrem Constantium, nisi Athanasius restituatur. Paulus & Macarius legati Constantis in Africâ persequuntur Circumcelliones seu Donatistas multosq; eorum occidunt. Inde Catholicos seu Orthodoxos vocant Macarianos, & tempora Macariana, quibus primum ab Orthodoxis facta persecutio. *Optatus. lib.* 3. Sic contra Orthodoxos Arriani, & præcipuè Alexandriæ Gregorius Cappadox Episcopus loco Athanasii plurimum sævit.

A. C. 349. Gregorius Cappadox Episcopus Alexandrinus à Sardicensi Concilio condemnatus; ad Constantis Imperatoris epistolam per Constantium cum epistolâ ad sua remittitur, & Athanasius à Constantio per literas revocatus Episcopatui suo restituitur.

A.C. 350. Constans à Magnentio, prope montes Pyrenæos in castro, cui Helenæ nomen est, occiditur, annos natus 30. qui simul Occidentale Imperium magno cum exercitu invadit. *Socrates l. 2. cap.* 20. *Sozomenus lib. 4. cap.* 1.

In Concilio Hierosolymitano per Maximum patriarcham restituitur Athanasius, qui summo cum gaudio ab Alexandrinis excipitur.

CON-

CONCILIUM SIRMIENSE I.

CUm Constantius in expeditione contra Magnentium iret, celebravit synodum Sirmii in Pannoniâ contra Photinum Episcopum Sirmiensem. Hic Photinus, ut diximus, fuit Marcelli Ancyrani discipulus, qui Ebionis hæresin renovavit & neutri parti adhæsit. Nam Pauli Samosateni errorem secutus per λόγον nihil aliud apud Ioannem Euangelistam denotari dicebat, quam Patris de redemptione generis humani decretum, secundum *Epiphanium hæresi* 71. Dicebat Christum non esse Deum, sed merum hominem, nec fuisse antequam ex Maria natus fuerit, quâ de caussâ eos baptizandos decrevit Synodus Nicæna, qui ex iis ad Ecclesiam Catholicam venire volebant. Patres hujus Concilii tam Orientales, quam Occidentales, partim Orthodoxi, partim Arriani Photinum condemnarunt & abdicarunt, *utpote opinioni Sabellii, & Pauli Samosateni faventem*, ut loquitur Sozomenus. Cum autem patres ipsum hortarentur, ut sententiam mutaret, induci non potuit, sed ad disputationem eos provocavit. Quare cum Episcopi ad certum diem convenissent, & judices doctrinâ & auctoritate ex palatio insignes ex mandato Imperatoris concilio præsiderent, Basilius Episcopus Ancyræ suscipit partes contra Photinum disputandi. At cum differendi certamen propter multa & varia utriusque tum interrogata tum responsa longius procederet, & celeres scribæ argumenta utriusque producta excepissent, Basilius superior evasit. Diversæ in hac synodo conscribuntur fidei formulæ, nullâ factâ Essentiæ aut similitudinis mentione. Vide *Socratem lib.* 2. *cap.* 24. 25. *&* 26. *Sozomenum lib.* 4. *cap.* 5. Hilarius Arriani dogmatis insignis antagonista fidem Concilii hujus Sirmiensis inter *Orthodoxas & Catholicas* recenset, quæ ea est, quam annexo frequenti anathemate adversus dogma Arrianorum, Sabellianorum & Photinianorum refert *Socrates lib. prædicto, cap.* 25. *Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, conditorem & opificem omnium, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terrâ nominatur: Et in unigenitum filium ejus Dominum nostrum Iesum Christum, qui ante omnia secula ex patre genitus est: Deum de Deo, lumen de lumine, per quem omnia facta sunt, & quæ in cœlis, & quæ in terrâ, visibilia & invisibilia: qui est Verbum, Sapientia, Vita, Virtus, Lux vera: qui in novissimis diebus propter nos incarnatus est, ex sancta Virgine natus,*

A. C. 351.

Sozomenus lib. 3. *c.* 5.

crucifixus, mortuus & sepultus: qui resurrexit à mortuis tertiâ die, ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris; & venturus est in fine seculorum judicare vivos & mortuos, & reddere unicuiqne secundum opera sua: cujus regni non erit finis, sed manebit in secula seculorum: nam sedebit ad dextram patris non solum dum hoc seculum manet, sed etiam in futuro. Et in Spiritum sanctum, hoc est, paracletum, quem promiserat Apostolis, & post ascensum in cœlos misit, ut doceret, & suggereret illis omnia, per quem sanctificabuntur animæ illorum qui verè in eum credunt. Eos autem qui dicunt filium ex nihilo constare aut ex alia substantia quam ex Dei patris, aut tempus esse cum non esset, Ecclesia catholica à se alienos decernit. Socrates lib. 2. cap. 7. Hilarius lib. de synodis.

Huic similis est, ob omissionem vocis homousios, Antiochena, & Orientalium Sardicensis fidei confessio, quarum auctores dicti sunt Semiarriani: quia, quamvis nullam contineant hæresin, vox tamen ὁμοούσιον in iis reticetur. Caussam patres addunt, *quod non deceat formulam fidei & salutis nostræ conscribere, nisi ex verbis è S. scriptura desumptis*: quod vocabulum illud, etiam cum de Deo agitur nusquam in scripturis usurpetur; quod nulli datum sit novisse divinitatis generationem, nec cuipiam liceat illam tam anxiè inquirere. Gregorii Nazianzeni verba sunt in oratione priore, de Theologia: *Audis generationem; τὸ ὅπως, quomodo, ne curiosè inquiras*: Et: *Dei generatio silentio honoretur*, &c. Audiamus Athanasium de synodis pag. 705. *Nos non sumus in statu inimici adversus illos, qui omnia ea recipiunt qui Nicææ scripta sunt, & scrupulum tantum habent in admittendo verbo ὁμοούσιον. nam non ita urgemus & instamus contra eos, quemadmodum contra Arriomanitas, aut pugnantes adversus Patres: sed loquimur cum illis, uti solent fratres cum fratribus, qui easdem quidem habent cogitationes, sed tantum discrepant in nomine, aut vocabulo. nam confitentes filium esse ejusdem cum Patre essentia, & non alius hypostaseos, nec esse creatum aut factum sed legitimè & naturaliter genitum, eumque semper fuisse cum Patre, cujus verbum est & sapientia, non longè absunt, quin admittant dictionem ὁμοούσιον. Ejusmodi est Basilius Ancyranus, qui de fide scripsit.* Et nota, hæc scripta esse ab Athanasio post mortem Constantii Imperatoris, cum Orthodoxi animosius agerent adversus Arrianos, jam ferè debellatos. Eadem de caussâ Philastrius

Brixiensis

Brixiensis, qui scripsit post secundum Concilium œcumenicum & casum Arrianorum, dicebat hæresi 18: *Photinum esse fugatum Sirmio, postquam profligatus esset per sanctos Episcopos*, id est Basilium & Eleusium. Et Papa Gelasius (qui inter opera Cassandri extat sub nomine Vigilii, *lib.* 5. *adversus Eutychium*, 120 annis & plus eo, post mortem S. Hilarii, ejusdem imitans stylum, sic alloquitur adversarios suos: *sufficit comprehendere regulas fidei magno numero factas per illud Concilium, quod congregatum est ex omni Oriente Sirmii adversus Photinum.* Duo sunt Sirmii celebrata Concilia, alterum anno 351. alterum an. 357. de quo postea, sed ea à quibusdam malè confunduntur, cum illud an. 351. vocet *Catholicum* Hilarius & Gelasius, hoc vero appellet *perfidiam Arrianam, & blasphemiam per Osium & Potamium scriptam*, Hilarius *lib. de Synodis*. Hoc anno illud contra Photinum celebratum statuit & Petavius & Blondellus, πολυΐστορες: quo ferè tempore præter Arrianos emersere semiarriani, qui filium Dei non ὁμοούσιον sed ὁμοιούσιον, non ejusdem sed similis cum Patre substantiæ profitebantur: Marcelliani, qui Sabellianum instaurarère dogma: Photiniani, qui Christum merum hominem ausi sunt asserere: Macedoniani sive Pneumatomachi, qui Spiritum sanctum in creatarum rerum ordinem relegarunt: Anomœi, Aëtiani sive Eunomiani, ab Aëtio Syro, ejusque discipulo Eunomio, qui Patri dissimilem esse filium asserebant. Tum Audiani, & Aëriani; de quibus Epiphanius, Theodoretus, & alii. *Apud quos videbis quorsum evadat disputationis fervor, & studium contentionis, æmulatione, odio & malevolentiâ accensum, videbis*, inquam, *cavillationum fructum ex ineptis & non necessariis disceptationibus, per quas multa sæpè cum furore velut per ebrietatem evomuntur*, ut loquitur Epiphanius.

Julius Papa moritur, succedit Liberius.

Constantius periculosè pugnat apud Mursam in Pannonia cum Magnentio; victus primo impetu Constantii exercitus, postea superior fuit, eoque prælio ingentes Romani imperii vires consumptæ. *In expeditione belli Magnentiani coactis copiis universis suasit Constantius, ut divina secum mysteria communicare vellent: semper enim incertum esse finem vitæ, multò autem maximè in bello, ubi tot undique millia telorum &c. mitterentur &c. quibus violenta mors inferri soleret.*

Quod

Quod si quis, inquit, noluerit hoc tempore amiculum, quo baptizati solebant uti, *sibi circumdare, is jam nunc dimissus domum revertatur: nam nisi mecum initiatis in bello sociis uti non volo.* Ethnicos autem exauctoravit, & in pagos dimisit, unde *pagani* dicti sunt, quod nomen ad omnes gentiles postea traductum est. *Calvisius.* Vel potius gentiles dicebantur etiam pagani, quia in civitatibus plurimi, in pagis autem pauci ad Christi fidem convertebantur. Paulò ante hanc victoriam in cœlo conspecta est aliquamdiu figura crucis valde magna & lucida, quo, velut insigni miraculo, omnes obstupuerunt. Vide *Sozom. Eccles. hist. lib.* 4. *cap.* 4. & pugnæ ordinem apud *Zosimum.* Signum aut Labarum Constantii habebat: *Hoc signo victor eris.* Erat uterque Christianus, & uterque iisdem signis militaribus Christi nomine & cruce insignitis usus est. *In hoc primum bello illud (pro scelus) velut portentum apparuit,* verba sunt Baronii, *Crucem contra crucem in prælium ferri, Christique nomen adversus Christum in labaro ostentari, & Christianos in Christianos armatos progredi, sed quorum alterius partis tyrannus dux esset, alterius vero hæreticus Imperator. At non aliis planè quam his auspicibus tantum decebat ingredi nefas.* Quam hoc nefas sit hodie frequens, nemo ignorat.

A. C. 354. Magnus Basilius, Gregorius Nazianzenus & Hilarius florent. Eodem tempore commorabatur Athenis Iulianus, studiorum caussa, Basilio & Gregorio non ignotus.

A. C. 355. Constantius convocat concilium Mediolanum, conveniunt Episcopi Occidentales ferè trecenti, & cum iis Constantius. Athanasius hic iterum damnatur. Multi Episcopi, ut & Liberius Episcopus Romanus (cujus colloquium cum Constantio Imperatore vide apud *Theodor. l.* 2. *c.* 15. 16.) isti sententiæ subscribere recusantes urgente præcipuè Eudoxio & aliis Arrianis, in exilium mittuntur. Fœlix in liberii locum eligitur, qui damnationi Athanasii subscripsit, & Arrianis addictus, ab iis ordinatus, cum iis communicavit, & Arrianos Ecclesiæ ministros ordinavit. *Ruffin. lib.* 1. *cap.* 22. *Socrat. lib.* 2. *cap.* 29. *Theodor. l.* 2. *c.* 15. 16. *Sozom. l.* 4. *c.* 8. 9. 10. Hæc eadem testantur *Athanasius, Hieronymus* & alii. In hoc Concilio relegati sunt Dionysius Mediolanensis, cui substitutur Auxentius Arrianus: item Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus, Paullinus Trevirensis, & Hilarius

rius Pictaviensis, qui eodem hoc anno electus erat Episcopus Pictavorum, *quamvis conjugatus, & filiâ unâ auctus,* (ut loquitur Venantius Fortunatus in ejus vitâ) qui ad Constantium pro Orthodoxis libellos scripsit tres contra Arrianos, inter quos est acris invectiva in Constantii inconstantiam. In hisce Arrianorum synodis duo præcipuè quæsita & acta sunt; nimirum ut subscriberent damnationi Athanasii, & fidem Nicænam abrogarent: id est, ut loco ὁμοούσιον quod est unius substantiæ, crederetur ὁμοιούσιον, quod est similis substantiæ.

Julianus creatur Cæsar & in Galliam contra barbaros à Constantio mittitur, nempe contra Germanos, Francos, Alemanos, adversus quos multa egregiè gessit: Cujus secundis rebus invidens Constantius, milites ab eo abstrahere & in Orientem contra Persas transportare studuit: At illi Julianum Lutetiæ Parisiorum Augustum salutarunt. *Ammianus.*

Hoc rescriptum Mediolani promulgat Constantius: *Nemo Aruspicem consulat, aut Mathematicum aut ariolum; Augurum & Vatum prava confessio conticescat. Chaldæi ac Magi & cæteri quos Maleficos ob facinorum magnitudinem appellat vulgus, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò omnis divinandi curiositas. Etenim supplicio capitis ferietur, gladio ultore prostratus, quicunque jussis nostris obsequium denegaverit,* &c. A. C. 356.

Dux Syrianus crudelissimè sævit in Alexandrinos, Athanasium in Dominico precibus vacantem armatâ manu quærit, qui à monachis & clericis subductus fugit in eremum, ubi delitescit ad mortem Constantii. Introducitur ejus loco in Ecclesiam Alexandrinam Georgius Cappadox dictus, sed verè Cilix, secundum Ammianum, *malus genere, & animo pejor,* ut loquitur Nazianzenus in vitâ Athanasii, qui quam immanissimè adversus Ægypti Episcopos grassatur, & Alexandriæ ipsa die Paschæ in Orthodoxos in templis orantes cum tribus militum armatorum millibus ruit, nulli sexui parcens, *Athanas. apolog. ad Constantium.* Hoc est tertium Athanasii exilium: sed restituitur à Juliano an. 362. non amore Athanasii, sed ut inter Christianos majores excitaret turbas.

CONCILIUM SIRMIENSE II.

HOc anno præsente Constantio quorundam Episcoporum conventus seu synodus fuit habita Sirmii, in Pannonia, in quâ confessio fidei omnium pessima Latinè scripta est per Osium & Potamium, præsentibus Valente Ursacio, Germinio, & aliis, quam B. Hilarius appellat *perfidiam Arrianam*, & alibi *blasphemiam per Osium & Potamium scriptam. Athan. de synod. & Hilarius de synodis.* Cum vero Osius vi & verberibus coactus huic fidei subscripsisset, Liberius Beroëam relegatus per Demophilum Arrianorum primipilum,& ejusdem urbis in Macedoniâ Episcopum seductus, ibidem eidem confessioni subscripsisse videtur. nam diversas ad diversos Arrianæ sectæ Episcopos & ad ipsum Imperatorem Beroeâ scripsit epistolas, quibus suum cum Orientalibus consensum declarat, & communionem cum Athanasio rejicit, & ut ad Ecclesiam suam remittatur petit. Interim Eudoxius Arrianus succedit in locum Leontii in Ecclesiâ Antiochenâ, qui cum Aëtium hæreticum, & *Sozom. l. 4. cap. 11. 12.* alios Aëtianos seu Anomæanos in clerum asscriberet,movit Georgium Laodicenum, ut hac de re literis conquereretur apud Basilium Ancyranum, qui complures Episcopos suæ Ecclesiæ finitimos convocaverat ad consecrandam, quam ædificaverat, Ecclesiam an. 358. Illi scribunt ad Imperatorem, petuntque, ut quæ in Sardicensi, Sirmianâ priori, aliisque conciliis decisa essent, rata manerent, (quam epistolam synodicam videre licet apud Epiphanium in suo Panario hæresi 73) in quibus consensum & statutum est, *filium substantiâ patri similem esse.* Et simul ad Imperatorem ablegantur Basilius Ancyræ, Eustathius Sebastiæ,& Eleusius Cyzicæ Episcopus, qui Constantium Sirmii de hæresi Eudoxii instruunt, & unà cum Italiæ Episcopis Liberii reditum sollicitantibus, ut Beröeâ accerseretur impetrant. Venit Liberius,& cum intelligeret Constantium Anomœanis (qui dissimilem Patri Filium statuebant) offensum, confessionem fidei conscripsit, *quâ omnes eos rejecit qui negabant filium similem & essentiâ & in rebus cæteris Patri*; & exinde ei reditus ad suam Ecclesiam concedebatur. Liberius non disertè negaverat *filium patri consubstantialem, aut essentiâ similem*, nec *dissimilem* eum dixerat,

dixerat, sed esse *in honore, claritate, dignitate & majestate minorem, idque etiam ob nomen filii; & abstinendum esse à verbis* ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον, fortè ad sedandas crudeles in Ecclesiâ turbas. *Sozomenus lib.* 4. *cap.* 14. *& Blondellus pag.* 480 &c.

Hoc ferè tempore totalis divisio & scissura invecta est in Ecclesiam Antiochenam, quam secuta est totius Christianismi disruptio. Nempe cum hactenus ad Aëtii exortum usque Homousiastæ cum Arrianis communicarent, & precibus & hymnis & consultationibus, καὶ εὐχῶν καὶ ὕμνων, καὶ βουλευμάτων & omnibus fermè aliis, quæ δεσμοὺς φιλίας καὶ συνηθείας vocant, excepto tantum mystico sacrificio, quod arctissima semper fuit contesseratio, circa preces etiam & hymnos dissentire cœpit, ruptis omnibus amicitiæ & consuetudinis vinculis: nam Leontius Arrianus post Placitum & Stephanum Antiochiæ Episcopos, callidè suam hæresin occultare metu multitudinis deprehensus est, Aëtio inter hæc Diacono facto; de quo *Athanasius de Synodis Arimini & Seleuciæ, Theodoretus lib.* 2. *cap.* 24. Quem tamen Leontius, instante Flaviano & Diodoro, utpote minantibus communionem sese illius Ecclesiæ derelicturos, & in Occidentem profecturos, uti fraudulentos ejus conatus ibi declararent, ministerio abdicare mox coäctus est. Quo etiam tempore Leontius Arrianæ sectæ addictos passim ad munia Ecclesiastica provexit, præteritis iis qui Homousiastarum doctrinam sequerentur, ut *Theodoretus ibidem, Philostorgius lib.* 3. *cap.* 14. *Sozomenus lib.* 3. *cap.* 19. Diversitas autem præcipua fuit in hymnorum doxologiis, nam Homousiastæ seu Orthodoxi hac utebantur: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* Heterousiastæ verò seu Arriani, *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto.* Et tamen, quod notandum, Basilius quoque Cæsariensis inter alias & ipse eam velut legitimam usurpavit, cumque eo nomine reprehenderetur, defendit insigni epistolâ ad Amphilochium de Spiritu sancto: ubi *vide caput primum: ut & simul Iac. Gothofredum ad Philostorgium.*

Divinus ille Osius jam senex, & centenario major, afflictus attritusque malis, tandem ægrèque cum Ursacio & Valente Arrianis communicat. *Athanasius ad solitarios.* Hinc *lib. de Synodis* Hilarii querela illa in Osium est, *quod sepulcri sui*, nem-

pe corporis, *nimium amans fuerit*, hinc ejus confessionem Sirmiensem *perfidiam* vocat *Arrianam*. Meminit & lapsus Osii Sœbadius libro contra Arrianos scripto, de quo mentio est apud B. Hieronymum de scriptoribus Ecclesiast. in Sœbadio. locus est disertus. Vide Baron. tomi 3. pag. 613. aut videatur ipse Hieronymus. De hoc lapsu Osii hæc habet Sulpitius Severus lib. 2. sac. hist. *Osium quoque in eandem perfidiam consensisse opinio est. quod eò mirum atque impoßibile videtur, quia omni ferè ætatis suæ tempore constantissimus nostrarum partium, & Nicæna Synodus illo auctore confecta habebatur: nisi fatiscente ævo (etenim major centenario fuit, ut S. Hilarius in epistolis refert) deliraverit*, Socrates lib. 2. cap. 26. fatetur illum fidei Arrianæ consensisse, sed vi & tormentis compulsum. Digna lectu sunt, quæ ex suâ sententiâ subjungit Baronius pag. 704. *Superavit*, inquit, *meâ sententia lapsus Osii præteritorum omnium casum, sive Originis, sive Tertulliani, vel quorumvis aliorum dixeris*, &c. Postea tamen probare conatur pag. 706. & 707. Osium denuò resipuisse, sed rationibus non satis validis. De solius Osii lapsu scribunt *Sœbadius contra Arrianos cap penult. & ult. Severus Sulpitius sac. hist. l. 2. Socrates l. 2. c. 26. Theodoretus lib. 2. cap. 17.* nihil de Liberio. *Liberius tædio victus exilii, & in hæreticâ subscribens pravitate, Romam quasi victor ingressus est*, inquit Hieronymus in Chronico, & de scriptorib. eccles. cap. 97. Profectò sedis recuperandæ amore, ὁμοούσιον, rejecit, ὁμοιούσιον assumpsit, & Athanasii condemnationi subscripsit, si Philostorgio Eudoxiano fides, & aliis. *Athanas. apologet. 2. & epist. ad solit. Hilarius ad Constantium.* Quare Imperator illi dabat potestatem Romam revertendi, atque Episcopi Sirmii congregati scribebant litteras Fœlici, tum Romanæ Ecclesiæ Antistiti, & Clero ejusdem Ecclesiæ, ut Liberium reciperent, & ambo pariter sedem Apostolicam administrarent &c. *Sozomenus lib. 4. cap. 11. & 14.* Liberius *Romæ à multis respuitur, cum adeo manifestè constaret, de ejus communione Sirmii initâ cum hæreticis, ex eo ipso videbatur necessariò exclusus à communione Catholicâ, atque penitus à pontificatus functione alienus*, inquit *Baronius*. an. C. 357. *Hinc magna turba Romæ & persecutio maxima in clerum, ita ut presbyteri & clerici plurimi necarentur*, &c. *qui cum Liberio communicare recusarent.* Idem.

Quidam

Quidam nihilominus negant lapsum Liberii, quem ego magis miror in Osio, magno & indefesso illo veritatis propugnatore, quamvis uterque vi, flagris & tormentis eò adactus videatur. Ipse Athanasius epistolâ ad solitarios testatur Liberium subscripsisse timore mortis, quam illi minabantur. At liberius respondet; *se libenti animo recepisse confessionem Arrianam, ac simplici & tranquillo animo se cum iis pacem servare.* Unde Baronius fatetur, *Dalilam, quæ Liberium seduxit, esse inanem gloriam & cupiditatem suæ commoditatis.* Hilarius Episcopus Pictaviensis, secundum Hieronymum *Rhodanus eloquentia Latinæ, & clara latinorum tuba contra Arrianos,* ubi citat epistolas Liberii, sic subinde exclamat: *Anathema meo nomine tibi Liberi & tuis*; & paulò post: *Anathema tibi secundâ & tertiâ vice prævaricator Liberi,* &c. Hilarius in frag. syn. Arim. Blondel. de primatu cap. 24. sect. 19. §. 2. A. C. 357.

Baronio Fœlix non est Papa eo biennio, cum intrusus atque schismaticus, nec non Arrianorum communione pollutus erat. nec antè numerandum tempus sedis Fœlicis, quam cum Liberius Arrianorum communicatione implicitus à Catholicâ communione poterat videri excidisse, &c. Optatus Milevitanus, & S. Augustinus cum recensent seriem Episcoporum Romanorum, post Liberium Damasum omisso Fœlice successisse tradunt: sed restituitur in numerum Episcoporum Romanorum tempore Gregorii decimi tertii, an. C. 1582. referente Baronio, cum casu inventus esset lapis, cui hæc verba erant inscripta: *Corpus S. Fœlicis Papæ & Martyris, qui damnavit Constantium.* Vide locum apud *Baronium.* Sed concedamus Baronio hanc lapidis seu sepulcri inventam esse inscriptionem: At quis nobis indicabit quando & à quo illa inscriptio sit facta? Liber Pontificalis Felicem hunc nomine secundum in numerum Pontificum refert, alii, ut jam diximus, eum omittunt. Idem liber Pontific. in vitâ Felicis, dicit eum martyrio coronatum & capite truncatum 3. idus Novemb. & in vitâ Liberii eundem Felicem in pace mortuum 4. Cal. Augusti. Socrates eum appellat Arrianum, Theodoretus lib. 2. cap. 17, *Cum se conjungeret fidei Nicenæ violatoribus, eum tam ingratum populo fuisse affirmat, ut nemo, illo præsente, templum ingredi voluerit.* Athanasius dicit *eum dignum iis, qui eum malè elegerant,* erat autem ab Arrianis intrusus: quisquis fuerit, si

non fide, fuit saltem factione Arrianus, & quâ talis, per Ecclesiæ canones condemnatus, an. C. 355. *Liberius ob fidem relegatur, quare omnis Clerus jurat, se illo vivo non admissurum alium Episcopum, sed paulò post, ubi in locum Liberii Fœlix substitueretur ab Arrianis, perjurat Felix, & cum eo ex clero multi.* Hieronymus in Chronico. Baron. an. C. 357. Blondellus, &c.

Semi-Arriani non habentur Catholici, quamvis Filium Dei Patris verbum, non creatum in tempore, nec factum ex nihilo, sed divinæ esse substantiæ, à Patre ante omnia secula genitum crederent, cum voce Consubstantialitatis non uterentur &c. *Baronius.*

CONCILIUM ARIMINENSE.

A. C. 359. Congregatur à Constantio Armini in Italia concilium 400 Episcoporum, quorum 80. erant Arriani, reliqui orthodoxi. In hac synodo Arriani nomen consubstantiale tollere conantur, similem Patri Filium secundum scripturas ajunt, sed substantiæ mentionem facere dissuadent ad evitandas contentiones, cum in sacris litteris non inveniatur nomen Consubstantialitatis &c. Et præstare imperitius differere, modò rectè de Deo sentiant, quam inanes verborum argutias introducere, quæ sunt cum captiosis dialecticorum præstigiis cognatione quâdam conjunctæ &c. *Sozomenus lib. 4. cap.* 16. 17. 18. Quare Arriani producunt fidei formulam Sirmii, præsente Constantio compositam, quam tamen orthodoxi rejiciunt, firmiter adhærentes Concilio Nicæno. *Socrat. lib. 2. cap.* 29. multa non vera de hac synodo narrant Orientales historici, rerum Occidentalium, propter locorum distantiam, non satis gnari. Sic autem habet Sulpitius Severus lib. 2. sac. hist. *Frequentibus*, inquit, *Conciliis* (Arimini) *nihil actum, nostris in fide manentibus, illis de perfidiâ non cedentibus. Ad postremum placuit decem legatos mitti ad Imperatorem, ut quæ esset partium fides & sententia cognosceret. Idem Arriani faciunt, mittuntq; numero pari legatos, qui adversum nostros coram Imperatore confligerent, sed ex parte nostrorum leguntur homines adolescentes, parum docti, & parum cauti. Ab Arrianis autem missi senes, callidi, & ingenio valentes, veterno perfidiæ imbuti, qui apud Regem facilè superiores extiterunt. Imperator legatos Concilii ex parte nostrorum compellit hæreticorum com-*

Concilia hic sunt sessiones vulgò dicta.

*communioni uniri: eidemque conscriptam ab improbis fidem tradit, verbis fallentibus involutam, qua Catholicam disciplinam perfidiâ latente loqueretur. Namque Vsiæ verbum tanquam ambiguum & temerè usurpatum à Patribus, neque ex authoritate S. Scripturarum profectum, sub specie falsæ rationis adolebat, ne unius cum Patre substantia Filius crederetur. Eadem fides similem Patri Filium fatebatur, sed interius aderat fraus parata, ut esset similis, non esset æqualis. Ita dimißis legatis Præfecto mandatum, ut Synodum non ante laxaret, quam conscripta fidei consentire se omnes subscriptionibus profiterentur. Sed regreßis legatis licet vim regiam deprecantibus negata communio. Enimvero compertis quæ decreta erant, major rerum & consiliorum perturbatio: dein paulatim plerique nostrorum partim imbecillitate ingenii, partim tædio peregrinationis evicti, dedere se adversariis, jam post reditum legatorum superioribus, & Ecclesiam, nostris inde detrusis obtinentibus, factâque semel inclinatione animorum catervatim in partem alteram concessum: donec ad viginti usque nostrorum numerus imminutus esset. Inter hos Fœbadius Aginensis, & Servatius Tungrorum Episcopus omnium erant constantißimi, quos post multas minas precibus Taurus Præfectus aggreditur (cui Imperator Consulatum promiserat, si ab Episcopis in fide consensum impetrare posset) qui ubi ad pacem parum proficiebat, paulatim & ipse Fœbadius infractior, ad extremum propositâ conditione evincitur. Namque Valens & Vrsacius (*principes Arrianorum, hic Singudini iste Murſię Epiſcopus)*affirmantes, præsentem fidem Catholicâ ratione conceptam, ab Orientalibus, Imperatore auctore, prolatam, cum piaculo repudiari. Ecquis discordiarum finis foret, si quæ Orientalibus placuissent, Occidentalibus displicerent. Postremò, si quid minus plenè præsente fide editum videretur, ipsi adderent, quæ addenda putarent: prœbituros se in his quæ essent adjecta consensum. Favorabilis profeßio pronis omnium animis excepta, nec ultra nostri repugnare ausi, jam quoquo modo finem rebus imponere cupientes. Dein concepta à Fœbadio & Servatio profeßiones edi cœpere in quibus primò damnatur Arrius, totaque ejus perfidia; cæterum non etiam Patri æqualis, sed (* ut legi vult Giſelinus apud Hornium *) sine initio, sine tempore, Dei filius pronunciatur. Tum Valens tanquam nostros adjuvans, subjecit sententiam cui inerat occultus dolus: Filium Dei non esse creaturam, sicut cæteras creaturas, fefellitque audientes fraus profeßionis. Etenim his verbis, quibus similis esse cæteris creaturis filius negabatur,*

crea-

creatura tamen, potior tantum cæteris, pronunciabatur. Ita neutra pars se vicisse penitus, aut victam putare poterat; quia fides pro Arrianis professiones verò postea adjecta pro nostris erant: præter illam, quam Valens subjunxerat, quæ tum non intellecta, serò demum animadversa est. Hoc vero modo Concilium dimissum bono initio, fœdo exitu est consummatum. Hactenus Sulpitius. Vide eandem historiam apud Hieronymum adversus Luciferianos, sed paulò aliter relatam: *Post productam fidei formulam*, inquit, *de Usia nomine rejiciendo verisimilis ratio præbebatur, quia in scripturis, ajebant, non invenitur, & multos simpliciores novitate suâ scandalizat, placuit auferri, non enim curæ erat Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto* &c. & paulò post: *Musonio provinciæ Bysantinæ Episcopo propter ætatem prima ab omnibus deferebantur. Ex cujus præcepto Claudius Episcopus Picenus blasphemias, quæ Valentis ferebantur, legit; quibus omnes Concilii patres anathema dixerunt, & cum iis Valens.* Vide acta Concilii Ariminensis. *His ita gestis Concilium solvitur: Læti omnes ad provincias revertuntur: Idem enim Regi & bonis omnibus curæ fuerat, ut Oriens atque Occidens communionis vinculo sibi necterentur. Paulò post Valens & Ursacius jactabant se filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis.* Hic exclamat Hieronymus: *Tunc Usiæ nomen abolitum est, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis & Arrianum se esse miratus est!* Hic Baronius hujus Concilii Patres Nicænæ *fidei proditores vocat, & hostium negotium egisse, in dispendium traditæ à patribus Catholicæ veritatis. Quia silentio prætererant vocem substantiæ & consubstantialitatis cum vera fidei jacturâ*, cum etiam id fieri potuisset stabiliendę pacis ergò, ut decretum brevi videbimus an. C. 362, sub ipso Athanasio.

Eodem tempore edicto Imperatoris Seleuciæ urbe Isauriæ in Oriente concilium Episcoporum numero 160. cogitur, *quod effigiem Concilii Ariminensis pulcrè expressit*, inquit Socrates lib. 2. cap. 31. ubi fidei formula recepta est, quæ Antiochiæ in Encæniis descripta erat abdicatis Acacianis, anno 341. qui ἀνομοίω καὶ ἑτερουσίω introducto, Concilium ex Seleuciâ Constantinopolim deferunt, ubi collectis 50 Episcopis fidei formulam Arimini prælectam confirmant. *Aderat ibi tum Hilarius à Seleuciâ*, qui jam quatuor ferè annos in Phrygiâ exulaverat. *qui ubi extremum fidei periculum animadu-*

madvertit, Occidentalibus deceptis Orientales per scelus vinci, tribus libellis publicè datis audientiam regis poposcit, ut de fide coram adversariis disputaret: postremò, quasi discordiæ seminarium & perturbator Orientis redire ad Gallias jubetur, & illud apud omnes constitit, unius Hilarii beneficio Gallias nostras piaculo hæresis Arrianæ liberatas. Sulpitius Severus lib. 2.

Julianus Lutetiæ Parisiorum ab exercitu Imperator acclamatur. Hic fuit Flavii Constantii fratris Constantini filius, maritus Helenę Constantini filiæ. A. C. 360.

Constantius cum adversus Julianum cum exercitu advolaret, prope Tarsum obiit Mopsucrenis: sub mortem baptizatus est ab Euzojo Episcopo Arriano, ut ait *Socrates lib. 2. cap. 46.* A. C. 361.

Baronius Gregorium Nazianzenum carpit, quod nimium laudet Constantium, & dicat eum Orthodoxis aliquid negotii facessivisse, non quod eos contemneret, sed ut schismati & dissidiis occurreret, & omnes Christianos consensu animorum jungeret, &c. *Gregorius Nazianzenus Apologiâ pro Constant.* Sic plerumque à fervidis & ferocibus ingeniis pacis & conciliationis studiosi sugillantur. *Nunquam aliàs frequentiores, quam hoc Imperatore, synodi Episcoporum fuerunt, quod ab Ammiano Ethnico scriptore egregiè notatum, ejus verbis libet exponere:* Christianam religionem, absolutam & simplicem anili superstitione confundens; in quâ scrutandâ perplexius, quam componendâ gravius, excitavit dissidia plurima, quæ progressu fusius aluit concertatione verborum: ut catervis antistitum jumentis publicis ultro citroque discurrentibus per synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conatur arbitrium, rei vehicula rię succiderit nervos. *Arriani verò novas idendidem fidei formulas recudebant, cujusmodi* XI. *aut* XII. *intra annos viginti condiderunt.* Petavius.

De his ita loquitur ad ipsum Constantium Imperat. S. Hilarius: *Periculosum nobis, atque etiam miserabile est, tot nunc fides exsistere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas esse, quot mores: & tot caussas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt: dum aut ita fides scribuntur, ut volumus, aut ita ut volumus intelliguntur. Et cum secundum unum Deum, & unum Dominum, & unum baptisma etiam fides una sit, excidimus ab*

eâ fide, quæ sola est : & dum plures sunt, ad id cœperunt esse, ne ulla sit *Dum in verbis pugna est, dum de novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de auctoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse cœpit, propè jam nemo Christi est. Fides quæritur, quasi fides nulla sit: fides scribenda est, quasi in corde non sit. Regenerati per fidem, nunc ad fidem docemur quasi regeneratio illa sine fide sit. Christum post baptisma discimus, quasi baptisma aliquid esse possit sine Christi fide. Annuas & menstruas de Deo fides decernimus : & impietatis ipsius hinc vel præcipuè caussa perpetua est, quod fidem Apostolicam septuplo proferentes, ipsi tamen fidem Euangelicam nolimus confiteri : dum impietates nostras nobis in populis multiloquiis defendimus, & magniloquentiæ vanitate aures simplicium verbis fallentibus illudimus.* Quæris ab eodem Hilario remedium? *Quod hieme undoso mari observari à navigantibus maximè tutum est, ut naufragio deſæviente in portum, ex quo solverant, revertantur : vel incautis adolescentibus convenit, ut cum in tuendâ domo suâ mores paternæ observantiæ transgressi, profusâ libertate suâ usi sunt, jam sub ipso amittendi patrimonii metu solus illis ad paternam consuetudinem necessarius & tutus recursus sit: ita inter hæc fidei naufragia cœlestis patrimonii jam penè profligatâ hæreditate, tutissimum nobis est primam & solam Euangelicam fidem confessam in baptismate*, (quâ baptizamur in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti) *intellectamque retinere, nec demutare, quod solum acceptum atque auditum habeo, bene credere : non ut ea quæ synodo patrum nostrorum continentur, tanquam irreligiosè & impiè scripta damnanda sint, sed quia per temeritatem humanam usurpantur ad contradictionem* &c. Bone Deus, da nobis fidem tuam, quæ per charitatem operatur. Quare hic iterum me confero ad verbum Dei, & primitivæ Ecclesiæ fidem, ubi tam abundans erat pietas, quam copiosæ hic sunt fides. Liceat ergo mihi loqui verbis Syrachidæ : *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scruteris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne sis curiosus. nam qui amat periculum peribit in illo. Vt ignem ardentem extinguit aqua, sic Eleëmosynæ*, quæ magna pars sunt charitatis, *peccata.* Quare etiam sic concludit suum ad Constantium libellum supplicem Hilarius: *Audi, rogo, ea, quæ de Christo sunt scripta, ne sub eis ea,*

quæ

quæ non scripta sunt, prædicentur, summitte ad ea, quæ de libris locuturus sum, aures tuas: fidem tuam ad Deum erigas. Audi quod proficit ad fidem, ad unitatem, ad æternitatem. Locuturus tecum sum cum honore regni & fidei tuæ, omnia ad Orientis & Occidentis pacem profutura: sub publicâ conscientiâ, sub synodo dissidenti, sub lite famosâ. Præmitto interim pignus futuri apud te sermonis mei, non aliqua ad scandalum, neque quæ extra Euangelium sunt defendam: sed intelliges à me in sacramento solius Dei veri & quem misit, Iesum Christum prædicari unum Deum patrem, ex quo omnia: & unum dominum Iesum Christum, per quem omnia, natum ex Deo, qui est ante tempora æterna, & erat in principio apud Deum Deus Verbum, qui est imago Dei invisibilis, in quâ habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; qui cum in formâ Dei esset, humilians se salutis nostræ causâ, formam servi ex conceptu Spiritus sancti de virgine accepit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: & post resurrectionem mortis deinde in cœlestibus sedens, aderit judex vivorum & mortuorum & rex omnium æternorum seculorum. Est enim unigenitus Deus, & Deus verus, & Deus magnus, super omnia Deus: & omnis lingua confitebitur, quia Dominus Iesus Christus in gloriâ Dei Patris est. Hæc ego in Spiritu sancto ita credidi, ut ultra hanc de Domino Iesu Christo fidem non possim doceri, &c. Nota confessionem fidei Hilarianæ sine homousio.

Veteres quam parcissimè de rebus divinis philosophabantur, inquit Erasmus præfatione in Hilarium, *neq; quicquam audebant de his pronuntiare quod non esset apertè proditum his litteris quarum auctoritas nobis est sacrosancta.* Et: *quemadmodum pleriq; veterum, qui summâ pietate colebant filium, tamen homousion dicere verebantur. Adeò prior fuit Ecclesia profectus in puritate vitæ, quam in exacta cognitione divinitatis. Nec unquam plus accepit dispendii, quam cum in eruditione philosophica, demum & in opibus hujus mundi quā maximè promovisse videbatur: non quod per se malæ sint opes, sed quod plerumq; involvant hominem curis hujus mundi. Nec per se mala est eruditio, sed plerumq; gignit factiones & dissidia. Prætexitur fidei catholicæ defensio, & interim admiscent sese affectus privati, & sub Christi titulo Satanæ negocium agitur.* Et: *Olim fides erat in vita magis, quā in articulorum professione. Mox necessitas admonuit, ut articuli præscriberentur: sed pauci & Apostolicæ sobrietatis. Dein hæreticorum improbitas adegit ad exactiorem divinorum voluminum excussionem: pervicacia compulit, ut quædam ex*

 aucto-

auctoritate desinerentur. Tandem fidei symbolum in scriptis potius, quam in animis esse cœpit: ac penè tot erant fides, quot homines. Creverunt articuli, sed decrevit sinceritas: efferbuit contentio, refrixit charitas. Doctrina Christi, quæ prius nesciebat λογομαχίαν, cœpit à philosophia præsidiis pendere: hic erat primus gradus Ecclesiæ ad deteriora prolabentis. Accreverunt opes & accessit vis. Porrò admixta huic negotio Cæsarum auctoritas non multum promouit fidei sinceritatem. Tandem res deducta est ad Sophisticas contentiones, & articulorum myriades proruperunt. Hinc deventum est ad terrores & minas. Cumque vita nos destituat, cum fides sit in ore magis, quam in animo: cum solida illa sacrarum literarum cognitio nobis deficiat, tamen tortoribus huc adigimus homines, ut credant, quod non credunt, ut ament, quod non amant, & intelligant, quod non intelligunt. Non potest esse sincerum, quod coactum est: nec Christo gratum est, nisi quod voluntarium. Vide ipsum Hilarium ad Constantium, & lib. de Synodis.

A. C. 362. *Iulianus Constantio patruele mortuo solus imperavit, cujus amicos omnes quâ nece, quâ exilio multavit. Idolorum fana reseravit, ejeratisque Christianæ fidei sacramentis omnibus, in Pontificem Maximum profanis ritibus consecratus est. Blanda sed callida sub hoc Imperatore fuit Christianorum persecutio, illiciens magis quam impellens ad sacrificandum. Occultis enim artibus Christianorum oppugnavit fidem. Magistratus ac præfecturas nisi Gentili nemini commisit: pueris in scholis Christianorum gentiles enarrari scriptores voluit. Variarum hæresium Antistites suo quemque arbitrio vivere permisit eo animo, ut ne inter se concordes essent. Ethnicos omni genere crudelitatis in populum Christianum grassari vel jussit vel impunè permisit. Ita ut fuerit Ecclesiæ miserrimus status, dominantibus scilicet Arrianis, & Orthodoxis fidei defensoribus exilio pulsis, relliquis fermè omnibus fœdus fædè cum Arrianis ineuntibus.* Baronius. *Vide Socrat. lib. 3. cap. 1. Sozom. lib. 5. cap. 2. Theodor. lib. 3. cap. 2. & seq.*

CONCILIUM LAODICENUM.

Concilium Laodicenum habitum est Laodiceæ, urbe Phrygiæ Pacatianæ, ubi à Patribus 32. Canones 59 constituti sunt, an. C. 369, Justello Codice Canonum, 324 Binio, at Vossio 362. Concilium

cilium est tam Græcorum, quam Latinorum scriptis celeberrimum, in quo ad collapsam Ecclesiæ disciplinam restaurandam, & ad mores singulorum reformandos editi sunt hi Canones.

Primus canon est contra *secundas nuptias*, quas quidem Paulus permisit, & in primitivâ Ecclesiâ licitæ fuerunt, sed non laudabiles. Imò olim pœnitentię certum tempus digamis fuit per canones constitutum. Qui nam autem illi fuerint, varii variè judicant. Justello in hunc canonem tres sunt species digamiæ: prima est, cum quis simul binas habet uxores, qualis erat mos Judęorum & paganorum. altera est cum quis defunctâ priore conjuge secundam ducit. Tertia est, cum quis Christianus legibus Romanis divortio ab uxore separatus alteram ducit, absque legitimâ repudii caussa, quę est adulterium. *Quicunque dimiserit uxorem suam*, inquit Christus Matth. 19.4 *nisi propter adulterium, & aliam duxerit, mœchatur*. de hujusmodi digamis loquuntur canones Nicęnus 8. Ancyranus 19. & Neo- 1 *Tim*. 3. 2. cæsariensis septimus. Severioris disciplinę auctores Novatiani nul- & 12. los digamos ad communionem admittebant, ut alibi notatum.

Secundus canon est adversus *Novatianos*, qui lapsos in religione non recipiebant, sed Deo committebant: *perseverantes in oratione confeßionis & pœnitentiæ*, addit idem canon. Eâdem ratione Patres orationem exomologeseos appellant, quando pœnitens in limine Ecclesiæ prostratus lacrymis & gemitibus fatebatur se peccatorum omnium miserrimum, nec pœnam deprecari. *Albaspinus*.

Quarto canone vetantur Sacerdotes & Clerici fœnerari.

Quintus canon prohibet electionem in præsentiâ Audientium. Χειροτονία seu electio hic significat suffragiorum formam, quam in eligendis Episcopis & Presbyteris vetus observavit Ecclesia: sed hæc vox ex civili electione in Ecclesiam translata est, ut videre est. *Act*. 14. 22. Apud Athenienses duplex erat modus creandi magistratum: unus per χειροτονίαν, id est manuum extensionem, & clamoris populi approbationem, qui hoc modo erant electi, dicebantur χειροτονητοὶ. Alter modus erat per κλῆρον, id est, sortem, & forte creati vocabantur κληρωτοὶ. hunc morem imitati sunt Apostoli. In cæteris vero utebantur χειροτονία. hæc consuetudo diu locum habuit in Ecclesiâ, sed postea presbyteri eam potestatem sibi sumpsêre, ita tamen ut

 illum,

illum, quem vellent eligere, præpararent populo, ut si aliquid in eo improbaret, in tempore diceret. *Iustellus, Vossius.*

Canon septimus admittit in Ecclesiam & ad communionem, Photinianos unctos sancto chrismate. fuit autem Photinus cum Paulo Samosateno ejusdem hæreseos condemnatus in Conciliis Sardicensi & Sirmiensi. *Paulianistæ si ad Ecclesiam Catholicam confugerint, definitum eos omninò rebaptizari*, verba sunt can. 19. concilii Nicæni. Quare ego cum Binio malo credere Photinianorum nomen huic canoni insertum esse, quam Patres hujus Concilii ita peccasse advèrsus prædictum canonem Nicænum.

Canone 9. mentio fit *Cœmeterii.* Cœmeteria seu dormitoria erant apud Græcos loca, ubi pauperes exteri pernoctabant, ne necesse haberent sub dio permanere: hoc vocabulum Christiani transtulêre ad sepulcra: quia enim illis erat spes resurrectionis, dicebant defunctos non tam mortuos esse quam dormire. quod dormire intelligendum est non respectu animę sed corporis: erant autem illis cæmiteria, quod nobis templa.

Canon. 11. *prohibet presbyteras ex mulieribus ordinare.* Duo erant genera χειροθεσίας, εὐλογία & χειροτονία, per hanc, id est, per consecrationem Episcopi, eas creari vetat, non vero per illam, id est, per benedictionem. De his fortè agit Paulus ad Titum 1.3. nam erant & πρεσβύτιδες ex senioribus electæ, & fœminæ διάκονοι ex junioribus, ut videre est Rom. 16.1. & in epist. Plinii ad Trajanum. Presbyteræ autem erant uxores vel viduæ presbyterorum: eodem modo dicuntur Diaconissæ, quæ observabant ostia, per quæ exirent mulieres, & instruebant imperitas & rusticas mulieres jam baptizandas, & baptizandis ministrabant, ut baptismus castius fieret. Vide *Concilii Carthag.* 4. *can.* 12. *Tertullian. lib.* 1. *de castitate, cap.* 13.

Canon 13. prohibet, ne à turbâ eligantur sacerdotes. non quod excludat fidelem populum ab electione Episcoporum, sed, ut in Græco est, ὄχλον, id est, turbam, vulgus, & multitudinem, quæ, ut ait Hieronymus, *sæpe clamoribus, aut gratiâ aut pretio excitata moveri solet.* Electio autem tam à Clero quam à populo fiebat, ex veteri totius Ecclesiæ consuetudine.

Can. 14. *sancta*, sunt panes εὐχαριστίας, qui in sacramento adhibeban-

bebantur: εὐλογίαι panes sunt, quos offerebat populus sacerdoti, ut iis sacerdos benediceret; quibus cum benedixisset sacerdos, mittebat eos populus in parochias, ut testarenrur communionem doctrinæ. Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις.

Canon. 18, jubetur *officium precum horâ nonâ & vesperâ celebrari*, quod à plerisque Christianis & hodie observari video, ut & à reformatis apud Gallos & Anglos, à quibus certis horis itur ad solas preces, quæ primò à singulis in genua procumbentibus nullo monitore, ut loquitur Tertull. dicuntur, postea verò præeunte ministro, & finiuntur cantu psalmi.

Canone 19, præscribitur modus in conventu fidelium celebrandi sacrum: in quo primò ab Episcopo ὁμιλία, id est, concio habetur, quâ finitâ seorsim oratur pro Catechumenis, quibus egressis, oratur pro pœnitentibus; illis ambobus exeuntibus ter orant fideles: primò in silentio, secundò & tertiò cum vocis pronuntiatione, & tum demum datur osculum pacis primò à presbyteris Episcopo, deinde à Laicis sibi mutuò,& ita finitur sancta oblatio. Solis autem sacratis licebat ad altare accedere, & ibidem communicare: inter Laicos soli regi aut principi, idque cum Episcopo & Presbyteris, quia caput est reipublicæ, & Ecclesia est in republicâ.

*Can.*22. mentio fit *orarii*,orarium autem,aliter stola,est vestis genus quo presbyteri & diaconi induebantur,ita dictum ab orando.de quo videatur *Lipsius lib. El.* 2. *cap.* 10. *& Casaub. ad Aug. histor. in notis ad Vopiscum.*

Ad Canonem 26. Tempore Tertulliani Laici & milites exorcizandi genus exercebant, quod postea singulari hominum ordini ab Episcopis permissum est.

*Can.*29. vetantur *otia diei sabbati*,ne Christiani videantur similes Judæis aut Ebionitis, & tantum die Dominico otiandum esse jubetur, exceptis pauperibus & vilis sortis hominibus, quibus victus caussâ permissum erat etiam die Dominico intra domum artem suam exercere, sed aliis placuit strictius servari. Constantinus Imperator *leg.* 3. *de feriis* permisit agricolis tantum sementem aut messem facere, ob dies sereniores qui sæpe diebus dominicis fulgerent, aliis non item. Leo verò postea eam legem immutavit, & nullum

nullum die Dominico opus agricolis permisit. Hic canon hisce verbis clauditur: *quod si inveniantur Iudaizantes Anathema sit à Christo.* Vide *canonis textum, & in eum Iustellum.*

Can. 35. *Non oportet Christianos derelictâ Ecclesiâ Dei abire, & ad angelos congregationes facere.* Paulus ad Coloss. 2. 18. expressè cultum Angelorum prohibet: ad quem locum sic Theodoretus: *Qui legem defendebant, Colossenses etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, fuisse legem per eos datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygiâ & Pisidia. Quocirca Synodus quoque, quæ convenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ Metropolis, lege probibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum usque diem licet videre apud illos, & eorum finitimos, oratoria Sancti Michaëlis.* Idem ad cap. 3. 17. *Quoniam illi Angelos jubebant adorare, ipse contrarium præcipit, ut & dicta & facta exornent recordatione Domini: & Deo, inquit, & Patri gratiarum actionem emittite per ipsum, non per Angelos. Hanc enim legem sequens Laodicena synodus, & volens veteri illi morbo mederi, lege cavit, ne precarentur Angelos, & ne relinquerent Dominum nostrum Iesum Christum.* Vide Irenæum lib. 2. cap. 58. Augustinum hæresi 39, ubi refert apud veteres fuisse hæreticos, qui dicebantur ob cultum Angelorum Angelici.

Can. 36. Mathematici numerantur inter Magos & incantatores: sed per Mathematicos non intelliguntur ii, qui Arithmeticam, &c. didicerunt, sed qui ex siderum statu futura prædicunt. Duplex autem est Astrologia, altera Μετεωρολογική, meteora autem non sunt ea sola, qualia Aristoteles describit in *lib. Meteorolog.* sed etiam sidera ipsa. Altera est Ἀποτελεσματική, id est, judiciaria, quæ non est illicita quoad prædictionem rerum naturalium, sed quoad actus humanos, qui pendent à libertate arbitrii. Ibidem prohibentur φυλακτήρια, à φυλάσσω, custodio: quæ sunt Latinis amuleta, ab amoliendo, quæ collo suspendebantur, ut venena depellerent: sed ea non vetantur, quibus vis aliqua naturalis adest tuendi corpora à venenis aut morbis, sed ea, quę continerent aliquas figuras deorum dearumque, aut etiam characteres magicos, quorum hodie apud multos usus est nimis familiaris. Quamobrem Chrysostomus *homil.* 43. *in Matth.* 23. in eos invehitur, qui prima verba Euangelii Iohannis, pro amuleto de collo suspenderent, quibus crede-

credebant se à multis injuriis protegi. Possem multa eorum dare exempla, quibus sub specie sanctitatis etiam hodie multi abutuntur & decipiuntur. *Vossius, Iustellus.*

Can. 50. jubetur accurata Quadragesimæ observatio: quia multi Christiani feriâ quintâ, id est die Jovis, septimanæ majoris, id est ultimæ ante Pascha solebant solvere jejunia, quod 40. dies exspirassent, vel quia Christus tum cœnam habuisset cum Apostolis, in quâ instituit sacramentum corporis & sanguinis sui.

Can. 53. prohibentur tripudia & saltationes in nuptiis, & jubentur Christiani in iis cœnare aut prandere uti eos decet, id est cum omni modestia.

Can. ultimo vetatur in Ecclesiis cantus Psalmorum ab idiotis compositorum & lectio librorum non Canonicorum. Et ibidem recensentur libri Canonici. *Baruch* hic etiam inter Canonicos refertur, quod ideo fortassis factum, quia scriba erat Ieremiæ, Tobias hic omittitur. Hieronymus in prologo galeato enumerat omnes libros Canonicos veteris Testamenti, nimirum viginti duos: in epistola autem ad Paulinum presbyterum omnes tam V. quam N. Testamenti libros recenset, & sub finem epistolæ, *Oro te frater charissime*, inquit, *inter hæc vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quærere: nonne tibi videtur jam hic in terris regni cœlestis habitaculum?* sed synodus Carthaginensis tertia celebrata sub Honorio an. C. 419, cui etiam interfuit Augustinus, addidit Sapientiam Salomonis, Ecclesiasticum, Tobiæ & Judithæ historiam, libros Machabæorum. *Quos libros quidem legit Ecclesia*, inquit Hieronymus, *sed inter Canonicas scripturas non recipit, legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* fuit autem Hieronymus linguæ Hebraicæ peritissimus: sed ille Canonicos strictius sumit, Augustinus alibi latius; non tamen quod existimet omnes esse in pari auctoritate, sed quod omnes in Ecclesia prælegerentur; Hieronymus eos tantum vult Canonicos, qui in Canone Hebræorum haberentur. Sixtus Senensis hos dissentientes conciliare studet, ut dicamus πρωτοκανονικοὺς, qui inveniuntur in Canone Hebræo, & δευτεροκανονικοὺς, qui etiam in Ecclesia prælegerentur.

Hieron. præf. in lib. Salom.

Hæc synodus inter libros novi Testamenti excludit Apocalypsin

in hoc Canone, quod ideo factum, quod à multis non legeretur: deinde quia putabant multi scriptam esse non ab Johanne Euangelista, sed presbytero, qui eodem tempore Ephesi vixit. Atque eâ de caussâ tam sollicitè ubique dicit Eusebius, *hic pater citat Apocalypsin, ille pater non citat*, quod à multis non haberetur canonica. *Vossius.* Vide de his plura in initio hujus historiæ an. C. 70.

Hoc tempore obmutuit Oraculum in Daphne, quæ erat locus suburbanus Antiochiæ, cum amœnissimo nemore, in quo templum Apollini dicatum. Cum vero Antiocheni hoc silentium dæmonis tribuerent reliquiis S. Babylæ martyris, olim Episcopi Antiocheni, prope illud Apollinis delubrum sepulti, Julianus iratum dicebat Deum in Antiochenos deorum contemptores: sed Juliano quærenti ab oraculo responsum, dixit: *Daphnes locus cadaveribus scatet, id quod oraculum arcet. Theodoret. lib. 4. cap. 10.* Cum vero Artemius idolorum hostis, Ægyptique Præfectus jam senex, (qui quondam sub Constantino militans unà cum aliis signum illud crucis in cœlo apparentis vidisse dicitur) martyrio cum aliis à Juliano Antiochiæ occisus esset, ipsum Apollinis Daphnæi fanum, & in eo Jovis Olympici simulacrum conflagravit. Vide *Iulianum in Misopogone, Ammianum Marcell. lib. 22. & Chrysostomum lib. contra Gentiles.* Auditâ Artemii morte Alexandriæ, Georgius Cappadox dictus, sed potius Cilix secundum Ammianum, Episcopus Alexandrinus, Catholicis exosus, & à gentilibus dictus sanguinarius, à populo gentili occiditur & discerpitur.

Vide acta Artemii apud Metaphrast. 20. &c.

De quo hoc loco quędam adjungam ex dictatis Vossii. hic Georgius & in Catholicos & in gentiles crudelis, his non tantum templa eripuit, sed & plebem incitavit ad destruendam ædem Dei Genii: quare ab iisdem gentilibus occisus est. ne autem reliquiæ interfecti colligerentur, & eo in loco ubi sepultæ essent, sacrarium exstrueretur in memoriam ipsius, gentiles cineres illius in mare dispersérunt. sed tamen prohibere non potuerunt, ut à suis Arrianis pro martyre haberetur, & memoria illius celebraretur. Exstat hodieque templum Georgio dicatum propè Alexandriam ad mare, quod putatur in honorem hujus Georgii ab Arrianis esse exstructum. Socrates narrat hunc Georgium adyta Mithræ, cui homines sacrificare

Ammian. Marcell. l. 22.

Vide de hoc Georgio Epiphan. Socrat. l. 3. c. 2. Sozom. lib. 5. c. 7.

care gentiles solebant, aperientem & occupare volentem, ab iisdem ex Ecclesiâ raptum, camelo alligatum, discerptum, & cum bestiâ combustum fuisse. Sed hodie quæritur in Romanâ Ecclesiâ, an sit idem ille Georgius Cilix, aut Gregorius Cappadox (nam sæpè in iis nominibus à scriptoribus & aliis erratur) Episcopus Alexandrinus qui hodie in eâ colitur, an alius quispiam? Qui dicunt esse eundem, his argumentis utuntur. Primò quia hic erat Cappadox & adversarius Athanasii, & à gentilibus & Catholicis pro mago habitus, qui cum diabolo commercia haberet. quod autem magicę artis fuerit peritus, *probatur ex Concilio Tyrio & lib. 22. Ammian. Marcell.* Atqui omnia illa conveniunt illi Gregorio, aut Georgio qui à Romanâ Ecclesiâ colitur. Et Gelasius Papa Romanus, qui vixit 120. annis post sublatum Gregorium, dicit eundem esse Gregorium, sed acta illius non esse fide digna, quę circumferuntur, quia ab Arrianis essent conscripta: tum quod nullus alius possit adferri Georgius aut Gregorius, qui à gentilibus esset occisus.

Alii qui hoc negant ita respondent: In vitis Phasicrati, Simeonis Metaphrastis & Ioan. de Voragine mentionem quidem fieri Gregorii, sed eam partem esse corruptam ac proinde ab opere separandam: quod ab Arrianis in unius vitam sunt congesta, quæ ad duos pertinent. præterea dicunt alium quendam fuisse Gregorium an. C. 309. sub Diocletiano aut Maxentio, atque eum etiam ab his esse sublatum. Alii dicunt alium fuisse Gregorium in Perside tempore Daciani regis Persarum, cui 70 reguli subjecti erant. Baronius dicit non esse Georgium illum Cappadocem Arrianum & sanguinarium qui in Ecclesiâ Romanâ colitur, sed illum qui sub Diocletiano martyrio est affectus. Alii dicunt pro Daciano legendum esse Diocletiano, ita ut velint eum tempore Diocletiani vixisse. Alii putant illum Gregorium, qui in Ecclesiâ colitur, nunquam fuisse sed esse symbolicum, ac symbolum esse pii & sacri Principis aut Magistratus, Ecclesiam protegentis ab hæreticis & gentilibus. fingunt enim Gregorium equo insidentem hastâ transfossum draconem in mare detrudere, ab defendendam virginem, quam draco cupiebat devorare. Per draconem hic intelligunt diabolum, qui solet hâc figurâ depingi, ut patet ex *Eusebii lib. 3. cap. 3.* de vitâ

 Con-

Constantini, per virginem vero Ecclesiam &c. Ita etiam sentit Vida Episcopus Cremonensis. Alii fatentur quidem Gregorium symbolicum esse, sed tamen volunt quendam fuisse verum Gregorium, cujus nomen invocatur & memoria quotannis celebratur, sed hic rursus redit quæstio, quis ille fuerit.

Ab Eduardo tertio rege Britanniæ in honorem Gregorii, ordo equestris est institutus. Qui ideo videtur esse patronus illius ordinis, quia cum nobiles viderent eum equo insidentem &c. cogitarint, non meliorem se posse patronum eligere, quam Gregorium. Eâdem intentione idem fecisse videntur Amisfurtenses, quondam populus ferox & Martius, velut in suâ Bataviâ loquitur Had. Junius, ut in suis cum Geldris frequentibus bellis in cœlo bellicosum haberent patronum.

Quod autem Ioannes de Voragine, qui auream scripsit legendam, refert de voragine illâ Libyæ & serpente ex eâ voragine prodeunte, &c. Baronius putat totum illud esse symbolicum. Etsi autem illud de Gregorio totum videatur symbolicum, tantum tamen in animis hominum valuit, ut pro numine coleretur. Dicit enim Baptista Mantuanus Carmelita in libro Pastoris de hoc Gregorio:

Maxime bellorum rector, quem nostra juventus
Pro Mavorte colit.

Denique tandem incertum adhuc est, quis ille sit Gregorius aut Georgius, cujus memoria celebratur: an sit ille symbolicus, qui est typus boni & pii principis, vel martyr, aut Episcopus Alexandrinus, vel alius. *Hactenus Vossius.*

Cum Julianus exules Orthodoxos edicto revocasset (post dirè necatum à civibus paganis Georgium Arrianorum Alexandriæ Episcopum) reversus Alexandriam Athanasius synodum colligit. Interfuit huic synodo Eusebius Vercellensis Episcopus cum Diaconis Luciferi Calaritani in Sardiniâ Episcopi, qui adierat Antiochiam ad pacandam ibi Ecclesiam, tum temporis valdè turbatam. Baronius Liberium Episcopum Romanum auctorem hujus synodi Alexandrinæ fuisse docere conatur, duosque eò missos ab eo legatos Eusebium & Luciferum Episcopos prædictos, cum tamen apud neminem historicorum Ecclesiasticorum istius temporis illud inveniatur: imo Lucifer Alexandriam non venerit,

ut

ut habet *Theodoretus l. 3. c. 4.* sed ejus loco duo Luciferi Diaconi, Herennius & Agapetus, ut videre est apud Athanasium in epist. Synodali ad Antiochenos. Dicit præterea ab Episcopo Romano confirmatam hanc synodum, cum Athanasii epistola dicat à Romanâ Ecclesiâ comprobatam. Prædicti Episcopi ab Imperatore Constantio tempore celebrati Concilii Mediolanensis in Orientem, seu potius in Ægypti superiores Thebas, erant relegati, & in Occidentem cum Hilario reduces ab Italiâ, Galliâ, Illyrico Arrianos fugant. Illi duo, Eusebius Vercellensis Episcopus in Liguriâ,& Hilarius Pictaviensis in Galliâ, à Ruffino magnifica mundi lumina appellantur. *Ruffin. lib. 1. cap. 30. 31. Socrates lib. 3. cap. 4. 5. & 7. Theodoret. lib. 3. cap. 4. 5. Sozom. lib. 5. cap. 11. 12.*

Deduximus Eusebium exsulem è Thebis Alexandriam ad Concilium Episcoporum, qui ibidem cum Athanasio ex Ægypto, Arabiâ, & locis vicinis erant congregati, *ad purgandam Ecclesiam non flagellis,* ut fecerant Gregorius Cappadox,& Georgius Cilix Arriani, *sed veritatis argumentis ad persuadendum maximè comparatis*, ut loquitur Gregorius Nazianzenus. *Nam non gladiis, aut jaculis, aut militari manu veritas prædicatur*, ut ipse Athanasius inquit Epistolâ ad solit. vitam agentes, *sed suadendo & consulendo: & quæ suadendi libertas, & consulendi ratio, ubi qui contradicit pro mercede aut exilium aut mortem reportat. Interim multi multarum civitatum Episcopi Alexandriæ cum Athanasio & Eusebio congregati*, inquit Sozomenus lib. 5. cap. 11. *decreta Concilii Nicani confirmant: Spiritum sanctum Patri & Filio consubstantialem confitentur, & Trinitatem nominant: quin etiam docent omnibus credendum esse hominem, quem Deus Verbum assumpsit, & animâ & corpore perfectum esse; quemadmodum veteribus & sapientibus Ecclesiæ Patribus placuit: præterea lapsos in hæresin Episcopos cum pristino gradu in Ecclesiam recipiunt, contra solitam severiorem Patrum disciplinam; qui eos non nisi laicâ communione admittebant. Ac quoniam controversia de substantiâ & subsistentiâ Ecclesias turbabat, crebra de his vocibus contentiones disputationesque oriebantur. Idcirco valde sapienter, meâ quidem sententiâ, decretum est, ut statim ab initio, cum de Deo esset sermo, hisce vocabulis minimè quisquam uteretur, (quia οὐσίας nomen in Sacrâ scripturâ non reperitur,* addit Socrates) *nisi cum Sabellii opinionem fortè conaretur refellere,*

*fellere, ne inopiâ verborum eandem personam videretur tribus appellare: sed triplici factâ distinctione unamquamque separatim cogitatione complecteretur. Nam Osius Episcopus Cordubæ, de quo supra, ab Imperatore Constantino ad tumultum ab Ario concitatum sedandum missus,*ut loquitur Socrates lib. 3. cap 5. *dum Sabellii Afri dogma explodere cogitat, de ὀσία id est essentia, de ὑποστάσεί, id est substantiâ seu personâ disceptavit; unde materia alteri contentioni suppeditata est.* S. Hilarius, vir sui temporis præstantissimus, contra Arrianos disputans, dicitur lapsus in terminos Arrianos: *quare inter Catholicos,*quod testatur Hieronymus epist. ad Damasum, *de ejus* (ὀσίας & ὑποστάσεως) *proprietate, cum in re idem sentirent, non levis oborta est controversia, cum tamen sic contendentes inter se contrariæ partes, altera alteram hæresis insimularet impingens hæc illi Arianismum, huic verò illa Sabellianismum: cum alioqui reverâ ambæ Catholicæ essent, idemque sentirent. Quas quidem adeò deformes altercationes S. Synodus, auctore Athanasio, conata est consopire atque penitus tollere;* de quo sic Gregorius Nazianzenus orat. in laudem Athanasii: *Quod verò in ipso Athanasio mihi mirari subit, quodque non citra damnum silentio præteriri potest, hâc præsertim tempestate, quâ multa contentiones dissidiaque gignuntur, hoc superioribus adjiciam: nam his quoque, qui nunc vivunt, documento esse queat hæc actio, si ipsum nobis imitandum proponamus.* Et paulò post: *Cum essentia una & tres hypostases à nobis piè dicerentur, quod alterum divinitatis naturam, alterum personarum trium proprietates declaret, ac simili quodam modo apud Romanos intelligerentur, cæterum ob linguæ illius angustiam, verborumque inopiam, hypostasin ab essentia distinguere non possent eamque ob caussam in illius locum Personarum induxissent nomen, ne tres substantias admittere viderentur. Quid tandem contigit?* inquit ibidem Gregorius, *diversæ fidei speciem præbuit levis illa circa vocis sonum contentio. Hinc deinde alii Sabellii errori astipulari visi sunt, quod tres personas dicerent: alii Arrii impietatem complecti, quod rejectis personis tres hypostases nominarent: quorum utrumque pertinax contendendi studium effinxerat. Quid postea? Cum parva quædam, (ut in contentione fieri solet) molestiæ caussa semper accederet; eo tandem res adducta est, ut periculum esset ne orbis terrarum fines unà cum syllabis à se invicem distraherentur & abrumperentur. Quæ cum beatus ille vir & verè homo Dei magnus-*

magnusque animorum œconomus, oculis auribusque perciperet tam stultam & absurdam orthodoxæ fidei sectionem dissimulandam ac negligendam sibi non putavit, verùm medicinam morbo quamprimum adfert. Quonam autem modo id facit? Vtrâque parte leniter atque humaniter accersitâ, verborumque sententiâ diligenter & accuratè perpensâ, posteaquam concordes comperit, neque quoad doctrinam quicquam inter se dissidentes, ita negotium transegit, ut nominum usum ipsis concederet, rebus eos constringeret.

Græci dicebant μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις, *inquit Augustinus de Trinitate lib. 1. cap.* 8. 9. quod est Latinè, unam essentiam, tres substantias. Et cum idem significare videantur essentia & substantia, Latini maluerunt dicere, unam essentiam aut substantiam, tres personas. Sed ex eo rogabant Arriani, si sunt distinctæ personæ Pater Filius & Spiritus sanctus, quare non sunt totidem Dii? Ego dico: O beata simplicitas, quæ Christum Deum in pace & cum pietate colit.

Consentiebant omnes antiqui Patres in unitate, sed non poterant eam satis commodè explicare: quia nullus modus unitatis illius est in rebus humanis, qui ei conveniat. Sic illam explicare conatur Tertullianus. *Hunc* (Christum) *ex Deo prolatum didicimus & probatione generatum, & idcirco filium Dei & Deum dictum ex unitate substantiæ: nam & Deus spiritus. Etiam cum radius ex sole porrigitur, portio ex summâ, sed sol erit in radio quia solis est radius, nec separatur substantiâ sed extenditur. Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus. Vt lumen de lumine accensum manet integra & indefecta materia matrix, etsi plures inde traduces qualitates mutueris: ita & quod de Deo profectum est, Deus est, & Dei filius & unus ambo. Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, modulo alternum numerum gradu non statu fecit & à matrice non recessit sed excessit,* &c. Alii hanc similitudinem captui humano sic accommodarunt: A sole nobis communicatur lumen & calor, solem patrem constituunt, à quo lumen de lumine, tanquam lux è sole, genitus est filius: & ut ex eodem sole & lumine producitur calor, sic procedit à Patre & Filio Spiritus sanctus; qui in figurâ flammæ in festo Pentecostes Apostolis apparuit. Concilii Nicæni Patres in deitate statuebant duo, κοινὸν & ἴδιον, *ut loquitur in dictatis Vossius*: κοινὸν, nimirum deitatem seu naturam divinam; ἴδιον verò,

ἀγεννησίαν in Patre: γεννησίαν in filio, & ἐκπόρευσιν, id eſt, emanationem in Spiritu ſancto. Sed quis hominum nobis enarrabit iſtius generationis & proceſſionis modum? Quare Gregorius Nazianzenus ſic occurrit nimiæ curioſitati hominum oratione 1. de Theologiâ: ἀκούεις γένεσιν, τὸ ὅπως μὴ περιεργάζου, ἀκούεις τὸ πνεῦμα τὸ προϊὸν ἐκ τοῦ πατρὸς, τὸ ὅπως μὴ πολυπραγμονεῖς. Tanti arcani rationem & modum non modò quæri vetat, ſed & ſilentium indicit. Unde ſimilia à patribus veteris Eccleſiæ non immeritò τὰ ἄῤῥητα & μυστήρια appellantur. Quare idem Nazianzenus ſic loquitur quintâ de Theologia: *Dic tu mihi quid ſit generatio, & ego dicam tibi, quid ſit proceſſio: ut ambo inſaniamus Dei ſecreta rimando.* Magnus & ſanctus Baſilius monet illa verba eſſe vitanda, quæ propriè in ſacrâ ſcripturâ non ſunt, quamvis non ſint extra ſenſum S. ſcripturæ. Et: Verbum hoc, quod in ſcripturâ non invenitur, judicat potius tacendum. Quare, *Vnde deſcripſiſti?* inquit, *ex quâ doctrinâ? quo Propheta? quis Apoſtolorum hoc verbo unquam uſus eſt?* &c. Velle uti multis ſubtilitatibus & deciſionibus in rebus tam ſublimibus, idque verbis à nobis inventis, & in Sacrâ ſcripturâ non uſitatis, multi Patrum diſſuadent. Quare Athanaſius ea vocabula vocat ἄγραπτα καὶ ὕποπτα, id eſt, non ſcripta & ſuſpecta. Quam varii & ſibi plerumque contrarii in iis explicandis ſint Scholaſtici, unicuique apud eos videre licet. Hieronymus ipſe non ſine ſcrupulo dixit tres hypoſtaſes, quamvis alii convenientiſſimè id fieri dicerent. Quare ſi de ſimilibus quid dicendum occurrat, tutius eſſe putant verbis Propheticis, & Apoſtolicis, quam vocibus ab eruditis noviter excogitatis, uti, & longè ſalutarius eſſe Deum imitari, quam de Dei proprietatibus ſubtiliter diſputare. Vis dicam? Periculoſa hic eſt nimia curioſitas, quæ nobis è Philoſophiæ ſtudio ferè nata eſt, ut loquitur *Eraſmus præfatione in Hilarium.* Non damnaberis ſi neſcias, quomodo genitus ſit Chriſtus, ſed non effugies exitium, niſi tu ſis regenitus: non damnaberis ſi neſcias, utrum Spiritus à Patre proficiſcentis unicum ſit principium, an duo, (quæ tamen quæſtio turpiter ſeparavit duas nobiles quondam Eccleſias) ſed non effugies exitium, niſi curaveris producere fructus Spiritus, qui ſunt: *Charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas,*

tas, fides, mansuetudo, temperantia. sed disputare omnes malumus, quam bene vivere.

Non absimile exemplum nuper vidit nostra mœsta Batavia, cum contendentium Theologorum ἀκρίβεια Ecclesias Provinciarum Fœderatarum fœdè afflixit. Adversus quem Ordines Hollandiæ quamtumvis etiam frustra, simili & nunquam satis laudandâ usi sunt prudentiâ, in sapientissimo & sanctissimo illo Decreto, ad conciliandas, ferè super similibus & non necessariis in religione ortis controversiis, nuperas inter Batavos turbas: quod divinum consilium quo fato impeditum fuerit norunt prudentes. Sed quid consilii ubi inter proceres ambitio, inter ecclesiastas livor, odium & amor sui imperant? Desperata res est, ubi intellectum errorem etiam pertinaciter tuemur: ubi Sacram scripturam ad affectus nostros torquemus. *Est hoc pertinacia plerisque mortalium ingeniis insitum*, inquit Erasmus in præfatione in Hilarium, *ut quod semel quocunque casu pronunciaverint, nunquam tueri desinant, etiamsi compererint se perperam pronunciasse. Primum pudor obstat, is per contentionem proficit in pervicaciam, pervicacia tandem exit in rabiem: ita fit ut cum utrimque crudescit pugna, utrimque veritas amittatur.* Liceat ergo mihi quorundam pace cum mitissimo Philippo Melanctone precari: *A Theologorum rabie libera nos Domine.* Concludam verbis Calvini Institut. lib. 1. cap. 14. §. 3. *Modum, quem præscribit pietatis regula, tenere curæ erit, ne altius quam expedit speculando, lectores fidei simplicitate abducti, vagentur. Et certè cum semper utiliter nos doceat spiritus; in quibus verò parum est momenti ad ædificationem, vel subticeat prorsus, vel leviter tantum & cursim attingat, nostri quoque officii est libenter ignorare, quæ non conducunt.* Et §. 4. *Ne longior sim, meminerimus hic in totâ religionis doctrinâ tenendam esse unam modestiæ & sobrietatis regulam, ne de rebus obscuris aliud vel loquamur, vel sentiamus, vel scire etiam appetamus, quam Dei verbo nobis fuerit traditum. Alterum, ut in lectione scripturæ iis continenter quærendis ac meditandis immoremur, quæ ad ædificationem pertinent: non curiositati aut rerum inutilium studio indulgeamus. Et quia Dominus non in frivolis quæstionibus, sed in solidâ pietate, timore nominis sui, vera fiducia, sanctitatisq; officiis erudire nos voluit, in ea scientia acquiescamus. Quamobrem, si ritè sapere velimus, relinquenda*

Nnn *sunt*

sunt nobis illa ματαιώματα, *quæ & otiosis hominibus de Angelorum natura, ordinibus & multitudine*, & multò magis de omnipotentis Dei proprietatibus, *absque Dei verbo traduntur. Scio hæc cupidius à multis arripi, & majori voluptati esse, quam quæ in usu quotidiano sunt posita. Verum nisi Christi discipulos esse nos piget, eam, quam ipse methodum præscripsit, sequi ne pigeat. Ita fiet, ut ejus magisterio contenti à supervacuis speculationibus, à quibus nos revocat, non tantum abstineamus, sed etiam abhorreamus.* Et: *Illa ergo nugatoriâ sapientiâ valere jussa, ex simplici scripturæ doctrinâ consideremus, quæ scire nos Dominus voluit.* Et §. 8. *Quicquid de utroque quæri potest, credamus esse ex eo genere mysteriorum, quorum plena revelatio in ultimum diem differtur. Proinde à nimiâ vel in quærendo curiositate, vel in loquendo audacia cavendum meminerimus.* Hæc Calvinus: Quæ auctoritate S. scripturæ eleganter confirmantur per Ordines Provinciæ Trajectinę, ubi hanc suis Ecclesiis præscripserunt constitutionem, articulo de Officio ministrorum verbi divini: *Pastores sedulò curabunt jacere fidei fundamenta verbis & modo loquendi in S. scripturâ usitatis*, servantes formam sanorum sermonum, quos ab Apostolis didicerunt: *Verbum Dei loquentes*, non verbis quæ docet sapientia humana, sed quæ docet Spiritus sanctus, spirituales spiritualia comparantes: *sibi caventes* à verborum pugnis, ad nullam utilitatem, ad subversionem audientium: *rejicientes subtiles speculationes, inutiles & ineptas disputationes*, stultas & ineruditas quæstiones, scientes eas parere pugnas, & nullam ædificationem Dei, quæ est per fidem: *semper cogitantes* præcepti finem esse charitatem, ex puro corde & conscientia bona, & fide non simulata. Hęc est illa cœlestis sapientia, quã nos docet noster Salvator Christus in Euangeliis, in Epistolis suis Apostoli, & tota primitiva Ecclesia.

2 Tim. 1. 13. — 1 Cor. 2. 13. — 2 Tim. 2. 14. — 2 Tim. 2. 23 — 1 Tim. 1. 5.

Lucifer Calaritanus etiam exsul relicto Eusebio Vercellensi, qui discesserat ad Concilium Alexandrinum, paulò post venit Antiochiam in factiones tres scissam. Nam alii erant Eustatiani, à magno illo Eustatio dicti, qui Antiochiâ ab Arrianis ejectus est: Alii Meletiani à Meletio, quem Arrianorum consortio pollutum, quamlibet Catholicum, aversabantur isti: Alii denique Arriani, quibus præerat Euzoïus. Eò itaque cum venisset Lucifer Paulinum Eustatii presbyterum in parte Catholicâ fecit Episcopum. Ita tres in ea urbe erant Episcopi, & quinque secta. prima & frequentior

Meletio

Meletio adhærebat: secunda Paullino; tertia est Apollinaristarum: quarta rigidorum Eustatianorum, qui nullum agnoscebant Episcopum: quinta Arrianorum, qui Episcopum habebant Euzojum. Blondell. *Postea Eusebius Vercellensis eòdem profectus Luciferi factum improbavit. Quâ re offensus ille, qui & permissum in synodo Alexandrinâ lapsis ad Ecclesiam cum honore pristino reditum molestè ferebat; se à Catholicorum communione divulsit. Hinc Luciferianorum schisma initium habet.* Petav. hic pie Lector mecum obiter nota & deplora frequentem & furiosam Episcoporum φιλαρχίαν καὶ φιλονεικίαν, *dominandi & contradicendi libidinem*, quæ infinitas peperit hæreses & non semel Christi Ecclesias turbavit, sed penè perdidit, Juliano cæterisque Ethnicis Christianos deridentibus. Donatistæ præsidio Juliani persequuntur Orthodoxos, ut antea Arriani imperante Constantio. *Optatus lib. 6.* quo tempore etiam lex à Juliano lata, ut Christiani vocarentur Galilæi. *Baron.* sic enim eos per contumeliam vocare solitus erat Julianus, & Christum fabri filium.

Julianus in gratiam Judæorum, & odium Christianorum conatur restaurare templum Hierosolymitanum, sed frustra: *nam metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris insultibus erumpentes fecère locum, exustis aliquoties operantibus; inaccessum, hocque modo elemento destinatius repellente cessavit inceptum.* Ammianus Marcellinus scriptor non Christianus, lib. 23. in initio. Historici Christiani narrant postea visas cruces in vestibus operantium, unde multi Judæorum convertuntur. *Ruffin. lib. 1. c. 38. 39. Philostorg. & in eum notæ Gothofr. lib. 7. cap. 14. Socrates lib. 3. cap. 17. Sozomen. lib. 5. cap. ultimo. Theodor. lib. 3. c. 17. Chrysost. adversus Iudæos Orat. 2. Orosius lib. 7. c. 30.* A. C. 363.

Quidam ludimagister Christianus discedente ad Persas cum exercitu Juliano, à Libanio Philosopho Juliani amico & præceptore per risum interrogatus quid ageret Fabri filius? respondit: Juliano loculum seu sandapilam fabricat. *Theodoret. lib. 3. cap. 21. & 26. Vide plura apud Socrat. lib. 3. cap. 11. & c. 18. & Sozom. l. 6. c. 1. & 2.*

Julianus contra Persas ductis copiis, secundo Marte aliquantum progressus, oblatas pacis à Sapore Rege satis honestas conditiones stolidè rejecit. Demum pari imprudentiâ navigiis, quæ ad subsidium exercitus, secundo fluvio comitabantur, exustis, omnique

 inter-

intercluso commeatu, à barbaris interceptus & omnium rerum laborans inopiâ, in medio conflictu periit, incertum cujus emisso manu jaculo confossus, anno ætatis 31. Moriens exceptum cavâ manu cruorem in cœlum jecisse fertur, cum hac voce: Vicisti Galilæe, ut habet *Theodoret. lib. 3. cap. 25. alii aliter. Vide Socratem lib. 3. cap. 18. Sozomenum lib.6. cap.1. & 2. Zosimum lib. 3. Ammian. Marcell. lib.24. & 25. Iac.Gothofred. notas in Philostorgii lib.7.cap.15.*

Jovianus Singidone in Pannonia natus, militari suffragio post Julianum Imperator acclamatus est, vir excellenti corporis specie, sed animi pietate præstantior, qui statim milites ab Ethnicismo ad Christianam religionem traduxit: Labarum Constantini, à Juliano rejectum, revocavit, & Episcopos Arrianos pariter & Catholicos restituit, & ad concordiam hortatus est; atque idolorum delubra claudi, & aboleri sacrificia penitus edixit. Cum Sapore necessariâ magis quam honestâ pace in annos 30 factâ; Nisibi & maximâ parte Mesopotamiæ cessit, at rem Romanam erexit. Sed dum Constantinopolim revertitur Dadastanæ, in confinio Galatiæ & Bithyniæ moritur ex cruditate sive odore prunarum in recenti tectorio, anno ætatis 33. ut habet *Hieronymus.* Cum Macedoniani, qui filium Patri essentia similem statuunt, contra Acacianos seu Anomianos, qui Filium Patri dissimilem asseverabant, libellum supplicem Joviano optimo Principi offerrent, hoc unum dixit: *Ego contentionem odi, concordiam amo veneror que.* Quod ubi ad aliorum aures pervenisset, ferociam illorum qui contendendi studio flagrabant, permulsit. Cum vero Acaciani, epistolâ, ex synodo Antiochena ad Jovianum missâ fidem Nicænam se approbare significarent, Imperator, qui apud animum suum proposuerat blanditiis & persuasionibus dissentientium lites dirimere, respondit, *se nemini quidem qualemcunque fidem amplexanti molestiam exhibiturum, sed eos præter cæteros benevolentiâ & honore prosecuturum, qui Ecclesiæ ad concordiam adducendæ auctores se ostenderent.* Hæcque ab eo ad hunc modum gesta esse Themistius Philosophus commemorat: nam in ea, oratione quæ Consularis inscribitur, eum propterea magnis ornat laudibus, quod, potestate cuique pro arbitratu hanc vel illam religionem profitendi permissâ assen-

tatorum mores prorsus refutasset: quod hominum genus facetè perstringens dixit, *eos non Deum sed purpuram coluisse, Euripoque similes esse qui modo in hanc modo in illam partem præcipitatur. Socrat.*

Extincto Joviano Valentinianus propè Nicæam Imperator electus est. Hic patre Gratiano apud Cibalim Pannoniæ oppidum scholam secundam scutariorum regebat; sed à Juliano propter Christianę fidei constantiam ordine motus est. Qui eodem anno Valentem fratrem suum Augustum appellavit Constantinopoli, & permisso illi Oriente, in Occidentem ipse discessit. Hoc eodem tempore variæ exsurgunt gentes adversus Romanum Imperium; Galliam Alemani & franci, Pannoniam Sarmatæ, Africam Mauri, Britanniam Anglosaxones & Scoti, Thraciam Gothi depopulantur. *Ammianus.* A. C. 364.

Lampsaci Concilium filium Patri substantiâ similem statuit, & subscribit symbolo synodi Antiochenæ anni 341. confirmatę anno 359, Seleuciæ. *Socrat. lib.4. Sozomen. lib.6.* A. C. 365.

Valens bellum parans contra Gothos baptizatur ab Eudoxio Episcopo Constantinopolitano Arriano, & blandiciis conjugis fit Arrianus, & Orthodoxorum gravis persecutor. *Theodoret. lib. 4. cap. 11.* A. C. 366.

Arriani persequuntur omnes, qui consubstantialem Patri filium credunt: contra eos acriter certant Basilius Cæsariensis, & Gregorius Nazianzenus. Valentiniano primus filius fuit Gratianus, secundus Valentinianus, sed hic ex Justina Arriana.

Liberius Papa moritur, succedit Damasus Hispanus, in schismate cum Ursicino, de quibus sic Ammianus lib. 27. *Damasus & Ursicinus supra modum ad rapiendam Episcopalem sedem ardentes, scissis studiis acerrimè conflictabantur, adusque mortis vulnerumque discrimina adjumentis utriusque progressis: quæ nec corrigere sufficiens Viventius, nec mollire, vi magnâ coactus secessit in suburbanum. At concertatione superaverat Damasus parte, quæ ei favebat instante. Constatque in Basilica Sicinnii, ubi ritus Christiani conventiculum, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremptorum, efferatamque diu plebem agrè postea delinitam. Neque ego abnuo ostentationem considerans rerum urbanarum hujus rei cupidos, ad impetrandum quod appetunt omni contentione* A. C. 367

tione

tione laterum jurgari debere: cum id adepti futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspectè vestiti, epulas curantes profusas adeò, ut eorum convivia regales superent mensas. Qui poterant esse beati reverà, si magnitudine Vrbis despectâ, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorundam provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandique parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia perpetuo numini, verisque ejus cultoribus, ut puros commendant & verecundos. Hactenus Ammianus Marcell. vide etiam Ruffin. lib. 2. cap. 10. &c.

A. C. 368. Gregorius Nazianzenus orat pro fratre Cæsario mortuo, in oratione in laudem ejusdem. Excusabit virum sanctum pius affectus. Et, ut verum fatear, preces pro mortuis in veteri Ecclesiâ tam Orientali quam Occidentali, usitatæ fuerunt. *Ego tamen mallem pro me vivo piorum preces fieri, & satagere ut anima quam purgatissima hinc decederet.* August. de verbis Apostoli serm. 31. Optatus scribit adversus Donatum & Donatistas, qui credebant in Africâ inter solos Donatistas esse Ecclesiam Catholicam.

A. C. 399. Magnus Basilius Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, Gregorius Nyssenus Nyssæ Episcopus cum suâ uxore Theosebiâ, fratres, & Gregorius Nazianzenus Basilii & amicus & contubernalis, dictus Theologus, simul in Asia florent. Hic Gregorius successit in episcopatu patri Gregorio seniori, cui uxor erat Nonna. Hoc tempore cœperunt prædicti eximii viri invocare sanctos mortuos etiam publicè, ut postmodum in Ecclesia Occidentali etiam Ambrosius & alii: sed an non securius & efficacius invocetur Deus quam Martyres, licet sancti, pius & prudens Christianus judicet. Hujus seculi patres in suis orationibus frequentibus quidem utuntur apostrophis ad sanctos, sed hoc oratorum proprium est. Verum enimvero si placet, inquiramus hujus invocationis originem & progressum. In primitiva & puriori illa Ecclesia solus adorabatur Deus, nec alicujus intercessio in cœlis apud eos locum habebat, quam solius Christi. Vide Ignatium, Justinum Martyrem, Athenagoram, Tatianum, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, apud quos nihil tale quid invenies. Consule præcipuè epistolam Ecclesiæ Smyrnensis de honore, quem Episcopo Polycarpo, viro Apostolico & Martyri

Martyri sanctissimo jam defuncto, exhibuit, quam dedimus an. C. 169. ubi ejus martyrium narravimus. Circa annum 250, Origines & Cyprianus crediderunt sanctos in cœlis orare pro Ecclesia militante; qui & vivos orabant, ut, si priores decederent, superstitum apud Dominum memores essent. Vide *Cyprianum epist.* 57. *ad Cornelium, & Novatianum lib. de Trinitate.* quod etiam placuit Athanasio, Eusebio, Hilario & aliis: sed quomodo hoc cum iis conveniat, qui credunt mortuorum animas commorari extra cœlum in abditis receptaculis sine Dei visione ad extremum usque judicium, non video: quod tamen veteres plerique asserunt. Circa hæc vero tempora à prædictis eruditis & sanctis viris publicè etiam invocantur sancti defuncti, sed & sæpe hanc suis precibus conditionem addebant: *si quis est mortuis rerum nostrarum sensus.* Audiamus hac de re judicium B. Augustini epist. ad faustum Manichæum lib. 20. cap. 21. *Colimus martyres*, inquit, *eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines* Dei, *quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratum esse scimus. sed illos tanto devotius, quanto securius post incerta omnia superata: quanto etiam fidentiore laude prædicamus jam in feliciore vita victores, quam in ista adhuc usque pugnantes.* & lib. de vera relig. cap. 55. *Honorandi sunt sancti propter imitationem, non adorandi propter religionem.* sed sibi non semper est æqualis Augustinus: ubi tamen eos invocant, pro intercessione apud Deum orant. *Quo pacto autem, qui sanctos invocarunt, se defensitarint, planum fit ex effugio, quod quidem hujus temporis scriptor sub nomine Ambrosii in commentario in epistolas Paulinas adfert. qui in cap. 1. ad Rom. sic scribit:* Solent passi pudorem neglecti Dei miserâ uti excusatione, dicentes: per istos posse ad Deum iri, sicut per Comites pervenitur ad regem. *sed quomodo his occurri oporteat, malo verbis dicere ejusdem scriptoris:* Age, *inquit*, nunquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, ut honorificentiam regis vindicet Comiti, cum de hac re, si qui etiam tractare fuerunt inventi, jure, ut rei, damnentur majestatis? Et isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conservos adorant, quasi sit aliquid plus quod reservetur Deo? nam & ideo ad regem per tribunos aut Comites itur, quia homo utique

est

est rex, & nescit, quibus debeat remp. credere. Ad Deum autem, quem utique nihil latet, omnium enim merita novit, promerendum suffragatore opus non est, sed mente devotâ. *Hac bene antiquus scriptor, ut qui Damasi Papa temporibus vixerit, quemadmodum ipse testatur in cap.3. epist. 1. ad Timoth.* Hæc Vossius in suâ Idololat. &c. Huic adde Paulum ad Coloss. cap. 2. v. 18. ubi prohibet cultum Angelorum, & in eundem locum Theodoretum, cujus verba produximus ad canonem 35. Concilii Laodiceni an. C. 262. *Habet speciem modestia*, inquit Grotius in eundem Pauli locum, *non audere Deum accedere, sed ad Angelos preces deferre ad Deum deferendas: quo colore Philosophi defendebant* τὴν πολυθεΐαν, *quod & Celsus fecit, ut ex Origine cognoscimus. Et quia hoc malum invaluerat in Phrygiâ, ideo synodus Laodicensis vetat* ἀγγέλους ὀνομάζειν καὶ συνάξεις ποιεῖν; *qua occulta idololatria ibidem dicitur.* Vide ibi Zonaram. Ludovicus Vives in notis in August. de Civ. Dei l.8. c.ult. *Multi*, inquit *Christiani Divos divasque non aliter venerantur, quam Deum; nec video in multis quod sit discrimen inter illorum opinionem de sanctis, & id quod gentiles putabant de Diis suis.*

V. Damasus vir variis virtutum generibus ornatus, qui post Liberium Ecclesiæ Romanæ præsulatum, ut inquit *Theodoretus lib. 2. cap.22.* (primatum habet Baronius) sortitus est, contra Auxentium synodum convocat Episcoporum Italorum & Gallorum numero nonaginta: à quibus Arrianismi damnatur Auxentius. Nec ideo ab Ecclesiâ Mediolanensi discessit: nam supervixit post hæc in solito honore annos quinque, nec nisi morte suâ Episcopatum deseruit. Scripserat ad Damasum Athanasius, se mirari quare Auxentius necdum esset ex Ecclesiâ depositus ejectusque, & gratiam habere illius pietati cæterisque, qui Romæ convenerunt, quod Ursacio & Valente ejectis, concordiam Catholicæ Ecclesiæ conservarint. Hinc Baronius: *Vides ex his lector*, inquit, *damnationem & depositionem Episcoporum esse Romani Episcopi opus.* Non dixerat Athanasius ab Episcopo Romano hoc faciendum, nec etiam factum à Damaso, sed synodo 90. Episcoporum, ut diximus, & agit gratias Damaso & cæteris episcopis, qui Romæ convenerant, quod Ursacium Valentemque damnarant.

Imo

Imò quamvis Auxentius à ſynodo Romana damnatus fuerit, nihil tamen ab iis promotum: nam quoad vixit Epiſcopatum Mediolanenſem adminiſtravit: nec mirum, nam Mediolanum erat ſub poteſtate Vicarii Italiæ, & ſeparata diœceſis.

Valens Imperator Arrianæ ſectæ addictus, quam crudeliſſimè perſequitur Orthodoxos in Oriente, per Iovianum Imperatorem libertati reſtitutos. A. C. 370.

Valentinianus lege cohibet Clericorum & Monachorum turpem avaritiam, qui ſe continentes appellari volebant. Hieronymus de vita Clericorum ad Nepotianum hæc habet: *Pudet dicere; ſacerdotes Idolorum, mimi & aurigæ & ſcorta hæreditates capiunt; ſolis Clericis & Monachis hoc lege prohibetur, & prohibetur non à perſequutoribus, ſed à principibus Chriſtianis, nec de lege conqueror, ſed doleo cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum eſt, ſed ubi mihi vulnus, ut indigeam cauterio? Provida ſeveraque legis cautio, & tamen nec ſic refrenatur avaritia. Per fideicommiſſa legibus illudimus, & quaſi majora ſint Imperatorum ſcita, quam Chriſti leges timemus, Euangelia contemnimus.* Et paulò poſt ibidem hæredipetas ex Clericis & Monachis ita deſcribit: *Audio præterea in ſenes & anus abſque liberis quorundam turpe ſervitium. Ipſi apponunt matulam, obſident lectum, purulentiam ſtomachi & phlegmata pulmonis manu propriâ ſuſcipiunt, pavent ad introitum Medici, trementibuſque labiis an commodius habeant ſciſcitantur; & ſi paululum ſenex vegetior fuerit periclitantur, ſimulatâque lætitiâ mens intrinſecus avara torquetur.* Et ut videas quodnam ex hac Clericorum avaritia ſecutum fuerit malum, audiamus Sulpitium Severum Clericorum vitam & mores ejuſdem temporis deſcribentem Dialogo primo: *Cæterum cum neque opere, neque virtute conſpicuus ſit, ſi quis Clericus fuerit effectus, dilatat continuò fimbrias ſuas, gaudet ſalutationibus, inflatur occurſationibus, ipſe etiam ubique diſcurrit. Et qui ante pedibus aut aſello ire conſueverat, ſpumante equo ſuperbus invehitur. Parvâ priùs ac vili cellulâ contentus habitare, erigit celſa laquearia, conſtruit multa conclavia, ſculpit oſtia, pingit armaria, veſtem reſpuit groſſiorem, indumentum molle deſiderat. Atque hæc caris viduis ac familiaribus mandat tributa virginibus: illa ut birrum rigentem, hæc ut fluentem texat lacernam.* Hoc

dialogo quantum virtutes Monachorum Orientalium in Eremis prope Nilum habitantium prædicantur, tantum vitia Clericorum Occidentalium improbantur. de horum avaritia hæc idem Sulpitius habet lib. 1. historiæ sacræ: *Ministri Ecclesiarum inbiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt venduntque, quæstui per omnia student. Ac si qui melioris propositi videntur, neque possidentes, neque negotiantes, quod est multò turpius sedentes munera exspectant, atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quasi venalem praferunt sanctitatem.* Apud Socratem l. 4. c. 26. fit mentio legis Valentiniani, quâ unicuique licebat duas habere legitimas uxores. Imò affirmat Imperatorem uno eodemque tempore duas habuisse uxores, Severam & Justinam, & utriusque liberos recenset. Sed Baronius multis rationibus id refutat, & rejicit tanquam falsam & commentitiam calumniam.

A. C. 371. Rescriptum Valentiniani &c. ad Præfectum Urbis Ampelium, & Maximinum Vicarium urbis Romæ de indulgentia in relegatione Ursicini hæc habet verba inter cætera. *Verum naturæ nostræ mansuetudine lævigati, ita memorato* (Ursicino) *discedendi* (è Gallia) *copiam dedimus, ne ad urbem Romam, vel certè suburbicarias regiones pedem inferret* &c. Nam relegatus erat ad certum Galliæ locum Ursicinus, & hoc rescripto libertas illi ab Imperatore conceditur discedendi quocunque voluerit, præterquam in Urbem & regiones suburbicarias: quia Urbs Roma cum regionibus urbicariis erat sub jurisdictione Vicarii urbici in civilibus, & Episcopi Romani in Ecclesiasticis.

A. C. 372. Meletius Antiochenus, Basilius, & alii Orientales Episcopi scribunt de miserando Orientalis Ecclesiæ statu ad Episcopos Occidentales, ob crudelem Valentis & Arrianorum adversus Orthodoxos persecutionem, & hac occasione, Basilius caveri cupit ab Episcopis Occidentalibus damnum illud, quod sub Liberio illatum erat Ecclesiæ Orientali, cum recepissent Eustathium Sebastenum & collegas, eosque omnes hæreticos dolosè professos Nicænam fidem; ubi Basilius tectè carpit oscitantiam Liberii &c.

Baronius dicit Basilium Romano Episcopo Damaso omnia deferre, & maximi ponderis à Basilio æstimari judicium Apostolicæ sedis, *ipsius*, inquit, *Romani Pontificis, quod probè sciret, illos omnino*

ab

ab omnibus habendos esse hareticos, atque vitandos absque aliqua tergiversatione, quos ab Apostolica prima sedis antistite constaret esse rejectos. &c. Inscriptio autem epistolæ Basilii non est ad Pontificem Romanum, sed ad Episcopos Occidentales, nulla facta mentione Damasi, aut Episcopi Romani, nec in ipsa epistola.

Si verò lubet justam audire caussam, quare inter cætera ad Occidentales scribat Basilius, lege istius epistolæ finem, ubi reperies Eustathium propter manifestam hæresin ab Orientalibus non semel Episcopatu privatum, à Liberio & Occidentalibus restitutum. Eustathius hic fuit Episcopus Sebastæ in parva Armenia, (non ille Galata, quem condemnavit synodus Gangrensis, ut benè observavit Baronius) quondam discipulus Arrii & postea magister Aëtii, ut nos docet S. Basilius epist. 74. & 82. qui Prothei instar, nunc hic in Arrianum, ibi in semiarrianum, alibi in Orthodoxum sed cum fraude, se transformavit, ut omnia ad privatum dirigeret commodum, per diversas synodos in Oriente, tam ob fidem quam mores, damnatus, & Episcopatu abdicatus, sub specie honoris ablegatus per synodum Lampsacenam, venit Romam ad Papam Liberium, cui cum suam fidei confessionem ostendisset, à Liberio ad communionem recipitur. Redit in Orientem, & in Synodo Tyanæ urbe Cappadociæ literas Liberii & Episcoporum Occidentalium, in quibus ad communionem admissus erat, exhibuit, quare per eandem Synodum Tyanæ, Episcopatui Sebastæ restituitur, atque per concilium Lampsacenum approbatur. *Basil. epist. 72. & 82. Socrat. lib. 3. cap. 25. Sozom. lib. 6. cap. 11. & 12. Blondellus cap. 25. sec. 22.* quare sic pergit Basilius. *Quæ verò sint*, inquit, *illi à beatissimo Liberio Episcopo proposita, & ad quæ consenserit, nobis clam est; nisi quod epistolam attulit, per quam restitueretur: eam ubi Tyana synodo exhibuit, in suum locum restitutus est. Iste quidem jam fidem eam in qua receptus est depopulatur, cumque illis furit qui homousion anathemate percellunt. Quoniam autem vires istinc accepit lædendi Ecclesias, ac publicandæ pietatis fiduciâ, quam vos dedistis, ad subversionem multorum usus est: necesse est ut istinc quoque veniat malorum istorum correctio, scribaturque Ecclesiis, quibus quidem conditionibus ad communionem susceptus sit, simul verò adjiciatur, quomodo immutata sententia gratiam à patribus, qui*

 tunc

tunc erant acceptam, *irritam reddat*, &c. In eadem epiſtola ad Occidentales meminit etiam de hæreſi Apollinaris Baſilius. Hic denuò Baronius interrogans quare Baſilius deferat Apoſtolicæ ſedi (quæ eſt Baronio Pontifex Romanus) damnationem Apollinaris, reſpondet, *Nimirum illum viguiſſe uſum ab ipſis Apoſtolorum temporibus, ubi primum ſedes Petri locata eſt; ut nova hæreſis recenſque emergens hæreſiarcha, non ab alio quopiam, cujuſvis auctoritatis Epiſcopo, quam à Romano Pontifice, cauſsâ exactè perveſtigatâ, Apoſtolicâ damnaretur auctoritate.* Hæc tamen ſecus eſſe cuivis vel leviter tantum in Eccleſiaſtica antiquitate verſato manifeſtè liquet; Nam in Antiocheno Paulus Samoſatenus; Arelatenſi Donatiſtæ, Gangrenſi Euſtathius; & aliis conciliis alii hæretici ſunt condemnati: Cauſſam Paullini Epiſcopi Antiocheni, Marcelli Ancyrani (qui ab Athanaſio & aliis, ut diximus, ante fuit condemnatus) Damaſo ab eodem Baſilio deferri dicit Baronius, cum eandem Epiſtolam ſcribat ad Epiſcopos Occidentales, & eos alloquatur per *Fratres colendiſſimos*. Nihil ad has Epiſtolas Damaſus aut Epiſcopi Occidentales, & cauſſam addit Baronius, aliorum contrà Baſilium accuſationes: quas invenire non potui, niſi ea ſit, quod doxologiam Arrianorum etiam approbet. Epiſt. præclariſſima de Spiritu ſancto ad Amphilochium Iconii Epiſcopum c. 7. ſic ait: *Proinde quod à majoribus noſtris dictum eſt & nos dicimus, gloriam eſſe communem Patri cum filio, quapropter & glorificationis hymnos Patri ſimul cum filio offerimus*, & cap. 27. *Dictum eſt igitur nihil referre ad ſenſum, ſive dicas, Gloria Patri & Filio cum Spiritu ſancto, ſive dicas, Gloria Patri & Filio & Spiritui S. non igitur fas eſt cuipiam ſyllabam Et, ex ore Domini profectam rejicere: nec quicquam vetat, alteram, quæ idem pollet recipere*, &c. Nota. A majoribus dicit uſurpatam illam doxologiam, ad modum fortaſſe inſtituti baptiſmi per ipſum Chriſtum, Matth. cap. 28. 19.

Tertiò ad Occidentales Epiſcopos (ad Damaſum inquit Baronius) epiſtolam per legatum mittit Baſilius; ſed cum ſummo animi dolore, quod nulla ſui ratio haberetur ab Occidentalibus, & præcipuè à Damaſo, quare inter cætera: *Ego, poſtquam Deum ad nos in carne propterea, ut ſuorum factorum exemplis vitam noſtram inſtrueret, & ſuâ voce euangelium regni nobis adnunciaret, venientem dicere audivi;*

ri; Ex hoc omnes cognoſcent vos eſſe diſcipulos meos, ſi charitatem habueritis alii in alios; *& quod illam in carne œconomiam completurus diſcipulis ſuis pacem ſuam, tanquam noviſſimum munus reliquerit, dicens*: Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis; *non poſſum mihi perſuadere, quod ſine caritate erga alios, & ſine ſtudio pacis, quantum quidem in me eſt, erga omnes dignus eſſe queam, qui ſervus Ieſu Chriſti vocer*, &c. *Dominus quidem inſulas à continente per interſtitium maris diviſit, inſulanos autem incolis continentis per charitatem conjunxit. Nihil nos, fratres, alios ab aliis ſeparat, niſi propoſito mentis ſeparationem firmemus. Vnus nobis Dominus, una fides, ſpes eadem; ſive caput vos univerſalis Eccleſiæ reputatis; non poteſt pedibus dicere caput: non eſt mihi opus vobis, ſive in reliquum vos eccleſiaſticorum membrorum ordinem locatis, non poteſtis nobis dicere, qui eodem vobiſcum corpore conſtituti ſumus: non eſtis nobis neceſſarii: nam & manus mutuam inter ſe operam neceſſariam habent, & pedes mutuò ſe firmant, & oculi per concordiam habent, quod objecta clarè & dilucidè apprehendunt. Nos quidem noſtram imbecillitatem agnoſcimus & veſtram avidè concordiam requirimus. Cum ſimus ex illis partibus, qui conſortii ſymbola modicis characteribus exarata* (epiſtolas communicatorias ſive formatas videtur intelligere) *ab extremo terræ ad extremum uſque circumferri, & omnes omnibus cives & domeſticos eſſe ſtatuerunt; nunc noſmetipſos à reliquo orbe ſeparamus, & neque ob ſolitudinem erubeſcimus, neque concordiâ divulſionis damnum adferre putamus, neque horremus in nos quadrare formidabilem illam Domini noſtri prophetiam, quâ dixit*: Quod quoniam multiplicabitur iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. *Hæc Baſilius ὁ μέγας.*

Iohan. 13. 35. *Iohan.* 14. 27. *Ephes.* 4. 5. 1 *Cor.* 12. 21. *Matth.* 24. 12.

Quid ad has tam triſtes & lugubres litteras Baſilii & Orientalium, Damaſus cum ſuis collegis? Nihil omnino; moventur,

Tanquam dura ſilex, aut ſtat Marpeſia cautes, quaſi omnem Chriſtianam charitatem exuiſſent, neq; factis, neq; verbis quicquam ſolaminis in tanta Eccleſiarum Orientalium calamitate afferunt. Quid Baſilius? ad Euſebium Vercellenſem, virum eximium ſcribit epiſtolam, quę eſt decima, querelarum de Damaſo & Occidentalibus plenam: *Etenim*, inquit, *ſi nobis Dominus ſit propitius, quali adminiculo indigemus?*

mus? ſin autem ira Dei permanſerit, quale nobis auxilium ab Occidentalium ſupercilio & faſtu aderit? qui veritatem neque norunt, neque diſcere ſuſtinent: verum falſis opinionibus præpediti illa nunc faciunt, quæ prius in Marcello patrarunt, (in Concilio Sardicenſi) *nempe cum iis, qui veritatem ipſis adnuntiant, contendentes, hæreſin autem per ſe ipſos ſtabilientes. Ego ſanè ipſe abſque communi litterarum figurâ volebam ad eorum anteſignanum ſcribere: de Eccleſiaſticis quidem nihil, niſi per ænigmata: quoniam non intelligunt noſtratium veritatem, neque viam, quâ poſſint addiſcere, amplectuntur. In univerſum hoc volebam ſignificare, non per afflictiones oppreſſis humiliatiſque pœnam eſſe irrogandam, neque dignitatem æſtimandam, ſuperbiam, quod etiam ſolum peccatum Deum inimicum reddere ſufficit,* &c.

Plurimæ ſemper fuerunt inter Orientales & Occidentales Eccleſias, & præcipuè inter Romanum & Conſtantinopolitanum Epiſcopos altercationes & æmulationes: ſed tandem acceſſit hæc ridicula & miſeranda contentio circa voces, *ſubſtantia, ſubſiſtentia, hypoſtaſis, perſona*, quæ indies accrevit quicquid in ſuo concilio Alexandrino molitus ſit magnus ille Athanaſius, &c.

Cum ex miſerando hoc & calamitoſo Chriſtiani orbis ſtatu diræ eſſent diſceptationes inter Orthodoxos Orientales & hæreticos ubivis terrarum, inter Orthodoxos Orientales & Occidentales, & inter ipſos Orthodoxos in Oriente, & quoque inter heterodoxos ibidem: Annon ſummo jure tum temporis queribundus cum precibus exclamavit in ſuo apologetico Gregorius Nazianzenus? *O Domine, ſit tandem aliquis hujus belli Eccleſiaſtici finis, ne ſit amplius Iuda & Iſraël, Hieruſalem & Samaria, Roboam & Hieroboam.*

Moritur magnus ille Athanaſius, Alexandriæ Epiſcopus, cujus ſcripta multa extant tam Græcè quam Latinè, interprete Petro Nannio, *qui monet, ut in fertiliſſimis agris multa zizania cum optimis frugibus naſcuntur, ita optimo cuique auctori plurimos falſos libros aſcriptos, nulli autem plures, quam Athanaſio: in hos libros adulterinos cum incidiſſet* Eraſmus *& nihil melioris venæ exſpectaret, ſemel depoſito onere feſſus, nauſeabundus exclamavit,* ἄλις δρυός, ſatis quercus, *nolens amplius glandes guſtare.* Athanaſius autem erat Gregorio Nazianzeno orbis oculus, ſacerdotum antiſtes, dux, confeſſor, magiſter, ſublimis vox, fidei columen, ſecunda Chriſti lucerna, alter præcurſor &c.

ita

ita etiam, ut oratione in funus ejusdem affirmare non dubitaverit, Athanasium laudare idem esse, ac virtutem ipsam laudare. Huic succedit Petrus, qui jussu Valentis in carcerem conjicitur, ex quo miro modo evasit, & Romam abiit. Sequitur truculenta persecutio Orthodoxorum per Lucium, Arrianorum ibidem Episcopum, quæ etiam pervenit ad deserta Nitriç, adversus sanctissimos Monachorū cœtus, vide *Ruffin. l. 2. c. 3. & 4. testem oculatum, Sozomen. l. 6. c. 19. & alios.*

Audi miseras lamentationes Basilii ad Alexandrinos: *An novissima*, inquit, *hora est, & hoc pacto initium sumet defectio, ut jam deinceps reveletur iniquus ille filius perditionis?* &c. Vide quo miseriarum & desperationis abripuerint virum sanctissimum miserandæ illæ contentiones, & sævissimæ persecutiones? &, profectò, *Quis talia fando Temperet à lacrymis?*

Apollinaris hæreticus cum suis Romæ per Damasum & Episcoporum Occidentalium concilium condemnatur, ut etiam à Gregorio Nazianzeno in Oriente. Fuit ille Laodiceæ in Syria Episcopus, & docuit verbum Dei accepisse carnem humanam sine anima rationali. negabat itaque Christum esse per omnia similem homini, qui constat ex corpore & anima: sed corpus quidem commune habuisse dicebat cum omnibus hominibus, sed non animam, verum deitatem ei fuisse loco animæ: dicebat enim in S. scriptura quidem haberi, Verbum carnem esse factum, sed non esse factum carnem & animam. præterea dicebat divinas personas esse inæquales; magnum videlicet esse Spiritum sanctum, majorem Filium, maximum Patrem. *Epiphan. haresi* 77. & *Augustinus haresi* 55. A. C 373.

Epiphanius doctrinâ virtutibus & miraculis clarus Episcopus Salaminæ in Cypro insula, hoc tempore floruit, ut *narrat Sozomenus lib. 7. cap. 26.* Reliquit posteris opus Panarium dictum, adversus 80. hæreses: item Ancoratum, in quo agit de fide Christiana: ita ut ex utroque illo opere quam commodissimè forma Ecclesiæ illius temporis colligi possit. Habuit quidem singulares suas opiniones, sed tamen conservatâ veteris Ecclesiæ fidei regulâ, quæ interna est illius forma, dabimus postea etiam externam.

Regulam fidei, internā Ecclesiæ formam, antidotum contra omnes etiam sui seculi hęreses, nobis exhibet Epiphanius in fine Ancoratus:

Ex-

Externam verò, quæ potissimum in ritibus consistit, reperies in fine Panarii. En utramque, ut simul videas quænam post tempora Justini Martyris addita sint moribus primitivę Ecclesiæ. *Credimus in unum Deum, Patrē omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium creatorem: & in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, genitum ex Deo Patre unigenitum, hoc est de essentiâ patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem patri, perquem omnia facta sunt, quæ in cœlis sunt, & in terra, visibilia & invisibilia. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, hoc est genitus perfectè est ex sanctâ Maria semper Virgine, per Spiritum sanctum, & homo factus est, hoc est perfectum hominem suscepit, animam ac corpus ac mentem, & omnia, quicquid est homo, præter peccatum: non ex semine viri, neque in homine, sed in seipsum carnem efformavit, in unam sanctam unitatem: non quemadmodum in Prophetis inspiravit, & loquutus est ac operatus, sed perfectè homo factus. Verbum enim caro factum est, non mutationem passum, neque transmutatâ Deitate in humanitatem, sed ita, ut coünierit suam sanctam perfectionem ac Deitatem in unam. Vnus enim est Dominus Iesus Christus, non duo: idem Deus, idem Dominus, idem Rex. Idem passus est in carne, & resurrexit, & ascendit in cœlos in ipso corpore, gloriosè sedens in dextera Patris, venturus in ipso corpore in gloria, ad judicandum vivos & mortuos. cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum credimus, qui locutus est in lege, & prædicavit in Prophetis, & descendit in Iordanem, & loquutus in Apostolis, atque habitat in sanctis. Sic autem credimus in ipsum, quod Spiritus sanctus, spiritus Dei, spiritus perfectus, spiritus paracletus, increatus à Patre procedens & à filio accipiens ac fidem reperiens. Credimus in unam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Et in unum baptisma pœnitentiæ, & in resurrectionem mortuorum & judicium justum animarum ac corporum, & in regnum cœlorum, & in vitam æternam. At verò eos qui dicunt, quod erat aliquando, quando non erat Filius aut Spiritus sanctus: Aut quod ex nihilo factus est, aut ex alia substantia aut essentia mutabilem aut alterabilem filium Dei, aut Spiritum sanctum asserentes, eos execratur Catholica & Apostolica Ecclesia, mater vestra & nostra Et rursus execramur eos, qui resurrectionem mortuorum non confitentur,* & *omnes hæreses, qui non sunt ex hac recta fide.* Idem Epiphanius in Ana-

Anacephalioſi, poſtquam omnes hæreſes recenſuit & refutavit, hanc unam producit ſcripturam: *Sed hæc eſt noſtra fides*, inquit, *Ite & prædicate Euangelium apud omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Habes internam: accipe ab eodem Epiphanio etiam externam Eccleſiæ ſui temporis formam, quam ex compendio fidei Chriſtianæ ejuſdem auctoris excerpſimus.

De ſtatutis Eccleſiæ, inquit, *ac traditionibus ejuſdem neceſſarium eſt, ut breviter apponam eorundem traditionum formam ex parte. Quæcunque ex natura ſervantur in ipſa & ſervata ſunt, partim ex præcepto, partim per ſuſceptionem voluntariæ promptitudinis ſervantur, Deo gaudente ob virtutem ſua doctrina. Et primum quidem velut crepido, &, ut ita dicam, fundamentum in ipſa eſt virginitas, quæ exercetur & ſervatur à multis & glorificatur: ſequitur autem ad randem virginitatem ſolitudo, apud pleroſque utriuſque ſexus ſolitariam vitam degentes. Poſt hanc continentia ſuper eundem curſum fundata. Poſt viduitas cum omni attentione & impolluta converſatione. Poſt hos velut ordines conſequuntur nuptiæ venerandæ in magno honore, præſertim in unis nuptiis permanentes, & in obſervatione mandatorum. Si verò quis mortuâ ſuâ uxore, aut mortuo viro alicujus uxoris, cupit ſecundæ aut ſecundo copulari permittitur, ſed non laudatur. Vertex autem horum omnium, aut mater, ut ita dicam, aut genitrix, eſt S. ſacerdotiũ, ex virginibus quidem ut plurimùm procedens, ſi verò non ex virginibus, at ex ſolitariam vitã degentibus: ſi verò non ſuffecerint ad miniſterium ex ſolitariam vitam degentibus, de his qui continent à propriis uxoribus, aut ab unis nuptiis viduitatẽ ſervantibus: nã eum qui ſecundas nuptias contraxit, non licet ad ſacerdotium ſuſcipere: etiamſi is, qui ab initio continens viduus fuerit, poſſit habere locũ Epiſcopi & preſbyteri & diaconi & ſubdiaconi. Poſt hoc ſacerdotium deinceps eſt lectorum ordo, ex omnibus ordinibus conſtans, hoc eſt virginibus, & ſolitariã vitam degentibus & continentibus & viduis, & his qui adhuc ſunt in venerando conjugio, ſi verò fuerit opus, etiam ex his, qui poſt obitum primæ uxoris ſecundam duxerunt. Non enim eſt ſacerdos ipſe lector, ſed velut ſcriba ſermonis. Sed & Diaconiſſæ conſtituuntur, in miniſterium mulierũ ſolum, propter reverentiam, ſi opus fuerit balnei gratiâ, aut viſitationis aut inſpectionis corporum. Et ipſæ ſint etiam, quæ in unis nuptiis continenter ſe habuerunt, aut ab unis nuptiis viduitatẽ ſervarint, aut ſemper virgines ſint. Deinde conſequenter ab his ſunt Exorciſtæ, ſive juratores, & interpretes linguæ in linguam, ſive in lectionibus ſive in colloquiis. Deinde laboratores, qui corpora eorum, qui obdormierunt, obvolvunt ac cooperiunt, & Ianitores, & tota boni ordinis diſciplina.*

Virginitas. *Solitudo ſeu monachatus* *Continẽtia.* *Viduitas.* *Nuptiæ.* *Sacerdotiũ.* *Lectorum ordo.* *Diaconiſſæ.* *Exorciſtæ.* *Laboratores* *Ianitores.*

Communiones, sive synaxes fieri ordinata sunt ab Apostolis, quartâ & prosabbato & Dominicâ. Quartâ vero & prosabbato jejunium statutum est ad horam nonam. Nam illucescente quartâ assumptus est Dominus, & prosabbato crucifixus. Et tradiderunt Apostoli ut in his diebus jejunia fierent: ita ut impleatur dictum hoc: Cum ablatus fuerit ab ipsis sponsus, jejunabunt in illis diebus. Et non ut gratiam aut beneficium exhibeamus ei, qui pro nobis passus est, jejunium nobis constitutum est: sed ut confiteamur ad nostram salutem Domini passionem quam pro nobis ipse suscepit, & ut pro peccatis nostris, jejunia nobis apud Deum supputentur. Et per totum quidem annum jejunium hoc servatur in eadem sancta catholica Ecclesia, quartâ, inquam, & prosabbato usque ad horam nonam, exceptâ solâ Pentecoste, per totos quinquaginta dies, in quibus neque genua flectuntur, neque jejunium imperatum est. Caterum pro communionibus, quæ quartâ & prosabbato ad horam nonam fiunt, in die Dominica, matutinis horis communiones fiunt. Insuper vero in quinquaginta diebus Pentecostes, de quibus dixi, non est jejunium, neque in die Epiphaniorum, hoc est, apparitionis & adventus, quando natus est in carne Dominus, jejunare licet, etiamsi contingat, ut sit quarta aut prosabbatum. Verum ex bono proposito pietatis exercitatores in ipsa Ecclesia semper jejunant, exceptâ Dominicâ & Pentecoste: semper item vigilias agunt. At vero Dominicas omnes delicatas ducit sancta hæc catholica Ecclesia, & communiones manè perficit & non jejunant. Inconsentaneum enim est in Dominica jejunare. Porrò quadragesimam ante septem dies sancti Paschatis similiter servare solet eadem Ecclesia, in jejuniis perseverans, Dominicis verò omninò non, neque in ipsa quadragesima. Caterum per sex dies ipsius Paschatis omnes populi in siccorum esu perseverant, pane, inquam, & sale & aquâ tunc utentes ad vesperam, sed & pietatis studiosi duplas & triplas ac quadruplas transmittunt, & aliqui totam hebdomada usque ad gallicinium dominicæ illucescentis, vigilias autem agunt per sex. Rursus vero communiones perficiunt per easdem sex dies, & totam quadragesimam à nona usque ad vesperam. In quibusdam vero locis quintam solum illucescentem vigilant in prosabbatum ac Dominicam. In aliis autem locis cultus divinus dispensationis mysterii in quinta fit, horâ nonâ & sic cessat, permanentibus ipsis in eodem siccorum usu. In aliis rursus locis non fit cultus divinus dispensationis mysterii, nisi solum illucescente Dominicâ, quan-

Iejunia statuta.

Pentecoste.

Natalis Domini.

Quadragesima.

Siccorum esus.

quando ipsos dimittit circa gallinicium in resurrectionis die ac festivitate, magna illa Paschatis dies, velut statutum est. At vero alia mysteria de lavacro & internis mysteriis, velut habet traditio & Euangelii & Apostolorum, ita perficiuntur. In his autem, qui vitâ defuncti sunt, ex nomine memorias faciunt, orationes ad Deum perficientes, ac cultus divinos & mysteriorum dispensationes. Matutini etiam hymni in ipsa sancta Ecclesia perpetuò fiunt, & orationes matutinæ, lucernalesque simul psalmi ac orationes. Quidam vero ex solitariam vitam degentibus habitant in civitatibus: Aliqui vero in monasteriis desident & procul secedunt. Placuit autem quibusdam capillos nutrire, honestæ videlicet vitæ gratiâ, ex propria mentis invento, non ex Euangelii præcepto, neque ex Apostolorum traditione. Nam sanctus Apostolus Paulus hunc habitum amputavit. Sunt præterea alia praeminentes vitæ conversationes, quæ in eadem sancta Ecclesia catholica servantur; eorum, inquam, qui ab omnibus carnibus abstinent, quadrupedibusque & volatilibus ac piscibus, ovo item ac caseo: & alia diversa vitæ instituta. Nam unusquisq; secundum proprium laborem accipiet mercedem. Et quidam sanè abstinent ab omnibus his; aliqui vero à quadrupedibus solum, volatilibus verò & reliquis vescuntur. Alii vero à volucribus abstinent, utuntur autem ovis & piscibus. Alii neque ovis vescuntur; Alii piscibus solis. Alii etiam à piscibus abstinent, caseo verò vescuntur. Alii autem neque caseum sumunt. Iam verò alii etiam à pane abstinent, alii verò ab arborum fructibus duris, ac nucibus, & à coctis. Multi verò etiam humi dormiunt. Alii neque calceamenta induunt. Alii saccum gestant occultum, qui videlicet rectè gestant propter virtutem & pœnitentiam. Indecorum enim est in conspicuo sacco prodire, quemadmodum aliqui faciunt. Indecorum est item in vinculis prodire, velut quibusdam visum est. Plerique autem à Balneo abstinent. Et quidam vitæ renuntiarunt, artesque tenues & nullius negotii sibi ipsis excogitarunt: ut ne otiosam vitam degant, neque panem gravatum comedant. Plerique verò in psalmodiis & assiduis orationibus lectionibusque Sacrarum scripturarum & secessibus exercentur. Cæterum de hospitalitate & benignitate erga homines, eleëmosynàque in omnes hujus sanctæ catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ fructus omnibus prædicatus est. At vero lavacrum habet pro inveterata circumcisione in Christo. Quiescit in magno sabbato. Abstinet à societate omnium hæreseων. Reprobat omnes scortationes & adulteria & petulantiam,

Baptismus. Mysteria. Defunctorum ratio. Hymni. Orationes.

Religiosorum varietas.

Hospitalitas Eleëmosyna.

Prohibita in Ecclesia.

lantiam, atque idololatriam, & cadem, & omnem iniquitatem, & magiam, & veneficium, astronomiam, vaticinationes, tremorum observationes, incantationes, amuleta, qua appenduntur aut alligantur, & phylacteria quoq; appellantur: prohibet theatra, & ludos equestres, & venationem, musicos item & omnem maledicentiam ac detractionem; & omnem pugnam, & blasphemiam, injustitiam, avaritiam & usuram. Negociatores non recipit, & inferiones omnibus dicit. Oblationes accipit à non injustis, neque iniquè agentibus, sed à justè viventibus. Preces autem assiduè imperat cum omni sedulitate & prolixitate & geniculatione in ordinatis diebus noctu atque interdiu ad Deum essundere. In quibusdam autem locis etiam in Sabbatis communiones faciunt, non ubique autem, sed apud Acremonas. Servatur ac cavetur, ut ne quis omnino juret, neque convitietur, neque detestetur ex pracepto ipsius Salvatoris; & ut neque quis mentiatur, quantum ejus fieri potest. Plerique verò vendunt bona sua ac possessiones, ac dant pauperibus. Hic est character & forma hujus sanctæ catholica Ecclesia, cum ea, quam antea declaravimus fide, ac hac statuta ritusque ac traditiones in ipsa habentur. Hic enim est character Ecclesiæ, à lege & Prophetis Apostolisque ac Euangelistis collectus, velut ex multis odoriferis virgultis ac medicamentis antidotus bona, ad salutem utentium praparata, ex voluntate Patris & Filii & Spiritus sancti. Formæ veteris Ecclesiæ externæ hoc tempore pauca sunt addita: nimirum monachatus, cujus primus auctor fuit Antonius, qui floruit an. C. 327, in Ægypto: Item communiones seu synaxes quartâ & sextâ die hebdomadis celebrandæ, quarum mentionem etiam facit Tertullianus lib. de jejunio, at Iustinus, tantum meminit diei solis seu Dominicæ: Item festum natalis Domini, cujus institutio est serior, ut alibi monuimus: tum & tempus quadragesimæ, cum antea tantum in usu fuerit jejunium Paschale, quod ego puto fuisse in hebdomade magna seu sancta ante festum Paschatis, & diversis in locis diversè observatum, ut videre est apud Eusebium in epistola Irenæi ad Victorem Episcopum Romanum: tandem & religiosorum varietas, pro institutorum arbitrio, primò orta in Ecclesia Orientali, seriùs etiam transiit in Occidentalem, in qua primus fuit Benedictus. Sed hoc semper observandum in diversis Ecclesiis diversas fuisse ceremonias pro rei, loci, & temporis ratione à viris piis pio animo ad

augen-

augendum pietatis exercitium inventas & institutas:de qua si hodiè plusculum & magis seriò cogitaretur,major in rebuspublicis & Ecclesiis tranquillitas conspiceretur. *Quod nonnullos ex nostris Theologis, cum concionantur, facere pudet seu tadet*; inquit Polydorus Vergilius lib. 5. de invent. rerum cap. 9. *quippe qui, ut narrationis vice, cursim ac carptim aliquid in Euangelio interpretantur, perinde quasi nihil sit, quod de eo doceatur amplius, quo facto, ad suas confictas quæstiunculas trahuntur, ibi digladiantur, & velut furoribus acti sese macerant, detorquentes quò volunt Sacra scripta, in convitia erumpunt, omnia clamoribus miscent, dein evanescente furore ad humiliora veniunt, de ratione annonæ, de institoribus tractant. Item nunc jocos spargunt, nunc captant, circulatores planè agunt, & ob illud ipsum ab insipida ac bruta plebe collaudantur. Atque hic concionandi modus & frequentius usurpatur, & vulgo summus habetur. Sed utinam non pejora crebro disseminent: ut enim nullum hominum genus est salutarius religioni, si vera canant; contra sic non est pestilentius aliud, si ad gratiam conciones ad populum habeant: quippe ubi semel sanctitatis nomen sunt adepti, tum maximè omnium nocent, quia eis maximè creditur. Facessant proinde, qui docere nihil volunt, quo melius vivatur.* Hæc Polydorus.

Hoc anno historiam hæreticorum Collyridianorum breviter valdè perstringit *Baronius*, quam *Epiphanius* prolixè narrat & refutat hæresi 79, cum hæreticos Antidicomarianitas, id est, adversarios Mariæ (qui gloriam ejus extenuantes ausi fuerunt dicere, S. Mariam à partu Christi copulatam fuisse carnaliter viro Josepho) refutasset *hæresi* 78. *Baronius* in apparatu ad annales dicit Collyridianos credidisse B. Virginem expertem naturæ humanæ, tantum divinę participem fuisse, quod apud *Epiphanium* non inveniri probat *Casaubonus exerc. 1. cap.* 18. ubi dicit illos coluisse Mariam ut Deam, non tamen credidisse eam esse Deam: sed audiamus verba *Epiphanii*, *Quædam*, inquit, *mulieres currum quendam sive cellam quadratam ornantes, expasso super ipsum linteo in die quadam illustri anni, per aliquot dies panem proponunt, & offerunt in nomen Mariæ. Omnes autem de pane participant velut in epistola in Arabiam à me scripta ex parte disseruimus*, hæresi nempe 78. & postea: *Prætextu justitiæ semper subiens hominum mentes diabolus mortalem naturam in hominum oculis deificans, statuas humanas imagines præ se ferentes per artium*

varietatem expreßit. Et mortui quidem sunt, qui adorantur, ipsorum vero imagines, quæ nunquam vixerunt, neque enim mortuæ esse possunt, quæ nunquam vixerunt, adorandas introducunt, adulterante mente ab uno & solo Deo, veluti commune scortum ad multam multiplicis coitus absurditatem irritatum, & quod temperantiam legitimi conjugii unius viri detrivit. Revera sanctum erat corpus Mariæ: non tamen Deus. Revera virgo erat ipsa, virgo & honorata, sed non ad adorationem nobis data: sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa carne genitus est, de cœlis verò ex finibus paternis acceßit. Et paulò post: *Quæ vero scriptura de hoc narravit? quis prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? Eximium equidem est vas, sed mulier; & nihil à natura mutata, verum & intellectu & sensu in honore honorata, velut corpora sanctorum, & siquid amplius ad glorificationem dixerim; sicut Elias ex matre Virgo, & sic manens in perpetuum, est translatus, & mortem non conspicatus; sicut Iohannes, qui super pectus Domini recubuit, quem diligebat Iesus; sicut Thecla sancta, & Maria adhuc honoratior hâc est, propter dispensationem mysterii, quâ digna facta est. Sed neque Elias adorandus est, etiamsi in vivis sit; neque Iohannes adorandus, quanquam per preces suas proprias dormitionem suam admirandam effecerit, imo potius ex Deo gratiam acceperit. Sed neque Thecla, neque quisquam sanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, ut relinquamus viventem, & adoremus ea, quæ ab ipso facta sunt. Coluerunt enim & adorarunt creaturam præter Creatorem, & stulti facti sunt. Si enim Angelos adorari non vult, quanto magis eam, quæ genita est ab Anna, quæ ex Ioachim donata est Annæ?* Et paulò post ibidem. *Vt plastes & rei potestatem habens, seipsum de Virgine, tanquam de terra efformavit, qui de cœlo descendit, & carnem induit, Deus ex S. Virgine, non tamen ut adoretur Virgo, neque ut Deum hanc efficeret, non ut in nomen ipsius offeramus, non ut post tot secula mulieres sacerdotes ac sacrificulas ostenderent. Non complacuit Deo hoc in Salome fieri, non in ipsa Maria: Non permisit ipsi dare baptisma, non benedicere discipulos, non imperare in terra jußit, sed hoc solum voluit, ut ipsa esset sanctum, quod & digna efficeretur regno ipsius. Vnde igitur rursus nobis iste in orbem serpens draco, unde renovantur obliqua illa consilia? Sit in honore Maria. Pater & Filius & Spiritus sanctus adoretur. Mariam nemo adoret, non dico mulieri, imo neque viro, sed uni Deo debetur illud mysterium.*

rium. Neque Angeli capiunt talem glorificationem,&c.*Par detrimentum*, inquit idem Epiphanius, *veræ religioni afferunt illi, qui vilem habent beatam Virginem,& illi,qui ultra fas gloriam illius adaugent.* Et meo quidem judicio verè. Sed quis homo sanæ mentis vilipendere audebit Mariam, sanctissimam Christi matrem, Virginem, supra omnes reliquas mulieres, benedictam, Virginem Κεχαριτωμένην καὶ θεότοκον? horret animus recordari talem impietatem. Jam vero utrum liceat illius gloriam ultra fas evehere, & eam supra hominem extollere, negat Epiphanius, & docere nos debet Sacra scriptura, & consensus Patrum priscæ & primitivæ Ecclesiæ. *Ipse Christus, secundum Apostolum, per omnia nobis fuit factus similis, excepto peccato. Itaque verè conceptum, verè in utero formatum, verè partu naturali in lucem editum credere debemus. Nec Euangelista, qui nobis Domini nativitatem refert, sanctæ Virgini aliquid extraordinarium contigisse commemorat, imò nec Patres primitivæ Ecclesiæ id agnoverunt. Hinc non tantum statuunt ab ea in gestatione novem mensium verè naturam humanam à Domino esse assumptam, sed etiam subjectum fuisse contumeliis naturæ nostræ. Imò Tertullianus, cujus eruditionem & judicium omnes docti admirantur adversus Marcionitas, qui negabant veram Domini incarnationem, dicit Dominum conceptum in utero, in quem humores & sanguis influunt, & ex illo Dominum alitum, more aliorum infantium, ibi efformatum fuisse,& corpus assumsisse: Mariam se eodem modo habuisse,& omnia sensisse, quæ pregnantes solent: fastidia pertulisse, anxiam fuisse, ut illæ solent, quæ conceperunt*, &c. *ut ex ejus sententia appareat, communi lege gravidarum sanctam Virginem gestasse uterum,& peperisse. Idem habet B. Hieronymus in epistola ad Damasum & Eustochium, in laudibus sanctæ Virginis: Docet nempe Dominum fastidia matri fecisse, exspectavisse in utero novem menses, & cruentum exiisse ex utero matris more cæterorum infantium. Prudentius*, qui vixit anno C. 400. *in carmine de nativitate Domini, ita sanctam Virginem adloquitur:*

Sentisne Virgo nobilis
Materna per fastidia
Pudore exactum decus
Honore partus crescere?

Audiamus similia apud Irenæum, qui scribens adversus hæreses, applicat

cat Domino nostro, quod in lege habemus, de partu aperiente maternum uterum; & dicit idem propriè convenire Domino quod aperuit uterum matris. Et Clemens Alexandrinus Stromatων lib. 7. ubi dicit Virginem fuisse decumbentem, & non decumbentem ut reliqua mulieres. Virgo enim fuit in partu & post partum, dicit tamen eam opera obstetricis usam fuisse. Tertullianus adversus Marcionitas, ut diximus, & aliosincarnationem Domini negantes, omnia qua in vero partu reliquis mulieribus accidunt, sanctaVirgini tribuit: imo immunda & pudenda partus tormenta sensisse, & nupsisse eam in partu, non verò in conceptu, &c. *Origines in homiliis in Euangelium Lucæ locum illum legis de primogenito aperiente vulvam dicit propriè convenire Domino, quandoquidem reliqui infantes egrediuntur vulvâ jam apertâ à viri congressu, ipse vero aperuit vulvam clausam, & sic propriè in ipsum quadrat lex, qua dicit,* Primogenitus aperiens vulvam sanctus erit Domino. *Methodius Archiepiscopus Tyrius & anno* C. 310. *martyrio mortuus in homiliis de sancta Anna & Virgine & de earum partibus, dicit Dominum natum sicut reliqui infantes, sed matrem reliquisse virginem, & aperuisse ejus vulvam, egressumque ex utero aperto. Athanasius, adversus Arrianos disputans, ad Dominum refert, quod more primogeniti aperuerit uterum matris, imo urget locum illum propriè convenire Domino. Idem etiam sensit Hilarius Pictaviensis, qui anno C. 357 scripsit libros de Trinitate; dicit enim sanctam Virginem pertulisse communem partus legem, & Dominum ad communem natura legem natum fuisse, vulvam ejusque meatus dilatatos fuisse. Idem & Gregorius Nazianzenus, & Greg. Nyssenus senserunt, nam de S. Virgine volunt locum illum de offerendo primogenito uterum matris aperiente intelligi.* Blondellus. Qui plura volet, legat reliqua, apud Epiphanium de hæresi Collyridianorum, lectu dignissima.

Quartò ad Occidentales (semper Damasum addi vult Baronius) scribit Basilius, & justè cum illis expostulat, iisque exprobrat omnem inhumanitatem. *Quoniam uno membro*, inquit, *afflicto reliqua omnia simul compatiuntur: conveniebat ut & nobis, jamdiu admodum laborantibus affectis commiserationis condoleretis. Qui fit igitur quod nullas consolationis litteras, nullam fratrum visitationem, nec aliud quicquam normæ ac debito dilectionis conveniens à vobis accepimus? Imò, enim dicimus, tertius agitur annus, ex quo nobis hæreticum hoc bellum*

exor-

exortum. Et post memoratas infinitas Ecclesiarum & omnium hominum ærumnas: *Obsecramus itaque,* inquit, *ut vel nunc tandem manum Orientalibus porrigatis Ecclesiis, quæ jam velut in genua depressæ inclinant, ut viros aliquos mittatis,* &c. Orat, obsecrat, expostulat, monet eos officii Basilius, nihil tamen impetrat: post tot preces, tot lamenta, ne responsum quidem obtinet. Si quæ fuisset in sancto viro labes, quod frigidè ei objicit Baronius, non tamen debuisset quasi cum contemptu negligere & deserere tot, & tantas, & tantopere afflictas Ecclesias Damasus; si quis in eo fuisset nævus, debuisset eum fratri tam pio, tam magno, cum Christiana lenitate indicare & corrigere: alio affectu errantes oves quæsivit, & in rectam viam reduxit, alio animo oppressos miseratus est Christus: prateriit cum dedignatione vulneratum, quemadmodum *Levita & Sacerdos*, Sacerdos Damasus; cætera vir magnus. *Luca* 10.

Ambrosius Præfectus Insubriæ, Liguriæ & Æmyliæ, agens Mediolani, etiamnum catechumenus, eligitur Episcopus Mediolanensis à populo partim Catholico, partim Arriano, *Paulinus in vita Ambrosii.* Hæc autem de illius viri in Episcopum electione narratur historia. Cum, Auxentio Episcopo Mediolanensi Arriano mortuo, magna inter Catholicos & Arrianos esset contentio de creando Episcopo, missus est Româ ad sedandam seditionem, Ambrosius adhuc Laicus. Cum autem hic in mediam turbam sese dedisset, ad retinendum utrumque populum, qui jam ad arma veniebat, clamavit quidam puerulus; Ambrosius Episcopus, Ambrosius Episcopus. quo audito, utrimque ei unusquisque de episcopatu congratulatus est. hoc divinitùs accidisse non esset mirum. sed ille omnibus modis recusare Episcopatum, quod necdum baptizatus, tantùm esset Catechumenus. At eo ne hilum profecit. Itaque meretrices ad se accedere jussit, ac si cum iis rem haberet, ut sic populi animum alienaret, sed cum nec eo proficeret, aufugit vesperi ex urbe. sed cum aufugisset, vidit manè se esse ante portam Mediolani, quæ ducebat Romam. Itaque in urbem reversus post octiduum creatur Episcopus, jam baptizatus à Catholico: quâ re vehementer offendit Arrianos. Cum infans expositus esset in cunis in area palatii, examen apum cecidit supra ejus faciem, & cum hianti ore jaceret, & A. C. 374.

 quæ-

quædam in os pertingerent, omen multis fuit, non modo illum magnum, sed & eloquentem futurum.

Nota quam sincerè detegat Isidori in suæ collectionis exordio falsas & adulteratas merces Baronius: de literis scilicet Aurelii ad Damasum commendatitiis, quibus postulat ad se transmitti decreta Episcoporum Romanorum &c. *At quid opus fuit*, inquit Baronius, *mendaciis exornare vestibulum amplæ domus, ut in non levem suspicionem adducat cætera, quæ vera intus habentur?* Hic idem est qui nobis obtrusit simili valore epistolas Pontificum decretales, ut idem nos alibi docet Baronius.

A. C. 375. Sanctus Martinus fit Episcopus Turonensis. Valentinianus Imperator moritur, succedunt Gratianus & Valentinianus filii. Valentinianus Pater nec Arrianos, nec Paganos, persecutus est.

De hoc Gratiano hæc narrat Zosimus historicus gentilis, lib. 4. *Simulatque summum Imperium quisque consequebatur, amictus ei sacerdotalis offerebatur à Pontificibus, & continuò Pontificis Maximi titulus ei tribuebatur: ac cæteri quidem Principes lubentissimis animis honorem hunc accepisse & hoc usi titulo videntur, adeòque Constantinus etiam, potitus imperio, licet is à rectâ sacris in rebus viâ deflexerit & fidem Christianorum amplexus sit: itemque post illum reliqui ordine secuti & Valentinianus & Valens. Cum ergo Pontifices ex more, talem Gratiano amictum attulissent, aversatus est id, quod portarant, ratus non esse fas istiusmodi habitu Christianum uti. Cumque stola flaminibus reddita esset, ajunt eum qui dignitate princeps inter eos erat dixisse; Si Princeps non vult appellari Pontifex, admodum brevi Pontifex Maximus fiet.* designabat Maximum tyrannum, qui brevi maximo cum exercitu contra Theodosium Imperatorem infeliciter pugnabit.

Sozomenus lib. 6. c. 36. narrat consilium Themistii philosophi Platonici contra persecutionem ad Imperatorem Valentem: *Cum Themistius*, inquit, *librum ei dicaret, hortabatur docebatque non oportere mirari dissensionem quæ in Ecclesiasticis opinionibus versabatur, cum multò inferior multòque minor sit quam quæ extaret apud Gentiles. Nam permultæ sunt apud ipsos opiniones & dissensiones ob multitudinem dogmatum susceptam, complures contentiones de ejusmodi rebus & disceptationes excitare necessum est. Siquidem Deo fortasse visum sit, ut ipse non*

facilè

facilè nosceretur, nisi varia existerent de eo opiniones, quo singuli magis eum venerentur, cum exquisitam ejus cognitionem comprehendere non possint: secum reputantes, quantus sit & cujusmodi ille quidem, ad cujus cognitionem venire cogitant. Hac oratione à Themistio habitâ, Imperator factus animo mitior, non tam acerba adversariis, ut antea, supplicia irrogavit, &c. qui addit, esse apud philosophos Gentiles opiniones trecentas, & plures, & dissensionem inter eos permagnam propter decreta, quibus quæque secta quasi necessariò tenetur astricta. Idem habet *Socrates lib. 4. cap. 27.*

Gothi sub Rege Athanarico ab Hunnis profligati, & ex suis sedibus pulsi ab Imperatore in Thraciâ hospitia & sedem habitandi impetrant. Ulphilas Episcopus Arrianus ad eos à gentilismo ad Christianismum convertendos mittitur, qui cum literas Gothicas didicisset, sacram scripturam in eorum linguam transtulit, atque eâ de caussâ plerique Gothi postea Arrianam sectam secuti sunt. *Socrates ibidem Sozom. l. 6. c. 37.*

Eodem ferè tempore Saraceni sub reginâ Maviâ ad fidem Christi convertuntur, præcipuè per Mosen Eremitam & Episcopum. *Hac quidem gens*, ut refert Sozomenus, *ab Ismaële filio Abrahami duxit originem nomenque accepit: proinde veteres à progenitore eos Ismaëlitas appellabant. Verum quo spurii generis maculam, & ignobilitatem Agar matris Ismaëlis (serva enim fuit) penitus obliterarent, se Saracenos, velut à Sarâ conjuge Abrahami prognatos nominarunt. Qui genere inde ducto, omnes more Hebræorum circumciduntur & à carne suilla abstinent, multosque alios Iudæorum ritus observant. Quod autem omnino eisdem legibus & vivendi institutis non utantur, vel temporis longinquitati tribuendum est, vel quod gentibus finitimis permixti sunt*, &c. Hæc Sozomenus. At aliter Scaliger n° 88. animadv. in Chronica Eusebii. *Stephanus ait Σάρακα esse regionem Arabiæ finitimam Nabatæis, à quâ τὺς Σαρακηνὺς dictos putat. Nos scimus Nomadas Arabes ita dictos. Hoc enim Sarak Arabicè sonat, id est furaces καὶ λησεικὺς: quales qui Turcis dicuntur Cosaki Tartari, quales Mateloßi, quales Bandolieri in Pyrenæis. Non habemus vetustiorem Ptolomæo, qui eorum meminerit. De Sara perridiculum est: hoc modo oporteret à Sara Saraeos dictos; aut uxorem Abrahami non Saram, sed Saracam vocatam fuisse. Avellenda est opinio hac de animis hominum.* *Sozom lib. 6. cap. 38.*

Ambrosius de mirabili sua in Episcopum electione scribit ad Basilium: Ambrosio elegantissimâ epistolà respondet Basilius, & porrò magna intercessit necessitudo inter utrumque, propter mutuam literarum consuetudinem: & tamen quamvis ad ravim aliquoties in summis Orientis calamitatibus ad Damasum & Occidentales Episcopos clamaverit Basilius, nihil responsi vir Magnus obtinuit.

A. C. 377. Donatistæ & Manichæi in Africa coërcentur. Gothi Thraciam depopulantur, & Valens desinit mittere in exilium eos, qui fidem consubstantialis amplectebantur. *Socrat.*

Concil. Carthagin. tertium. August. epist. 64. Ambrosius in Italia, & Augustinus postea in Africa abolet piorum illa convivia, Agapæ dicta, in Ecclesiis seu templis peragi consueta, quod imaginem quandam Parentalium, ritus Gentilicii, repræsentarent. Illam quoque consuetudinem, quâ in provectiorem ætatem baptismus differebatur, tollere studuit: ut in Oriente Basilius, Gregorius Nazianzenus & Nyssenus. *Baron.*

A. C. 378. Moritur Basilius Orientis lumen & gloria, vir magnus & sanctus, quem suis orationibus laudarunt Gregorii duo Nazianzenus & Nyssenus, præclarissimi hujus seculi oratores, & magnus ille Syrus Ephrem mirabili encomio eum prosecutus est: *Fidelis*, inquit, *Basilius sicut Abel acceptus es, velut Noë salvatus, tanquã Abraham amicus Dei vocatus, ut Isaac pro victima Deo oblatus, instar Iacob* &c. sic pergit per vetus & novum testamentum in laudem Basilii Ephrem. *Baron.* similes videbis Basilii laudes apud Gregorios prædictos. Eosdem ferè honoris titulos S. Bernardus tribuit Papæ Eugenio adhuc vivo, lib. considerationum postremo, & Baronius Sylvestro primo, ut diximus.

Valens Imperator in Thracia à Gothis vincitur, vulneratus, & in agrestem casam delatus cum suis comburitur. Sic pœna sequitur persequentes. Præter *Ammianum* hæc referunt *Ruffinus*, *Socrates*, *Sozomenus*, *Theodoretus*.

Valente mortuo, Gratianus edicto Orthodoxis in exilium pulsis reditum concedit, legemque tulit, ut quisque liberè quamcunque religionem, quemcunque vellet cœtum sectaretur, modo pacem coleret: exceptis Manicheis, Photinianis, & Eunomianis. *Sozom. l. 7. c. 1. & Cod.* An-

Ausonius Gallus à discipulo Gratiano Consul Romæ creatur. A. C. 379.

Gratianus plurimum laudatus Imperator, cum Imperium Romanum languens ægrumque videret, & Barbarorum vires indies crescere, & ad Rempublicam gubernandam viro nobili excelsoque animo prædito opus habere animadverteret, Theodosium ex Patriciis Hispaniæ ortum in bello administrando admodum exercitatum &c. socium Imperii sibi adjungit. Illum igitur Sirmii declarat Orientis Imperatorem, annum ætatis agentem trigesimum tertium, cumque eo belli certamina contra Barbaros dispertit. *Socrates lib.* 5. *c.* 2. *Theodoret. lib.* 5. *c.* 6.

Theodosius Thessalonicæ ab Acholio ejusdem urbis Episcopo baptizatur: & cum venisset Constantinopolim, & devictis Gothis triumphasset, restituit Orthodoxis Ecclesias, pulsis Arrianis. *Theodoret l.* 5. *c.* 5. A. C. 380.

Theodosius armatâ militum manu, populi suffragiis & Petro Alexandrino etiam assentiente, electum Gregorium Nazianzenum Constantinopoli in Ecclesiam introducit, obstrepentibus Arrianis, *contra quos pro Orthodoxis acriter pugnarat, divinum populum doctrinâ Euangelicâ rigans,* ut loquitur de Gregorio Theodoretus. Hac de caussa sanctionem promulgat, quâ vetat ab hæreticis Photinianis, Eunomianis, & Arrianis fieri intra oppida congregationes. Posthac Arriani conventus collegerunt extra urbium mœnia. A. C. 381.

Theodosius convocat universale Concilium Episcoporum centum & quinquaginta, ut Nicænam confessionem, & Gregorio partam dignitatem assereret, & Spiritus sancti divinitatem contra Macedonium Pneumatomachum decerneret.

Imperator nullâ morâ interpositâ Concilium Episcoporum, ipsius fidem amplectentium, convocat, quo tum fides Concilii Nicæni corroboraretur, tum Constantinopoli designaretur Episcopus. Socrates lib. 5. cap. 8.

Brevi deinde (Imperator) *Concilium Episcoporum sibi consentientium convocavit.* Sozom. l. 7. c. 7. *Eam igitur ob rem sui tantum Regni Episcopos Constantinopoli convenire jussit, quibus coactis numerò* 150. &c. Theodoret. lib. 5. c. 7. Eandem hanc ab Imperatore Cpncilii convocationem affirmat Ioannes Chrysostomus oratione in laudem

 Mele-

Meletii. Idem probat lectu digna epiſtola ſynodalis ad Epiſcopos Occidentales, congregatos Romæ Dei voluntate, inquit Theodoret. lib. 5. cap. 8. 9. *Vbi Epiſcopi Orientales Romam à Damaſo vocati non veniunt, inutilem eam profectionem æſtimantes*, &c. Nota Damaſum ad Concilium hoc œcumenicum non vocari, & Orientales à Damaſo ad Concilium vocatos non venire. Hæc eo dico, quod antiquitus nunquam ſolet addi nomen Epiſcopi Romani, cujus tempore ſynodus eſſet convocata, ſed tantum Imperatorem, cui ſoli poteſtas erant convocandi Concilia œcumenica: nunc autem in vulgatis editionibus ſemper additur nomen Epiſcopi Rom. ut ſub Sylveſtro, Damaſo, &c. quod novum eſt.

Concilium Conſtantinopolitanum & œcumenicum II.

PAtres Concilii hujus œcumenici ſecundi, Conſtantinopolitani primi, numero 150, ſeptem conſtituunt Canones: quorum

1. primus Synodum *confirmat Nicænam & diverſos condemnat hæreticos ut Eunomianos ſeu Anomæos, & Arrianos ſeu Eudoxianos, & Semi-Arrianos ſive Pneumatochos, & Sabellianos, & Marcellianos & Photinianos, & Apollinariſtas.*

2. *Epiſcopi qui ſuper diœceſim ſunt, ad eccleſias quæ extra terminos earum ſunt, non accedant, neque confundant & permiſceant Eccleſias, ſed ſecundum regulas conſtitutas Alexandriæ quidem Epiſcopus ſolam Ægyptum gubernet, Orientis autem Epiſcopi ſolius Orientis curam gerant, ſervatis honoribus primatus Eccleſiæ Antiochenæ, qui in regulis Synodi Nicænæ continentur. Sed & Aſianæ diœceſis Epiſcopi ea quæ ſunt in Aſiâ, & quæ ad Aſianam tantummodo diœceſim pertinent, adminiſtrent. Ponti autem Epiſcopi Pontica tantùm diœceſis habeant curam. Thraciæ verò ipſius tantummodo Thraciæ. Non invitati Epiſcopi ultra diœceſim accedere non debent ſuper ordinandis aliquibus, vel quibuſcunque diſponendis Eccleſiaſticis cauſis, ſervatâ regulâ, quæ ſupra ſcripta eſt de unaquaque diœceſi. Manifeſtum namque eſt, quod per ſingulas quaſque provincias, provincialis Synodus adminiſtrare, & gubernare omnia debeat ſecundum ea, quæ ſunt in Nicæâ definita. Eccleſias autem Dei, quæ ſunt in Barbaricis gentibus conſtitutæ, regere atque adminiſtrare oportet, ſecundum conſuetudinem, quam à Patribus obtinuiſſe dignoſcitur.* Idem etiam indicant

cant Concilii hujus Patres in epiſtolâ ſynodicâ ad Damaſum, Ambroſium, &c. Occidentis Epiſcopos, apud Theodoretum lib. 5. cap. 9.

Conſtantinopolitanæ civitatis Epiſcopus habeat privilegia honoris poſt Romanum Epiſcopum, eò quod ſit ipſa nova Roma. 3.

De Maximo Cynico, & ejus inordinata conſtitutione, quæ Conſtantinopoli facta eſt: placuit Maximum neque Epiſcopum fuiſſe, neque eſſe, nec qui ab eo ordinati ſunt, in quocunque gradu Cleri, omnibus iis, quæ ab eo facta ſunt, infirmatis. 4.

Quod ad tomum ſeu libellum attinet Occidentalem, etiam eos ſuſcipimus, qui Antiochiæ unam confitentur Patris & Filii & Spiritus ſancti Deitatem. 5.

Si quis nec hæreticus, nec prius excommunicatus, nec crimina oſus habeat aliquam eccleſiaſticam adverſus Epiſcopum accuſationem, id fieri vult Synodus apud omnes illius provinciæ Epiſcopos: ſi vero provinciales non ſufficiunt, accuſationem inſtitui jubet apud majorem illius diœceſeos ſynodum. 6.

Ex hæreticis ad Eccleſiam recipiantur, uncti ſacro unguento, Arriani, Macedoniani; Sabbatiani, Novatiani, qui ſe puros & ſiniſtros vocant, Quartodecimani, Apollinariſtæ: Montaniſtæ verò, Sabelliani & multi alii hæretici poſt convenientem inſtitutionem, tanquam pagani, cum baptiſmo. 7.

Hi ſeptem Concilii Conſtantinopolitani primi canones extant in vulgato codice Tilii & in codicibus M. SS. Balſamonis & Zonaræ, & tomo 1. conciliorum œcumenicorum Græcè & Latinè Pauli V. Pontificis Rom. auctoritate Romæ edito an. 1608. Juſtellus. Codex Canonum vetus Eccleſiæ Romanæ operâ Wendelſtini editus Pariſiis an. 1609. tres poſteriores canones non habet.

Primus canon condemnat Eunomium, qui pejor erat Arrianis, nam dicebat Patrem & Filium diſſimilis eſſe ſubſtantiæ, & diſcrimen eſſe inter eos, ut inter creatorem & creaturam, finitum & infinitum: Photinus ſtatuebat Chriſtum ex Maria initium ſumpſiſſe, ſed per ſanctæ converſationis meritum eximio divinitatis honore ditatum, atque actionis merito in Deum profeciſſe. Eudoxius inſiſtebat veſtigiis Arrii; quare Eudoxiani iidem ſunt cum Arrianis. Semi-arriani alii erant Pneumatomachi ſeu Macedoniani, qui quidem

dem idem sentiebant de Christo cum Catholicis, sed negabant Deitatem Spiritus sancti. Alii in personâ Christi aliquid Arrio concedebant, & negabant aliquid, ita ut medii essent inter Orthodoxos & Arrianos. Hi illi erant Episcopi Orientales, qui relictâ Sardicâ abierunt Philippopolim, cum viderent Athanasium & Marcellum inter Patres in Concilio Sardicensi sedentes, qui antea ab ipsis erant condemnati. Hi damnabant Arrium, quod diceret tempus fuisse, quo non fuisset Christus, & dicebant ab omni seculo fuisse. Interea non dicebant ὁμόσιον esse filium patri, quia ea vox nusquam in scripturis haberetur. Sabellius dicebat Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse tantum unam personam, sed tria nomina. Marcellus fuerat Photini magister. Apollinaris negabat in Christo animam, sed ejus loco fuisse Deitatem.

Secundus canon statuit Primatibus, & metropolitis, & Episcopis suos limites, secundum canones Nicænos, singulis in suâ diœcesi. Diœcesis autem erat ditio seu provincia, in qua præses vel prætor jus dicere consueverat. Diviso autem à Constantino Imperio, diœcesis plures comprehendebat provincias. Hæc autem orbis divisio politica è republica in Ecclesiam translata est, & dignitates civiles secutæ sunt Ecclesiasticæ, quod diversi docent Conciliorum canones. sic & synodi dicuntur provinciales, & diœceseos, sive majores. Tale erat concilium Aquilegiense, cui præfuit Ambrosius Mediolanensis, ut liquet ex epistola Theodosii & Valentiniani, quâ jubent Episcopos *ex diœcesi* (Italiæ) *in Aquileiensium civitatem ad concilium convenire.* Vide *Iustellum in hunc canonem, & Blondellum lib. de primatu in Ecclesia.*

Tertius canon concedit Episcopo Constantinopolitano secundum dignitatis gradum; quia Constantinopolis erat nova Roma, aut potius altera & secunda sedes Imperatoris & senatus Romani. Confirmatum hoc est in Concilio Chalcedonensi œcumenico quarto, in Concilio Constantinopolitano œcumenico sexto, & ab Imperatore Justiniano *nov. const.* 131. *c.* 2. hoc tamen sciendum, hunc canonem ab Urbis Episcopo nunquam satis fuisse comprobatum; ut videre est in illa per epistolas contentione inter Leonem M. Romæ, & Anatolium Constantinopolis Episcopos, in Actis concilii

lii Chalcedonensis: fatendum tamen est Episcopum Romanum semper, & apud omnes in magno fuisse honore & primam illi attributam sedem: secundam verò & parem Constantinopolitano.

Quartus canon abrogat Maximo Episcopatum, & omnibus ab eo ordinatis, idque hac occasione: Cum venisset Gregorius Nazianzenus ex Ægypto Constantinopolim, multos Arrianos ad Catholicismum perduxit, & inde est electus à Catholicis patriarcha Constantinopolitanus sine manus impositione, quod Petrus Alexandrinus per literas comprobavit. Venit eodem tempore Constantinopolim Maximus, Cynicus Philosophus, multum per literas ab Alexandrinis laudatus, ita etiam ut Nazianzeno præponeretur: quod mutato consilio etiam approbavit Petrus, pecuniâ, ut ferebatur, à Maximo seductus. Accessit, quod Maximus Theodosio libellum obtulisset, quem adversus Arrianos scripserat: itaque adnitentibus quibusdam Maximus Patriarchá Constantinopolitanus constituitur. Sed cum animadvertissent Patres eum cum ambitione invasisse sedem patriarchalem, rejicitur, & condemnatur, & Gregorii electio probatur.

Sextus canon jubet, ut Episcopus accusatus apud synodum provincialem, si opus sit, provocet ad synodum suæ dioeceseos, &c.

Præterea doctrina de Spiritu sancto declaratur contra Macedonium Pneumatomachum hoc sequenti symbolo. Cum verò per hoc symbolum Concilii Constantinopolitani, quædam addita sint symbolo Nicæno, meritò illud hic collocandum censuimus, ut, quare ea apposita sint, videamus; quæ addita sunt, litterarum differentiâ indicamus. hoc autem est Symbolum verè Constantinopolitanum dictum: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem* cœli & terræ, *visibiliumque omnium & invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum, ex Patre genitum* ante omnia secula; *lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est* ex Spiritu sancto & Maria Virgine, *& homo factus est.* Qui pro nobis crucifixus est sub Pontio Pilato, *& passus est*, & sepultus, *& resurrexit tertiâ die* secundum scripturas, *& ascendit ad cœlos*, & se-

det à dextris Patris, & rursum *venturus est* cum gloria, *ad judicandum vivos & mortuos*, cujus regni non erit finis. *Et in Spiritum sanctum*, Dominum vivificatorem, ex Patre procedentem, qui cum Patre & filio simul adoratur & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas: In unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam: Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum: Exspectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri seculi. Amen. *Hoc verò Symbolum non Constantinopolitanum modò, sed etiam Nicænum à multis Scriptoribus vocatur. Imò sic accipit ipsa Synodus Ephesina, quando pro hibet aliquid adjicere Symbolo Nicæno. Nec enim interdicit usu Symboli Constantinopolitani, in quo aliqua sunt addita à Patribus Constantinopolitanis; sed Nicæni Symboli nomine Constantinopolitanum comprehendit. Sic verò locuti sunt quia utrumque pro uno haberent. Cujus caussæ sunt duæ: Prior est, quia quidquid est in Nicæno, id continentur iisdem verbis in Constantinopolitano: & quidquid apposuit Constantinopolitanum, id* δυνάμει, *hoc est potentiâ sive virtute insit in Nicæno, ac majoris solum claritatis caussâ postea adjunctum sit. Altera ratio est, quia major esset Synodi Nicænæ auctoritas: ut quæ omnium esset universalium antiquissima, & cæterarum fundamentum.* Vossius dissertatione tertiâ de Symbolis.

Hæc Synodus scribit ad Imperatorem Theodosium literas, quibus se ex mandato Imperatoris Constantinopolim convenisse dicunt, & rogant ut decretum concilii ratum esse jubeat, confirmetque, & sententiâ suoque sigillo roboret, &c. atque ita vim legis accipere solent canones. In hoc Concilio à Meletio Episcopo Antiocheno & Orientalibus Gregorius confirmatur Episcopus Constantinopolitanus. Timotheus, Petri successor, Alexandrinus Episcopus & Ægyptii cæteri paulò post venientes hanc Meletii confirmationem ægrè ferunt, & illegitimè factam affirmant, negantes id fuisse juris Meletio Antiocheno, contendente Alexandrino illud ad se spectare.

Moritur Constantinopoli Meletius, & quidam Orientales ei Flavianum surrogari volunt. His Gregorius constanter obstitit; quod ex pacto integram illam diœcesim Paulino cedere oporteret. Sic enim convenerat inter illos, ut cum duo Catholicæ partis essent

Epis-

Epiſcopi, Paulinus & Meletius; ſi quis eorum vivere deſiiſſet, ne altero ſuperſtite ſecundus denuò ordinaretur antiſtes. Hic Paulinus à Lucifero Calaritano Epiſcopo Occidentali creatus erat Epiſcopus Antiochenus, quod Orientales iniquo ferebant animo, ea de cauſſa adverſabantur etiam Gregorio, quia ille, quamvis cum ratione, favebat Paulino: & ſimul Occidentalibus, ut loquebantur Orientales, qui poſt diſceſſum Gregorii Flavianum preſbyterum Antiochenum Meletii ſucceſſorem conſtituunt. Sic continuata prior in Eccleſia Antiochena diſcordia, ut unius Eccleſiæ Catholico populo duo præeſſent Epiſcopi, nempe Paulinus & Flavianus: ſed & his defunctis eorum ſucceſſores in locum ipſorum ſuffecti, adeo ut uſque ad annum Domini 408. minimè valuerit ſchiſma componi. *Baronius.* Secundò offenderat etiam catholicos Orientales Gregorius, quod eos aliquantò ſævius in Arrianos graſſantes reprehenderat & repreſſerat: quare cum propter has altercationes Gregorius pacis ſtudio & conſenſu Imperatoris ſe ſponte abdicaſſet, ejus loco eligitur Nectarius, ſenatorii ordinis vir & necdum baptizatus, idque auctoritate Theodoſii, at ille non niſi baptizatus Epiſcopus conſecratur, uti etiam in ſimili conditione paulò ante Ambroſius Mediolani, & à Concilio approbatur. Hoc Concilium fuit Oecumenicum ſecundum, dictum Conſtantinopolitanum. vide *Socrat. l.* 5. *c.* 8. *& Sozom. l.* 7. *c.* 8. *Theodoret. l.* 5. *c.* 8. 9. &c. *Socrates* in proëmio hiſtoriarum eccleſiaſticarum libri quinti: *Paſſim in hiſtoria Imperatorum mentionem propterea fecimus, quod ex illo tempore, quo Conſtantini eſſe cœperunt, Eccleſiæ negotia ex illorum nutu pendere viſa ſunt: atque adeo maxima Concilia de eorundem ſententia convocata fuerunt & adhuc convocantur.* Sic provincialia à Metropolitano, ubi & idem præſidet: Patriarchalia à Patriarchis, generalia ab Imperatoribus ſemper congregata ſunt. Quod manifeſtè docet univerſi orbis Chriſtiani conſuetudo. Sic eodem hoc anno Aquileiæ in Italia convocatur & celebratur Synodus, cui præfuit Ambroſius, Archiepiſcopus Mediolanenſis & regionum vicinarum, in qua Palladius & Secundianus Arriani Epiſcopi condemnantur: ſic & Cæſarauguſtæ in Hiſpania contra Priſcillianum eodem ferè tempore celebratum eſt concilium.

Nota. Convocat hoc Concilium Imperator Theodoſius, præſi-

det *Meletius*, Episcopus Antiochenus, vel in initio *Gregorius Nazianzenus*: postquam verò se in hac synodo abdicasset, *Nectarius*, qui *Gregorio* suffectus. Unde & *Nectarius* subscripsit primo loco, *Nazianzenus* vero postremus inter Ciliciæ Episcopos, ut Nazianzi episcopus. *Damasus* Episcopus Romanus non vocatur, nec in Concilio suos habet legatos, *nec præfuit ipse nec per legatos*, ut loquitur Binius. Concilium confirmat *Gregorium*, damnat Maximum & Macedonium, confirmationem decretorum ab Imperatore petit, confirmat Imperator. Episcopi synodi canones statuunt, ordinem Patriarcharum mutant, Constantinopolitano secundum ab Episcopo Romano locum tribuunt, & symbolo Nicæno diversa addunt &c. nullâ factâ mentione Damasi, qui tamen omnia, quæ fidei essent, postea approbat. ut docet Damasi epistola *apud Theodoretum l.5.c.10.*

Baronius hic pro auctoritate Episcopi Romani conjecturas adfert, Canonem quintum vocat commentitium, falsum, & postea adjectum dicit. Et tamen ejus non leviter meminit Concilium Chalcedonense: imò & eundem confirmat, amplificat, & Episcopo Constantinopolitano primatus honorem post Episcopum Romanum concedit: & rationem addit, quod Constantinopolis sit nova Roma & sedes Imperatoris. Eundem habet Canonem *Socrates lib. 5. cap. 8.* & *Sozomenus lib. 7. cap. 9, eundemque confirmat synodus œcumenica sexta.*

A. C. 382. Hoc ferè tempore floruerunt Ioannes Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus, Hieronymus, Ruffinus, Augustinus, & alii, & cum illis multæ piæ & nobiles fœminæ, ut Marcella, Melania, Paulla, Albina, Blesilla, Ruffina, Fabiola, Asella, Eustochium, Felicitas, Lea, Læta, Proba, &c. quæ Romæ in propriis ædibus solitariæ vivebant: quo etiam tempore Chrysostomus orationem habuit contra anathema, vel ut alii: quod neque vivi neque mortui anathemate plectendi sint.

A. C. 383. Gaufridus Episcopus Asaphensis historiam Ursulæ, & undecim mille virginum Britannicarum tradit in suo de rebus Britannicis commentario, lib. 5. cap. 15. qui narrat *tempore Maximini tyranni*, Maximi debuit dicere, *nobilium filias numero undecim millia, & ex infima gente sexaginta millia è Britannia venisse, quæ novis colonis Armorica*

rica depopulata connubio jungerentur: Harum majorem partem ortâ tempestate in mari periisse, reliquas impetu venti per Rhenum jactatas, Coloniam, & inde postea Basileam devenisse, & sanctum Pantalum ejus urbis Episcopum, sacras virgines cum gaudio susceptas Romam perduxisse, tempore Cyriaci Papæ Romani: qui relictâ sede cum iisdem virginibus Coloniam profectus, ibidem cum sociis virginibus aliis Martyrio ab Hunnis trucidatus est. Cyriaco dicitur in pontificatu successisse Anterus. Hujus Virginum Britannicarum & Christianarum exercitus Dux fuit Ursula, Sorbonicorum Parisiensium Patrona. Hæc partim ex Gaufrido Monemutensi, partim ex revelationibus Elisabethæ per Verennam, virginum illarum unam, indicatis & expositis & ab Usserio Armachano lib. de Britannicarum Ecclesiarum primordiis, citatis excerpsimus, quem vide cap. 8. pag. 200. & cap. 15. pag. 617. & seqq. Hæc addit inter cætera idem Usserius. *Quam nihili verò & Elisabethæ (quantumvis canonizatæ) revelationes, & Coloniensium traditiones hasce fecerit Baronius, ex censura illa apparet, quam secundo Ecclesiasticorum suorum annalium Tomo inseruit an.C. 237. §. 41. Non audiendi penitus recentiores quidam, qui post Pontianum introducunt Cyriacum quendam Romanum Pontificem, cujus nulla prorsus exstat mentio in serie Romanorum Pontificum à Latinis descripta (uti in libro de Romanis Pontificibus, vel apud Optatum Milevitanum, vel Augustinum, aut Cresconium, aliosve indices Vaticanos) nec apud Græcos, ut Eusebium, Nicephorum, Chronographum, vel alios; adeo ut ne digna quidem sit, quæ pluribus confutetur, sententia, quippe quæ nulla penitus nitatur ratione vel testimonio antiquorum, ex commentitiis tantum Actis Martyrii sanctarum Vrsulæ & sociarum petita.* Hactenus Baronius: pergit Usserius: *Pluribus etiam figmenta ista Gobelianus Persona, Decanus Bilefeldensis ante annos ducentos refutavit; præter libri Pontificalis, & Eusebii altissimum de Cyriaco silentium, his etiam adductis argumentis ex libris Chronicorum & historiis*, quæ vide apud Usserium. Hæc nihilominus hoc anno pro veritate hujus historiæ in suis annalibus adfert Baronius: *At licet*, inquit, *multa de aliis autor Gaufridus habeat fabulosa, quæ veris nonnihil fidei detrahant, ut magno delectu ille liber sit legendus; non tamen eo loco constituta res, ut intra apocryphorum quisquilias arbitri confidentes, quæ magis verisimilia probentur, ea jure deligenda putemus: ob-*

viis accepimus manibus, quæ ab eodem auctore narrantur, quod eadem pluribus fulciantur verisimilibus conjecturis, reliqua verò, quæ edita habentur acta, plurimis constent cuique prudenti referta esse figmentis. Hæc Baronius, qui veritatem hujus historiæ asserit auctoritate Lindani, Episcopi Gandavensis, & Marci Velseri in fragmentis antiquæ tabulæ itinerariæ, ubi agit de prætorio Agrippinæ ad mare sito: *cujus sententia antiquorum monumentorum fide certâ testatæ haud inviti subscribimus,* inquit Baronius: sed audiamus ipsum Velserum: *Imperitè,* inquit loco prædicto, *quisquis auctor fuit historiæ de cæde Vrsulæ cæterarumq; virginum Britannicarum, quod Hunnorum & Agrippinæ nomen inaudisset, ad Attilam & Coloniam Agrippinam retulit, magno temporum & locorum errore. Ad tempus quod pertinet, Gratiani & Maximi (qui Gratiano imperium & vitam ademit) ævum perspicuè ex Gaufrido Asaphensi intelligimus: ad locum, Germanicum littus. Guilhelmus Lindanus apud Baronium æstuaria Germanica ad ostia Rheni, me approbante interpretatur. sed ea Coloniam pertingere, cui fidem faciat? Profectò qui scedas tabulæ semel inspexerit, Prætorium Agrippinæ longè rectius accipi fateatur necesse est. Et si jam tunc temporis Romæoburgum à provincialibus vocabatur (quod quidem non valde affirmo, verum tamen esse nihil impedit) probabilis erit conjectura, hinc opinionem de Romanâ peregrinatione natam: nam Bonna ex Verona nomine fluxit, cum virgines Veronam primum appulisse antiqua historia narrat: & Verona in hoc litore opulenta & florens olim steterit; quod Hadrianus Iunius & Suffridus Petrus observavêre. An & Basilea à Prætorio (Basileam enim usque Vrsulam adverso Rheno navigasse volunt) non affirmatè dixerim. Vnum Agrippinensibus libentes largimur; pleraque virginum cadavera ad illorum urbem, quæ imprimis ampla & potens, atque cum reliqua Gallia in Maximi potestate esset, venerationis caussa delata.* Hactenus Velserus. Addit Scriverius in sua Batavia illustrata: *Cæterum*, inquit, *quam miserè multorum frivolis conjecturis hæc Virginum historia lancinata sit, vide in libello, quem ex variis concinnatum de iis nuper emisit Hubertus Miræus hoc tioulo; de S. S. Virginibus Coloniensibus disquisitio, Parisiis anno* M. DCIX. Est hoc notatu dignum Sulpitium Severum natione Gallum, qui Maximi Tyranni historiam describit ad annum 387. & eodem tempore Maximi vixit, nullam Ursulæ cæterarumque virginum fecisse mentionem in sacra sua historia;

historia: Nec Venerabilem Bedam, presbyterum Anglum, præcipuum Britanniæ historicum lib. 1. Ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum, cap. 9. ubi narrat Maximum cum magno exercitu è Britannia in Galliam transfretasse. Vixit Beda an C. 700.

Ille Gaufridus Monemutensis vixit circa annum 1160, *cujus fides à multis damnatur, ab aliis defenditur, inter alios Pontico Virunnio, viro eruditißimo, qui Gaufridi libros, præteritis fabulis, cum summo ejusdem elogio in epitomen redegit. Multa quidem fabulosa in eo reperias, sed non tantâ Gaufredi culpâ*, inquit Vossius, *nec enim ipse ea confinxit, sed ab aliis conficta, de Britannico sermone latinè vertit. Eaque in re fuit fidus interpres, ut vocatur à Matthæo Parisio.*

Pulsis Gentilium sacrificiis & ademptis sacerdotum stipendiis Gratianus etiam rejicit nomen Pontificis Maximi: & Urbis præfecto, de rebus ad Gentiliam superstitionem pertinentibus (quod Pontificum erat) judicandi auctoritatem tribuit. Maximus Tyrannidem in Britannia arripuit an. C. 382. ac Treviris sede Imperii constitutâ, per Andregatium ducem, desertum à suis Gratianum apud Lugdunum insidiis perimit. Periit Gratianus anno ætatis 25. Vide *Socrat. lib* 5. *cap.* 11. *Sozom. l.* 7. *cap.* 13. sed aliter rem gestam narrat *Zosimus lib.* 4.

Cum per Arrianos aliasque sectas Constantinopoli & in vicinis civitatibus plurimæ exortæ essent turbæ, prudentiâ Imperatoris Theodosii, pacis Ecclesiasticæ amantissimi, omnium sectarum Principes summâ celeritate ad Concilium convocantur, ut ex mutuo Episcoporum congressu & colloquio, una de fide consentiens opinio stabiliretur & dissidia Ecclesiarum componerentur: *Quod quidem* inquit Socrates *Imperatoris institutum causam fuisse arbitror, cur* *Socrat. l.* 1.
res tam prosperè illi evenirent, nam eodem tempore, divinâ quâdam pro- *cap.* 10.
videntiâ barbara gentes se ejus ditioni subjecerunt &c. Conveniunt præcipui sectarum Episcopi cum suis dialecticis & disputatoribus. Advocat Nectarum Imperator, & ad dirimendas in Ecclesiis excitatas ubique discordias consilium petit. Præcipua ferè quæstio erat: an Filius Dei ἀρχὴν ὑπάρξεως, id est, principium existentiæ haberet. Anxius Nectarius hac de re agit cum Agelio, Novatianorum Episcopo: ille cum Sisinnio lectore suæ Ecclesię viro diserto

&

& rerum usu perito, in S. literis & Philosophorum scriptis accuratè erudito, ut inquit *Socrates*, qui cum per disputationes schismata non componi posse judicaret consilium dedit, ut concertationes dialecticę evitarentur, testesq; adhiberentur formulę fidei à veteribus editę, & ut utrum eas approbarent principes sectarum interrogarentur: sed cum pertinax esset hęreticorum dissensio, scripto quemque suę sententiæ edere jussit confessionem Theodosius. *Tum vero Imperator primum eos benignè ad se admittit & uniuscujusque dogma scripto proditum accipit, deinde in locum separatum solum se concludit, & obnixè precatur, ut Deus illi ad veritatem eliciendam opem ferre vellet.* Græca sunt, συνεργῆσαι αὐτῷ περὶ τὴν τῆς ἀληθείας ἐκλογήν, id est, *coöperari sibi ad inveniendam veritatem. Lectis autem eorum scriptis, lege latâ sanxit Theodosius, ut sectarii neque conventus agerent, neque doctrinam fidei profiterentur, neque Episcopos aut alios ordinarent, & graves legibus adscribebat quidem pœnas, sed eas non exsequebatur. Non enim pœnas irrogando, sed metum incutiendo subditis, studebat, ut sibi in divinis concordes fierent.* Socrates lib. 5. cap. 10. & Sozomen. lib. 7. cap. 12. Imperator solos admisit Novatianos, quod Trinitatem consubstantialem etiam cum Orthodoxis profiterentur. Nota inter cætera, qnomodo, ut quondam Constantinus, res Ecclesiæ administret Theodosius, & judicet, an quæ tunc circumferebantur dogmata Nicænæ fidei convenirent, idque absque synodo.

A. C. 384. Damasus Episcopus Romanus moritur, & hujus tempore cœptum est canere Alleluya ex more Ecclesię Hierosolymitanę & beati Hieronymi traditione. *Gregor. lib. 7 epist. 63.* Augustinus relictis Manichæis transit ad Academicos seu Platonicos: qui palam à Platone Christianos accepisse jactabant de fide sententias, quas Euangelista Joannes suæ narrationis exordio exposuisset, pro miraculo omnibus contemplandas. *Baronius.* Relictis demum Platonicis Christi fidem amplectitur Augustinus, benignitate & institutione S. Ambrosii Mediolani mollitus.

A. C. 385. Damaso mortuo Siricius fit Episcopus Romanus.

Scripserat de conservanda virginitate ad Eustochium Hieronymus, ubi cavendos dicit Clericos Romanos, lautos, delicatos, & leves, quorum esset periculosa consuetudo &c. Illi, cum Damaso

mortuo

mortuo, Siricius Hieronymi operâ in conſcribendis epiſtolis non amplius uteretur, odio & invidiâ adverſus Hieronymum concitati, eum non quaſi monitorem, ſed tanquam accuſatorem averſati ſunt, qui tamen ipſorum inſcitiam & vitæ turpitudinem redarguere non deſiit; de quibus ſic ad Paulianum: *Phariſaeorum conclamavit Senatus, ut nullus ſcriba vel fictus, ſed omnis quaſi indicto ſibi prælio doctrinarum, adverſum me imperitiæ factio conſpiraverit* &c. Et cùm alienum à ſe Siricii animadverteret animum coäctus cedere malevolentiæ & calumniis Clericorum in Palæſtinam rediit: qua de re ſic fatur lacrymans in epiſtola ad Aſellam, & non ſine indignatione Hieronymus. *Hæc*, inquit, *mea domina Aſella, cum jam navem conſcenderem, raptim flenſque dolenſque conſcripſi: & gratias ago Deo meo, quod dignus ſum quem mundus oderit. Ora autem ut de Babylone*, ſic vocat Romam, *Ieroſolymam regrediar, ne mihi dominetur Nabuchodonoſor* &c. Et: *non recordabar Euangelii; quia qui de Ieruſalem egreditur ſtatim incidit in latrones, ſpoliatur, vulneratur, occiditur, ſed licet ſacerdos deſpiciat atque Levita, Samaritanus ille miſericors eſt*, &c.

Interim reſpondet Siricius ad epiſtolam Hemerii Tarraconenſis, ad Damaſum ſcriptam, de nonnullis dubiis, & de cælibatu aut conjugio Clericorum. Meminit quidem hujus epiſtolæ Baronius, ſed de argumento ejuſdem nihil: fortè quia Siricius, Pontificum Romanorum primus matrimonium Clericis, tam ſerò, & tam ſeriò prohibuit. Diſſuaſerunt & etiam vetarunt quidem alii conjugium in miniſterio ſacro verſantibus, & continentem cælibatum ob magnas rationes cum Apoſtolo prætulerunt: ſed nec Paulus nec ullum Concilium generale prohibuit matrimonium: vide hujus Siricii epiſtolæ primæ cap. 7. primo tomo Conciliorum: Ubi inobedientes omni honore Eccleſiaſtico ſedis Apoſtolicæ auctoritate dejicit & veneranda myſteria attrectare prohibet, uſus & abuſus teſtimonio Pauli ad Rom. cap. 8. *Qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt. Et quia*, inquit, *exempla præſentia cavere nos præmonent in futurum, ſi quilibet Epiſcopus, Preſbyter aut Diaconus (quod non optamus) deinceps fuerit talis inventus, jam nunc ſibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obſeratum: quia ferro neceſſe eſt exſcindantur vulnera, quæ fomentorum non ſenſerint medicinam.* Vult præterea hæc ſua decretalia

 conſti-

constituta, ut loquitur Siricius per Himerium ad Carthaginenses, Bæticos, Lusitanos & Gallæcios &c. mitti. *Et quamvis*, inquit, *statuta sedis Apostolicæ nulli sacerdotum ignorare sit liberum: utilius tamen atque pro antiquitate sacerdotii tui, dilectioni tuæ poterit esse admodum gloriosum, si ea quæ ad te speciali nomine generaliter scripta sunt, per unanimitatis tuæ solicitudinem in universorum fratrum nostrorum notitiam perferantur.* Si mihi licet conjecturare, versutum hoc est consilium. Primò, consultationem, ut ipse loquitur Siricius, vertit in imperium, adjunctâ etiam pœnâ: secundò, Tarraconensem vult sui mandati executorem sub specie honoris, ut per alium suam augeat auctoritatem. Quæ ars non malè cessit quibusdam Pontificibus Romanis, per eam enim factum est, ut qui coëpiscopis suarum provinciarum dominari cuperent, quales vix ullibi desunt, auctoritate Romanæ sedis, quæ in toto imperio Romano prima Patriarchalis, & in Occidente unica Apostolica esset, armati, interdum etiam titulo legatorum ornati cum sese supra alios extollunt, necessariò Romanos, à quibus prę̈eminentiam suam derivabant, secum eveherent. Jussa igitur quę alias declinare potuissent, & forte debuissent, non modo capessebant ipsi, sed coëpiscopis quoque suis, sępe invitis imponebant, eò promptius, quò id sibi ad pręrogativas suas stabiliendas magis profuturum, seque ad dominatum alieno, quam proprio nomine tutius grassaturos intelligerent: quę posthac clarius apparebunt. Similem epistolam decretalem Siricius etiam scripsit ad Episcopos Africæ, quæ est quarta, tomo secundo Conciliorum; scripsit quidem, sed suadendo, hortando, rogando, quæ proinde irrita fuit & nulla. Pręcipua Siricii ratio, ut diximus est locus Pauli Rom. cap. 8. vers. 8. *nam cum sacrificia præstamus*, inquit, *Deo placere debemus, at qui ex sacerdotibus uxores duxerunt sunt in carne, & proinde secundum Paulum Deo placere non possunt* &c. Si hoc verum est, aut si illa est mens Pauli, sic etiam argumentari licebit: Qui in carne sunt non placent Deo, Abraham autem fuit in carne &c. aut si mavis, Laici, qui ducunt uxores sunt in carne, ergo non consequentur Spiritum sanctum, nec erunt membra Christi. Abripuit virum bonum nimius zelus. Nam *ædificavit* (inquit Basilius) *Deus è costâ, quam accepit mulierem. Consensum & pudicitiam creatio*
ista

ista docet. Qui viro unam aptans mulierem pudicitiæ legem tulit. Propter stupra vitanda, unusquisque suam uxorem, & unaquæque suum virum habeat, inquit Paulus 1 Cor. 7. 2.

Prodeunt paulo post Romę scripta Joviniani monachi, quibus inter cętera statuit, *Virgines, viduas, maritatas, quæ semel in Christo lota sunt, si non discrepent cæteris operibus, ejusdem esse meriti*: verba sunt Hieronymi. Joviniani libri mittuntur à quibusdam Romanis ad Hieronymum in Palęstinam, ut eos refutaret, quod facit, & satis acriter & dentatè. Sed cùm ejus duo libri non tantum pugnarent pro virginitate, sed plurima in iisdem invenirentur dicta in despectum matrimonii, offensus Hieronymo fuit & Siricius Papa & plurimi alii pii & Catholicę fidei assertores gravissimi: imò & in ipsum Pammachium Hieronymi amicum, virum doctum & senatorem illustrem, plurimorum commoti fuere animi, ut ipse ad eum Hieronymus: *Audio*, inquit, *totius Vrbis in te studia concitata; audio Pontificis & populi voluntatem pari mente congruere. Minus est tenere sacerdotium quam mereri.* Vides aculeatum stylum Hieronymi. Quid consilii? cogitur etiam ex consilio Pammachii scribere pro prædictis, adversus Jovinianum, libris, epistolam apologeticam, in qua se explicat secundum mentem Pauli I. epistola ad Corinth. cap. 7. qui virginitatem quidem nuptiis præfert, venerabiles verò dicit nuptias & torum immaculatum. Sic etiam sapientes dum vitant vitia æstu disputationis abrepti in contraria currunt; quod non semel in scriptis Patrum occurrit. Ut multorum susurris & sermonibus contra hos Hieronymi libros occurreret, scripsit librum de bono conjugali Augustinus. Ingens amator cœlibatus fuit Hieronymus, quare sæpius ad virgines, quæ se Deo devovissent, accedere solitus erat, & imprimis ad quandam Paulam piissimam fœminam, qua ex re magna illi calumnia injecta est, quod cum illis parum honestè conversaretur. Aliquando etiam ex domesticis servis quidam dixit se vidisse Hieronymum impudicè cum Paula agentem. Talis etiam calumnia à Ruffino illi est objecta. quare effugiendæ illius calumniæ causâ Hierosolyma profectus est; & in quadam epistola se etiam excusat de ista calumnia, ac dicit non ideo se familiaritatem coluisse cum virginibus & præ-

ſertim cum Paula, quod eam nimis amaret, ſed quia ſæpe eas de Deo loquentes audire gaudebat, &c. *Voßii dictata.*

Caſtam virginitatem præſtare matrimonio nemo negare debet, qui Paulo non vult contradicere, & rectæ rationi. Nam corpus habet virgo minus indulgens voluptatibus, & animum Chriſto plenius vacantem: minus enim habet curarum, qui ſe tantum, quam qui totam familiam curat: præcipuè is, qui ſe totum miniſterio Eccleſiæ dedit. Dicamus ergo cum Paulo; *honeſtum eſt caſtum matrimonium, ſed honeſtior pudicus cælibatus.* Quem qui ſervare nequit, quod procul dubio difficile & arduum, adhibeat remedium omnibus à Paulo datum: Qui ſe continere non volunt aut poſſunt, matrimonium contrahant: *melius enim eſt nubere, quam uri.* Et egregiè alibi Hieronymus: *Nihil prodeſt carnem habere virginem, ſi mente quis nupſerit. Non omnes capaces ſunt hujus dicti, ſed iis quibus datum eſt,* inquit Chriſtus. Sunt autem Dei alia majora alia minora dona. Qui
Matth. 19. 11. caſtam virginitatem ſervare non poteſt, ſervet conjugalem caſtitatem: Utrumque enim donum Dei, attamen non ſine niſu & contentione hominis. *Iejuniis laſcivia corporis caſtigatur: orationibus devota ſaginatur anima: vigiliis inſidiæ diaboli depelluntur.* Amb. ſerm. 27.

Ut autem hiſtoriæ ſeriem videamus ad Siricium redeamus. Is Romæ Jovinianum cum ſuis damnavit & communione privavit: quod Ambroſio & Eccleſiæ Mediolanenſi, ad quam ſe conferre nitebatur, indicavit: Siricii ſententiam approbavit Ambroſius & Eccleſia Mediolanenſis, ut & inde aufugere cogeretur. Epiſtola Eccleſiæ Mediolanenſis ad Siricium eſt inter epiſtolas Ambroſii 80. & reperitur Tomo Conciliorum I. ſed neſcio quo errore Telenſi ſynodo ibi tribuatur. Itaque uterque Eccleſiam Romanam turbavit: Hieronymus detrahendo nimium matrimonio, Jovinianus virginitati, cujus errores reliquos prætereo. Claudius Eſpenſæus candidè de Hieronymo: *Multa viro ſancto in virginitatis favorem exciderunt coäcta & violenta, & iniquior fuit matrimonio Hieronymus: in plurimis nimis fervidus & vehemens, cætera vir magnus.* Decreta Siricii ad Hiſpanos & Africanos miſſa quam parvæ fuerint auctoritatis ipſe Hieronymus in ſuis adverſum Jovinianum libris oſtendit, nam à pauciſſimis Eccleſiis fuiſſe recepta narrat. Unicum, ſed nobile adferam exemplum. Paulinus Aquitanicus, ex familiâ Anicianâ, vir illuſtris, & ſenatoriæ dignitatis apud ſuos, Auſonii inſignis diſcipulus,

lus, in ipsa Hispaniâ Barcinone invitus,imo coäctus ordinatur presbyter, in matrimonio cum Therasia uxore conjunctus, Siricii anno decimo. *Quod enim, quæ inhærebat ei conjux, seorsim vitam monasticam agens,usu conjugii jam desiverat esse uxor*,dicit quidem Baronius,sed non probat:Hieronymus eam *sororem*,non conjugem appellat.Hæc autẽ sunt verba Hieronymi:*Sanctæ sororis tuæ ligatus es vinculo & non penitus expedito pergis gradu.* Ergo adhæsit suo marito Therasia. &: *Sanctam conservam tuam, & tecum Domino militantem per te salutari volo.* Quod voluit Baronius, non indicat Hieronymus, sed potius contrarium cum dicat, *necdum penitus expedito pergis gradu*: semper enim vixerunt simul Paulinus & Therasia, in itinere in Hispaniam, Galliam,Italiam, imò invitatus uterque simul in Africam ab Augustino jam Episcopo. Vixerunt simul in agro Nolano vitam quasi monasticam, venditis & distributis pauperibus amplissimis facultatibus, sepositis curis secularibus,tantum dediti meditationi,& cultui divino, & si quando sui similibus scriberent,hujusmodi utebantur subscriptione: *Paulinus & Therasia peccatores.* Vide Ambrosium l. 6. epist. 1. ad Sabinum. Cum Auſonius putaret Paulinum instinctu uxoris solitariam hanc elegisse vitam,vocat eam Tanaquilem,cujus consiliis Tarquinius Priscus maritus obsecundare solebat, respondet autem Paulinus:*Nec Tanaquil mihi, sed Lucretia conjux.* Ergo uxor Paullino, sed in matrimonio casto, ut solent pudicæ conjuges. Paulini illum cum Therasia vivendi modum fortasse ægrè tulit Siricius,de quo & Clericis Romanis conqueritur Paulinus epist. 1. ad Sulpitium Severum: *Plenius indicare poterunt conservi nostri, pueri tui, quantum nobis gratiæ Dominicæ detrimentum faciat Vrbici Papæ superba discretio.* Cum Paulinus venisset Mediolanum,ab Ambrosio cum honore exceptus & coöptatus est in clerum Mediolanensis Ecclesiæ; Romæ vero laboravit clericorũm invidiâ & despectu Siricii vir magnæ nobilitatis & sanctitatis, apud S. Martinum Ambrosium, Hieronymum, & Augustinum sanctissimos Patres magnæ semper existimationis, frequens ille & admirandus concursus & Romanorum & exterorum imò & transmarinorum ad Paulinum, excitavit Romanorum invidiam, quam ut evitaret, ad secessum agri Nolani cum suâ Therasia se contulit vir eximius.

Epist. 13.

Presbyteris & Episcopis. *Antea poterant Occidentales ut & Orientales uti jam contracto ante ordinationem in sacris. Subdiaconibus verò simili modo, scilicet ad usum matrimonii prius contracti, indixit continentiam, scilicet ut abstinerent ab uxoribus, Gregorius Papa.* Hactenus Antoninus. Facta quidem hæc: sed cui hominum licet separare, quod Deus conjunxit? Qui hæc potest capere, capiat, non ego. Alii hæc mandati divini, alii apostolicæ institutionis esse volunt; sed quam ea sint frivola, indicant diversorum Pontificum diversa decreta, non nisi serò, & longo tempore & summâ vi per multas artes in praxin deducta, idque tantum in Ecclesiâ Occidentali.

Sed liceat mihi verbis Hieronymi, quibus alibi utitur, interrogare: *cur post quadringentos annos docere nos niteris quod ante nescivimus? cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Vsque in hunc diem sine illâ doctrinâ mundus fuit Christianus*; Et imitari Paciani ad Sympronianum verba: *Siricius, inquies, hoc docuit. At vel quando frater, quibusve temporibus? sub principatu Theodosii, id est, post quadringentos prope annos Dominicæ nativitatis. Ergo à Christi adventu usque ad Theodosii principatum nullus intelligens?* Et hic locum habet illud Vincentii Lirinensis cap. 39. *Quicquid (unus vel alter Patrum) quamvis ille sanctus & doctus, quamvis Episcopus, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias & occultas & privatas opiniunculas à communis publicæ & generalis sententiæ auctoritate secretum sit, ne juxta schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis veritate dimissâ, unius hominis novitium sectemur errorem.* Et illud Pii II. Papæ Romani: *Sacerdotibus magnâ ratione sublatas nuptias, sed majori restituendas.* Vide Platinam in ejus vitâ. Sic Græci sacerdotes nuptias suas retinent, & ad Latinorum communionem admittuntur. Præferimus tamen cum Paulo ad sacerdotium castos cęlibes, ut à curis mundanis magis vacuos, & à carnis voluptatibus remotiores. Quare fuit in primitiva Ecclesiâ cælibatus frequens ad implenda rectius, liberius atque constantius Christianismi præcepta: non quod in iis sit cælibatus, sed quod ad ea magno sit adjumento. Vnde Minutius Felix de Christianis: *Plerique inviolati corporis virginitate fruuntur potius quam gloriantur.*

Epist. 65.

Epist. 3.

Priscillianistarum in Hispaniâ novâ se offerente hæresi, quæ ex Gno-

Gnosticorum, Manichæorum, aliorumque perfidiâ coäluerat, Cæsaraugustæ per idem tempus Concilium celebratur, in quo cum Episcopis aliquot sectę parens Priscillianus, homo laïcus percellitur. Hunc damnati Episcopi Abulensem Episcopum constituunt. At hos omnes Idacius & Ithacius Episcopi Gratiani edicto relegandos curarunt. Burdegalæ postea alterâ coäctâ Synodo, Priscillianus damnatur, qui ad Maximum Tyrannum provocans, jussu ejus auditus, Treviris gladio est addictus, cum plerisque aliis. Ithacius Episcopus ejusque participes, quod se præter fas ordinis illius caussæ capitis immiscuissent, ab Ecclesiastica communione alieni judicati sunt: idque per Siricium Papam, S. Ambrosium, S. Martinum & alios. Vide hanc historiam accuratè & prolixè descriptam apud Sulpitium Severum in fine lib. 2. qui inter cætera: *Idacius & Ithacius Episcopi accusatores Priscilliani &c.: quorum studium in expugnandis hæreticis non reprehenderem, si non studio vincendi plus quam oportuit certassent. Ac meâ quidem sententiâ, mihi non tam reos, quam accusatores displicere. Certè Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse definio, fuit enim audax, loquax, impudens, sumpuosus, ventri & gulæ plurimum impertiens. Hic stulticia eò usque processerat, ut omnes etiam sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare jejuniis, tanquam Priscilliani socios aut discipulos, in crimen arcesseret. Ausus enim miser est eâ tempestate Martino Episcopo Turonensi, viro planè Apostolis conferendo, palam objectare hæresis infamiam: Namque tum Martinus apud Treviros constitutus, non desinebat increpare Ithacium ut ab accusatione desisteret:* (nondum enim de episcopo aliquo auditum fuerat in Ecclesia Dei, de sontibus pœnam sanguinis exegisse, inquit Baronius) *Maximum orare, ut sanguine infelicium abstineret: satis superque sufficere, ut Episcopali sententia hæretici judicati ecclesiis pellerentur: novum esse & inauditum nefas, ut caussam ecclesiæ judex seculi judicaret; sed* quia per libidinem & potentiam paucorum, cuncta ibi erant venalia, Priscilianus cum sociis capitis damnatur. *Præfectus vir acer & severus Priscillianum gemino judicio auditum, convictumque maleficii, nec diffitentem obscænis se studuisse doctrinis, nocturnos etiam turpium fœminarum egisse conventus, nudumque orare solitum, nocentem pronuntiavit;* &c. Et paulo post: *hoc ferè modo homines luce indignissimi pessi-*

mo

mo exemplo necati: quod initio jure judiciorum & bono publico defensum, postea Ithacius in jurgiis solitus, ad postremum convictus, in eos retorquebat, quorum id mandato & consiliis effecerat. Cæterum Priscilliano occiso non solum non repressa est hæresis, sed confirmata latius propagata est, namque sectatores ejus, qui eum prius ut sanctum honoraverant, postea ut martyrem colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hispanias relata, magnisque obsequiis celebrata eorum funera. Quia & jurare per Priscillianum summa religio putabatur. At inter nostros perpetuum discordiarum bellum exarserat: quod jam per quindecim annos fœdis dissensionibus agitatum, nullo modo sopiri poterat. Et nunc cum maximè discordiis Episcoporum turbari & misceri omnia cernerentur, cunctaque per eos odio, aut gratiâ, metu, inconstantiâ, invidiâ, factione, libidine, avaritiâ, arrogantiâ, somno, desidiâ essent depravata: postremò plures adversum paucos benè consulentes, insanis consiliis & pertinacibus studiis certabant: inter hæc plebs Dei, & optimus quisque probro atque ludibrio habebatur. Sic finit suam historiam Sulpitius Severus. Considera, quæso, nostri seculi statum & in rebus Ecclesiasticis mores, & vide quam multi jam sint Ithacii, quàm pauci Martini, quanto odio aut gratiâ, quantâ invidiâ, factione & arrogantiâ res Christianæ administrentur, & quantoperè optimus quisque probro atque ludibrio habeatur, ut mirum videri non debeat, si aliquando Ecclesia Christi cum paucis bonis finem sit habitura, ut quondam Judaica: pietas sugillatur hypocrysi, lenitas tepore evomendo, simplicitas morum inscitiâ & metu; ita ut nisi odio excellas Theologico, factione Ecclesiasticâ, contradicendi libidine, nisi sis audax, loquax, pugnax, vix audias Christianus.

Valentinianus Imperator, cui mater erat Justina Arriana, legem promulgat pro Arrianis, & pro fide in Concilio Ariminensi exposita, & Constantinopoli confirmata à Constantio Imperatore. A. C. 386.

Maximus Tyrannus Alpes transit, & torrentis instar Italiam invadit, Valentinianum cum matre Justina fugat, qui Thessalonicam abeunt ad Theodosium. An. C. 387. Ambrosius illum ritum, quo Antiphonæ in Ecclesia canuntur, primus à Græcis transtulit ad Latinos.

Theodosius in Pannonia bello Maximum vincit, qui Aquilææ obsidetur & occiditur. A. C. 388.

Theodosius Valentiniano Imperium restituit. Victor, Maximi filius, jam Augustus, post paucos dies ab Arbogaste Comite natione Gottho per proditionem necatur. Andragatius classis Maximi in Jonio mari Præfectus, se in mare præcipitem dedit. Sic proditor Gratiani interiit. *Sigon.*

Per id tempus, inquit Socrates, *visum fuit Ecclesiæ, ut presbyteri, qui in singulis Ecclesiis pœnitentiæ praerant, tollerentur, idque hac de caussa: Ab illo tempore, quo Novatiani se ab Ecclesia sejunxerant, recusaverantque cum his, qui tempore persecutionis regnante Decio concitata lapsi erant, communicare, Ecclesiarum Episcopi Canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis presbyter quidam pœnitentia præesset cui, qui post baptismum lapsi essent coram presbytero, ad eam rem designato, peccata sua confiterentur. Iste canon adhuc apud alias sectas ratus firmusque manet: soli autem qui fidem consubstantialis tenent cum Novatianis, qui cum illis in ea fide consentiunt, presbyterum pœnitentiarium rejecerunt. Novatiani verò ne initio quidem istam quasi appendicem admiserunt: Episcopi qui jam præsunt Ecclesiis, quamvis ad longinquum temporis spatium hoc tenerent institutum, tamen temporibus Nectarii Episcopi immutarunt, propter ejusmodi facinus, quod tum fortè fortunâ in Ecclesia admissum erat. Mulier quædam nobilis ad presbyterum pœnitentiarium accedit: peccata quæ post baptismum commiserat particulatim confitetur. Presbyter mulieri mandatum dat, ut jejuniis & continuis precibus se dederet, quò unâ cum peccatorum confessione opus dignum pœnitentiâ ostenderet. mulier longiùs in confitendo progressa, alterius culpa seipsam insimulat: docet Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormivisse. Ob quod facinus, hoc modo patefactum, diaconus ab Ecclesia ejectus est: tumultus inde in populi multitudine excitatus. Nam indignabantur non solum de admisso flagitio, verum etiam quod inde gravis infamiæ & contumelia nota Ecclesiæ inusta esset. Itaque cum sacerdotibus ob hanc rem esset vehementer obtrectatum, Eudæmon quidam Ecclesiæ presbyter, genere Alexandrinus, Episcopo Nectario dedit consilium, ut presbyterum pœnitentiarium tolleret, & liberam daret potestatem, ut pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet. Nam eo pacto solum futurum esse, ut Ecclesia omni maculâ careret infamiæ. Ista quoniam ab Eudæmone ego ipse accepi, huic nostra historia mandare neutiquam planè dubitabam.* Socrates lib. 5. cap.

cap. 19. Eandem hanc historiam narrat Sozomenus lib. 7. cap. 16. Cum verò ibidem videamus abrogatam fuisse à Nectario consuetudinem confitendi presbytero sua peccata, certò, meo quidem judicio, statuere possumus, non esse eam à Christo aut Apostolis institutam, sed eo fortè tempore, quo id indicat Socrates factum fuisse. Modum illum pœnitentiæ probat, abrogationem presbyteri pœnitentiarii improbat uterque historicus: nam cessante illâ pœnitentiâ & conjunctâ ei gravitate & severitate, paulatim delapsos ajunt homines in promiscuam ac dissolutam vitam. Sollicitè tamen ille pœnitentium ritus in Ecclesiis Occidentalibus, & præcipuè Romana observatus est, ut loquitur *Sozomenus*. non ergo fuit universalis, & consequenter nec ab Apostolis. Hoc etiam docent nos verba Chrysostomi (qui fuit Nectarii in Episcopatu seu Patriarchatu Constantinopolitano successor) hom de Pharis. & Public. *Non te cogo*, inquit, *peccata tua hominibus enuntiare: conscientiam tuam Deo expone.* Et in epist. ad Hebr. hom. 31. *magnum bonum est, ut quis peccata sua agnoscat & retineat, &c. non dico tibi, ut te prodas in publicum, neque te apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti:* Revela Domino viam tuam. *Apud Deum ergo confitere peccata tua.* Idem in Psalm. miserere, hom. 2. *Peccata tua dicito, ut deleas illa: si confunderis alicui dicere te peccavisse, dicito ea quotidie in anima tua. non dico, ut confitearis conservo tuo, ut exprobret: dicito Deo qui curat ea.* Vide ejusdem hom. 4. in parabolam Lazari, & hom. 5. de natura Dei incomprehensibilis.

Augustinus natus Carthagine, patre Gentili, matre Christianâ, primo fuit Manichæus. 2°. Chaldæus seu Genethliacus 3°. Platonicus, cujus lectione adductus est ad Pauli epistolas legendas, & ex eo ad religionem Christianam. Paulò vero post Monica mater Augustini moritur & petit illud tantum à filio, ut ad Domini altare meminerit sui. Hinc infert missas pro defunctis *Baronius*. sed Orare pro mortuis in celebratione missæ veteres solent, celebrare missam pro defunctis novum est, atque eas vendi vetat Augustin. serm. 34. Augustinus Christianus & ab Ambrosio, cum esset annorum 34. baptizatus redit in Africam, & transmigrat Hipponem Regium. A. C. 388.

Christiani non solebant insurgere in idola nisi voluntate Principis. *Augustinus* de verbo Domini serm. 6.

Alexandriæ in Serapidis templi, toto orbe celeberrimi, excidio multa inveniuntur notanda de crucis signo: inter literas Hieroglyphicas forma crucis significat, uti dicitur, vita ventura &c. Reliqua vide apud *Ruffin. l. 2. c. 22.* &c. *Socrat. l. 5. c. 16. Sozom. l. 7. c. 20.*

Hoc anno moritur Gregorius Nazianzenus, cognomenro Theologus, qui sapientiam cum eloquentia feliciter conjunxit in suis scriptis.

A. C. 390. Thessalonicæ cum populus seditiosus Bothericum Illyricanorum militum Præfectum occidisset, Theodosius excandescens plurimorum civium, etiam innocentium, & ad ludos Circenses invitatorum cæde, id facinus est ultus: cæsa narrant septem hominum millia. Ob id Mediolanum venientem Imperatorem Ambrosius Ecclesiæ aditu prohibuit agnovit delictum Theodosius, & non solum id tulit patienter, sed ex præsulis præscripto culpam cum lacrymis professus est. lege insuper sanxit ut latæ in reos sententiæ executio in dies triginta differreretur. *Vtrumque admiror*, inquit Theodoretus lib. 5. cap. 15. *alterum propter ingenuam loquendi libertatem, alterum propter facilem obedientiam: illum propter divini zeli ardorem, hunc autem propter sinceram fidem.* Sed hic quærere quis posset, quamobrem hæc acta potius ab Ambrosio quam Siricio, cum non casu hæc evenerint, sed Ambrosius litteris ad Imperatorem scriptis significaverit, ipsum ob patratam Thessalonicensium cædem indignum se Ecclesiasticâ communione reddidisse & unam illi viam salutis relictam, ut pœnitentiam agendo promereretur ab Ecclesia indulgentiam. Non Imperatoris titulo privatur Theodosius, non regnis exuitur, non subditi à jurata fide solvuntur, & parere non prohibentur, ut sub Gregorio VII. videbimus. Vide de illa cæde Thessalonicensium *Ruffin. lib. 2. cap. 18. Sozomen. lib. 7. cap. 24. &c.*

Libertas mira Ambrosii & pietas rara Theodosii.

Ambros. Epist. 28.

Post victoriam de Maximo, inquit Philostorgius l. 10, *& reditum Romam, Imperatore eâ digressuro, astrum quoddam in cœlo visum fuit inopinatum & insuetum, magnorum verò malorum præsagium orbi futurum. fulsit verò primùm mediâ nocte prope Luciferum, in ipso, quem vocant, zodiaco magnum lucidumque fulgore haud multum à Lucifero distans. Inde stellarum ad id conjunctarum concursus undique factus est, simili spectaculo, quo examen apum circa ducem volitantium: exinde mutuo congressu,*

velut

velut coactâ ex omnibus luce, in unam quandam eluxit flammam, gladiique fermè magni & formidabilis formam expreßit, fulgentis, rutilantis; aliis quidem omnibus stellis in hanc speciem coincidentibus, unâ vero illâ solâque, quæ primum visa fuerat ad instar radicis cujusdam ceu capuli toti spectaculo sublucente, & velut omnem designati astri lucem interficiente; sicut cum ex lucerna quadam elychnii flamma in altum fertur. Et hanc quidem speciem paradoxon illud astrum præbuit. Motus vero ejus in omnibus diversus ab astri cursu fuit: Initium quippe motus ejus ibi, ubi supra dictum fuit, apparuisse, faciens ortum quidem primum cum Lucifero & simul quoque occidit, dein paulatim separatum ad Arctum conceßit: & otioso lentoque motu & obliquè ad lævam fermè intuentium respectu ambulationem suam instituens, communem eundemque cum aliis, juxtà quos ambulabat cursum tenuit. Post quadraginta verò dies ambulationis suæ exactos in mediam Vrsam majorem se conjecit, inque medio ipsius ultimùm apparens, ibidem extinctum est. Nòn solum verò istud, verum & alia multa paradoxa præter Xiphoeides astrum istud, visa fuère. Visa hæc sunt Timasio & Promoto Coss. & narrantur eadem in Marcellini Chronico, fastis Idacianis, Chronico Alexandrino, Prospero Aquitanico & aliis. Hoc præsagio, meo judicio, designatur Imperii Romani fatale, per innumeros Borealium populorum exercitus, excidium, qui statim post Theodosii mortem, non tantum in provincias Romani imperii limitaneas irrumpent, sed & ipsam Italiam & in ea Romam, Reginam urbium, Imperii sedem occupabunt, devastabunt.

Consuetudo vel usus agaparum consilio Augustini, (qui hoc anno factus erat presbyter Hipponensis ab Episcopo ejusdem loci, Valerio) tollitur in Africa, quæ antea erant sublatæ in multis Ecclesiis transmarinis. Laudabilis quidem institutio, sed quam pravus usus corruperat: Nam symbola charitatis in luxum & ebrietatem transierant. Fiebant autem propè sepulcra sanctorum in locis sacramentorum, in domibus orationum. *Verum non asperè, non duriter, non modo imperioso,* inquit Augustinus ad Aurelium epist. 64. *sed, ut scriptum est, in spiritu lenitatis & mansuetudinis, magis docendo quam cogendo, magis monendo quam minando, sic enim agendum est cum multitudine: severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de scripturis comminando vindictam futuram* &c.

A. C. 391.

Galat. 6.

Idem Augustinus epist. 64. *Sed quoniam istæ in cœmeteriis ebrietates & luxuriosa convivia non solum honores martyrum à carnali & imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum : mihi videtur facilius dissuaderi posse istam fœditatem ac turpitudinem, si & de scripturis probibeatur : & oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atque omnibus petentibus sine typho & cum alacritate præbeantur, neque vendantur: sed siquis pro religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præsenti pauperibus eroget, ita nec deserere videbuntur memorias suorum, quod gignere potest non levem cordis dolorem,& id celebrabitur in Ecclesia, quod piè & honestè celebratur &c.* Sublatæ sunt hæ Agapæ in Africa per auctoritatem Concilii Carthaginensis tertii an. 397. Propter abusum sublatis charitatum conviviis,quæ ἀγάπαι vocantur,substituit Augustinus *Eleëmosynas sine pompa pauperibus distribuendas*.&,meo quidem judicio, optimè.nam satius est egestati pauperum succurrere, quam oblata per luxum consumere. sed quomodo hæc *defunctorum animas solari aut adjuvare possint*, ut loquitur Augustinus, ex sacra scriptura non discimus. Conservari eo modo mortuorum memorias,& vivorum animas nemo facile negabit : Interea tamen quis pium illum affectum erga defunctos parentes, conjuges, liberos, amicos cohibere, aut jure improbare posset, cumnon prohibeat Christus nec Apostoli, & sit tam antiqua illa apud multos pro mortuis orandi consuetudo, ut norunt omnes φιλάρχαιοι? Et sanè magnum est solatium superstitibus, aliquod saltem defunctis amicis præbere beneficium, refrigerium vocant Patres : sed ex eo multi multos circa purgatorium errores in Ecclesiam irrepsisse conqueruntur, quod ante Augustini tempora veteribus ignotum videtur; de quo & ipse Augustinus ambiguè loquitur. *Vide in Enchiridio cap. 79. & de civ. Dei lib. 21. cap. 24. & 25.* & ibidem *Ludovicum Vivem, ut & lib. 12. cap. 9. & Vossii theses historicotheologicas.*

A. C. 392. Eugenius fretus potentiâ comitis Arbogastis tyrannidem in Galliis usurpaverat. hoc vero anno Valentinianus, Valentiniani & Justinæ filius,ab eodem Arbogaste Viennæ strangulatur, *Ruffin. lib. 2. cap. 31. Socrates lib. 5. cap. 24. Sozom. lib. 7. cap. 22.*

Scripta Epiphanii contra cultum imaginum spuria & supposita esse

esse dicit Baronius, sed abscissum ab eo velum in templo Anablatæ Palæstinæ, in quo depictus erat Christus aut alius sanctus *contra auctoritatem scripturarum*, ut loquitur, abundè satis docet mentem viri sancti in epistola ad Iohannem Hierosolymitanum, interprete B. Hieronymo, *& apud Epiphanium, & inter epistolas Hieronymi.* A. C. 393.

Theodosius Imperator Honorium filium Imperatorem creat. A. C. 394.

Inter Theodosium & Eugenium de summa Imperii & religionis certatur. Illi crucis, signum micabat in Labaro: hic se Deorum simulachris muniebat. Vincit Eugenium in Alpibus, quasi cum summo miraculo, non tam vi humanâ, quam Deo pro ipso pugnante, Theodosius. Arbogastes Comes. tantæ cladis autor suapte manu periit. *Ruffin. lib.* 2. *cap.* 33. *Socrat. lib.* 5. *cap.* 24. *Sozomen. lib.* 7. *cap.* 24. &c. Audi Claudianum super hac victoria:

> *O nimium dilecte Deo, cui fundit ab astris*
> *Æolus armatas hiemes, cui militat æther,*
> *Et conjurati veniunt ad classica venti.*

Donatistæ in Africa inter se divisi multa moliuntur, & eò deveniunt insaniæ, ut in seipsos sæviant, & martyria affectent. Contentio oborta est inter Hieronymum & Augustinum, sed *charitate semper servatâ*, inquit Baronius.

Theodosius moritur Mediolani, & cum eo nutare cœpit Imperium Romanum: succedunt Arcadius & Honorius filii. Ille 20. hic 10. annorum. Utrumque Ambrosio commendarat Theodosius, eosque reliquerat sub protectione & fide Stiliconis, Magistri militiæ, natione Vandali, cui uxor erat Serena, filia Honorii, fratris Theodosii Imperatoris: qui implacabilis erat Idolorum hostis, & libros Sibyllinos combusserat: sub cujus cura erat Orientis & Occidentis Imperii exercitus, idque contra Senatum ex gentilibus constantem. A. C. 395.

Theodosius omnibus Imperatore Christiano dignis ornatus virtutibus, ac nulli priorum posteriorumve Principum secundus, militiâ clarus, nulla nisi necessaria bella suscepit. Clementiâ & humanitate singulari præditus, in omnes officio sus fuit, sed

Irasci facilis, tamen ut placabilis esset. Inter cætera Antiochenis, qui

qui in ſeditione, quâ Flaccillæ conjugis ſtatuas dejecerunt, intercedente Præſule Flaviano pepercerat: quam facilis erga Ambroſium fuerit, exemplum eſt inauditum. Vide ejus laudes apud Victorem (per quem Trajano comparatur Theodoſius) & Themiſtium, paganos &c.

Mortuo hoc magno Imperatore occidit Romanum in Occidente imperium, idque propter ætatem Honorii tanto oneri imparem, tum ob Stiliconis perfidiam, tum ob barbarorum innumeras irruptiones. De cauſſis caſus & ruinæ Imperii Romani vide inſignem & accuratum Onuphrii Panuini locum, auctoritate priſcorum doctiſſimorumque virorum comprobatum lib. 3. deſcriptionis Imperii Romani.

Arcadius ſtatim poſt patris mortem uxorem duxit Eudoxiam, conciliante has nuptias Eutropio Eunucho Imperatoris, ne Ruſſini filiam in matrimonium ſibi aſſciſſeret. Summa tum erat in Republica duorum Principum dignitas & potentia: Ruffini, qui Conſtantinopoli Præfectus erat prætorii, cujus fidei tum Arcadium, tùm Orientale Imperium Theodoſius contra Eugenium pugnaturus commiſerat, & in Occidente Stiliconis Comitis, cui poſt pugnam utrumque filium & utriuſque imperii exercitum commendarat, quod ægrè ferebat Ruffinus, qui magna moliebatur adverſus Imperium cum Barbaris, Hunnis, Gothis, &c.

Cum vero Stilico utriuſque Imperii tutelam ſibi arrogaret, & cum exercitu in Orientem tenderet, ejus avertendi cauſſâ Ruffinus Græciæ aditus armis occupavit, & Alaricum Gothorum Regem contra eum excivit, quem Stilico fugavit, ac ducem Gainam Gothici generis cum copiis ad Arcadium miſit: cujus operâ à militibus Ruffinus obtruncatus eſt, id procurante Stilicone. Eluſâ Aquitaniæ oppido oriundus erat Ruffinus.

Auguſtinus fit Epiſcopus Hipponenſis, & monaſteria in Africam invehit, cum ejus anteceſſor Valerius adhuc erat in vivis, atque ita duo Epiſcopi erant unius Eccleſiæ, contra Canones, quos tum temporis non viderat. *Auguſtinus, Proſper.*

Hoc fere tempore hiſtorias ſcripſerunt ex Chriſtianis Ruffinus, qui Euſebium non ſatis fideliter Latinitate donavit, Hierony-

ronymus, Sulpitius Severus, Orosius, ex Gentilibus Victor, Eutropius, Zosimus.

Multi Barbari antehac imperium Romanum invadentes, ut Hunni, Gothi, Scythæ, Getæ, Bessi, Daci, Armenii, Persæ, Indi, Æthiopes, Quadi, Vandali, Sarmatæ, Alani, Gepidi, Saxones, Burgundi, Alemani, ab India usque in Britanniam, à rigida Septentrionis plaga, usque ad fervores Atlantici Oceani, populi innumerabiles ad Christi fidem convertuntur, & indomita colla suavi ejus jugo subjiciunt. *Hieronymus, Paulinus*, &c. A. C. 396.

Cum Ruffino opiniones seu errores Originis in Urbem inferuntur: contra hunc Hieronymus per Marcellam certat, per Melaniam contra Hieronymum Ruffinus. Siricii Papæ simplicitatem hic sugillat Hieronymus, quod errores Originis non satis velociter damnaverit. Addit Baronius: *Sæpe quidem & pavendis demonstratum est exemplis, ut Pontifices illi, qui caussam fidei paulò segnius tractaverunt, ac remissius curaverunt, à Christo primario omnium Pastore fuerint quam celerrimè ex hac vitâ subducti*,&c. Sequenti anno succedit Anastasius, Origenistarum acerrimus oppugnator, ita ut quos Siricius communione suâ dignatus est, tanquam hæreticos damnaverit successor. A. C. 397. *Epist.* 16.

S. Ambrosius moritur, cui non satis æquus fuisse videtur Hieronymus. Ille hymnos in Mediolanensi Ecclesiâ instituit, puerum à mortuis excitavit, & primus usurpasse dicitur vocem Missæ, pro Græcorum Liturgia, sed longè antiquior esse videtur, si genuina est Cornelii Papæ epistola ad Lupecinum, an.250. Occasione Ambrosii addam historiam de probatione Missalis seu Officii Ambrosiani, idque verbis Durandi *in suo Rationali lib.* 5. *cap.* 2.

In primitivâ, inquit, *Ecclesiâ diversi diversa, quisque pro suo velle cantabant, dummodo quod cantabant ad Dei laudem pertineret. Quadam tamen officia observabantur ab omnibus in initio constituta, vel ab ipso Christo; ut oratio Dominica: vel ab Apostolis, ut symbolum: succedentibus verò temporibus, quia Ecclesia Dei propter hæreses scissa est, Theodosius Imperator, hæreticorum extirpator, rogavit Damasum Papam, ut per aliquem prudentem & Catholicum virum ecclesiasticum faceret officium ordinari. Unde idem Papa præcepit Hieronymo presbytero, tunc in Bethlem cum Paula & Eustochio & aliis virginibus moranti, qui prius sub septē Apostolicis*

Romæ vixerat, quatenus officium Ecclesiæ ordinaret. Ipse namque noverat linguas quatuor, Hebraicam, Chaldaicam, Græcam, & Latinam, quod ille obtemperans fecit. Ordinavit itaque quantum de Psalmis in Dominica, quantum in secunda feria, quantum in tertia, & sic deinceps legeretur. Euangelia quoque, Epistolas &c. quæ de novo & veteri testamento in Ecclesia leguntur præter cantum magna ex parte ordinavit: cujus operis exemplum Hieronymus Romam misit & à Damaso Papa canonizatum est, & præceptum à cunctis Ecclesiis observari, & appropriatum est ipsi Damaso, propter auctoritatem suam, quam interposuit. C. de vest. jur. enucl. l. tanta. Consequenter tamen B. Gregorius & Gelasius orationes & cantus addiderunt, & lectionibus & Euangeliis, Responsoria coaptaverunt. Gradualia vero, Tractus, & Alleluja Ambrosius; Gelasius & Gregorius ad missam cantari instituerunt. Plerique quoque alii Doctores Ecclesiæ aliqua alia superaddidisse noscuntur. Sancti enim Patres non simul omnia ad decorem officii pertinentia, sed diversi diversis temporibus ordinaverunt. Vnde & Missa inceptio tres habuit varietates. Aliquando enim à lectione inchoabatur, prout fit hodie in sabbatho sancto. Postea Cœlestinus Papa psalmos ad missæ introitum dici instituit. Gregorius vero introitus cum cantu ordinavit. Vide Gavantum in rubr. missalis Rom. *Legitur in vita B. Eugenii, quod dum adhuc officium Ambrosianum magis quam Gregorianum ab ecclesia servaretur, Hadrianus Papa Concilium convocavit ubi statutum est, quod Gregorianum deberet universaliter observari, ad quod Carolus Imperator, qui vixit Anno Dom.* 800, *omnes Clericos minis & suppliciis per diversas provincias cogebat, libros Ambrosiani officii comburens. B. vero Eugenius ad concilium quoddam propter hoc convocatum veniens, invenit ipsum concilium per triduum jam solutum, inducens Dominum Papam, quod omnes prælatos, qui concilio interfuerant & jam per tres dies recesserant, revocaret. Concilio igitur iterum congregato, omnium Patrum fuit una sententia, quod Missale Ambrosianum & Gregorianum super altare S. Petri Apostoli poneretur, plurimorum Episcoporum sigillis munita, & fores Ecclesiæ clauderentur, & ipsi totâ nocte orationi insisterent, ut Dominus per aliquod signum indicaret, quod horum magis ab Ecclesia servari vellet, sicque per omnia factum est. Manè igitur Ecclesiam intrantes utrumque Missale super altare apertum invenerunt, vel ut alii asserunt, Missale Gregorianum penitus dissolutum, & huc illucque dispersum*

sum invenerunt. Ambrosianum vero solummodò apertum super altare in eodem loco, ubi positum fuerat, invenerunt. Quo signo edocti sunt divinitus, Gregorianum officium per totum mundum dispergi: Ambrosianum vero tantum in sua ecclesia observari debere: & sic usque hodie observatur: siquidem tempore Caroli Imperatoris Officium Ambrosianum præcipuè dimissum est, & Gregorianum, Imperiali auctoritate plurimum adjuvante, divulgatum. Ambrosius multa instituit secundum ritum Græcorum &c. Hactenus Durandus.

Cassander in præfatione de Officio Missæ hæc habet: *Ante Gregorium*, qui vixit an. C.590, *Gallia & Hispania*, inquit, *aliis à majoribus acceptis ritibus in divinis utebantur. Id enim agnoscit Berno Augiensis, ante Gregorii ætatem Gallos & Hispanos in missarum suarum celebritate non habuisse, usum Romanæ Ecclesiæ, adducit testimonium Hilduini epistolæ ad Ludovicum Imperatorem, cujus epistolæ, seu potius historiæ (complectitur enim vitam Dionysii Areopagitæ) exemplum apud nos est. sunt autem hæc Hilduini verba: cui astipulari videntur antiquissimi & nimiâ penè vetustate consumpti Missales libri, Missæ ordinem more Gallicano continentes, qui ab initio receptæ fidei usu in hac occidentali plaga est habitus, usque quo tenorem, quo nunc utitur, Romanum susceperit. Testatur idem Berno Augiensis, in sui Augiensis monasterii archivo habitum jam tum fuisse Missalem librum, aliter longè, quam Romanæ Ecclesia usus habeat, ordinatum. sed Italia & Gallia, excepto Mediolano, quibus ob auctoris reverentiam Ambrosii sui ritus permissus est, facilè Romanis ritibus, auctoritate Romanæ Ecclesiæ & Principis sui inductæ, concesserunt. Quamvis supra memoratus Hilduvinus testetur Innocentio, Gelasio & Gregorio aliisque Pontificibus Episcopos Galliarum ad Romanum morem sciscitandum sollicitantibus, jam tum pluribus annis priscum illum Missæ tenorem de Gallica consuetudine recessisse. Hispani verò, ut sunt in suscepto semel instituto pertinacissimi, multis annis patrios ritus constantissimè retinuerunt. Dicebatur autem ille Mosarabum ritus, quod eo Christiani Arabibus permixti, qui florentissimam Hispaniæ partem tenuerunt, jam inde ab Hildefonsi Toletani & Isidori Hispalensis Archiepiscopi temporibus observarunt. Tandem sub tempora Gregorii VII. Alphonso VI. qui Toletum à Saracenis recepit, impulsu Constantiæ Reginæ Gallicanæ, post maximas contentiones vi coacti, non sine lacrymis, patrio*

ritu relicto, Gallicum sive Romanum ritum susceperunt: qui tamen antiquus ritus non ita prorsus extirpari potuit, quin hodieque Toleti in quibusdam Ecclesiis & sacellis certis diebus observetur. Hæc res diffusè narratur in historiâ generali Hispaniæ, edita nomine Alphonsi regis decimi. Extat & apud Rodericum Toletanum, historicum gravissimum. Vide historiam de mutato Officio Mosarabico an. C. 1074. in vitâ Gregorii VII. in fine illius anni, & Liturgica & officium Missæ apud Cassandrum.

Hoc eodem anno celebratur Concilium Carthaginense tertium: Ubi nota canonem 24. de oblatione panis & vini aquâ mixti, & 26. ubi ad arcendam Ecclesiasticam arrogantiam prohibetur primæ sedis Episcopo usus nominis primi seu principis sacerdotis, quod non alienum est à verbis Cypriani in initio Concilii Carthaginensis primi, quod vide. Canone 29. statuitur, ut sacramenta altaris non nisi à jejunis celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebrata est &c. 30. ut nullus in ecclesiis convivetur, id est, Agapas celebret, & 47. plures solito statuuntur libri Canonici veteris Testamenti, qua de re vide an. C. 70. sub finem.

A. C. 398. Siricius Papa moritur, qui severâ censurâ Manichæos ab Urbe relegavit, sed nullos occidit. Succedit Anastasius. hic constituit, ut quotiescunque Euangelia sancta recitarentur Sacerdotes non sederent, sed curvi starent. *Anastas. aut potius liber Pontific.*

Donatistæ immaniter Catholicos vexant, & tamen Augustinus veniam pro iis precatur apud Proconsulem Africæ, &c.

Honorius Imperator uxorem ducit Mariam, filiam Stiliconis ex Serena, filiâ Honorii, fratris Theodosii Imperatoris.

Ioannes Chrysostomus vocatus ab Arcadio eligitur ex Antiocheno presbytero Episcopus Constantinopolitanus post mortem Nectarii. Theophilus Alexandrinus maluisset Ioanni præferre Isodorum, suæ Ecclesiæ presbyterum, quod cum ægre ferret Eutropius Eunuchus, in fervienti apud Arcadium gratia, hortatur Theophilum ut consacret Ioannem, additis minis. *Cum multi crimina Theophilo intendebant,* inquit Socrates, *libellos contra illum, aliis ob aliam caussam Episcopis, qui tum aderant offerebant. Eutropius, qui cubiculo Imperatoris præerat, criminationes adversum Theophilum illatas scriptisque*

que proditas nactus, Theophilo ostendit, docuitque liberam optionem illi esse datam, vel Ioannem Episcopum ordinandi, vel judicium de criminibus objectis subeundi: quibus perterritus Theophilus Ioannem designat Episcopum. Socrates lib. 6. cap. 2. Sozomen. lib. 8. cap. 2.

Chrysostomus Agapetas virgines ex ædibus Clericorum pellit. Similes erant nostris hodie tam frequentibus virginibus aut viduis spiritualibus, aut sacris dictis. De Agapetis vide Hieronymum epist. 22. & Chrysostomum tractatu adversus eos, qui apud se fovent sorores adoptivas, tomo 5. quæ eædem sunt cum subintroductis Concilii Nicæni.

Gainas Dux Gothici exercitus à Stilichone, ut ante dictum, A. C. 399.
Constantinopolim missus contra Imperatorem Arcadium, seu potius Eutropium jam Consulem cum Trigibildo propinquo conspirat, ita temperatis artibus, ut hic aperte deficeret, ille dux in eum belli delectus, rem ex utriusque opportunitate & commodo gereret. Ita eodem agente Gaynâ, omnibus spoliatus ornamentis relegatus & interemptus est Eutropius, anno ipso quo consulatum gessit. *Socrat. lib. 6. Sozom. 6. Orosius 7. Zosim. 5.*

Damnantur Origenis & omnium Origenistarum errores Alexandriæ per Theophilum, Romæ per Anastasium.

Idola in Africa confringuntur &c. ubi nota Christianorum modestiam, nostro ævo quandoque non observatam, quâ de re sic Augustinus: *Vbi nobis data potestas non est, non frangimus; ubi data, non prætermittimus.* Reliquiæ Idolorum Romæ tolluntur, carmina Sibyllina cremantur, nec ab illo tempore amplius visa. Manichæorum conventus prohibentur per rescripta Honorii Imperatoris.

Calamitoso in statu aliquandiu fuit imperium Romanum. Orientale per Ruffinum & Eutropium Consulares, Gainam ducem exercitus Gothici & consularem: Occidentale per dolos Stiliconis. A. C. 400.

Gainas Tyrannus in angustum denuò redigit Imperium Romanum & Imperatorem Arcadium, & novas durasque ei pacis conditiones quam arrogantissimè, præscribit. Imperatâ ab Imperatore Equitum peditumque præfecturâ, petit templum in urbe Constantinopolitanâ pro se suisque Arrianis, sed compertâ ejus fraude, & occultis de diripiendâ Constantinopoli patefactis consiliis Gainæ,

 hostis

hostis ab Imperatore declaratur, qui etiam Barbaros in urbe relictos interfici præcipit. Gainas Fravittæ potissimum Gothi Gentilis auxilio victus, in Thracia mortem oppetiit, unde Consulatus dignitatem assecutus est sequenti anno Frávitta. *Socrat. lib. 6. c. 6. Sozom. l. 8. c. 4. Theodor. l. 5. c. 32. Zosim. l. 5.*

A. C. 401. Celebratur Carthagine Concilium generale, ubi institutus cælibatus Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, relictis cæteris clericis secundum consuetudinem uniuscujusque Ecclesiæ, & factus canon est de baptizandis infantibus.

Theodosius II. Arcadii filius nascitur.

A. C. 402. Vehemens & miseranda illa contentio de erroribus Originis indies magis magisque inter primarios Ecclesiæ viros exacerbatur, ita ut plus in iis reperiam bilis quam charitatis, ambitionis quam sanctitatis, φιλονεικίας quam φιλαληθείας. lege eorum scripta, & à partium studio liber, judica. Baronius totus est contra Originem, & cum reliquis, à turba animi non vacuis, immaniter sævit in manes viri incomparabilis, & in primitiva Ecclesia magni nominis. Præterea nova & pertinax oritur Romæ contentio de honoris prærogativa inter presbyteros & diaconos. Admirare tempora ambitionis & rixarum plena, pietatis & pacis inania.

S. Martinus Episcopus Turonensis moritur, cujus Apostolici viri vitam vide apud Sulp. Severum.

Celebratur in Africa seu potius Numidia, in urbe Milevi, Concilium Milevitanum primum, in quo norandus est canon 22. quo statuitur non licere provocare ad concilia transmarina, sed tantum ad Africana. Alterum Concilium Milevitanum habitum est. an. C. 416, & quia primum cum secundo est conjunctum seu potius confusum, cujus concilii sit canon iste 22. incertum est. hæc autem sunt ejus verba: *Quod si & ab Episcopis provocandum putaverint, non nisi ad Africana provocent Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo inter Africam in communione suscipiatur.* Interfuit huic synodo B. Augustinus. Vide tomum primum Conciliorum Balsamonis in collectione canonum Carthaginensium Can. 31. Zonar. & Hincmarum epist. 55. cap. 17.

Anastasius Papa moritur, succedit Innocentius.

Eccle-

Ecclesiastica & portentosa illa contentio indies accrescit, à verbis ad verbera, à litibus ad exilia, à scriptis ad anathemata ascenditur. In unum Joannem Chrysostomum, *cum fulgentem viri virtutem ferre non possent, ut ait Theodoretus*, & studeret paci pro Origine, à pluribus quam sævissimè conspiratur. Inter quos Theophilus Alexandrinus omnium primus. Is à plurimis accusatus & ab Imperatore Constantinopolim vocatus dicturus caussam, mox in actorem conversus, imo in judicem transformatus fuit. Sed audiamus historiolam belli Ecclesiastici. Mortuo Nectario Episcopo Constantinopolitano, Joannes presbyter Antiochenus, postea dictus Chrysostomus, Constantinopoli Episcopus consecratur, & etiam per Theophilum Alexandrinum, Timothei successorem, quamvis invitum, ut evitaret judicium de criminibus à diversis Episcopis ipsi objectis an. C. 398. ut diximus. Joannes Flavianum Antiochenum cum Episcopo Romano & Occidentalibus conciliat. an. C. 399. Theophilus damnat & relegat Alexandriæ omnes Originistas & inter eos intimum suum amicum Isidorum: qui se conferunt Hierosolymam ad Joannem Episcopum Originis fautorem. Persequitur illos Theophilus, & pellit Hierosolymâ. Pulsi abeunt Constantinopolim: querelas eorum indicat Theophilo Chrysostomus. Ille exules magiæ accusat, & scribit Chrysostomo non licere judicare res alterius fori. Quare Arcadio supplicem libellum porrigunt, qui Theophilum, ut ad objecta crimina responderet, Constantinopolim venire jubet, an. C. 402. Eodem ferè tempore concitato adversus Chrysostomum animo venit Constantinopolim Epiphanius Salaminæ in Cypro Episcopus, qui eum, ut & Theophilus Alexand. & Anastasius Romæ etiam condemnarat Originistas: Ille quamvis invitatus, nec cum Chrysostomo communicare, nec ejus ędibus uti voluit; quia Origenem damnare recusarat. Theotimus Episcopus Tomiensis & reliquæ Scythiæ, vir sanctitate celebris, acriter & amicè cum Epiphanio pro Origene disputavit. Cum Chrysostomo vehementius Epiphanius, qui excandescens ab eo discedit prædicens illi exilium, ut Chrysostomus vicissim Epiphanio instantem mortem; quæ illum in itinere Cyprum abripuit, ut etiam eodem anno Anastasium Romæ. *Socrat. lib. 6. cap. 12. 14. Sozom.*

A. C. 403.

Sozomenus lib. 8. c. 3.

Pallad. c. 6. 7. 8 Socrates l. 6. 5. 7. 9. Sozomen. l. 8. c. 11. 12. 13. Soc. l. 6. c. 12. 14. Sozom. l. 8. c. 14. 15. 16.

Sozom. lib. 8. *cap.* 14. 15. 16. Interim dum Chryſoſtomus in corruptos hominum mores, præſertim Principum ac clericorum, concionibus quanquam veris acrius invehitur, multorum in ſe concitavit odia. In his Eudoxiæ Imperatricis. Theophilus ab Imperatore ad dicendam cauſam contra relegatos ab eo Origeniſtas vocatus, poſt diverſas tergiverſationes hoc anno Conſtantinopolim venit, animo in Chryſoſtomum irato, quod, ut diximus, libros Origenis damnare noluiſſet. In itinere colligit ſuæ opinionis & nationis Epiſcopos, quos ſecum adduxit, cum propoſito per Concilium Chryſoſtomum damnandi. Ubi venit Conſtantinopolim, invenit Imperatricem & multos alios adverſus Chryſoſtomum animo concitatos, qui ſtatim ſimul muniti auctoritate Imperatricis, in Calchedone, loco ad quercum dicto, tumultuariâ collectâ ſynodo conveniunt; Epiſcopi ſcilicet 36. Ægyptii 29. ſeptem ex aliis regionibus, omnes aut æmuli, aut hoſtes Chryſoſtomi. Chryſoſtomus collegerat Epiſcopos quadraginta, inter eos ſeptem Metropolitanos. Citatur per Theophilum ad ſuam ſynodum in alieno territorio congregatam; quod aliquoties Joannes recuſat per ſuos Epiſcopos. *non licebat*, inquiunt, *Theophilo turbare Eccleſiæ conſuetudinem, & violare canones Concilii Nicani; & tamen venturum, ſi modo removerentur de ſynodo, quamvis illegitimâ, manifeſti ejus hoſtes.* Quid fit? Primus horum legatorum Epiſcoporum vulneratur, ſecundo rumpuntur veſtes, tertius in carcerem conjicitur. *Palladius cap.* 8.

Chryſoſtomus epiſt. 1. *ad Innocent.*

Imperatoris edicto juſſus adire Theophili ſynodum Chryſoſtomus, non paret. Quare ab hoc conciliabulo, poſt relatum calumniarum acervum, quas mentitis coloribus veriſimiles reddiderant, præcipuè quod faviſſet Origeniſtis, condemnatur, etiam accuſatus de crimine læſæ majeſtatis, quia Imperatricem vocaverat Ieſabel. Accuſatores hic erant ſimul & teſtes & judices. Subſequente nocte relegatus, & inauditus auctoritate Imperatoris armatâ manu ſummo cum populi dolore & luctu in navim conjicitur, & Prenetum Bithyniæ defertur, ſed eodem die, exorto terræ motu, & poſtulante populo ejus reditum, territus Imperator, precibus etiam Imperatricis Eudoxiæ Chryſoſtomum revocari quamprimum juſſit; ſed audiamus eâ de re Theodoretum lib. 15. cap. 33. *Cum noctu terra motus*

Socrat. lib. 6. *cap.* 15. *Sozom. l.* 8.

tus factus esset, & terror inde Imperatrici incussus, Constantinopoli urbi Mariæ præmittuntur primâ luce legati ad Ioannem exsulem, oratum, ut quamprimum ad urbem redeat, periculumque urbi impendens depellat. Post quos alii mittuntur legati, post illos etiam alii, adeò ut Bosphorus refertus esset legatorum turbâ. Ubi vero fidelissimus populus illud intellexit, ostium propontidis navigiis operuit. Omnes namque cum cereis accensis ei obviam fiunt. Atque pro eo quidem tempore hostium illius conjurata manus dissipata est. Hactenus Theodoretus.

Recipitur Joannes incredibili frequentiâ & lætitiâ populi, à quo, quasi vi, ad Ecclesiam deducitur, ut eum concionantem audirent. Episcopi Clericique per Theophilum pulsi restituuntur, cæteris abire jussis.

Acta Synodi ad Quercum, synodo sexaginta Episcoporum irrita declarata esse refert *Sozom. lib.* 8. *cap.* 19. sed malè, ut probat Baronius. Theophilus fugiens abnavigavit Alexandriam, prius factâ pace cum Isidoro & cæteris, quos tanta acerbitate persecutus erat. Chrysostomus petit per concilium restitui, sed non impetrat. *Chrysost. ad* Theophilus, sequenti anno per litteras Imperatoris denuò vocatus *Innocent. &* ad novam synodum, venire ob turbas Alexandrinorum excusavit; *Pallad. c.* sed privatis suis inimicitiis in Joannem, optimos quosque animo à *3. Soc. l. 6.* se alienavit, & perpetuam sibi ignominiam conciliavit. Reliquam *16. Sozom.* hujus historiæ partem sequenti dabimus anno. *& 8. c. 18. 19.*

Præcipua hujus belli Ecclesiastici caussa fuit quod Originem *Socr. 6. 15.* mortuum damnare recusarat Joannes. Nisi acerrimus esset hostis Originis Baronius, latissimum nactus fuisset declamandi & exclamandi campum pro Origine & Chrysostomo: nam argumentis à morte & infortunio partium delectari solet, sed

Mutemus clipeos, Danaûmque insignia nobis Aptemus.

Condemnarat *Originem Theophilus* homo improbus & fallax, pervicaci odio *Chrysostomi*, & avaritiæ sordibus infamis, ut loquitur *Petavius*: & *Epiphanius*, quasi divinitus prædictâ per Chrysostomum morte subitò extinguitur: ut etiam *Anastasius* Episcopus Romanus, qui eodem ferè tempore obiit, quinto nimirum suę sedis anno. Quid vero dixerit de morte Siricii Papæ an. C. 397, Baronius, cum Originem damnare noluisset & tredecim tamen annos Ecclesiam suam

administrasset, repetere ne dedigneris. Eandem ob caussam Siricii simplicitatem sugillat B. Hieronymus, quartus Origenis oppugnator, cum sua Marcella: *Sancta Marcella*, inquit epist. 16. *postquam vidit fidem Apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita ut sacerdotes quoque & nonnullos Monachorum, maximèque seculi homines, in adsensum sui traheret, ac simplicitati eluderet Episcopi, qui de suo ingenio ceteros æstimabat, publicè restitit, malens Deo placere quam hominibus* &c. Pontificem Romanum hic docet & instruit fœmina, sed insignis, cui tamen secundum Apostolum in Ecclesia silentium imperatur. Hieronymi eximias dotes enumerare non valeo: sed hæc & similia, ut testatur Baronius, ei objiciebant fautores Originis: nimirum *hominem esse fastu plenum, tumidum, nemini parcentem, omnes carpentem, sibi nimium arrogantem, agentem Doctorem totius orbis, omnes spernentem, nulliusque rationem habentem: fore namque Deo gratum, Christianisque jucundum, petulantiam hominis coërcere*, &c. Aculeatus S. Hieronymi stylus fuit: sed si qua in illo magno viro labes, detergent illam multis modis innumeræ illius animi dotes. Fautores Originis fuerunt, Joannes Hierosolymitanus, Ruffinus, Isidorus, Palladius Galata, Siricius, Augustinus, Chrysostomus, Theotimus Tomiensis, viri sanctitate celebres, &c. Hic altum silet Baronius, & iterum dico, quod si modestiæ & lenitati sanctissimi viri favisset *Baronius*, Anastasii & Epiphanii mortem: nequitias, proditiones, fallacias, turpem fugam Theophili: & præterea terræ motum excitatum, magno cum terrore Imperatricis, ejusdemque mortem subitò subsecutam post damnatum Chrysostomum, eumque revocatum cum summo populi applausu manifesta fuisse indicia, stare veritatem à parte ejus, in eo quod Originem damnare recusasset, magnâ verborum pompâ asseruisset.

2 Tim. 2. *1 Cor. 14.*

Celebratur Concilium in Africa Carthaginense generale dictum, respectu omnium Africæ provinciarum, quę erant convocatæ, ut in eo ageretur de invitandis ad unitatem Ecclesię Donatistis in Africa commorantibus; sed, ut plerumque, frustra. Crispinus Donatistarum antesignamus post disputationem cum Possidio Catholico, hęreticus pronuntiatur, & pro multis illi impositis interce-

tercedunt Catholici & præcipuè S. Augustinus, quem vide *epistola ad Ianuarium.*

Stilicho occulto fœdere fovet Alaricum Gothorum Regem, hostem Romani Imperii. *vide Orosium lib. 7. cap. 37.*

Chrysostomus denuò miserè exagitatur instinctu Eudoxiæ Imperatricis, quia in ejus argenteam statuam, propter metum Idololatriæ, in vulgo declamaverat homo Dei. Difficulter enim effrænis populi adulatio æqui limitibus coërcetur. His autem usus erat verbis in sua concione: *Herodias denuò commovetur, insanit, saltare pergit, denuò caput Ioannis in disco accipere quærit,* &c. Offensa Imperatrix convocat Chrysostomi hostes, qui Alexandriâ advocant Theophilum hujusmodi rerum ducem peritissimum, qui venire renuit, memor quo pacto aufugisset: sed misit cum certa instructione tres Episcopos, & Canones quosdam ab Arrianis contra beatissimum Athanasium fabricatos, quibus Joannem accusarent, quod Episcopatu depositus sine Episcopi decreto aut consecratione redire ausus fuisset. Respondebant amici Joannis eum non legitimè, sed summa cum injuria & violentia remotum. Arcadius homo iners & Uxorius ab adversariis contra Joannem incitatus, mandat ut Joannes Ecclesiâ exeat. Grassantur duce Lucio tribuno Ethnico milites 400 in populum collectum ipsâ Paschatis nocte, symbola rejiciuntur, Baptisteria cruore consperguntur, populus è templo pellitur, sacerdotes vapulant, & carceribus includuntur, omnia diripiuntur, & singuli ad exsecrationem Joannis coguntur. Scribit ad Innocentium Episcopum Romanum abrogationem Chrysostomi Theophilus, nullâ additâ caussâ suæ sententiæ. Inhorruit Innocentius temeritatem & fastum Theophili. Scripsit etiam ad Innocentium Chrysostomus, & simul addidit dialogum Palladii, in quo *adversariorum omnia acta*, ut Innocentius Papa loquitur, *sanguinaria*, referuntur. Scribebat eadem eodem tempore ad Venerium Mediolanensem & Chromatium Aquileiensem Episcopum Joannes. Utriusque communionem admisit, Theophili verò judicium cognitâ Chrysostomi innocentiâ irritum decrevit Innocentius. Interim Constantinopoli sicarii in Joannem mercede conducuntur, deponitur & damnatur & jubetur per Imperatorem ab Ecclesia recedere in exilium. Post

A. C. 404.

Pallad. c. 10. 11. *Socrat. l.* 6. *c.* 19. *Sozom. l.* 8 *c.* 22. 23. *Chrysost. ep.* 13. 14 115. 221.

discessum conflagrat Ecclesia, quod ab adversariis imputatur Chrysostomo, cum ab ipsis adversariis actum crederetur. Succedit in ejus locum Arsacius cum summo populi Constantinopolitani luctu, & quam crudeliter per Arsacium postea actum sit contra Joannis amicos horrent referre historici: & quid passus sit vir sanctissimus in exilio ab iniquissimis tortoribus, *vide apud Socrat lib. 6. cap. 16. Sozom. lib. 8. cap. 20. ad 26. Palladium in dialogo, Chrysostomum in variis epistolis*; in quarum lectione vir pius & re Theophilus vix se temperabit à lacrymis.

Eudoxia Imperatrix præcipua omnium malorum caussa ex difficili partu miserè moritur, sed audi Socratem lib. 6. cap. 19. *Cum grando insitatâ magnitudine decideret in suburbiis Constantinopolis, percrebuit sermo, istud Deo irato, propter Ioannem indictâ caussâ abdicatum contigisse. Hunc sermonem Imperatricis mors*, quæ ilico insecuta est, vehementer auxit; nam quatriduo post delapsam grandinem è vita decessit. *vide Sozom lib. 8. cap. 27.*

A. C. 405. Universus orbis Christianus tumultibus & contentionibus concutitur. Imminet schisma Ecclesiæ Orientalis ab Occidentali: Orientalibus, paucis exceptis, contra Joannem, Occidentalibus pro eo pugnantibus.

Donatistæ in Africa summâ sævitie contra Catholicos scriptis & armis certant.

A. C. 406. In Occidente multiplex Barbarorum excursio, Romano imperio propemodum exitialis fuit. Radagisus paganus Scytha, Gothorum princeps seu Rex, cum quadringentis militum millibus, ut *Zosimus*, vel ducentis, ut *Orosius & Marcellinus*, Italiam inundat; hostis longè omnium immanissimus, qui non tantum Christianis infensissimus gloriam aut potius prædam quærebat, sed inexsaturabili crudelitate ipsam cædem in cæde amabat. Hanc omnem multitudinem Stilicho mirâ fælicitate Fesulanis inclusam montibus internecione delevit, capto & occiso ipso duce. *Oros. l. 7. c. 37.*

In locum Arsacii Episcopi Constantinopolitani, successit Atticus, qui persecutus est eàdem crudelitate amicos Joannis, quod quamvis ægrè ferrent Imperator Honorius & Papa Innocentius, nihil tamen pro innocente Chrysostomo impetrare potuerunt.

Episco-

Episcopi Italiæ Honorium orant, ut dignetur scribere fratri Arcadio de convocando Orientalium concilio Thessalonicam, quo etiam venturi essent Occidentales, ad componendam Ecclesiæ pacem.

Episcopi aliquot Itali cum quibusdam Orientalibus & litteris Imperatoris Honorii, Innocentii Romani, Venerii Mediolanensis & Chromatii Aquileiensis Episcopi, de restituendo Chrysostomo in Græciam abeunt, ubi venissent Athenas, per tribunum militum ibi detinentur, & Italis tria aureorum millia offeruntur, ut deserto Ioanne partes Attici sequerentur. Quod cum negassent in vetus & caducum conjiciuntur navigium, cum mandato ad nauclerum, ut eos perimeret. Episcopi Orientales relegantur in remotissima Orientis loca. Moritur tandem Ioannes Chrysostomus Comanis apud Pontum Euxinum, cum per milites Præfecti prætorii sæpè illi locus exilii mutaretur: idq; eo consilio, ut ęgrâ valetudine laborantem, & longissimis difficillimisq; itineribus fatigatum, animam exhalare cogerent, cum antea eum commercio literarum & ipsâ scriptione privassent. Vide *Palladium*. Sic miserando & detestabili hoc bello Ecclesiastico, aureum illud os non tantum vi militum fuit clausum, sed & pientissima illius anima relegata è corpore exsulis sanctissimi & martyris Catholici, per ipsos Catholicos, actores, judices, lictores, carnifices Ioannes moriens & extremâ fundens cum anima orationem, secundum suam consuetudinem dicebat: *Gloria sit Domino pro omnibus rebus: Amen.* A. C. 407. *Pallad. c. 3. & 20.* *Pallad. c. 11. Soc. l. 6. c. 21. &c.*

Magnus fuit, Ecclesiæ Doctor Ioannes Chrysostomus, primum in foro versatus est magna cum laude, ut inquit Bellarminus, dictus autem Chrysostomus, id est aureum os, ob eximiam ejus eloquentiam. *Perspicax sanè fuit scripturarum interpres, laudisque longè amplius eâ parte promeritus, quam multis nostro seculo, videtur. Nec movet, quod putant, aliquando πελαγιανίζειν. Nam hic ille est, qui primus vel inter primos Pelagium detexit. Et Patres ante exortum Pelagium, cum optimè sentirent, minus tamen cautè interdum loquebantur. Quod & ipsi contigit B. Augustino. Vt igitur in hoc Hipponensi antistite durius dicta, aliis ex ejusce scriptoris locis debent emolliri: ita & in B. Chrysostomo facere oportet; ut quando propugnat arbitrii libertatem, cum iis conciliemus, ubi gratia prædicat necessitatem, sed de hoc satis, ut arbitror, in Pelagiana historia diximus.* Vossius.

Isto excellentissimo totius orbis terræ doctore mortuo, Episcopi Occidentis non prius cum Episcopis Ægypti, Orientis, Bosphori & Thraciæ communicare voluerunt, quam nomen illius sanctissimi viri in tabulas, diptychas dictas, quibus nomina Episcoporum mortuorum continebantur, retulissent. Atque Arsacium ejus successorem ne salutare quidem dignati sunt. Atticum autem qui succedebat Arsacio, quique legatos sæpe ad Occidentales Episcopos miserat sæpeque pactum postulaverat, postea tandem cum Joannis nomen in tabulis scripsisset, receperunt. Atticus autem vix tandem post Theophili mortē consensit;idque post quadriennium;sic Joannem non tantum viventem sed & post obitum persecuti sunt. *Theodoreti verba sunt lib.* 5. *cap.* 34. *Vide præterea de Chrysostomi morte Socrat. l.*6. *c.* 18. *Sozom. lib.* 8. *cap.* 23. Vide quid post mortem Joannis pro eo egerit Innocentius Papa cum suis, *apud Zosim. lib.* 8. *cap.* 26. &c.

Infinitæ & ferocissimæ barbarorum nationes in Gallias irrumpunt proditione Stilichonis, easque universas occupant & vastant: imò populata sunt omnia præter paucas urbes, quas & ipsas foris gladius, & intus vastabat fames. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum est; quidquid Oceano & Rheno includitur deletum & subversum est. Ipsæ Hispaniæ jam jamque perituræ contremiscunt: Cætera taceo, ne videar de Dei clementia desperare. *Hieron. epist.* 11. Interim Salvianus luget suos Gallos, hisce flagellis haud moribus emendatos, sed deteriores redditos. De moribus Religiosorum Gallorum vide *Sulpitium Severum sacra historia lib.* 2. *sub finem.* Eorum magna vitia subsequuntur magnæ pœnæ.

A. C. 408. *Hoc anno ipsa divinitas, in quam inprimis peccatum esset, sumpsit de perpetratis sceleribus pœnas, cum Arcadio, unà cum vita, Imperium ademit*, inquit Baronius. Moritur autem Imperator nullâ re gestâ memorabilis: pacato vel inerti potius ingenio, & uxori nimium addictus, cui dum impensius obsequitur publicam non minus rem, quam Christianam pessumdedit. Moriens Iezdegerdi Persarum Regi tutelam filii Theodosii testamento reliquit: qui eam ex fide capessens pupilli curam mandavit Antiocho eruditissimo viro, & qui contra illum molirentur aliquid, iis se hostem venturum esse denunciavit. Mortuus est anno ætatis 31. verba sunt

Peta-

Petavii. Vide *Socratem lib. 6. cap. 23. Paulum Diaconum lib.* 13.

Comes Stilicho Vandalorum, avaræ, perfidæ & dolosæ gentis genere editus, parvi pendens quod sub Imperatore imperabat, Eucherium filium suum, religione paganum, jam inde Christianorum persecutionem à puero privatoque meditantem in Imperio quoquomodo substituere nitebatur. Quamobrem Alaricum cunctamque Gothorum gentem pro pace optima & quibuscunque sedibus suppliciter ac simpliciter orantem, occulto fœdere fovens, publicè autem & belli & pacis copiâ negatâ ad terendam terrendamq; Rempublicam reservavit: imò & publicis stipendiis aluit Alaricum, quasi pro Romano militaturum Imperio. Præterea gentes alias, copiis viribusque intolerabiles, quibus nunc Galliarum Hispaniarumque provincię premuntur, id est, Alanorum, Suevorum, Vandalorum, ipsoque simul motu impulsorum Burgundionum, ultro in arma sollicitans, deterso semel Romani nominis metu, suscitavit: eas interim ripas Rheni quatere & pulsare Gallias voluit, sperans miser sub hâc necessitatis circumstantiâ, quasi & extorquere Imperium à genero posset in filium, & gentes barbarę tam facilè comprimi quam commoveri valerent. Itaque ubi Imperatori Honorio, exercituique Romano hæc tantorum scelerum scena per Olympium patefacta est, commoto justissimè exercitu occisus est Stilicho Ravennæ, manu Heracliani, qui Africam provinciam eo facto meruit. Occisus & est Eucherius, qui ad conciliandum sibi favorem paganorum, restitutione templorum, & eversione Ecclesiarum imbuturum se Regni primordia minabatur. Ita minimo negotio, paucorum pœnâ Ecclesię Christi, cum religioso Imperatore & liberatę sunt & vindicatæ. *Orosius lib. 7. cap. 38. 39. Zosimus lib. 5. 6. Iornandes, Marcell.* &c.

Alaricus Gothorum Rex à militibus Stilichonis incitatus Romam obsidet, nam Stilichoni addictissimus ejus occultis & interdum etiam manifestis studiis fovebatur. Ob cujus necem & magistratum ipsi faventium promissa, commotus in Imperatorem, exercitum ad urbem movit, cum Aistulpho uxoris fratre. Romani cum actior obsidio duraret, & fame & peste intus obsessi, auro obsidionem solvunt. Quinquies mille libris auri, tricies mille libris argen- A. C. 409.

argenti, quater mille tunicis fericeis, ter mille pellibus coccineis, piperis pondere ter mille librarum acceptis Alaricus discessit. *Zosimus lib.* 5. Hoc tempore scripsit magnum illud opus de civitate Dei Augustinus: occasionem autem scribendi dicit ipse fuisse eversionem urbis Romæ sub hoc Alarico rege. Idem Augustinus Orosium ut scriberet, eâdem occasione accendit & instigavit.

Interea Eucherius Stiliconis filius detentus captivus mandato Honorii interficitur, Thermantia ejusdem Stiliconis filia, uxor Honorii post Mariam, restituitur Serenæ Matri Romæ agenti. Imò & ipsa Serena, conjux Stiliconis Theodosii fratris quondam filia ex Senatusconsulto jubetur interfici, laqueo fractâ cervice, quod in suspicionem adducta esset, ejus nutu barbaros ad Urbis obsidionem venisse, *Zosimus lib.* 5. *Socrat. lib.* 7. *cap.* 10. *Sozom. lib.* 9. *cap.* 6.

Dum hæc in Italia tempestas sævit, Galliam & Hispaniam haud dispar calamitas opprimit. Alani, Vandali, Suevi, populatis Galliis Pyrenæos montes transgressi Hispanias occuparunt: Gallęciam Vandali, Suevi & Lusitaniam & Carthaginensem provinciam, Solingi, Vandalorum genus alterum, Bæticam invadunt. *Orosius lib.* 7. *cap.* 40. *August. epist.* 180.

Caussam quare Urbs Roma tantopere vastata, Ecclesiæ violatæ, quare Galli & Hispani tam multa calamitosa perpessi à Barbaris, vide apud *Salvianum* Massiliens. Episcopum de provident. Dei l. 7. Oros. l. 7. c. 38. 39.

A. C. 310. Cum Romani non satisfacerent Alarico, redit ad Urbem, & cinctam obsidione, summâ celeritate & proditione amicorum Attali, qui auctoritate Alarici factus erat Imperator, & denuò diademate & purpurâ ab eodem privatus, capit: quam cum deprædari suis permitteret, mandavit ut qui ad Basilicas Petri ac Pauli Apostolorum confugerent, incolumes haberentur, & ut à sanguine se temperarent. Accidit quoque, quo magis illa Urbis irruptio dedignatione Dei acta, quam hostis fortitudine probaretur; ut cum vix triennii spacium sufficiens fuisset, triduanâ deprædatione contenti discesserint: ut refert *Osorius lib.* 7. *cap.* 39. *Paulus Diaconus, Zosimus lib.* 5. *Sozom. lib* 9. *cap.* 8. 9.

A. C. 411. Alaricus relictâ Româ in Campaniam & paulatim Rhegium abiit,

abiit, ut in Siciliam & Africam transfretaret, ſed ibidem repentinâ morte obiit apud Coſentiam. Gothi Baſentinum amnem de alveo ſuo, captivorum labore derivantes, Alaricum in medio alveo cum multis opibus, ut rumor erat, ſepeliunt, amnemque meatui proprio reddentes, ne quis locum ſcire poſſet, captivos qui adfuerant, extinguunt. *Paul. Diaconus lib.* 13. *hiſtoria Miſc. Sozomen. lib.* 9. *cap.* 12.

In locum Alarici ſubſtituitur Ataulphus affinis, qui in reditu, Româ denuo populatâ, Placidiam abduxit, & apud forum Cornelium ſibi conjugio ſociavit: qui obliterato nomine Romanorum, Gothorum, & loco Romaniæ Gothiæ nomina in Imperio uſurpare fruſtra conabatur, & cum immutator eſſe non potuit, reſtitutor Romani Imperii eſſe voluit *Oroſ. lib.* 7. *cap.* 40. *&* 43.

Hoc eodem anno celebrata eſt celeberrima illa, lectu & animadverſione digniſſima Collatio, ad conciliandos Donatiſtas cum Catholicis Carthagine in Africa: ad quod ab Honorio Imperatore miſſus eſt Marcellinus Tribunus & notarius; qui ex reſcripto Imperatoris eos jubet in unum locum convenire. Conſentiunt in eo & conveniunt. Marcellinus Donatiſtis ſine juſſione Imperatoris reddit Baſilicas, & concedit edicto, ut quem vellent eligerent ſibi judicem, qui, cum ipſe præficeretur ad judicandum, juramento pollicitus eſt, ſe judicaturum, quod veritas ſuaſiſſet. *Hæc ex actis Baronius.* Conveniebant ex parte Catholicorum numero 286. Donatiſtarum 279. Ubi conveniſſent, Marcellinus Donatiſtis offert, ut ſedentes cauſſam agerent, quod recuſabant, dicentes: *Odivi Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.* Catholicos calumnioſè vocabant traditores & perſecutores. At contra Catholici ſummâ humanitate erga Donatiſtas utebantur, *& in omnibus ſe paratos parere mandatis Marcellini affirmabant, & in ſuis litteris ad eundem cauſſam ipſam inſinuarunt, nempe (ne fortè ex perſona Principis collationem indicentis, & cogentis Epiſcopos, ſuboriri poſſit invidia) oſtendentes ex præſcripto divinæ ſcripturæ id ſanctè pièque uſurpari.* Sic Baronius ex Auguſtini breviculo collat. die 1. cap. 7. *tom.* 7. *Pſal.* 25. 5.

Catholici Donatiſtas ex Chriſtianæ charitatis præcepto fratres appellabant, eò quod eos non ſpernerent ut hoſtes, ſed amarent ut

 fra-

fratres. Illi indignantes nomen fraternitatis penitus respuerunt. Qua de re sic Augustinus epistolâ ad Donatistas post collationem cap. 35. *Illi enim, cum hoc nomen à nobis audirent, injuriam sibi fieri* Esaia 66. 5. *apud Acta dixerunt, nec mandato nostro admoniti, ubi hoc ex Propheta testimonium positum est, recolere potuerunt Deum præcepisse*: Dicite, fratres nostri estis, his, qui vos oderunt, & qui vos detestantur, ut nomen Domini honorificetur, & appareat illis in jucunditate, ipsi autem erubescant. *Hac ibi*, inquit Baronius, *quibus videas eorum arrogantiam atque duritiem inflexibilem*: quales hodie non pauci.

Objiciebant Catholicis Donatistæ, quod seculi hominem Iudicem petiissent, verum id ab illis aliàs sæpius factitatum, Catholici probaverunt. Hic quæritur utrum bene fecerint Patres provocando ad Marcellinum, ad judicium scilicet seculare. Probatur eos in eo non peccasse, quia opus erat ut in Concilio præsideret aliquis nomine Imperatoris, tum quia non de doctrina tantum, sed & de facto, nempe de Cæciliano malè ordinato, erat quæstio.

Augustinus epistolâ post collationem prædictâ dispositionem consessus, & gerendarum rerum ordinem refert: ubi Marcellinus tanquam Iudex subscribit. sed *Baronius* non simpliciter nomen judicis, sed cognitoris præ se tulisse refert: *Nam Laicis*, inquit, *haud concessum in caussis Ecclesiasticis judicem agere*. sed in Collatione & judex & cognitor vocatur; ipse Marcellinus se à legislatoribus delectum judicem dicit. Et cognoscere etiam dicuntur ii, qui de caussa pronuntiaturi, & sententiam dicturi sunt; quod est judicis. Et Augustino, qui Collationi interfuit, fuit judex, & judicis officio functus est ex auctoritate Honorii Imperatoris etiam Laici. Orosius *lib. 7. cap. 42*, dicit *executionem sanctißimi pracepti ab Imperatore impositam Marcellino Tribuno, viro imprimis prudenti & industrio, omniumque bonorum studiorum appetentißimo*. Nam fuit Marcellinus juris divini & humani peritissimus, togatus, senatorii ordinis, & Principi à secretis, qui postmodum ab hæreticis innocens occisus, martyrii titulo in tabulis Ecclesiasticis relatus est. Vide August. *Epistolâ* 158. & 159. ubi dicitur, ejus excellentiæ caussas Ecclesiasticas potissimum injunctas fuisse: *& Hieronymi epistolam ad Marcellinum; & historiam Collationis Carthaginensis Balduini in Optato Albaspina: & tomo conciliorum*

liorum primo Binium. Finitâ hac celeberrimâ collatione, Marcellinus Donatiſtas hæreticos pronuntiat, ejuſque ſententia edicti formam habet; nam eam conſecuta eſt lex Imperatoria. Nihil hac de re agit *Innocentius* Epiſcopus Romanus, nihil dicit *Baronius.* Vide Honorii ſanctionem ad Marcellin. & alia ejuſdem edicta, & inter cætera legem Canone *Si duo fortè*, Diſt. 79. cujus hæc ſunt verba: *Si duo fortè contra fas temeritate concertantium fuerint ordinati, nullum ex eis futurum ſacerdotem permittimus.* Loquitur autem de electione Epiſcopi Romani.

Chiliaſtarum vetus error reſurgit, & primò prodit humanarum virium prędicator Pelagius, qui in Palęſtina monachus, natione Scoto Britannus, ex Origine & Ruffino ſuos dicitur hauſiſſe errores, vir alioqui *piè, ſanctè, & magnâ cum tolerantiâ vivens*, ut loquitur Chryſoſtomus; cui diſcipulus fuit Cœleſtius, poſtmodum *magiſter & ductor exercitus*, ut inquit Hieronymus. Docuerunt autem ἀπάθειαν καὶ ἀναμαρτησίαν, id eſt, poſſe hominem per ſe eò perfectionis in hac vita pervenire, ut affectibus vacuus, omni careat peccato &c. Unde tria erant in quęſtione; primò de gratię, tam pręvenientis quam ſubſequentis, neceſſitate: ſecundò, de imperfectione hominis in hac vita, tertiò, de peccato originali. *Quis autem ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præſumpſit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus ſingulos adjuvandum, neceſſariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigioſum ejus diſcipulum Cœleſtium reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negavit aſtrictum?* Vincentius Lirinenſis. vide *hiſtor. Pelag. Clariſſ. Voſſii.*

Gothi ex Italia ſub Ataulpho invadunt & vaſtant Gallias. & prę- A. C. 412.
cipuè Aquitaniam, de qua re exclamat Proſper Aquit. in Chronico: *Iuſtus es Domine & rectum judicium tuum.* vide *Salvianum de vero judicio & providentia Dei lib.* 3. 5. 7.

Hoc anno per Cœleſtium primarium Pelagii diſcipulum hæreſis de gratia Novi Teſtamenti Carthaginem delata acriter defenditur, ſed cum auctore per ſynodi judicium Eccleſiaſticum ibidem condemnatur. Perierunt acta, ſed ſuper eſt tantum fragmentum apud Auguſtinum libro de peccato originali contra Pelagium ſecundo cap. 2. 3. Accuſatorem habebat Paulinum Diaconum Carthagi-

thaginensem. *Baronius. Vossius in historia Pelag.* statuit tempus hujus synodi an. C. 407.

Theophilus Alexandrinus moritur, succedit in ejus locum Cyrillus, fratris Theophili filius, Joanni non æquus, *qui majorem principatum, quam Theophilus unquam habuisset, sibi assumpsit. Etenim ex illo tempore Episcopus Alexandrinus, præter sacri cleri dominatum, rerum præterea secularium principatum acquisivit. Socrat. l.7. c.7.* Et jam tandem Attico procurante, renitente Cyrillo, Joannis nomen diptychis inseritur. vide *Socratem l.7. c.25. & Nicephorum l.14. c.28.* qui narrat Cyrillum suum adversus Joannem odium temperasse, visione divinitus ostensâ,

Tantæne animis cœlestibus iræ?

A. C. 413. In Africa Marcellinus innocens, utrum dolo an auro Donatistarum, occiditur. *Oros. lib. 7. cap. 42.*

Baronius ex *Ammiano l. 28.* dicit Batavos & Eduos se *Romanorum fratres ex ostentatione Barbarica appellasse.* Sed si quis volet scriptores nostræ Bataviæ perlegere, hęc non sine veritate ab iis dicta reperiet. Qui Batavorum virtutes nosse velit, consulat Romanę historiæ scriptores: & simul inveniet S. P. Q. R. Regem & gentem Batavorum amicos senatus-consulto & plebiscito declarasse, & in vetustis monumentis post multa alia hæc inscripta: *Gens Batavorum amici & fratres Romani Imperii*, tempore Septimii Severi Imperatoris. Hoc testantur *Gerardus Noviomagus*, cujus ætate hæc eruta monumenta, *Cornelius Aurelius*, qui se hæc vidisse affirmat, *Adrianus Iunius, Guiljelmus Cambdenus* &c. sed hæc obiter.

A. C. 414. *Gennadius de viris illust.* Orosium, qui hoc anno suam absolvit historiam S. Augustinus ad S. mittit Hieronymum, rogaturum de origine animarum, quæ ipsius ea de re esset firma sententia. *Vide planè*, inquit Baronius, *& admirare tanti patris modestiam in non definiendo quæstionem, quæ tanti ponderis videretur; & ejus animi demissionem atque candorem cum observantia erga S. Hieronymum, ut nec vel levis pulvis offensionis in ejus corde resederit penitus ex præteritis multorum annorum dissentionibus.* Sed quam pauci, bone Deus, hodie inveniuntur Augustini? & quare, quæso, Augustinus illius quæstionis definitionem non defert Episcopo Romano, ut fit hodie?

Hoc

Hoc anno agitatur illa de animæ origine quæstio, utrum sit ex traduce, an singulis nova à Deo infundatur; cujus opinionis erat Hieronymus, quod tamen tempore *Gregorii Magni* necdum erat definitum, quem vide *lib.7.epist.*53.*Vide apud Socratem l.7.c.*13.14.15, seditiones urbis Alexandrinæ inter Christianos & Iudæos, & quæstionem inter Orestem Præfectum & Cyrillum Episcopum, ubi Cyrilli ambitio & crudelitas notatur. hæc habet Socrat.*c.*15.*qui religionem profitentur Christianā, à cæde, pugnis, & id genus aliis, omnino alieni esse debent.*

Pulcheria Theodosii Imperatoris soror creatur Augusta, & ille primo diluculo cum sororibus canit hymnos, quin etiam sacras litteras memoriter pronuntiat, & cum Episcopis tanquam sacerdos de iisdem disserit. *Socrates.* *Socrat. lib. 7. cap. 22.*

Theodosius à Pulcheria institutus, sororesque cæteræ, Flaccilla, Arcadia, Marina, tantum in virtute & pietate profecerunt, ut in religiosum domicilium aula versa videretur.

Idem Imperator subtilitate ratiocinationum Aristotelicarum penitus derelictâ, philosophiæ studium rectis vitæ officiis sedulò excoluit. *Sozomenus lib. 9 c.16.*

Attalus inane Imperii simulacrum, à Gothis captus, & ad Constantium Comitem deductus, Honorio exhibetur, qui truncatâ manu vitæ relictus est. Ataulphus Gothorum Rex qui successerat Alarico, apud Barcinonem Hispaniæ urbem dolo suorum occisus est. Succedit Segericus. *Orosius lib. 7. cap. 42. & 43.*

Pelagii Discipulus Cœlestius, prior in Africa palam hæresim prædicans anno 412. damnatus est: eum accusante Paulino Diacono Carthaginensi. Postea neporus, aliis Oros dictus, & Lazarus Episcopi duo Gallicani Pelagii nomen detulêre apud Palæstinæ Episcopos, sed cum eorum alter morbo correptus esset, in tempore adesse prohibiti sunt: quare excerpta de Pelagii & Cœlestii libris capitula miserunt. Ita Diospoli, *veterum Lidda est*, in Palæstina synodus est habita, *miserabilis* dicta Hieronymo, an. C. 415, cui Episcopi 14. interfuerunt. Ab iis interrogatus Pelagius, facile Græcos homines linguæ illius ac fraudis ignaros captiosis responsionibus elusit. Absolutus itaque Joannis potissimum Hierosolymitani, Originis & Ruffini fautoris operà, quod Orosius indicat, majores *August. lib. de gestis Palæstinis.*

Orof. apolog. ſumpſit ſpiritus; & venenum inter ſimpliciores ſecurius ſpargendi accepit occaſionem: Sed Hieronymi primum ſtylo, tum Africanorum Patrum ſententiis vexari cœpit.

A.C. 416. Anno quippe 416. provinciales duæ ſynodi celebratæ ſunt: una *Epiſt. concilii Carthag. ad Innocentium.* Carthagine, Epiſcoporum 67, cui præfuit Aurelius, altera Milevi in Numidia Epiſcoporum 59. præſide Silvano, cui Auguſtinus interfuit: indidemque ſynodicæ ad Innocentium Papam editæ, quibus Pelagii & Cœleſtii errores ita damnatos à ſe prædicant, ut auctoribus ipſis parceretur. Utriſque reſpondit Innocentius ſequenti anno, *Tom. 1. Concil. & Auguſt. ep. 91. 93.* ac Pelagium & Cœleſtium Eccleſiaſticâ communione privandos cenſuit. Quâ re compertâ Pelagius ad Innocentium ſcripſit, ſed eo mortuo illo ipſo anno 417. litteræ ad Zoſimum pervenêre, qui A.C. 417. Cœleſtii primum fictâ profeſſione (hic enim Romam purgandi ſui cauſſâ venerat) tum ſubdolâ Pelagii epiſtolâ deceptus; quâ cum, Praylii, qui in ſedem Hieroſolymitanam anno 416. ſucceſſerat, commendatitiam miſerat, in Africanos Patres, nec non Neporum & Lazarum paulò fuit commotior, quod manifeſtè indicat Zoſimi epiſtola ſatis acris ad patres Africanos de Cœleſtii injuſta condemnatione. Patres vero Africani ſubinfenſo tulêre animo, Zoſimum, excommunicatum Cœleſtium admiſiſſe ad audientiam, quem etſi non alia res, certè quidem hæreſis infamabat, ut loquitur *Baronius.*

Auguſt epiſt. ad Valentinum. Africanis interim Epiſcopis ſatagentibus, Romæ ab Zoſimo hæreticorum calliditate detectâ, cum ſe clam Cœleſtius ex Urbe ſubduxiſſet, cum Pelagio pariter eſt damnatus, anno 418. A.C. 418.

Secutum eſt Honorii edictum, quo ambo perculſi ſunt. Africani vero Epiſcopi accepto Zoſimi decreto eodem anno Carthagine in plenario concilio, ut ſcribit Proſper, Epiſcoporum 213; contra Pelagianam hæreſin canones octo condiderunt: qui Milevitanæ Synodo ſecundæ perperam vulgò tribuuntur. Sed nihil Milevitana iſta contra Pelagium ſtatuit. Et ex illis ipſis octo canonibus tertius, quartus, & quintus à Cœleſtino Papa ſub Carthaginenſis Concilii nomine citantur. *Petavius, Binius, Voſſius.*

Cum autem Africanarum ſynodorum magna inter ſcriptores ſit confuſio earum diſtinctionem ex Voſſio paucis addam. *Carthaginenſium tertia*, in quibus de Pelagio agitur: nam ſunt aliàs longè plures,

plures, *plenarium totius Africæ Concilium vocatur ab Augustino epist.* 47. *ad Valentinum. Milevitanæ synodi non meminit hoc Concilium, quia quæ istâc, uti & primâ secundâque Carthaginensi in causa Pelagiana fuerant decreta, hæc postea Carthaginensi tertiâ sunt recensita, & illo totius Africæ Concilio approbata. Atque inde est quod Canones Carthaginensis primæ aut secundæ aut Milevitanæ synodi nulli legantur in ipso codice canonum Ecclesiæ Africanæ; quem ante biennium Græco-latinum edidit V. Cl. Christianus Iustellus: Quid enim illis opus, cum nihil Synodi istæ decreverint, quod non item Carthaginensi tertiâ sit sancitum; & quidem tum plenius tum majori cum auctoritate, quando ad eam præter Milevitanos Patres etiam reliquæ Africæ, hoc est ex Proconsulari, Byzacensi, Tripolitana & Mauritianorum provinciis Ecclesiarum venerant legati. Vnde liquet errare eos, qui Canones Concilii Milevitani, aut alterutrius Carthaginensis, injuriâ temporum intercidisse putant. Quemadmodum & illi falluntur, quibus persuasum, Milevitani esse Concilii Canones, qui illi vulgo in Conciliorum tomis tribuuntur, & ejusce Concilii nomine à doctis hactenus citari solent. Nam tertii esse Carthaginensis (tertii, inquam, in caussa Pelagiana, sed septimi decimi eorum quæ tempore Aurelii Episcopi Carthagine habita sunt) tum ex vetustissimo meo Gandavensi, cujus meminit Iustellus, notis ad Cod. can. Afric. Eccles. cognosci potest: tum ut ad editos solum provocemus, ex eo quem diximus Canonum Ecclesiæ Africanæ cap.* 108: *Item codice Canonum veteris Ecclesiæ Romanæ cap.* 176. *Concilii Africani: Item Cælestino epistola ad Gallos cap.* 10. *Hadriano I. in epitome Canonum, quam Carolo Magno Romæ obtulit, & Photio Myriobibli cap.* 53. *Quod vero doctissimus hujus scriptoris interpres & Scholiastes Andreas Schottus monet; intelligi à Photio Carthaginense illud, cujus epistola Synodica inter Augustinianas extat, abunde eo refellitur, quod istud celebratum ab Episcopis* 57. *At Photius dicit se loqui de Carthaginensi, quod erat Episcoporum* 224. *Intelligit igitur Carthaginense tertium sive universale concilium quod ab Episcopis* 214. *habitum esse dicit Prosper adversus Collatorem cap.* 10. *Quod vero Photius denario auctiorem Episcoporum numerum facit, id inde esse arbitror, quod in codicem incidisset, ubi pro* 214. *scriptum esset* 224. *Denique etiam hoc de Concilio imprimis intelligimus versus Prosperi lib. de ingratis cap.* 2.

Condi-

Condita ſunt & ſcripta manent quæ de cataractis
Æterni fontis fluxere undante meatu,
Et tercentenis procerum ſunt edita linguis.

Baronius, eumque ſecutus Claudius Menardus, de ſecundo & Milevitano loqui putant, eo quod non multo antè gemini ſenum cœtus meminerit Proſper, ſed obſtat quod Carthaginenſi iſti ſolum interfuerint Epiſcopi 67. Milevitano autem 59. quemadmodum ex nominibus eorum patet, quæ habemus in utriuſque concilii libris ad Innocentium Papam. Quare verius eſt quod Baronius addit, poſſe etiam intelligi utrumque Carthaginenſe. Nos non dubitamus quin vel ſolum vel imprimis reſpiciat Carthaginenſe tertium, quod à trecentis & amplius fuiſſe celebratum paulò ante ex Proſpero optimo ſui interprete vidimus. liquidiora omnia erunt, ſi pro tercentenis *in verſibus Proſperi legatur* biſcentenis. *Voſſius.*

Hujus jam dicti magni, plenarii, & tertii in re Pelagiana concilii Africani Patres contra Pelagium & Cœleſtium hos octo ſtatuerunt canones, qui inveniuntur in primo Conciliorum tomo in Concilio Milevitano & Africano tempore Bonifacii celebrato, canone 75 &c. 1. *Adamum eſſe mortuum propter commiſſum peccatum.* 2. *Peccatum dari Originale, & ab eo ablui & abluendos infantes per Baptiſmum.* 3. *Per gratiam Dei non tantum peccata remitti, ſed nos etiam adjuvari ne committantur.* 4. *Per gratiam Dei nos ſcire quæ facienda & fugienda, & per eandem nos facienda velle & poſſe facere.* 5. *Nec dari nobis gratiam, ut eo facilius legem impleamus; quaſi ſine ea non quidem facilè, ſed tamen poſſimus implere.* 6. *Verè & non tantum humiliter ab Apoſtolo Ioanne dici, neminem vivere ſine peccato.* 7. *Vnumquemque benè & verè dicere, non tantum pro aliis ſed & pro ſeipſo*: Remitte nobis debita noſtra. 8. *Imò etiam à ſanctis idipſum verè dici & orari.* Hos canones cum ſumma prudentia & modeſtia formatos approbat Papa Cœleſtinus verbis elegantiſſimis, deſumptis ex Innocentio & Zoſimo ſuis prædeceſſoribus aut potius auctoribus Proſpero & Hilario Arelatenſi, (ut judicat Baronius & Voſſius) in epiſtola ad Galliæ Epiſcopos: *Vt ergò plenius*, inquit, *qui in aliquo dubitant, inſtruantur, conſtitutiones ſanctorum patrum* (Africanorum) *compendioſo manifeſtemus indiculo. Quod ſi quis non nimium eſt contentioſus, agnoſcat omnium*

Rom. 5. *Cor. 8.* *Ioan. 15.* *1 Ioan. 1:* *Iac 3.* *Pſalm 142.*

omnium disputationum connexiones ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere, nullamque contradictionis superesse rationem, si cum Catholicis credat & dicat:

In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poßibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruina per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit. 1.

Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus. 2.

Neminem etiam baptismatis gratiâ renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit. 3.

Neminem nisi per gratiam libero benè uti arbitrio. 4.

Omnia studia & opera ad Dei gloriam referenda esse, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donaverit. 5.

Deum in cordibus hominum & ipso libero arbitrio ita operari, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. 6.

Vt quicunque dixerit gratiam Dei, quâ justificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remißionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit. 7.

Omnes orationes Ecclesiæ gratiam Dei resonare, quâ genus humanum reparatur, & ab æterna damnatione reducitur, & paulò post sic pergit: 8.
His ergo Ecclesiasticis regulis, & ex divino sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino confortati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem: & non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quam fit ut aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum: Tanta enim erga omnes homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, ut quod vult & velimus & agamus: nec otiosa in nobis esse patitur, quæ exercenda non negligenda donavit, ut & nos coöpera-

tores simus gratia Dei. Ac si quod in nobis ex nostra videmus omißione languescere, ad illum sollicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & redimit de interitu vitam nostram; & cui quotidie dicimus; ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. *Profundiores vero difficilioresque partes intercurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt* (ut Augustinus, Prosper & pauci alii) *sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid secundum prædictas regulas Apostolicæ sedis nos scripta docuerunt: ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium.* Sed vide ipsam epistolam, quæ plura continet, tomo primo Concilior. *Petri Crabbe, & Binii,* apud illum pag. 523, hunc 733, Horum adversus Pelagium octo Canonum duo primi sunt de peccato originali: tres sequentes de gratiæ necessitate: tres ultimi de hominis imperfectione in hac vita. Horum epitome etiam proponitur Carolo Magno ab Hadriano Papa. Hoc unum nota, in his canonibus nihil statui à Patribus de absoluta prædestinatione, nempe, quomodo Deus omnes velit salvos fieri, & tamen non omnes salvet: quomodo Christus pro totius mundi redemptione sit mortuus & tamen non omnes captivitate eruantur: quo sensu omnes vocentur nec omnibus prædicetur Euangelium: quomodo præscientia & prædestinatio concordet cum libero arbitrio & similia: tum quia horum plurima captui hominum sunt abscondita, tum quia de his salvâ charitate liceret dissentire, tum ne hujus vel illius sententiæ condemnatione schisma in Ecclesiâ Dei concitaretur. Quare hæc quæ dicta ab Augustino & aliis, tanquam intercurrentia, nec rejicit nec astruit Cœlestinus nec plures alii orthodoxi, sed quæ contra Pelagianos & Semi-Pelagianos disputarunt, laudant & probant omnes. Adversus absolutæ prædestinationis decretum, ab Augustino primo inventum & productum, tanquam novum, suum commonitorium scripsisse creditur Vincentius Lirinensis. Pelagius autem inter cætera statuit Adamum natum fuisse mortalem: peccatum ipsum solum læsisse: nullum esse peccatum originale: dari gratiam secundum merita: victoriam nostram non esse ex gratia, sed libero arbitrio & labore nostro, &c. *Plura in histor. Pelag. Vossius.*

Pela-

Pelagiani dogmatis ſurculus fuit ſecta Semi-Pelagianorum qui & Maſſilienſes dicti, qui initium ſalutis à nobis eſſe putabant ſine gratia. At vetus Eccleſia ſtatuebat liberum arbitrium benè agere non ſuis, ſed gratiæ viribus; ac proinde etſi ad ipſam actus productionem concurrat gratia cum voluntate, tamen in ipſo concurſu potiorem eſſe gratiam. Synodus Arauſicana Maſſilienſium errorem rejeciſſe contenta, nuſquam eos à communione excludit.

Summo cum ardore aſſertâ gratiâ, Pelagii hęreſin refutat B. Auguſtinus: In eo certè magnus quod multis & validis rationibus liberum arbitrium in iis quæ ad vitam ſpiritualem pertinent, nihil dixit poſſe, niſi ex gratiæ viribus: & eandemque gratiam bonarum actionum & ducem eſſe, & comitem, & perfectricem. At ex Auguſtino malè intellecto Monachi Adrumetini in Africa, in contrarium labuntur errorem, omnia tribuentes gratię, nihil libero arbitrio: nam abſolutam ſtatuebant electionem & reprobationem. Contra hos ſcripſit Auguſtinus, Proſper & alii.

Zoſimus Papa moritur. Eliguntur Bonifacius & Eulalius in ſchiſ- A. C. 419. mate. Honorius Imperator pręfert Bonifacium Eulalio, quod hic contra decretum Imperatoris Urbem ingredi auſus & ſacra adminiſtrare conatus fuiſſet. His abſentibus miſerat Romam Imperator Achilleum Epiſcopum Spoletenſem, ut ibi ſacra Paſchatis celebraret. Vide plura alia acta & multa reſcripta Imperatoris in hoc ſchiſmate.

Concilium habitum eſt Carthagine circa tempora Bonifacii, in quo Canones diverſorum Conciliorum Africę numero 105 comprehenduntur *apud Petrum Crabbe pag.* 500, *apud Binium* 743: valdè celebre, propter multos Canones & pręcipuè propter reiteratum canonem 22. Milevitani Concilii, hic numero 92. de non provocando ad concilia tranſmarina. Hinc magna oritur diſceptatio inter Fauſtinum, Philippum, & Aſellum Papæ legatos & idem dictum Concilium. Fauſtinus ex mandato Zoſimi Papæ, & auctoritate Canonis Concilii Nicæni, ut ait, ſed malè, cum ſit canon Concilii Sardicenſis, ſuſtinet licere provocare ad Epiſcopum Romanum &c. Negant Africani talem inveniri canonem in ſuis Concilii Nicæni exemplaribus: cum enim Cęcilianus Epiſcopus Carthag. Nicæno Con-

Concilio interfuerit;illum Canonem non prętermisisset, inquiunt. Scribunt ad Episcopos Alexandrinum Constantinopolitanum & Antiochenum, ut habere possint authentica exemplaria dicti Concilii. Mittuntur cum literis Innocentius & Marcellus, sed in iis nihil tale invenitur, imò contrarium docetur Canone ejusdem Concilii Nicæni quinto: qua de re Concilium Africanum scribit ad Cœlestinum Episcopum Romæ. In hac epistola, quæ est ad finem Concilii Africani, probant ex canone quinto & sexto Concilii Nicæni, vetari provocationes aut appellationes, præterquam ad Concilium ejusdem provinciæ,& addunt præclaras rationes, &c. sed vide locum. Baronius multis reluctatur exemplis, & difficillimam vocat quęstionem, & duriusculè à Patribus Concilii scriptam dicit epistolam: sed quid contradici potest secundò reiterato canoni tam evidenti,tam manifestò,de non provocando ad transmarinos, quem constituerunt Episcopi 217. inter quos S. S. Aurelius & Augustinus? Baronius vult Sardicense Concilium esse œcumenicum,& non minoris auctoritatis quam Nicænum, imò per Sardicense confirmari Nicænum, &c. sed de hac quæstione alibi latius. Similes præterea hic sunt Canones cum præcedentibus Conciliis Africanis. Ut Canon 4. Nihil debere offerri pręter panem & vinum aquâ mixtum. 6. Primæ sedis Episcopum non principem sacerdotum, sed tantum primæ sedis Episcopum vocandum. 8. Sacramenta altaris non nisi à jejunis celebranda, excepto uno die Cœnæ anniversario. 9. Agapas in Ecclesiis non esse celebrandas. 16. Episcopos ab Episcopis ordinandos. 37. Qui Clerici ab uxoribus abstinere debeant, &c. Nota præterea in hoc provinciali Concilio præsedisse Aurelium,secundum fuisse Valentinum Numidiæ primum Episcopum; Tertium Faustinum Episcopum, Legatum Episcopi Romani. Non possũ non hic adjungere epistolam Concilii hujus Africani circa tempora Bonifacii ad Cœlestinum Episcopum Romæ scriptam, quæ primo Conciliorum tomo invenitur, cujus paulò ante meminimus.

Tom. I. Conciliorum.

Præfato itaque debita salutationis officio, impendio deprecamur, inquiunt, *ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem ultrà velitis excipere: quia hoc etiam Concilio Nicæno definitum facilè advertet Venerabilitas*

tas tua. Nam etsi de inferioribus Clericis vel Laicis ibi videtur præcaveri, quantò magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia communione suspensi, à tua sanctitate vel festinatò vel præproperè vel indebitè videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque & sequentium clericorum improba refugia (sicuti te dignum est) repellat sanctitas tua, quia à nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & decreta Nicæna sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè & justissimè providerunt quacunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, facienda: nec unicuique provinciæ gratiam Spiritus sancti defuturam, quâ æquitas à Christi sacerdotibus & prudenter videatur & constantissimè teneatur: maximè quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia sua provinciæ vel etiam universale provocare. Nisi fortè quisquam est qui credat unicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam & innumerabilibus congregatis in concilium sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessaria persona, vel propter sexus, vel propter senectutis imbecillitatem, vel multis aliis intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt? nam ut aliqui tam à suæ sanctitatis latere mittantur, nullâ invenimus patrum synodo constitutum. Quia illud quod pridem per eundem Episcopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Nicæni Concilii exinde transmisistis, in verioribus Conciliis quæ accipiuntur à S. Cyrillo Coëpiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico Constantinopolitano antistite ex authentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium presbyterum & Marcellum subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo prædecessori vestro à nobis transmissa sunt, in quibus tale quid non potuimus invenire. Executores etiam Clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere. Nam de fratre nostro Faustino (amoto jam pro suis nequitiis de Christi Ecclesiâ dolendo Apiario) securi sumus, quod eum (probitate ac moderatione tuæ sanctitatis salvâ) fraterna charitas ulterius in Africa minimè sustinere patiatur, &c. Hæc enim in eodem Concilio contigit historia. Apiarius Presbyter Africanus propter

 nefan-

nefandas turpitudines ab Africanis excommunicatus à Cœlestino Episcopo Romano in communionem erat receptus: quod licuisse negant Africani Patres plurimi, inter quos & ipse Augustinus. Missus Faustinus legatus à Cœlestino in Africam urgebat Apiarium in communionem suscipi, adferens non satis fideliter de provocatione ad Episcopum Romanum privilegium, ut diximus. Sed Apiarii tam immania inventa sunt flagitia *ut Faustini patrocinium potius quam judicium ejus superarent*, verba sunt Concilii. Quicquid molitus fuerit Faustinus legatus Papæ, in communionem tamen ab Africanis non est admissus Apiarius. Et summo jure, nam hæc lex est in Cod. Theodosii lib. 16. tit. 1. lata an. C. 376. per Imperatores Valentem, Gratianum & Valentinianum: *Qui mos est caussarum civilium, idem in negotiis Ecclesiasticis obtinendus est. Ut si qua sint ex quibusdam dissentionibus, levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis & à sua diœceseos synodis audiantur. Exceptis quæ actio criminalis ab ordinariis extraordinariisque judicibus aut illustribus potestatibus audientia constituit.* Legis vero hujus hæc est interpretatio: *Quoties ex qualibet re ad religionem pertinente inter Clericos fuit nata contentio, id specialiter observetur, ut convocatis ab Episcopo Diœcesano presbyteris, quæ in contentionem venerint judicio terminentur: Sanè si quid opponitur criminale, ad notitiam judicis, qui est in civitate quâ agitur, deducatur, ut ipsius sententiâ vindicetur, quod probatur criminaliter fuisse commissum.* Hæc quidem fuerunt quondam in usu sed nunc tempora & mores mutarunt. Sed cur non adduco ipsum canonem Concilii Nicæni, qui hic est? *De his qui communione privantur, seu ex Clero seu ex Laico ordine ab Episcopis, per unamquamque provinciarum, regularis sententia obtineat, ut hi qui abjiciuntur, non recipiantur ab aliis. Requiratur autem nec pusillanimitate aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio videatur à congregatione seclusus. Ut ergo hoc decentius inquiratur, beneplacuit annis singulis, per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari, ut communiter simul omnibus Episcopis provinciæ congregatis discutiantur hujusmodi quæstiones.* Vide hunc canonem quintum & etiam sextum ejusdem Concilii Sed quemadmodum mos quondam fuit Romæ gentili, supplicibus faciles se præbere, ut potentissimi de solio dejicerentur: sic Roma Christiana Episcopos aut Presbyte-

byteros alibi exauctoratos & rejectos, sub specie misericordiæ seu charitatis Christianæ benigniter excipit, fortè ut alios in simili casu ad provocationem ad Papam alliciat, & proinde ab exemplis, ut subindè apud Illustrissimum annalium conditorem videre licet, de jure agat.

Constantius ab Honorio ex Cæsare nominatus est Augustus. A.C. 420.
Hic erat Placidiæ maritus, pater Valentiniani III. & Honoriæ.

Moritur S. Hieronymus anno ætatis 91. & ejus vita ab Eusebio quodam descripta plurimis scatet mendaciis, sepultus est in Bethlem. Multas & magnas nostro ævo & in nostro orbe dederunt turbas aliquot B. Hieronymi loca de Episcoporum & presbyterorum Isotimia; nimirum utrum Episcopus & presbyter voces essent synonimæ, & unum idemque significent, ex mente Hieronymi. Hoc diu acriter disputatum est intet Hierarchicos seu Prælatinos & Presbyterianos in Anglia & Scotia, & inde orta illa inter Regem & Parlamentum contentio, quæ tandem ad civilia & sævissima erupit bella; & ingentem hanc & horrendam Regni catastrophen invexit. In illam de isotimiâ sententiam, quasi pedibus iverunt Cl. Salmasius & D. Blondellus, ille in suo Walone Messalino contra Petavium, & in apparatu ad libros de primatu Papæ; hic in sua pro sententia, ut loquitur, Hieronymi apologia. Episcoporum à Presbyteris differentiam agnoscunt Canones Apostolici, & multis passim locis Ignatius Episcopus Antiochenus & martyr in suis epistolis, quarum cum laude meminit primus Ignatii coævus Polycarpus Episcopus Smyrnensis & Martyr in sua epistola ad Philippenses. Secundus Irenæus Polycarpi discipulus, Episcopus Lugdunensis & Martyr. Post hos Origines, Eusebius, Athanasius, Hieronymus, Chrysostomus &c, ut alibi dictum. Rejiciunt has Ignatii Epistolas, tanquam suppositititias, in Walone Messalino Salmasius, & Blondellus in præfatione in apologiam prædicta. Edidit interim ex Mediceæ bibliothecæ archivis jam pridem S. Ignatii epistolas genuinas, cum interpolatis & eidem asscriptis Isacius Vossius; & eodem ferè tempore Latinam, licet barbaram versionem, Vossiano Græco exemplari per omnia respondentem, ex vetustissimis Angliæ codicibus erutam Magnus ille Usserius Armachanus: de quibus vide quæ dicta

an. C.

an. C. 110. Pro jure Epiſcoporum contra Salmaſium ſcripſit Petavius in ſuis diſſertationibus Eccleſiaſticis: contra eundem Salmaſium & Blondellum quinque edidit diſſertationes, quamvis titulus habeat quatuor, an. C. 1651 Henricus Hammond preſbyter Anglicanus, & Theologiæ profeſſor, quarum prima eſt procemialis de Anti-Chriſto, &c. Secunda de Ignatio ejuſque teſtimoniis cum Hieronymi ſententiâ collatis, reſpectu ſeculorum, quibus vixerunt, in quibus manifeſtè patet Hieronymum non ubivis ſui fuiſſe ſimilem: Tertia eſt de omnibus Euangelicis periochis quæ ad regiminis Eccleſię formam pertinent: Quarta de Actorum & epiſtolarum Apoſtolicarum periochis &c. Quinta eſt de omnibus Clementis Romani, aliorumque primi ævi ſcriptorum locis, quæ eodem pertinent, &c. cui tamen hactenus nemo, quod ſciam, reſpondit.

Unum hac occaſione tantum jam lubet quærere, quos in Apocalypſi Chriſtus indicare voluerit per Angelos ſeptem Eccleſiarum, cum in fine capitis primi ibidem dicatur. *Septem Stellæ ſeptem Angeli ſunt Eccleſiarum, & ſeptem Candelabra ſeptem Eccleſiæ ſunt*; præterquam eos, quos principes, primos, ſeniores, præfectos preſbyterorum, Juſtinus προεστῶτας &c. plerique in primitiva Eccleſia Epiſcopos vocarunt, qui paulatim in alios juriſdictionis & ordinationis poteſtatem acceperunt: *quos ab Apoſtolis in Eccleſiis inſtitutos* dicit Irenæus lib. 3. cap. 3. ubi inquit: *Et Polycarpus non ſolum ab Apoſtolis edoctus, & converſatus cum iis qui Dominum noſtrum viderunt, ſed etiam ab Apoſtolo* (Johanne) *in Aſia, in ea quæ eſt Smyrnis Eccleſia conſtitutus Epiſcopus, quem & nos vidimus in prima noſtra ætate, multum enim perſeveraverat, & valde ſenex glorioſiſſimè & nobiliſſimè martyrium faciens exivit de vita.* vide eundem lib. 4. cap. 63. & lib. 5. cap. 20. & lib. 4. cap. 43. Idem teſtatur Tertullianus de præſcriptionibus adverſus hæreticos cap. 32. *Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſic Smyrnaorum Eccleſia habens Polycarpum ab Ioanne ordinatum refert, ſic Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit; proinde uti & cætera exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant.* Idem adverſus Marcionem lib. 4. cap. 5. Cyprianus epiſt. 27. ad lapſos, & epiſt. 68. Imo & Euſebius lib. 7.

cap. 18.

cap. 18. dicit *Iacobum ab ipso Servatore & Apostolis Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopatum accepisse, quem & sancta scriptura fratrem Domini appellant* : similia habent Clemens Alexandrinus, Athanasius, Hilarius Diaconus: sed audiamus ipsum Hieronymum, qui lib. de scriptoribus Ecclesiasticis sic scribit: *Iacobus ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus, suscepit Ecclesiam Hierosolymæ; Timotheus à Paulo Ephesiorum Episcopus ordinatus, Titus Cretæ, Polycarpus à Ioanne Smyrnæ Episcopus ordinatus.* Idem epist. ad Evagrium: *Alexandriæ à Marco Euangelista, usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiore super presbyteros gradu collocatum Episcopum nominabant; quomodo si exercitus Imperatorem faciat.* Et quam tritum & sæpe decantatum est apud eundem, Episcopum à Presbyteris ordinatione differre? Quare sicut Christum Deus, sic misit Apostolos in mundum Christus, *ut & ipsi sanctificati essent per veritatem,* Ioan. 17. 18. Hâc sanctâ veritate muniti elegerunt & ordinarunt Presbyteros, Diaconos, Episcopos Apostoli, & Spiritu sancto illuminati, ejusdem ductu ordinem Ecclesiasticum instituerunt, & Ecclesiam Christi secundum ejusdem mandata gubernarunt: quod ego juris esse positivi non audeo dicere. Hoc ipsum validè confirmat his verbis Clemens Romanus epist. ad Corinthios pag. 57. *Et Apostoli nostri per Iesum Christum Dominum nostrum cognoverunt, contentionem de nomine Episcopatus oborituram: atque ob hanc caussam perfectâ præscientiâ præditi constituerunt prædictos, ac descriptas deinceps ministrorum officiorumque vices reliquerunt, ut in defunctorum locum alii viri probati succedere, & illorum munia exsequi poßint* : sed de his vide quam accuratissimè differentem prædictum Henricum Hammond, qui inter cætera hæc habet dissertatione 1. cap. 14. §. 10. *Quo demum seculo lacertos movere cœperit singularis Episcopatus aut hoc inter Episcopos & presbyteros discrimen, agnoscit VValo rem esse antiquißimam, ut duo hi ordines in Ecclesiâ fuerint distincti, si excipiantur tempora Apostolica, quorum ævo, inquit, ut eorum scripta testantur, nullum constat eorum ordinum fuisse discrimen. Ex quibus me (ex sententiâ tanti viri) rectè conclusurum puto immediatè post Apostolorum tempora hoc in Ecclesiâ discrimen fuisse. Id enim est, (antiquißimam rem esse, si excipiantur Apostolica tempora) quod & clarius testatur pag.* 353. *Circa*

Aaaa *initium*

initium aut medium seculi secundi primus singularis Episcopatus supra presbyteratum introductus fuit. Nec certè multum abscedit D. Blondel-*lus; qui anno* C. 135, *id est, à Ioannis dormitione* 35. *mutationem hanc factam esse affirmat*, quare? nullam enim faciunt Apostolorum scripta mentionem hujus discriminis: sed nemo præter Lucam quicquam γνήσιον de actis Apostolorum posteris reliquit, nec ille nisi pauca de Petro, & non omnia de Paulo: & tamen hoc testantur Patres Apostolis proximi, Irenæus testis oculatus de Joanne in Polycarpo, testis Tertullianus de Petro in Clemente, testes Eusebius & Hieronymus polyhistores de Paulo in Timotheo & Tito. Et jubet Paulus ne temerè alicui manus imponat Titus: ne quid dicam de Ignatio, ejusque epistolis genuinis, ubi tam frequens Episcoporum fit mentio, ut vel cæco sole clarius appareat eorum institutio, & *quæ Dominus per Apostolos instituit, ea & bona sunt, & firma persistunt*, ut loquitur Athanasius de episcopatu, ad Dracontium episcopatum fugientem. Quamvis autem in Apostolorum locum successisse videantur Episcopi, ita tamen inter eos distinguendum est: Apostoli à Christo immediatè sunt vocati, Episcopi ab Apostolis; Apostoli missi sunt ad prædicandum Euangelium per universum orbem, Episcopi certo loco sunt astricti: Apostoli sunt θεόπνευςοι, & errare non possunt in dogmatis religionis, Apostoli habebant dona miraculorum: quod aliquandiu viguit in primitivà Ecclesià, sed paulatim cessavit; quia Ecclesia, quæ Euangelium receperat, miracula ibidem conspicere poterat. Hæc autem habent cum Apostolis communia Episcopi: prædicationem Euangelii, administrationem sacramentorum, impositionem manuum, & ordinationem. Videatur *Hammondus adversus Blondellum & Salmasium.*

Ruffinus Presbyter Aquileiensis, coævus Hieronymi, apud multos olim magno loco habitus est ob historiarum & utriusque linguæ peritiam; in explicando symbolo Apostolico præ cæteris secundum Gennadium & Pamelium excellit, tam accuratè utriusque testamenti locis id confirmat. Tradunt majores nostri, inquit, *quod post ascensionem Domini, cum per adventum sancti Spiritus super singulos quosque Apostolos ignea linguæ sedissent, ut loquelis diversis loquerentur, per quod eis nulla gens extera barbarie inaccessa videretur & invia: præceptum eis à Domino datum, ob prædican-*

dicandum Dei verbum ad singulas quemque rationes proficisci. Discessuri itaque ab invicem normam prius futuræ prædicationis in commune constituunt: ne fortè alius ab alio abducti diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent. Omnes ergo in uno positi, & Spiritu sancto repleti, breve istud futuræ sibi, ut diximus, prædicationis indicium, conferendo in unum, quod sentiebat unusquisque, componunt, atque hanc credentibus esse dandam regulam statuunt. Symbolum autem hoc multis & justissimis ex caussis appellare voluerunt. Symbolum enim Græcè indicium dici potest & collatio (quod est potius συμβολὴ) *hoc est, quod plures in unum conferunt. Indicium autem vel signum idcirco dicitur, quia illo tempore, sicut & Paulus Apostolus dicit, & in Actis Apostolorum refertur, multi ex circumcisis Iudæis simulabant se esse Apostolos Christi, & lucri alicujus vel ventris gratiâ ad prædicandum proficiscebantur; nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Idcirco ergo istud indicium posuerunt, per quod agnosceretur is, qui vere Christum secundum Apostolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis civilibus hoc observari ferunt, quoniam & armorum par habitus & sonus vocis idem, & mos unus est atque eadem instituta bellandi, ne qua doli subreptio fiat, symbola* (tesseras etiam vocant) *discreta unusquisque dux suis militibus tradit; quæ Latinè vel signa vel indicia nominantur: ut si fortè occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus symbolum, prodat si sit hostis an socius. Idcirco denique hæc non scribi chartulis atque membranis, sed retinere cordibus tradiderunt, ut certum esset, neminem hæc ex lectione, quæ interdum etiam ad infideles pervenire solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse. Discessuri ergo, ut diximus, ad prædicandum istud unanimitatis & fidei suæ indicium Apostoli posuére: non sicut filii Noë discessuri ab alteram turrem ex latere cocto & bitumine construentes, cujus cacumen pertingeret usque ad cœlum; sed munimenta fidei, quæ starent adversum faciem inimici ex lapidibus vivis & margaritis Dominicis ædificantes; quæ neque venti impellerent, neque flumina subverterent, neque tempestatum aut procellarum turbines permoverent. Meritò ergo illi ab invicem separandi, turrem superbiæ ædificantes linguarum confusione damnati sunt, uti ne unusquisque posset advertere proximi sui loquelam: Isti verò, qui turrem fidei construebant, omnium linguarum scientiâ & cognitione donati sunt; ut illud peccati, hoc*

 fidei

fidei probaretur indicium. Sed jam nobis de ipsis etiam aliquid contrectandum est margaritis: in quibus primo loco fons & origo omnium bonorum ponitur, cum dicitur: Credo in Deum, patrem omnipotentem. *Verum priusquam incipiam de ipsis sermonum virtutibus disputare, illud non importunè commonendum puto, quod in diversis Ecclesiis aliqua inveniuntur adjecta. In Ecclesiâ tamen urbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea esse arbitror, quod neque hæresis ulla illic sumpsit exordium, & mos ibi servatur antiquus, eos qui gratiam baptismi suscepturi sunt, publicè, id est, fidelium populo audiente, symbolum reddere, & utique adjectionem unius saltem sermonis eorum qui præcesserunt, in fide non admittit auditus. In cæteris autem locis, quantum intelligi datur propter nonnullos hæreticos, addita quædam videntur, per quæ novella doctrina sensus crederetur excludi. Nos tamen illum ordinem sequimur, quem in Aquileiensi Ecclesiâ per Lavacri gratiam suscepimus.* Sub finem explicationis hujus Symboli hęc addit Ruffinus de libris Canonicis, & non Canonicis, sed Ecclesiasticis dictis, his verbis: *Quæ sunt novi & veteris instrumenti volumina, quæ secundum majorum traditionem per ipsum Spiritum sanctum inspirata creduntur, & Ecclesiis Christi tradita: competens videtur in hoc loco evidenti numero, sicut ex Patrum monumentis accepimus, designare. Itaque veteris instrumenti primo omnium Mosi quinque libri sunt traditi, Genesis, Exodus, Leviticus, Numerus, Deuteronomium; post hos Nave, Iudicum simul cum Ruth: quatuor post hæc Regum libri, quos Hebræi duos numerant: Paralipomena, qui dierum dicitur liber, & Esdræ libri duo, qui apud illos singuli computantur, & Hester: Prophetarum verò Esaias, Hieremias, Ezechiel & Daniel: præterea duodecim prophetarum liber unus. Iob quoque & Psalmi Davidis singuli sunt libri: Salomonis verò tres Ecclesiis traditi; Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum. In his concluserunt librorum numerum Veteris Testamenti. Novi vero, quatuor Euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, Actus Apostolorum, quos descripsit Lucas: Pauli Apostoli epistolæ quatuordecim: Petri Apostoli epistolæ duæ: Iacobi fratris Domini & Apostoli una: Iudæ una: Ioannis tres, Apocalypsis Ioannis. Hæc sunt quæ Patres in canonem concluserunt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est quod & alii libri sunt, qui non canoici, sed ecclesiastici à majoribus appellati sunt; ut est Sapientia Salomonis, & alia sapientia, quæ dicitur filii Syrach, qui ipse liber apud Latinos hoc ipso*

generali

generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur, quo vocabulo non auctor libelli, sed scripturæ qualitas cognominata est. Ejusdem ordinis est libellus Tobiæ & Iudith & Machabæorum libri. In Novo vero Testamento libellus, qui dicitur Pastoris sive Hermetis, qui appellatur duæ viæ vel judicium Petri; quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ex his ad auctoritatem fidei confirmandam. Cæteras vero scripturas apocryphas nominarunt, quas in Ecclesiis legi noluerunt. Hæc nobis à patribus, ut diximus, tradita opportunum visum est hoc loco designare ad instructionem eorum, qui prima sibi Ecclesiæ & fidei elementa suscipiunt, ut sciant ex quibus sibi fontibus verbi Dei haurienda sint pocula. Tenet deinde traditio fidei sanctam Ecclesiam, causam jam superius diximus, cur non dixerit etiam hic in sanctam Ecclesiam, sed sanctam Ecclesiam. Hi ergo qui supra in unum Deum credere docti sunt sub mysterio Trinitatis, credere etiam hoc debent, unam esse Ecclesiam sanctam; in quâ una est fides, & unum baptisma, in quâ unus Deus creditur pater, & unus Dominus Jesus Christus filius ejus, & unus Spiritus S. Ista est ergo sancta Ecclesia, non habens maculam aut rugam. *Postea enumeratis aliquot hæresibus,* ab his, *inquit,* omnibus fidelis declinet auditus: sanctam verò Ecclesiam teneat; quæ Deum Patrem omnipotentem & unigenitum filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, & Spiritum sanctum concordi & consonâ substantiæ ratione profitetur, filiumque Dei natum ex virgine, & passum pro salute humanâ & resurrexisse à mortuis in eadem carne, quâ natus est, credit, eundemque venturum judicem omnium sperat, in quâ & remissio peccatorum, & carnis resurrectio prædicatur, &c. *Hactenus Ruffinus.*

Certa semper sunt in paucis, (inquit Tertullianus) *& quicquid in Christianorum salutem scitu necessarium est, quicquid nos meliores beatioresque facit, in aperto ponitur. Nihil hic loci est subtilibus distinctionibus, quas sola aquila aut serpens aliquis Epidaurius visu percipere aut discernere potest. Nihil longarum explicationum laciniis sive assumentis, quæ attexi plerumque videmus, non tam ædificandis Christianis in fide fundamentali, quam Doctorum contendentium opinionibus provehendis. Nibil denique Metaphysicis formalitatibus & abstractis notionibus, quæ doctorum capita perturbare possunt, indoctorum animos ab ipsâ fide Catholicâ deterrere, at neque horum, neque illorum corda ad fidem articulorum fun-* *Lib de anima.*

damentalium amplexandam inflectere &c. Davenant. commentatione de pace Eccles. *O osores pacis, si adhuc malimus litigare. In his omnibus utinam animis nostris insideret illa Ioannis Gersonis saluberrima distinctio: Esse quædam de necessitate fidei, quædam verò de fidei devotione: de illis dubitare nefas: de his absque omni periculo vel ἐπέχειν, vel aliter sentire licet.* Josephus Hall. de pace Ecclesiast.

Explicat Ruffinus symbolum Aquileiense, quod non malè convenit cum Romano, dicto Apostolorum (de quorum differentia vide Vossium de tribus symbolis dissertatione primâ) & cum fidei regulis Patrum priscæ & primitivæ Ecclesiæ, quas retulimus in formâ Catholicæ & veteris Ecclesiæ internâ, an. C. 150, ubi inter cætera sic loquentem adduximus Tertullianum: *Regula fidei à Christo & Apostolis instituta, nullas apud nos habet quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt*, ita ut, ubi non est hæresis, non requiratur alia quam hæc simplex fidei regula. *Imo*, ut loquitur S. Hilarius Pictavorum Episcopus, qui vixit an. C. 355, *sufficit credentibus Dei sermo; qui in aures nostras Euangelista testimonio cum ipsâ veritatis suæ virtute transfusus est, cum dicit Dominus;* Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis; & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. *Quid enim in eodem sacramento salutis humanæ non continetur, aut quid est quod reliquum sit aut obscurum? Plena sunt omnia & perfecta, ut à pleno & perfecto: nam & verborum significationem, & efficientiam rerum, & negotiorum ordinem, & naturæ intelligentiam comprehendunt. Baptizare jussit in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: id est, in confessione & auctoris & unigeniti & doni* &c. *sed compellimur hæreticorum & blasphemantium vitiis illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, inconcessa præsumere. Et cum solâ fide expleri, quæ præcepta sunt, oporteret, adorare scilicet Patrem, & venerari cum eo Filium, & sancto Spiritu abundare: cogimur sermonis nostri humilitatem ad ea, quæ inenarrabilia sunt extendere, & in vitium vitio coarctamur alieno: ut quæ contineri religione mentium oportuisset, nunc in periculum humani eloquii proferantur.* Hæc habet lib. 2. de Trinitate in initio Hilarius: lib. verò sexto omnia tribuit confessioni S. Petri Matth. 16. 16. ubi

à Christo interrogatus, respondet his verbis, sibi à Patre revelatis Petrus; *Tu es Christus, Filius Dei vivi. Respondens Iesus dixit illi: Beatus es Petre, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis.* Hæc Petri confessio, dicente Christo, est ipsius Dei revelatio. quid ulterius quæris, quam per similem & simplicem hanc fidem Petro ab ipso patre de filio revelatam, Christo teste, esse beatus? An tibi non sufficit hæc confessio, *super quam confeßionis petram Ecclesiæ ædificatio est?* ut loquitur S. Hilarius: *Sed sensus carnis & sanguinis confeßionis hujus intelligentiam non revelat: hoc est divinæ revelationis sacramentum; Christum Dei filium non solum nuncupare, sed etiam credere. Hæc fides Ecclesiæ fundamentum est; per hanc fidem infirmæ sunt adversus eam portæ inferorum: hæc fides regni cœlestis habet claves: hæc fides quæ in terris solverit aut ligaverit, & ligata sunt in cœlis & soluta: hæc fides paternæ revelationis est munus. In quam nunc interpretandæ vocis suæ deducimur neceßitatem? Ille confessus est Christum Filium Dei: At mihi tu hodie novi Apostolatus mendax sacerdotium ingeris Christum ex nihilo creaturam. Quam vim affers dictis gloriosis? Filium Dei confessus, ob hoc Beatus est. Hæc revelatio Patris est, hoc Ecclesiæ fundamentum est: hæc securitas æternitatis est: hinc regni cœlorum habet clavem, hinc terrena ejus judicia cœlestia sunt. Si ergo salus in confeßione nominis est, quæro cur in nomine veritas non sit? quod si in nomine veritas est, quâ auctoritate creatio esse dicitur, cum non creationis confeßio salutem sit præstitura, sed filii? Hæc igitur salus vera est, hoc perfectæ fidei meritum, Iesum Christum Filium Dei credidisse.* Et lib. 9. *Quantâ enim potuit Dominus verborum simplicitate Euangelicam fidem locutus est: & in tantum ad nostram intelligentiam sermones aptavit, in quantum natura nostra ferret infirmitas, non tamen ut quicquam minus dignum natura sua majestate loqueretur.* Idem Hilarius lib. de Synodis, *O beatos vos in Domino, & gloriosos*, alloquitur Gallos & Germanos, *qui perfectam atque Apostolicam fidem conscientiâ & profeßione continentes, conscriptas fides huc usque nescitis, non enim egistis literâ, qui spiritu abundabatis*, &c. nam, ut idem lib. 10. de Trinitate, *in simplicitate fides est, in fide justitia: nec Deus nos ad beatam vitam per difficiles quæstiones vocat: in expedito & facili nobis est æternitas, si Iesum Christum credimus resuscitatum à mortuis, & ipsum esse Dominum*

minum confitemur. Quamobrem sic loquitur in epistolâ ad Archiepisc. Panormitanum sacræ Cæsareę majestatis consiliariū operibus Hilarii prę fixâ, Erasmus: *Veteres paucissimè de rebus divinis philosophabātur, neq; quicquā audebant, de his pronūciare, quod non esset apertè proditū his literis, quarum auctoritas nobis est sacrosancta.* Et: *An non habiturus est consortiū cum Patre & Filio & Spiritu s. qui nesciat ad Philosophiæ rationem expedire, quid discernat Patrem à Filio, quid ab utroque Spiritum sanctum, quid intersit inter Filii nativitatem à Patre, & Spiritus s. processionem? Si credo quod traditum est, tres esse unius naturæ, quid opus est operosâ disputatione? si non credo, nullis humanis rationibus persuadebitur. Atque hujusmodi periculosa curiositas ferè nobis è Philosophiâ nata est. In quibus vestigandis à felicissimis ingeniis cum summâ vi desudatum sit, hic demum est extremus profectus, ut intelligant se nihil scire: & adeo ad vitæ pietatem nihil faciunt, ut nusquam magis habeat locum illud Pauli: Scientia inflat, charitas ædificat.* Et: *summa nostræ religionis est pax & unanimitas. Ea vix constare poterit, nisi de quam potest paucissimis definiamus, & in multis liberum relinquamus cuique judicium: propterea quod ingens plurimarum rerum sit obscuritas.* Mysteria hæc sunt & *mysterium*, ut inquit Chrysostomus hom. 7. in 1. Cor. ad illa verba, loquimur Dei sapientiam quæ abscondita est, *operosâ argumentatione opus non habet, sed tantum illud annunciatur quod est*: cujus quod reliquum est, debet igne absumi, id est, ut eleganter inprimis Patres, *fide adorari*, non ratione discuti. Idem nobis remedium exhibet Gregorius Nazianzenus, dictus κατ' ἐξοχὴν Theologus, oratione de modestiâ servandâ in disputationibus: maxima pars Christianorum *parva est intellectu*, inquit, *& pauper linguâ, sermonumque versutiam ignorat, ac captiones sapientum & ænigmata, nec non Pyrrhonis instantias ac prohibitiones & oppositiones, syllogismorumve Chrysippi resolutiones, sive Aristotelis artes malas, aut Platonicæ facundiæ incantamenta, quæ malè in Ecclesiam irrepêre nostram, non secus ac flagella quadam Ægyptiaca*, ut hodie Theologia scholastica, *habet tamen ille unde, & per quanam verba salvetur*: Nihil charitate ditius est. *Nequaquam*, inquit, *necesse est ut in cœlum ascendas, ut illinc Christum detrahas: neque in abyssum descendas, ut illum inde à mortuis extrahas: vel ut curiosè primam inquiras Naturam, seu dispensationem novissimam.* Prope te, *ait*, verbum est.

Thesau-

Thesaurum hinc intellectus habet & lingua. Ille quidem credens, hac verò confitens. Quid his opibus succinctius? quid dono hoc facilius? Confitere Christum, & credas illum à mortuis suscitatum, & salvaberis &c. *Siquidem & credere solum justitia est, salus autem perfecta confiteri, loquendique libertatem addere scientiæ. Tu quid salute majus credis?* Basilius in disputatione adversus Eunomium agnoscit hanc formulam veterē: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, ex quo omnia, & in unum unigenitum Filium Dei, Dei verbum, Dominum nostrū Iesum Christum, per quem omnia, & in Spiritum sanctū paracletum.* Horum locorum collatio docere nos potest, cum veteres regulam fidei immutabilem dicunt, non ad certam & receptam ubique verborum formulam eos respicere, sed ad vim & sententiam verborum. Vis tribus verbis omnia ad salutem necessaria comprehendam. *Hoc est ejus præceptum, ut credamus nomini Filii ejus Iesu Christi, & diligamus nos mutuò.* 1 Ioh. 3. 23. hęc est summa totius Euangelii. Quemadmodum Ruffinus, sic & omnes ferè Patres Ruffino coævi de symbolo loquuntur, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, Eucherius, & seculorum sequentium plurimi. Unum tantum addam Ambrosium, qui de symbolo serm. 38. tom. 3. hæc habet: *Duodecim Apostolorum symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices in unum convenientes clavem suo concilio conflaverunt: clavem enim quandam ipsum symbolum dixerim, per quod reserantur diaboli tenebræ, ut lux Christi adveniat: aperiuntur conscientiæ clausa peccata, ut justitiæ fulgeant opera manifesta.* Et: *Symbolum quoque specialiter debemus, tanquam cordis nostri signaculum ante lucanis horis quotidiè recensere; quo etiam cum horremus aliquid animo recurrendum est. Quando enim sine militiæ sacramento miles in tentorio, bellator in prælio?* quare appositè B. Augustinus symbolum appellat *Sacramentum fidei.* Simplicissimum, & brevissimum fidei symbolum, cujus Christum auctorem vocant Patres, est Matth. 28. 19. de quo loquitur Irenæus lib. 1. c. 2. ubi dicit *nos habere confessionem fidei per baptismi traditionem*: & Tertullianus de præscript. adversus hæret. c. 14. & 20. cum dicit accepisse nos *regulam veritatis per baptismum*: & Cyprianus cum statuit *Ipsam interrogationem, quæ fit in baptismo, testem esse veritatis*: Gregor. Nyssenus dicit illa Christi verba esse *rete illud, quo Apostoli hominum piscatores evaserunt & in iis consistere totius religio-*

nis nostræ mysterium, & paulò antè etiam eadem verba, *sacramentum salutis humanæ*, nuncupavit Hilarius, sic etiam Epiphanius in Anacephal. ubi 80. refutavit hæreses, *hæc est nostra fides*, inquit, *prædicate Euangelium apud omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, &c. Non possum non his addere accuratam & nunquam satis laudandam observationem Thomæ Hobbes in suo Cive, quâ continatâ capitum serie luculenter demonstrat, præcipuum aut ferè unicum fuisse Apostolorum & Euangelistarum scopum, describere illam fidei confessionem, quam S. Petrus Apostolorum princeps ex revelatione ipsius Dei profitetur de Christo, Matth. cap. 16. 16. *Dico*, inquit, *alium articulum fidei præter hunc, Iesum esse illum Christum, homini Christiano, ut necessarium ad salutem esse nullum. Probatur autem primò ex scopo Euangelistarum, qui erat per descriptionem vitæ servatoris nostri, illum unum articulum stabilire. Sciemus autem talem fuisse scopum & consilium Euangelistarum, si observemus ipsam historiam. S. Matthæus incipiens à genealogiâ ejus ostendit, Iesum esse ex genere Davidis, natum ex Virgine*, cap. 1. *à Magis ut regem Iudæorum adoratum, ab Herode eadem de caussa quæsitum ad necem*, cap. 2. *Regnum & à seipso & à Ioanne prædicatum*, cap. 3. 4. *leges docuisse, non ut scribæ, sed ut, qui haberet auctoritatem*, cap. 5. 6. 7. *morbos miraculosè sanasse*, cap. 8. 9 *Apostolos præcones Regni in omnes Iudææ partes ad prædicationem regni dimisisse*, cap. 10. *nuntiis à Ioanne quærentibus an is esset Christus nec ne, respondisse: referrent quæ vidissent, nempe miracula, quæ in solum Christum competerent*, cap. 11. *Regnum suum argumentis, parabolis & signis apud Pharisæos & alios comprobasse & declarasse*, cap. 12, *& sequentibus usque ad* 21. *salutatum fuisse in regem, cum ingrederetur Hierosolymam*, cap. 21. *se Christum illum esse contra Pharisæos sustinuisse, alios de pseudochristis præmonuisse, regnum suum quale esset, parabolis ostendisse*, cap. 22. 23. 24. 25. *captum & accusatum fuisse eo nomine, quod se regem esse dixerit, crucique titulum inscriptum: Hic est Iesus Rex Iudæorum*, cap. 26. 27. *denique post resurrectionem dixisse Apostolis, datam sibi esse potestatem in cœlo & in terrâ*, cap. 28. *Quæ omnia eo pertinent, ut credamus Iesum esse illum Christum. Talis erat ergo scopus S. Matthæi in describendo Euangelio; qualis autem erat hujus, talis erat cæterorum Euangelistarum: id quod seorsim S. Ioannes in fine Euangelii sui expressè habet: hæc, inquit, scripta sunt, ut sciatis, quia*

Iesus

Iesus est Christus, filius Dei viventis, Joan. 20. 31. Et paulò post: *nam verba hæc Iesus est Christus, significant Iesum esse illum, quem Deus venturum in mundum ad regnum suum instaurandum promiserat per Prophetas: hoc est Iesum esse filium Dei, Creatoris cœli & terræ, natum ex Virgine, mortuum pro peccatis eorum, qui essent in illum credituri, esse Christum, id est, regem, revixisse, (nam alioqui regnaturus non est) judicaturum mundum, & remuneraturum eorum opera; aliter enim rex esse non potest: item resurrecturos homines esse; nam absque hoc ad judicium venturi non sunt. Itaque unico hoc articulo totum continetur symbolum Apostolicum, quod tamen sic contrahendum ideo existimavi, quod viderem propter hoc solum, sine cæteris, qui ex eo per consequentiam deducuntur, permultos tum à Christo tum Apostolis ejus in regnum Dei admissos fuisse; ut latro in cruce, ut Eunuchus à Philippo baptizatus, ut tria millia hominum ad Ecclesiam à S. Petro simul aggregata*, &c. Dicamus ergo cum Paulo ad Galatas 6. *Absit, absit ut glorier, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: Qui factus fuit nobis sapientia à Deo, justitiaque & sanctificatio & redemtio: Vt, quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur.* 1 Cor. 1. 30. Dicamus cum veteri & Catholica seu universa Ecclesia: *Gloria Patri, & Filio & Spiritui sancto, sicut erat in principio, & nunc, & semper, & per omnia secula seculorum, Amen.*

Theodosius Imperator uxorem ducit filiam Leontii philosophi A. C. 421. Atheniensis, liberalibus disciplinis excultam, quam baptizatam Atticus Episcopus vocat Eudociam, *Socrat. lib. 7. cap. 21. & Diacon.*

Theodosius legem sancivit quâ dicit Constantinopolitanam Ecclesiam lætari Romæ veteris prærogativâ.

Honorius Imperator moritur: Theodosius Placidiam cum Au- A. C. 423. gustæ titulo & Valentinianum Cæsarem jam appellatum, agentem ætatis annum 6. in Italiam misit an. C. 424. qui mox Augustus A. C. 424. Romæ salutatus est.

Bonifacius Papa moritur succedit Cœlestinus. Hic constituit ut ante sacrificium psalmi Davidis in initio pro introitu canerentur, cum antea tantum epistolę Paulinæ legerentur, ex quo instituto excerpti sunt ex Psalmis introitus, gradualia, offertoria &c. *Anast. Sigon.*

Atticus Constantinopolitanus moritur succedit Sisinnius electus A. C. 325. studio Laicorum, vir sanctæ simplicitatis. De Attico hæc inter cæ-

tera Socrates lib. 7. c. 25. qui cum summâ liberalitate erga pauperes excelleret, trecentos aureos Eclcesiæ Nicænæ presbytero mittit, & hoc modo eos distribuendos addit: *Velis autem*, inquit, *in eos conferre non qui ventris caussâ mercaturam, quasi per totum vitæ tempus mendicando exercent, sed qui mendicare erubescunt: neque in hac officii parte ullam sectæ aut religionis cujusquam rationem ducas, neque porrò respectum ad eos qui à nobis in fidei sententia dissentiunt habeas: sed in illud unum incumbas, ut qui fame cruciantur, eos alimentis subleves.* Augustinus cum esset annorum 72 assumit sibi coadjutorem Eradium presbyterum, & mole Episcopatus liberatus recognoscit libros suos. *August.*

A.C.428. Bonifacius Comes, Africæ Præfectus, ab Aëtio proditionis accusatur, missoque contra eum Sigisvulto, parem se non esse Romanis viribus animadvertens, ad Vandalorum, quibuscum antea affinitatem junxerat, confugit auxilia. Quare Genzericus cum 80000. Vandalorum & Alanorum transfretavit in Africam, eamque paulatim sibi subjecit.

Sisinnius Constantinopolitanus moritur, succedit Nestorius; homo superbus, qui publicè pro concione ad Imperatorem dicere ausus fuit: *Tu mihi in profligandis hæreticis subveni, ego tibi in vincendis Persis auxilium feram*, qui virginem Mariam θεοτόκον Deiparam negat; & Christum asserit constare duplici personâ divinâ ac humanâ, ac beatam Mariam non esse Dei matrem, sed tantum hominis Christi.

Æmulabantur Episcopi Alexandrini, ne dicām & Romani, gloriam Constantinopolitani Episcopi. Petrus & Timotheus Alexandrinus labefacere conatus fuit electionem Gregorii Nazianzeni in Episcopum Constantinopolitanum. Theophilus ejus frater, Cyrilli patruus magnis cum turbis Christiani orbis, impetuoso & inepto suo conciliabulo damnavit & exauctoravit Joannem Chrysostomum etiam Constantinopolitanum. Sic & Cyrillus jam quamvis majori jure exagitat Nestorium, *in quem infenso erat animo*, inquit Socrates. Incitat illum suis litteris contra Nestorium Cœlestinus Episcopus Romanus, quibus ipsum in Nestorii caussam inquirere, ac denos illi ad resipiscendum dies præfinire suadet; quod frustra tentatum à Cyrillo, *Vid. epist. Theodosii ad Cyrillum in actis Concilii Ephesini.*

Bur-

Burgundiones, qui in Germania remanserant, fidem Christi sequuntur, & inde hostes suos reprimunt. *Socrat.* A. C. 429.

Urbs Venetiarum hoc anno condi cœpta est in rivo alto.

Cœlestinus Papa mittit Palladium Diaconum in Britanniam, ut Ecclesias admoneret de Pelagianismo vitando, quem quidam ibi propagare conabantur. Idem ulterius ad Scotos pervenit, eosque in religione Christiana instituit Paulo post missus est in Britanniam è Gallicanis Ecclesiis Germanus Episcopus, qui deturbatis hæreticis insulares ad Catholicam fidem redigeret. *Anastas. Platina, Usserius de Britannicarum Ecclesiarum primordiis cap.* 11. 12. *&c.*

S. Augustinus moritur, dum Vandali Hipponem, cujus urbis fuerat Episcopus annis 36, obsident, totam enim Africam, exceptâ Carthagine, Cittâ & Hippone, sibi subjecerant, de cujus viri dotibus eximiis tacere satius est, quam pauca dicere. A. C. 430.

Magnus ille Vir primus fuit absolutæ prædestinationis auctor, quæ controversia hodie & quondam multorum ingenia exercuit, quare paucis originem istius quæstionis referam: sed præmittam priscæ & primævæ Ecclesiæ ea de re sententiam, quæ hæc fuit secundum Greg. Calixtum in suo de controversiis Theologicis judicio: *Deum in tempore non aliter hominibus salutem conferre, quam decreverit ab æterno, nec aliter decrevisse ab æterno, quam agat & exequatur in tempore. Cum itaque in tempore neminem salvet nisi requisito aliquo, quod ipse exigit à parte hominis, posito & præsente, quod est videlicet fides in Christum; ita quoque ab æterno decrevisse, salvare neminem, nisi credentem in Christum: Decretum igitur electionis æterna non esse absolutum, sive non esse factum absolutâ Dei voluntate, hoc est tali, qua in eligendo nihil requisiverit, nihil attenderit: sed conditionatâ, hoc est respiciente ad quandam à parte hominis conditionem, & quidem eam ipsam, quam pro suo beneplacito, medium à parte hominis esse voluit: quo posito & præsente illi participes salutis redderentur. Cæterum neque homines neque fidem eorum in æternitate præsentes fuisse, à Deo tamen ignorari non potuisse, sed per suam præscientiam, quam nihil subterfugit, illam non minus certò, quam si reipsâ præsentes fuissent, quinam homines aliquando in tempore Euangelio obtemperaturi & credituri essent in æternitate cognovisse. Electionē itaq; juxta hanc præscientiam esse factam, sicut ipsa scriptura perspicuè enuntiat. Et hac fuit* 1 Petr. 1. 2. Rom. 8. 29. 30.

 senten-

sententia, inquit Calixtus, *primitiva Ecclesia, omniumque scriptorum qui doctrinam æternæ electionis attigerunt : quæ ipsius etiam fuit Augustini, usque ad exortum Pelagium, cujus hæresis sub initium quinti seculi cœpit emergere. Qui cum non modo peccatum originis negaret, sed etiam necessitatem divinæ gratiæ ad hoc, ut homines convertantur, credant & salventur, tolleret : Augustinus, ut necessitatem gratiæ è contra sive demonstraret sive exaggeraret, eousque est progressus, ut tribueret gratiæ divinæ, non modo quod ab ea sit facultas credendi & ad Deum sese convertendi ; verum & quod per eam homines ad credendum & ad sese convertendum determinentur, atque adeo non possint non converti & credere. Id autem dependere ab absoluto salvandi decreto, nempe quod Deus quosdam homines salvari velit absolutè, & ab æterno voluerit; his itaque gratiam determinantem conferri, reliquis non item : atque adeò juxta absolutum illud Dei de ipsorum salute propositum sive decretum necessariò servari, reliquos perire. Sic igitur Augustinus ut necessitatem gratiæ fortius assereret, & adversarium premeret, primus absolutum nonnullos homines, cæteris exclusis, salvandi decretum injunxit. Cum quo quia stare non potest, quod Deus velit omnes homines servari, uti disertè docet Apostolus, ea verba torquere, & si fas est fateri, corrumpere cœpit. Hanc Augustini sententiam, cum, quod per eam magnitudo divinæ gratiæ erga servandos maximè extolli & humanis viribus, quicquid illis Pelagiani tribuerent per compendium adimi videretur : tum, quod esset Augustini, cujus auctoritas & æstimatio meritò magna, multi in Occidentali Ecclesiâ egregii viri amplexi sunt & secuti. Prosper imprimis & Fulgentius in Africa Episcopus.*

Pelagius. *Augustinus.* *1 Tim. 2. 4.* *2 Pet. 3. 9.*

Cæterum nonnulli longius adhuc profecti sunt, cum enim ex sententia Augustini crederent, Deo placere & ab æterno placuisse, atque adeo decretum fuisse ut illi peccarent, & peccando damnationem incurrerent (tales Monachi Adrumetini) item quos prædestinatianos vocarunt, quorum meminit Arnobius & Sigebertus Gemblacensis ad an. C. 415. nos ad an. C. 490. *Item Lucidus presbyter, contra quem scripsit Faustus Regiensis; item Godeschalcus Monachus à Rabano & concilio Moguntino damnatus an. C.* 1448. malè. nam contigit an. C. 848. *Nonnulli duram hanc opinionem Augustino impingere conati fuerunt, vel certè ex ejus placitis deducere; quibus respondet Prosper,* & ipse Augustinus.

Monachi Adrumetini

Interim apud multos imo plerosque in Ecclesiâ Latinâ obtinuit sententia

tia Augustini, ab ipso etiam Magistro sententiarum & Thoma Aquinate & melioribus Scholasticis recepta. Ubi visum fuit Deo reformationem diu expetitam & summè necessariam in Occidentali Ecclesia moliri, & imprimis ejus, sive auctoribus sive administris contra nonnullos ex Scholasticis, divinam gratiam imminuentes, & viribus humanis nimium tribuentes, atque adeo Pelagianismo obnoxios agendum erat. Non modo Augustinum isti sunt secuti, & ab absoluto salvandi proposito gratiam determinantem certis hominibus conferendam derivarunt, sed etiam additamenta prædestinatorum, de hominibus ad perpetranda peccata & subeundam damnationem divinitus destinatis, admiserunt. Idem paulò post:

Quod hisce gemina Lutherus, Zvvinglius, Calvinus, Beza & horum asseclæ studio amplificandæ divinæ gratiæ & minuendarum virium humanarum docuerint, id nimis notum est; uti etiam hoc, quod eo nomine apud modernos malè audiant. Factum autem est per contentiones in Belgio cum Arminianis, quos vocant, agitatas, ut si non omnes certè plerique horrida illa, & quæ sententiæ Augustini superaddita sunt, missa fecerint, & ad Augustini dogma accesserint. Iuxta quod, Deus quidem ex genere humano suâ ipsius culpâ ex diaboli fraude in peccatum & exitium prolapso aliquos ex absoluto beneplacito & decreto liberat & servat, nullos tamen simili decreto, & prævisionem peccatorum antegresso, in necessitatem peccandi & subeundæ damnationis præcipitat.

Nostri, inquit Calixtus, id est, Lutherani, *è quibus olim multi itidem absolutum decretum approbarunt, paulatim ad sententiam primorum quatuor seculorum; nempe decretum juxta præscientiam factum se receperunt. Quâ in re multum & egregiè laboravit Ægidius Hunnius. Difficile autem est hanc sententiam ita proponere, ne quid Pelagianismo affine habere videatur; quemadmodum sanè Pelagianismi accusant Hunnium, tum David Tossanus Calvinista, tum Adamus Tannerus Iesuita.* Arcere autem Pelagianismum & à sua sententia secludere, hoc modo ibidem in suo typo conatur Calixtus. *Euangelium*, inquit, *ubiquè prædicatum est organum divinum ad fidem & salutem hominibus impertiendam destinatum, cum quo per aures ad mentem immisso, conjuncta est gratia divina supernaturalis, per quam præstatur, ut homo, qui sibi relictus pridem non poterat assensum & fidem præbere, jam possit, facultatem itaque credendi, quâ destitutus ante erat consequitur, necessitate tamen nullâ astringitur: quia*

quia si indoli & pravitati suæ frænos laxet, potest obsistere & obniti Spiritui sancto; & verbum Dei repellere, quemadmodum Stephanus protomartyr & Apostolus Paulus conqueruntur. Quod itaque homo Euangelium audiens & considerans credat, imo credere possit, acceptum ferendum est non naturæ viribus, sed gratiæ cum Euangelio connexæ, & per illud suppeditatæ; quod autem gratiæ possit refragari, congenitæ pravitati & indoli imputandum. Quia enim per gratiam quidem Deus efficax est & operatur, non tamen potentiâ absolutâ, sed conditiones & ordinem admittente, inde fit quod successu & eventu frustrari possit.

Actor. 7. 5.
1 Corinth 13. 46.

Id autem hic observandum est, posito quod Deus Euangelium revelaverit, & passim inter homines prædicari faciat per homines, non esse supra vires naturæ, quod quis Euangelium audiat, concipiat, consideret, & cum iis quæ ab aliis, Iudæis puta vel Mahumetanis, tanquam divinitus revelata proferuntur, comparet &c.

Itaque hodie sententiæ de prædestinatione reductæ sunt ad illas duas, unam quæ primorum quatuor seculorum fuit & à nostris probatur: alteram quæ est Augustini & Calvinianis arridet; & quemadmodum hæ duæ sententiæ per annos mille & diutius in Ecclesia simul toleratæ fuerunt, ipsique dissentientes se mutuò tolerarunt, ita quoque apud reformatos tolerari poterunt; si sapiunt.

Omissâ autem illâ rigidâ & horrendâ quorundam opinione, quam hodie quidam magis dicere, quam sentire formidant, S. Augustini præterpropter de prædestinatione sententia, publico quarundam nationum conventu primò fuit approbata, & illa primitivæ Ecclesiæ, quatuor nimirum primorum seculorum, primò rejecta in synodo Dordrechti, A.D. 1618. & 1619. celebratâ.

Augustini de prædestinatione sententiam cum annexis jam pridem acriter defenderunt Monachi Dominicani Hispani, quos secutus est jam nuperrimè Cornelius Jansenius Episcopus Iprensis in suo Augustino A. C. 1640. Cujus doctrinæ defensio, cum à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. esset prohibita, quinque Jansenii propositiones ab Innocentio X. Pontifice Romano, A. C. 1653. tanquam hæreticæ damnatæ sunt, quod anno sequenti approbavit Synodus Gallicana.

Jansenii doctrinam brevi synopsi proponunt Jesuitæ in suis the-

sibus

sibus Theologicis de gratia, libero arbitrio &c. cap. secundo hisce verbis:

Primò itaque angularem quasi lapidem totius ædificii jaciendo, statuit Iansenius hominem, uti & angelos, ita in justitia originali conditos, ut aliter condi non potuerint, neque ad supernaturalem beatitudinem non ordinari, adeòque visione beatificâ non donari, si, quod facillimè poterant, sine culpa in innocentia perseverassent. Quare quatuor libris summâ contentione negat, salvâ Dei justitiâ hominem aut Angelum sine gratia & supernaturalibus donis in statu puræ naturæ condi potuisse. 1.

Huic fundamento, quasi firmißimum foret, superstruere pergit hoc modo: Hominis primitus conditi ea fuit indispensabilis conditio, ut si ab originali justitia peccando descivisset, in posteritatem omnem connaturali generatione propagandam, non ex Dei statuentis arbitrio, sed ex rei natura, necessariò peccatum derivaret, eo prorsus modo physico ac reali, quo fons vitiatus rivulos infectos fundit, leprosus leprosum gignit. Iustitiam vero si in ea stitisset, non hac ratione transfunderet, sed eâdem lege ejusdem essent necessariò participes posteri, quâ ipse eam à Conditore acceperat, qui nimirum nullâ præeunte culpâ, aliter condere homines non posset. 2.

Deinde ait Ianßenius, inquiunt Iesuitæ: *Quemadmodum Deus neminem Angelorum (& idem est in omnibus judicium de hominibus innocentibus) prædestinavit ad gloriam ante prævisionem operum & perseverantiæ in caritate, ita quoque neminem reprobavit, nisi postquam eum à justitia defecturum esse præscivit. Habuit igitur Deus generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes, ex qua quantum in se est, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis consequendæ media sufficientißima largitus est. Hic consensus est cum adversariis.* tom. 3, l. 10. cap. 1.

Præviso primi hominis lapsu; ita posteritatem totam, naturali viâ generandam, originalis peccati labe infectam statuit, ut impoßibile sit ab ea quempiam esse immunem, consequenter nimirum ad primum articulum supra commemoratum. 3.

Tum de prædestinatione ac reprobatione ita pronuntiat: Deus paucis ex massa perditionis misericorditer discretis, quos ante omnem meritorum prævisionem ad gloriam efficaciter elegit, reliquos omnes ob originale peccatum non solum exclusit à regno, sed etiam æternis gehennæ suppliciis 4.

 addixit:

addixit: quam irrevocabilem sententiam sequitur adultorum quidem finalis desertio, occæcatio, obduratio, impœnitentia, ipsa denique damnatio: parvulorum verò, sine baptismo decedentium, sensibilis in gehenna ignibus cruciatus.

5. *Ex his negat Deum velle omnes homines salvos fieri: sed tantum eos quos elegit ad regnum.*

6. *Negat Christum pro omnibus crucifixum & mortuum; sed tantum pro iis qui salvantur.*

7. *Neque magis orasse patrem pro infidelium aut justorum non perseveraturorum salute, quam pro diabolis.*

8. *Asserit nullam omnino in hoc statu naturæ lapsæ dari gratiam sufficientem, quæ simul efficax non sit.*

9. *Non posse hominem gratiæ resistere, eamque deserere si velit: adeòque absolutè necessitari, sive ad bonum, si gratiam habeat, sive ad malum, eâ si careat.*

10. *Non coöperari gratiam nobiscum, aut ullam laudis partem ex bono opere in nos redundare.*

11. *Nullam proinde dari indifferentiam liberi arbitrii ad utrumlibet, imo neque libera esse, neque voluntaria peccata ulla, nisi in primi hominis peccato, quod solum in se liberum fuit, reliqua per concupiscentiæ prementis impetum non solum necessaria, sed & coacta.*

12. *Deum verè & propriè observatu impossibilia præcipere, atque ob ea non servata pœnas exigere.*

13. *Nullos omninò posse dari actus moraliter bonos ex naturæ ac liberi arbitrii viribus, sine gratia simpliciter supernaturali.*

14. *Similiter ignorantiam invincibilem non excusare à peccato delinquentem.*

15. *Omnium infidelium opera esse propriè dicta peccata.*

16. *Metum gehennæ à charitate separatum; bonum non esse aut utilem, ut per eum peccatum honestè vitari possit.*

17. *Pari de caussa amorem omnem concupiscentiæ respectu Dei, quo Deum ut nobis bonum expetimus, esse vitiosum, ac proprii nominis peccatum.*

18. *Dolorem de peccatis ex metu gehennæ aut pœnarum conceptum non esse dispositionem ad justitiam, in sacramento pœnitentiæ obtinendam.*

Quæ omnia hactenus recensita, ita præfidenter vult esse irrefragabilia

Catho-

Catholicæ fidei dogmata, ut contrariis audaci censurâ Pelagianismi notam inurat. Quam verè & quam Catholicè ex sequentibus articulis benevolus lector discere poterit. Hactenus Jesuitæ, quos si placet vide; & videbis ibi responderi Augustino Iperensi, per Augustinum Hipponensem & omnes Ecclesiæ primitivæ Patres tam Græcos quam Latinos. Samuel Maresius Theologus Groeningensis in sua apologia novissima pro Augustino, & contra Constitutionem Innocentii decimi, in præfatione ad Jansenitas asserit, esse inter Contra-Remonstrantes & Jansenium *consensum in istis capitibus de prædestinatione, gratia & libero arbitrio eosque esse ὁμοδόξους*: & in dedicatione, *Communem eorum esse caussam.* Abrahamus Heydanus Theologus Lugdunensis in Batavis, vocat cum Bradvvardino hanc doctrinam, *Causam Dei*, Calvinus ep. ad Bernates, *fidei principium.* Ego hanc litem meam non facio, sed non video esse tam justam dissentionis causam, quanta est contendentium partium asperitas & vehementia: placidis monitionibus docent religionem priscæ Ecclesiæ patres & credere non possum Deum ab homine requirere, ut æternum illud prædestinationis decretum intelligendo exactè capiat: sed credere malo, servari posse hominem modo ordinem, per quem in tempore Deus nos ad salutem perducit, sequatur & servet. De decreto ab æternitate facto parum sollicitus, timeat Deum & servet ejus mandata: in Christum credat, & obtemperet Euangelio in tempore dato, velut credidit pia & docta antiquitas, in reliquis sublimioribus cum Paulo & summa cum humilitate exclamet: *O* Rom. 11. 13.
altitudo divitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus &c. Loquitur hic Apostolus (quod obiter dico) de tempore & modo vocationis gentium, & admiratur in ea non intelligibilem Dei bonitatem, sapientiam Irenæus lib.
& cognitionem; idem crede de multis circa prædestinationem & 1. cap. 4
gratiam sublimibus controversiis. Quare rectè monet Cyprianus, *Dei arcana perspici non posse, & ideo fidem nostram simplicem esse debere. Nec ideo non justum est*, inquit Salvianus, *quod divinitas agit, quia capere vim divinæ justitiæ homo non valet: quid oporteat fieri*, inquit Arnobius, *& quando & quo genere, ipse cunctarum rerum pater & moderator & Dominus scit solus.* Atque utinam his temporibus audiatur

 B. Au-

B. Auguſtinus lib. de gratia & libero arbitrio, qui pios quoſdam & religioſos viros in monaſterio Adrumetino de myſterio gratię & liberi arbit. non ſatis inter ſe convenientes his verbis commonefacit: *Nuntiatum eſt mihi de vobis, fratres, ab aliquibus qui in veſtra congregatione ſunt & ad nos inde venerunt, quod de hac re diſſenſiones in vobis ſunt. Itaque dilectiſſimi, ne vos perturbet hujus quæſtionis obſcuritas, moneo vos primum, ut de his quæ intelligitis, agatis Deo gratias. Si quid eſt autem, quò pervenire nondum poteſt veſtræ mentis intentio, pacem inter vos & charitatem ſervantes à Domino ut intelligatis orate; & donec res ipſa perducat ad ea quæ nondum intelligitis ibi ambulate quò pervenire potuiſtis. Hæc admonet Apoſtolus Paulus, qui cum dixiſſet nondum ſe eſſe perfectum, paulò poſt ait: Quotquot ergo perfecti ſumus, hoc ſapiamus: id eſt, ita nos eſſe perfectos, ut nondum ad perfectionem, quæ nobis ſufficit venerimus*; continuòque ſubjungit: *Et ſiquid aliter ſapitis, hoc quoque Deus revelabit: veruntamen in quod pervenimus in eo ambulemus. Sed utinam omnes, qui Auguſtinum ſequi ſe jactitant*, inquit Melanthon in vita Lutheri, *perpetuam ſententiam, &, ut ita dicam, pectus Auguſtini referrent, non tam multa mutila dicta calumnioſè detorquerēt ad ſuas opiniones.* Cujus ſancti viri admirandam animi lenitatem, & invincibilem manſuetudinem vide in ejus vita à Poſidonio Epiſcopo Calamenſi deſcriptâ primo operum Auguſtini. Ego in multis religionis controverſiis, iſtius ſemper fui opinionis, me non poſſe tutius & felicius ad adyta veritatis penetrare, quam ſi ea, quibus fax ſanctæ ſcripturæ non ſatis clarè prælucet, illuſtrem, per conſenſum Patrum primitivæ Eccleſiæ, qui eâ occaſione ſemper apud me magnæ fuit auctoritatis. Illi autem omnes ante Auguſtinum, & cum iis Auguſtinus ante Pelagium, ex præſcientia gratuitam Prædeſtinationem, & univerſalem eamque ſufficientem ſed non promeritam ſtatuunt gratiam, eamque ad omnes actus bonos præcedentem & ſubſequentem, nec tamen ſemper æqualem, ſed & plerumque amiſſibilem: acceptæ gratiæ adjungunt coöperationem in homine, aut contemptum ex voluntatis libertate, quam quidem *miſeram, ſed non amiſſam* vocat Auguſtinus, & *Spiritu Dei juvari non auferri* dicit Proſper. Audiamus Auguſtinum: *Qui fecit te ſine te, non juſtificat te ſine te. fecit neſcientem, juſtificat volentem.* Et: *Vt velimus, Deus*

Voſſius hiſt. Pelag lib. 7. part 2. c. 2. Dallæus apologia pro ſynodis tom. 2. Ioan. 3. 15. &c.

Deus & suum esse voluit & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo. &c. Vide lib. de Spir. & litera ad Marcell. cap. 33. & in Psalm. 110. Audiamus Prosperum: Deus *ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam mutabilitatem, quâ potest nolle, non auferat. Alioquin nemo unquam fidelium recessisset à fide, neminem concupiscentia vinceret, nullius charitas refrigesceret, nullus patientia frangeretur.* Unde in fide Petri id explicans: *si ergo*, inquit, *defectura erat fides tanti Apostoli, nisi pro eo Christus oraret, inerat proculdubiò ei mutabilitas, quâ posset in tentatione mutari, & non ita jam perseverantiæ fuerat virtute solidatus, ut nullis periculis esset obnoxius.* Alii prædedestinationem statuunt absolutam, seu gratiam prædeterminantem, & gratiam ad solos restringunt electos, eamque volunt irresistibilem & non amissibilem; liberum arbitrium non solum negant, quia sine speciali auxilio Dei nihil possumus, sed quod ipse totum facit, nobis merè passivè recipientibus. Jam quæro, quibus potius loquatur Petrus? *Quapropter fratres potius operam date, ut vocationem & electionem vestram firmam efficiatis. Hac enim si feceritis non labemini unquam, siquidem ad hunc modum abundè subministrabitur vobis introitus in regnum æternum Domini nostri. Quapropter haud negligam vos semper commonere de his, tametsi sciatis & confirmati sitis in præsenti veritate.* Concludam verbis Vossii: *Græci Patres semper, Patrum Latinorum verò illi, qui ante Augustinum vixerunt, dicere solent eos esse prædestinatos ad vitam, quos Deus piè rectèque victuros prævidit, sive, ut alii loquuntur, quos prævidit credituros & perseveraturos:* τὰς μέλλοντας πιςδύειν ἐπ' αὐτῷ εἰς ζωὴν αἰώνιον. *quod est primo Timoth.* 1. 16. *quod ita interpretantur, ut prædestinatio ad gloriam facta dicatur secundum præscientiam fidei & perseverantiæ. Verum non intellexêre præscientiam eorum, quæ homo acturus erat ex viribus naturæ, sed quæ esset facturus ex viribus gratiæ, tum prævenientis tum subsequentis: eoque antiquitatis ille consensus nihil vel Pelagianos vel semipelagianos juvat: Nam utrique illi crediderunt prædestinationis caussam dari ex parte hominis secundum omnes effectus. At Catholici agnoverunt gratiam primam non esse ex merito, sed gratis conferri, & necessitatem gratiæ requiri ad singulos bonos actus, ita ut salutis nostræ initium etiam divinæ assignent gratiæ. Quare nec putarunt ex parte*

2Pet. 1. 10.

hominis caussam dari prædestinationis ad gratiam prævenientem. Per quam etiam verisimile est, vel omnes vel plerosque cum fidem electione faciunt priorem, non tamen considerare fidem, ut caussam electionis propriè dictam, quasi Deus dignitate fidei motus aliquos elegerit ad sanctimoniam & vitam: sed quia respexerit meritum Christi; hoc autem absque fidei dono nemini prosit. Itaque secundum eos prædestinatio non minus est gratuita, etsi posterior sit fide, quam justificatio gratis fit, etsi eam fides ordine naturæ antecedat. quod sexcentis Patrum auctoritatibus lib.6. hist. Pelag. cap. 8. probat Vossius. sed sat litium est. Vis ergo ut sepositis incertis & intricatis Theologorum altercationibus, & omissis spinosis scholasticorum tricis, salutis consequendæ summam secundum fidem Catholicam, breviter, dilucidè & solidè exhibeam? *Doctrina justificationis.* Si quis divinæ gratiæ, remissionis peccatorum & salutis æternæ particeps esse volet, conscientiam suam diligenter perscrutando examinet, peccata sua agnoscat & doleat: misericordiam Dei perseveranter imploret, credat unigenitum ejus Filium pro nobis hominibus hominem factum, passum, & mortuum: & in hac ejus morte ac merito fiduciam ac spem consequendæ remissionis peccatorum æternæque salutis collocet: & deinceps peccato operam dare desinat, & observationi mandatorum divinorum ac sanctimoniæ studeat. hæc qui sedulò & attentè fecerit, non est quod de misericordia Dei dubitet, & extremum filii judicium formidet. Hoc enim est, *certam facere suam vocationem & electionem,* ut citavimus ex Petro. Nam *nativitas salutaris non accepta, sed custodita vivificat*, ut loquitur B. Cyprianus. *Cyprian. ep. 7.* Audebo cum Paullo dicere: *Quicunque juxta regulam hanc incedunt, super eos pax & misericordia & super Israëlem Dei.* Gal.6.16. Et liceat mihi, pace quorundam hic adhibere verba eximia, B. Bernardi ad pastores in Synodo congregatos: *fidem habetis*, inquit, *sed ad opera vos invito, vos maximè qui estis vicarii Christi, qui estis pastores animarum, qui alios debetis instruere. Vos, inquam, maximè, qui soli non potestis perire, quia præire debetis docendo & operando. Multi sunt Catholici prædicando & hæretici operando. Quod hæretici faciebant per prava dogmata, hos faciunt plures hodie per prava exempla. Seducunt populum & abducunt in errorem & tanto graviores sunt hæreticis, quantum prævalent opera verbis.*

Quare

Quare satius judico ut derelictis & relegatis non necessariis, incertis & inutilibus Theologorum controversiis, fundamentalem Christianæ religionis doctrinam, ex fonte sacræ scripturæ hauriendam, & consensu Patrum primitivæ Ecclesię approbandam & confirmandam quęramus: quod securè fieri poterit, *si universitatis & antiquitatis consensionem spectemus*, ut loquitur Vincentius Lirinensis: *Non quia canon solus non sibi ad universa sufficiat, sed quia verba divina, pro suo plerique arbitratu interpretantes varias opiniones erroresque concipiunt. Atque ideo necesse sit, ut ad unam Ecclesiastici sensus regulam scripturæ cælestis intelligentia dirigatur; his duntaxat præcipuè quæstionibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur. Hæc doctrina Catholica & universalis, & una eademque per singulas ætatum successiones incorruptâ veritatis traditione manens, usque in secula sine fine mansura est. Sed enim, inquiunt aliqui, multa etiam inveniuntur apud antiquos prope omnes, Græcos imprimis, in quibus liberi arbitrii vires, non minus extollant, quam à Pelagio postea factum fuit*, inquit Vossius: *Video quidem ita multis esse persuasum, viris sane non aspernendæ eruditionis. Verum enimvero quamto aliter sapuit B. Augustinus, qui passim contendit, dogma illud, quo gratiam destruere Pelagius conabatur novum fuisse & ante ea tempora in Ecclesia Dei inauditum*. Quod prȩter alios etiam Vincentius Lirinensis affirmat, cap. 34, ut ante vidimus. *Tanti interest quo affectu veteres illos legamus. inquit idem Vossius: Atqui sancti illi Martyres, cæterique clarissimi nominis doctores, cum homini tribuunt libertatem ad bonum, vel de naturalibus aut moralibus solùm agunt, vel si quando de operibus pietatis, & iis quæ ad Deum pertinent, sermo fit, communiter & indefinitè voluntatem hominis considerant, minimè distinguentes quid possit ex viribus naturæ, quid item ex viribus gratiæ: sed tantummodo eam tribuentes homini tum, per quam & ante gratiam bonum morale agere & non agere possit, & post vires gratiose acceptas credere vel non credere, opus pietatis præstare vel omittere valeat: contra quàm Bordesanistarum, Manichæorum & similium opinio fuit. Aliter si Patres illos interpretamur, non tantum alios aliis, sed singulos secum committamus necesse est. Verum hoc facere illi non refugiunt, adversus quos caussam agimus antiquitatis. Nam nihil apud eos pervulgatius est quam Patres, ut in aliis, ita secum hac parte plurimum pugnare:* *quippe*

Lirinensis in commonit.

quippe qui libertatem arbitrii uno ore prædicent & tamen alias contendãt hominem auxilio Dei ad singulos actus indigere. At quod pace eorum liceat dixisse, nunquam tam iniqui erimus veterum censores, ut quæ probè inter se conciliari possunt, ea nos pugnare dicamus; præsertim ubi veteres illi gravissimi & sanctissimi gratiæ patroni nullam ἐναντιότητα *videre potuerunt. Objectant nobis loca quædam antiquorum, sed vix aliquid habent ab Augustino non refutatum. Verum esto sanè, aliqui interdum incautius sunt locuti. Sed aliqui, ut diximus, & interdum: non omnes vel plurimi: non semper vel plurimum. Et num censores illi arbitrantur eam esse temporum nostrorum felicitatem, ut scribi quicquam possit, quod non dico aliovorsum rapere possit hominum iniquitas: sed verò etiam aqui censoris virgulam non extimescat?* &c. Hæc habet Vossius vir moderatissimus & in lectione Patrum versatissimus hist. Pelag. lib. 3. part. 1. thes. 2. in fine, & lib. 6. thes. 12. sic loquitur: *Communem fuisse antiquitatis sententiam, quam diximus, soli hodie negare possunt qui cætera fortasse viri sunt non inerudıti, sed in antiquitate tamen planè sunt hospites: vel animum habent unius vel alterius sententiis ita mancipatum, ut eorum oculis videre malint quam suis, cumque iis errare præoptent, quam cum aliis bene sentire.* &c. Vide locum.

Quare, inquam, quemadmodum olim Socrates, sapientiæ humanæ princeps, usus notissimo dicto, *quæ supra nos nihil ad nos*, Philosophiam *à rebus occultis & à natura ipsa involutis*, ut ait Varro apud Ciceronem, *avocavit, & ad vitam communem adduxit, ut de virtutibus ac vitiis, omninòque de bonis ac malis rebus quæreret*: sic & nos neglectis aut omissis subtilibus istis rixis, sola fidei fundamenta ad salutem necessaria & sufficientia inquiramus, & favorem Dei per fidem adepti, vitæ sanctimoniâ & bonis operibus conservemus: *Antiqua sapientia*, inquit Seneca, *nihil aliud quam facienda & vitanda præcepit & tunc longè meliores erant viri: postquam docti prodierunt boni desunt: simplex enim illa & aperta virtus in obscuram & solertem scientiam versa est, docemurque disputare non vivere.* Vtinam non eodem modo, & longè pernitiosius hodiè peccaretur in Theologia! Sed perantiqua hæc est labes, etiam tempore Gregorii Nazianzeni non ignota, ut his testatur verbis: *Theologia & religio, res est simplex & nuda sine magno artificio, divinis constans testimoniis: quam tamen præ-*

vè

[Margin: 2 Cor. 3. 9. Seneca ep. 95.]

vè quidam convertunt in artem difficillimam. Quæris cauſſam? *Contentioſi eſtis, fratres, rerum, quæ ad ſalutem minimè pertinent, accenſi zelo*, inquit Clemens Romanus in ſuâ ad Corinthios epiſtolâ: *Cur inter nos ſunt contentiones, iræ, ſimultates, ſchiſmata & bellum? nonne unum Deum & unum Chriſtum habemus? Nonne unus eſt ſpiritus gratiæ, qui ſuper nos effuſus eſt, & una vocatio in Chriſto? Cur Chriſti membra divellimus & diſcerpimus, & contra proprium corpus ſeditionem movemus, eòque veſaniæ devenimus, ut aliorum nos membra eſſe oblivioni tradamus?* Et tamen Deus bone, quot rixis & ſectis diſcerpitur Eccleſia Dei! quot turbis & calamitatibus concutitur corpus Chriſti! quot clamoribus perſonant Academiæ, templa, convivia, circuli! quot ſublimia torquentur ingenia! quot & quantis perſtrepit orbis Chriſtianus rumoribus ſuper unâ quæſtione de gratiâ Dei! & tamen de eâ conſenſum habes totius primitivæ Eccleſiæ. Quæ omnia manifeſtum indicant charitatis defectum, & proinde etiam gratiæ: *hinc ergo colligitur, recedente ſpiritu, fidem etiam mori; quoniam ſpiritus eſt qui vivificat*, inquit S. Bernardus de reſurrectione Domini ſerm. 2. Queris ergò remedium? *ſiquis ſapientia præditus inter vos*, inquit S. Iacobus, *oſtendat ex bona converſatione opera ſua cum manſuetudine ſapientiæ. Quod ſi æmulationem amaram habetis, & contentionem in corde veſtro, nolite gloriari & mendaces eſſe adverſus veritatem, non enim eſt iſta ſapientia è ſupernis deſcendens, ſed terrena, animalis, Dæmoniaca. Vbi enim æmulatio & contentio, ibi inconſtantia & omne opus pravum. Quæ autem è ſupernis eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, demum pacifica, modeſta, tractabilis, plena miſericordiâ & fructibus bonis, abſque dijudicatione, ſine ſimulatione. fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur, facientibus pacem.* Cum autem hoc ſeculo tres diverſæ, de gratia & libero arbitrio &c. fuerint ſententiæ, poſitis affectibus, pro meo captu, dabo paucis earum breviaria.

Iacob. 3 13.

SENTENTIÆ PATRUM PRIMITIVÆ ECCLESIÆ, De gratiâ & LIBERO ARBITRIO.

1. IN primitivâ Ecclesiâ in eo omnes conveniunt patres, quod eos tantum ad salutem prædestinarit Deus, quos puro puto gratiæ suę dono & fidei & bonæ voluntatis initia habituros, & in iis perseveraturos præscivit.

2. Pro omnibus hominibus mortuum esse Christum statuunt eidem patres omnes, tam qui post, quam qui ante Augustinum vixerunt.

3. Necessitatem gratiæ statuunt eidem patres, eamque præcedentem, concomitantem & subsequentem ad omnes actiones bonas.

4. Modum operationis gratiæ fieri docent, præcedente deliberatione, & molli quâdam actione in libero arbitrio operante non tantum velle, sed & liberum velle: sic ut homo operanti Deo assentiatur & coöperetur: ita tamen, ut sine Dei auxilio nihil boni possit velle aut efficere, & tamen ex proprio arbitrio in suam perniciem bonam possit inspirationem rejicere.

5. Omnium patrum primitivæ ecclesiæ sententia est, fidem & gratiam posse amitti & totaliter & finaliter.

Hæc fuit sententia Patrum primitivæ Ecclesiæ tam Græcorum quam Latinorum; imò etiam ipsius Augustini ante adventum Pelagii: nec opus esse judico ut hic operosè consensum eorum probem, cum id manifestum sit cuivis vel mediocriter in patrum scriptis versato. Testantur hoc *Calvinus Instit. lib. 2. cap. 3. §. 2. Beza in epist. ad Rom. cap. 9. Melanthon in idem caput. Scultetus in Medullâ Patrum. Molinaus de Novitate Papatus lib. 1. cap. 46. Calixtus in tract. cui titulus, Iudicium de Controversiis Theolog. Vossius Historia Pelag. lib. 6. cap. 8. Ioan. Dallaus apologiâ pro synodis* &c. & plurimi alii, quos omnes hic enumerare non est operæ pretium.

Sen-

Sententia Augustini.

BEatus Augustinus, ejusque discipuli, communi patrum sententiæ addiderunt absolutum Dei decretum, quo ab æterno statuunt certis hominibus gratiam ita congruam & efficacem dari, ut quibuscunque fuerit donata, illud in iis certò operetur, cujus causâ confertur. 1. *Gratia efficax.*

Hanc fuisse sententiam Augustini sequentia probant. libr. 1. ad Simplician. quæst. 2. ipse Augustinus sic scribit: *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra illius misereatur, si homo nolit. Quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur. Verum est ergo, multi vocati, pauci vero electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est ut sequantur. Falsum est autem, si quis dicit, igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quia nullius Deus frustra miseretur: cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Et paulò post: *Cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat: quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in quâ Iacob justificatus est?* Et mox: *Cum enim deserit Deus non sic vocando, quomodo ad fidem moveri potest, quis etiam dicat, modum, quo ei persuaderetur ut crederet, etiam omnipotenti defuisse?* Postea subjungit. *Tenacissimè firmissimèque credatur, quod Deus, cujus vult, miseretur, & quem vult obdurat; hoc est, cujus vult miseretur; & cujus non vult, non miseretur: esse alicujus occultæ, atque ab humano modulo investigabilis æquitatis.* Idem plusculis interjectis: *Quis potest credere, nisi aliquâ vocatione, hoc est, aliquâ rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali nisu attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Aut quis habet potestatem, ut vel occurrat, quod eum*

 delectare

delectare poßit, vel delectet cum occurrerit? cum ergo nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & prabetur gratia Dei: non nutu nostro, & industriâ, aut operum meritis comparatur. Adhæc Epist. 107. ad Vitalem sic scribit: *Si ita prapararet atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodò legem suam atque doctrinam, libero ejus adhiberet arbitrio, neque vocatione illâ altâ atque secretâ sic ejus ageret sensum, ut idem legi atque doctrina accommodaret assensum: proculdubiò eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac prædicare sufficeret, nec opus esset orare, ut Deus ad fidem suam infidelium corda converteret.* Videatur etiam Augustin. lib. de Corrept. & grat. cap. 14. item. lib. de grat. & liber. arbit. cap. 14. cap. 16. & lib. de grat. Christi contra Pelag. & cœlest. cap. 24. & lib. de prædest. Sanctor. cap. 8. & lib. de bono perseverantiæ cap. 8. Item de Spiritu & Litera cap. 34.

2. *Sufficiens & Universalis gratia.* Prçterea statuunt 1. Deum voluntate antecedente & conditionatâ & seriâ velle salutem singulorũ hominum. 2. Redemptionis Christi beneficium ad omnes pertinere; nullum etiam esse, cui non prçbeantur auxilia sufficientia ad salutem: sed electis dari gratiam singularem & efficacem, quæ *Auctori lib. de vocat. gent.* dicitur specialis; de qua adversus Pelagium disputat, & in qua totus est Augustinus: reliquis, id est, per prædicationem Euangelii vocatis & simpliciter fidelibus dari communem seu sufficientem gratiam, quç *Auctori de vocation. gent.* vocatur generalis, & hodie toti orbi innotuit nomine universalis, per quam illi servantur, qui eam amplectuntur & in ea perseverant, qui verò eam negligunt, suâ culpâ pereunt.

1. Deum voluntate antecedente & conditionatâ & seriâ velle salutem singulorum hominum ex his liquet Augustini locis lib. de Spirit. & Liter. ad Marcellin. cap. 33. *Vult Deus omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè vel malè utentes justißimè judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contrà Dei voluntatem faciunt, cum ejus Euangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem, si non inveniret, quid de contem-*

contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere, quod de talibus ille constituit. Huic rei confirmandæ inserviunt & illa Augustini loca in quibus disertè dicit, omnes homines posse ad salutem pervenire, si velint. Lib. 1. de Genes. contr. Manich. cap. 3. *Illud autem lumen non irrationalium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium, se ad ejus præcepta servanda convertunt: quod omnes possunt, si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* hoc idem lib. 1. Retract. cap. 10. ita repetit. *Quod omnes homines possunt, si velint, non existiment novi hæretici Pelagiani secundum eos esse dictum. Verum est enim omninò omnes homines hoc posse, si velint; sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis, ut possint.* Idem Prosper, optimus Augustinianæ sententiæ interpres, asserit ad Gallos super cap. 8 sententia. 8. *Qui dicit, quod non omnes homines Deus velit salvos fieri; sed certum numerum prædestinatorum, durius loquitur, quam loquendum est, de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei; qui & omnes homines vult salvos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire.* Item ad Object. 2. *Sincerissimè credendum est, atque profitendum, Deum velle ut omnes homines salvi fiant; siquidem Apostolus, cujus ista est sententia, sollicitè præcipit, quod in omnibus ecclesiis piissimè custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur; ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum, quod multi salvantur, salvantis est Domini.* Similia loca videantur in Apolog. Ioan. Dallæi pro duab. Gall. Synod. Nation. pag. 832. 833. &c. & 857.

2. Christi beneficium redemptionis ad omnes pertinere Augustini etiam enarrationes probant, in 59, sic loquitur. *Tenebantur homines captivi sub diabolo & dæmonibus serviebant; sed redempti sunt à captivitate: vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit redemptor & dedit pretium, fudit sanguinem suum, & emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? quid nisi totus orbis? quid nisi omnes gentes? valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt, qui dicunt aut illud tam parvum esse, ut solos Afros emerit; aut se tam magnos esse pro quibus solis illud sit daturus. Non ergo exultent, non superbiant, pro toto dedit quantum dedit. Novit quid emerit, quia novit quanti emerit, & quanti dederit.* Et paulò ante finem: *Iudicavit*

orbem terrarum in aquitate; Non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit. item in Psalm 147. *Vide commercium redemptionis nostræ: Christus pependit in ligno. Vide quanti emit, & sic videbis quid emit. Empturus est aliquid. Ipsum aliquid nondum scis. Vide quanti, & videbis quid. Sanguinem fudit, sanguine suo emit, sanguine agni immaculati emit, sanguine unici filii Dei emit. Tum: Magnum pretium video Christi, videam quid emisti. Commemorabuntur & convertentur ad dominum universi fines terræ. In uno eodemque Psalmo Emptorem video, & pretium, & possessionem. Emptor, Christus est, pretium sanguis, possessio orbis terrarum.* Item in Psalm. 49. *Qui terram vocavit, & totam terram vocavit. Qui terram vocavit, tantam vocavit, quantam fabricavit.* Tum: *qui vocavit terram à solis ortu usque ad occasum totum redemit.* Item in Psalm 68. vers. 27. *Projecit pretium argenti, quo ab illo dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat.* Idem libr. xx. de Civitat. Dei cap. VI. sic scribit. *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, sive in originalibus, sive etiam voluntate additis, vel ignorando vel sciendo, nec faciendo quod justum est: & pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus; id est, nullam habens omnino peccatum. Idque significare* 2 Cor. 5. vers. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Hic etiam audiendus Prosper, is in Respons. ad cap. 9. Gall. object. sic scribit: *Nullus omninò est ex omnibus hominibus, cujus natura in Christo, Domino nostro, suscepta non fuerit.* Ibidem. *Cum itaque rectissimè dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem, potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit.* Idem in sententiis, quas responsionibus ad capitula Gallorum subjecit, sic scribit super nono hoc illorum capite: *Qui dicit, quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit Crucifixus, non ad Sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem: cum sanguis Domini nostri I. Christi pretium totius mundi sit: à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt: aut post redemptionem ad eandem sunt servitutem reversi.* Ad hęc vide Resp. ad object. Gallic. 3. ad object. 5. ad object. 9. ad object. 11. ad object 12. ad object. 14. Item respons. ad object. Vincent. 3. ad object. 4. 5. 6. 11. 12. 13. 14. 15.

15. 16. Idem confirmat scriptor lib. 2. de vocat gent. cap. 16. *Nulla igitur ratio dubitandi est Iesum Christum Dominum nostrum pro impiis & peccatoribus mortuum, à quorum numero* (siquis) *liber inventus est, non est pro omnibus mortuus Christus. Sed prorsus pro omnibus mortuus Christus.* Item lib. 1. cap. 5. & cap. 12. lib. 2. cap. 2. 3. 4. 5. 8. 10. 15. 17. 23. 25. 26. 29. 31. ubi omnibus ad salutem sufficientia auxilia pręberi fusè docet. His adjunge Augustin. lib. 6. contra Julian. cap. 4. & cap. 9. lib. 1. de peccator. meric. & remission. cap. 26.

Augustinus necessitatem gratiæ præ cæteris contra Pelagium acriter urget. Quodcum in confesso sit, probatione opus non habet. 3.

Augustinus eundem cum patribus primitivę ecclesię modum operationis gratię statuit, non necessitantem, sed in omni opere sancto priorem esse gratiam, quia operatio ab eâ incipit: voluntas autem humana coöperatur, quia gratia eam ad simul operandum trahit. Operatur Deus, coöperatur homo. Ita tamen ut electi, quamvis interdum gratiâ excidere possint, certò tamen & infallibiliter serventur, ob amorem Dei erga eos eximium: reliqui vocati aut fideles aut serventur, aut pereant, pro modò coöperationis secundum liberum arbitrium. 4.

Hanc quoque Augustini fuisse sententiâm probant scripta ad Simplic. l. 1. quęst. 2. *Nemo credit non vocatus; sed non omnis credit vocatus; multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Vtique ii, qui vocantem non contempserunt, sed credendo secuti sunt, volentes sine dubio crediderunt.* Ibidem. *Quamvis multi uno modo vocati sunt, tamen quia non omnes eodem modo affecti sunt; illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Et post pauca: *Noluit ergo Esau, & non cucurrit. Sed & si voluisset, & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi, vocatione contemptâ, reprobus fieret: aliter enim Deus præstat ut velimus, aliter præstat, quod voluerimus: ut velimus enim & suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus solus præstat, id est, posse benè agere, & semper beatè vivere.* Idem tom. 9. tractat. 53. in Euangel. Ioan. sic loquitur: *Quare non poterant credere* (Iudæi) *si à me quæratur, citò responderem quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, &*

Liberum arbitrium.

& per prophetam prænuntiavit ille, cui abscondi futura non possunt. Idem de prædestinat. cap. 15. de Pharaone & Nebuchodonosore: *Quantum ad naturam, ambo homines erant, quantum ad dignitatem, ambo reges, quantum ad causam, ambo captivum populum Dei possidentes, quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid fines eorum fecit esse diversos? nisi quod unus manum Domini sentiens in recordatione propriæ indignitatis ingemuit; alter libero contra Dei misericordissimam voluntatem pugnavit arbitrio.* Idem de gratia & liber. arbitrio. cap. 17. *Coöperando* (Deus in nobis) *perficit, quod operando incipit; quia ipse ut velimus operatur incipiens, volentibus cooperatur perficiens.* Idem de verbis Apostol. serm. 13. *Si non esses operator, ille non esset cooperator.* Item libr. 13. quæst. q. 24. *Nec peccatum, nec rectè factum, imputare cuipiam justè potest, qui nihil fecerit propriâ voluntate. Est igitur peccatum & rectè factum in libero voluntatis arbitrio.* Idem libr. 50. homiliar. homil. 16. *In tuo arbitrio Deus posuit, cui pares locum; Deo an Diabolo.* Idem de Spirit. & Liter. cap. 33. *Profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Adhæc vide libr. 3. de liber. arbitr. cap. 1. de Natur. & grat. cap. 65. item de peccat. merit. & nupt. libr. 2. cap. 5. & 17. item de Ecclesi. dogmat. cap. 21. Videatur etiam Prosper adversus Collat. cap. 14. ubi modum operationis gratiæ fusè describit. Item ad Ruffin. de liber. Arbitr. item. Ad Capp. Gall. 6. & 26. Videantur etiam duo insignia loca ex libr. de Vocat. gent. cap. 25. 26. Ex capite vero 26. hæc verba expendanrur: *hanc abundantiorem gratiam ita credimus atque experimur potentem, ut nullo modo arbitremur esse violentam.* & cap. 28. *Fit manifestum, quod diversis atque innumeris modis omnes homines vult Deus salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: sed qui veniunt,* Dei *auxilio diriguntur, qui non veniunt, suâ pertinaciâ reluctantur.* His adde Fulgentium libr. 1. de Veritat. Prædestin. pag. 79. *Apud Esaiam sic loquitur Deus, si volueritis & audieritis me, bona terra comedetis, si autem nolueritis nec audieritis me, gladius devorabit vos. His verbis quibus dicitur, si volueritis & nolueritis, proculdubiò* Libertas *humani declaratur arbitrii. Velle enim & nolle voluntatis esse nemo ignorat.*

Augu-

Augustinus vocatos seu fideles tantum, & fidem & gratiam amittere posse non negat: nam Deus, qui dat velle bonum, non semper dat in bono perseverantiam: sed electos seu prędestinatos ad salutem non deficere, aut gratiam amittere, vel, si amissa sit, ante finem restitui statuit. 5. *Gratia amissibilitas*

Inspiciatur ipsius liber de bon. persev. cap. 13. ubi sic scribit: *Ipsos quoque regeneratos alios perseverantes usque in finem hinc ire, alios, quousque decidant, hic teneri: qui utique non decidissent, si, antequam laberentur, hinc issent: & rursum quosdam lapsos, quousque redeant, non exire de hac vita, qui utique perirent, si, antequam redirent, exirent.* Videantnr etiam quæ exstant de corrept. & grat. cap. 6. *Si autem jam regeneratus & justificatus in malam vitam suâ voluntate relabitur, certè iste non potest dicere non accepi, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio.* Et cap. 8. *Mirandum est quidem, multumque mirandum, quod filiis suis Deus quibusdam, quos generavit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam.* ibidem. *De his disserimus, qui perseverantiam bonitatis non habent, sed ex bono in malum Dei deficiente bona voluntate moriuntur. Respondeant si possunt, cur illos Deus, cum fideliter & piè viverent non tunc de vita hujus periculo rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum.* Et lib. de bon. persev. cap. 6. *Non dicant homines perseverantiam cuiquam datam esse usque in finem, nisi cum ipse venerit finis, & perseverasse cui data est, repertus fuerit usque in finem. Dicimus quippe castum, quem novimus castum, sive sit, sive non sit, in eadem castitate mansurus; & siquid aliud divini muneris habeat, quod teneri & amitti potest, dicimus eum habere, quamdiucunque habet, & si amiserit, dicimus habuisse.* Eandem esse sententiam Prosperi patet ex subjectis sententiis. Ad capp. Gall. c.2. *A sanctitate ad immundiciem, à justitia ad iniquitatem plerosque transire non dubium est.* Et mox. *Non relicti sunt à Deo ut relinquerent Deum, sed reliquerunt & relicti sunt, & ex bono in malum propriâ voluntate mutati sunt. Atque ab hac licet fuerint renati, fuerint justificati, ab eo tamen, qui illos tales præscivit, non sunt prædestinati.* Sic cap. 7. *Ex regeneratis in Christo Iesu, quosdam, relicta fide & piis moribus, apostatare à Deo, & impiam vitam in sua aversione finire, multis, quod dolendum est, probatur exemplis.* sic cap. 12. item ad object.

Vincent. 12. ad object. 13. ad object. 14. Idem confirmat scriptor de vocat. Gent. lib. 2. cap. 12. item cap. 28. ubi sic dicit. *Ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam mutabilitatem, quæ potest nolle, non auferat: alioquin nemo unquam fidelium recessisset à fide, neminem concupiscentia vinceret, neminem iracundia debellaret, nullius charitas refrigesceret, nullius patientia frangeretur, & collatam sibi gratiam nemo negligeret; sed quia hæc possunt fieri, & in consensum talium tentationum facilis nimium proclivisque dissensio est, nunquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non sonare; Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Item cap. 73. ejusdem libri, & alibi. *Tota antiquitas indeficibilitati adversatur*, inquit Vossius hist. Pelagianæ lib. 6. cap. 12. *nec quemquam, quantum meminisse valemus, veterum invenire est, qui fideles omnes omnimodam de perseverantia sua certitudinem habere arbitraretur.* Imo nec Augustinus ipse electionis, aut de futuro statu certitudinem docuit: *Quis enim hominum*, inquit de civit. Dei 2. 12. *se in actione profectuque justitia perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliquâ revelatione ab illo certior fit, qui de hac re justo latenteque judicio, non omnes instruit, sed neminem fallit.* Et: *De perseverantia sua præmio certi sunt: de ipsa perseverantia sua reperiuntur incerti.* Idem de corrept. & grat. 13. *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? quia hoc occultari opus est hoc loco, ubi cavenda est elatio.* Et lib. de bono perseverantiæ cap. 8. *Hominibus autem videtur, omnes, qui boni apparent fideles, perseverantiam usque in finem accipere debüisse: Deus autem melius esse judicavit, miscere quosdam non perseveraturos certo numero sanctorum suorum, ut, quibus non expedit in hujus vita tentatione securitas, non possint esse securi. Multos enim à perniciosa elatione reprimit, quod ait Apostolus: Qui videtur stare, videat ne cadat.* Et cap. 22. *Quoniam de vita æterna, quam filiis promissionis promisit non est mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi cum consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram.* similia habet Prosper. Si miratur lector tantam testimoniorum nubem à me productam, factum hoc sciat ex proposito, ut videamus Augustini in hac sententia constantiam, quam subinde apud sanctum virum vacillare multi affirmant.

Sentententia quorundam Monachorum Adrumetinorum.

Monachi Adrumetini in Africa absolutum ab æterno statuunt Dei decretum electionis & reprobationis; quo quidam, sed pauci eliguntur ad vitam æternam, reliqui & plurimi reprobantur, id est, ad æternum ignem prædamnantur: idque sine aliqua alia caussa, quam ex sola voluntate & mero Dei beneplacito. 1.

Statuunt Christum non esse mortuum pro omnibus hominibus, sed tantum pro electis. 2.

Necessitatem gratiæ tam abundanter statuunt, ut eam semper efficacem velint, sed eam solis electis tribui. 3.

Gratiam eam esse irresistibilem, & in ea homines merè passivè agere statuunt, & ita, ut Pelagiani gratiam, hi liberum tollunt arbitrium, quare à quibusdam dictum est servum arbitrium. 4.

De gratiæ perseverantia & amissibilitate, quid aliud dicere possunt Adrumetini, præterquam electos seu prædestinatos non posse damnari, reprobos non posse salvari: & Deum ab æterno decrevisse & determinasse omnia omninò futura eo modo, eo loco, eo tempore, & eo ordine, quo fiunt: nec quemquam plus aut minus boni aut mali facere posse, quam facit, & frustra facere cum Deus secundum opera uniuscujusque non sit redditurus. Ita ut consequenter Christus in extremo judicio electis dicturus quidem sit, *Venite benedicti Patris mei,* &c. reprobis, *discedite a me maledicti in ignem aternum* &c. sed non additis rationibus, quas subjungit Matth. 25. 5.

Adrumetum erat urbs Africæ Propriæ, ad mare mediterraneum sita, ubi nunc regnum Tunetanum: inde Monachi Adrumetini, quorum quidam ex libris Augustini malè intellectis omnia gratiæ tribuebant, & liberum arbitrium negabant, *& quod gravius,* ut loquitur Augustinus epist. 46. ad Valentinum, *negabant Deum in die judicii unicuique redditurum secundum opera ejus. Etiam hoc tamen indicaverunt*, pergit Augustinus, *quod plures vestrûm non ita sentiant, sed liberum arbitrium adjuvari fateantur per Dei gratiam, ut recta sapiamus atque faciamus, ut cum venerit Dominus reddere unicuique secundum opera ejus, inveniat opera nostra bona, qua preparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Quare obstupeo, cum video Adrume-

tinorum verba è diametro contraria verbis Christi, Matth. 16. 27. *Futurum enim est*, inquit, *ut filius hominis veniat in gloria Patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* & Pauli Rom. 2.5. & seq. Adversus hos scripsit Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio, & alterum de correptione & gratia: quorum primus docet ita prædicandam esse gratiam, ut non tollatur liberum arbitrium, ubi inquit: *in fide sana Catholica perseverent, quæ neque liberum arbitrium negat sive in vitam malam, sive in bonam; neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid, sive ut in bono perseveranter proficiat, sive ad bonum sempiternum perveniat &c.* alter docet ita gratiam esse prædicandam, ut correptio semper statuatur necessaria. Vtrumque scripsit ad Valentinum eorum monachorum unum & ad reliquos dictos monachos: ad quos etiam exstant epistolæ 46. & 47. in quibus eos carpit, quod non satis diligenter & attentè legerint suos libros, ut epist. 47: Et epist.46. ut gratiæ necessitatem & arbitrii libertatem probet Augustinus; *si non est Dei gratia*, inquit, *quomodo salvat mundum? Si non est liberum arbitrium quomodo judicat mundum?* Ex errore horum Monachorum, ne quid dicam de Manichæorum, & Priscillianistarum hæresi, originem trahere videtur dogma Prædestinatianorum, de quibus ita loquitur Gennadius Massiliensis Episcopus, qui vixit tempore Gelasii Papæ, sub finem hujus seculi, in appendice indiculi Hieronymiani de hæresibus, operâ Claudii Menardi nuper Parisiis editi, inquit *Vossius* hist. Pelag. lib. 1. cap. 10. *Prædestinatiani sunt, qui dicunt, quod Deus non omnes homines ad hoc creavit, ut omnes salventur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus: quod & si generali prædicatione dicat; Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos; non tamen omnes eâ voluntate voces, ut omnes sequantur vocantem: sed nec omnes, qui ipso inspirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exequendi in bono opere perseverantiam, sed post multos labores & justitiæ fructus, si non sint de salvandorum numero, subtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono; Et è contrario, illos, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, etiamsi in perfidia vel in omni genere peccati longo tempore volutentur, accepturos occasionem, quâ & credant in Deum & secundum Dei præceptum vivant, ut possideant societatem justorum. Tali definitione id docere student,*

ſtudent, quod Deus perſonas hominum accipiat. Quod alios, etiam invitos, poſt multa mala opera attrahat ad ſalutem, alios poſt bona opera rejiciat, & compellat in malum, quo pereant in æternum. Attende lector, quantum hæc Adrumetinorum ſententia differat ab Auguſtiniana, ſi vera narrat Gennadius. Quare audiamus etiam Sigilbertum Gemblacenſem, ad an. C. 415, in ſuo Chronico: *Prædeſtinatorum hæreſis,* inquit, *hoc tempore cœpit ſerpere, qui ideo prædeſtinati vocantur, quia de prædeſtinatione & divina gratia diſputantes aſſerebant, quod nec pie viventibus, proſit bonorum operum labor, ſi à Deo prædeſtinati ſunt ad mortem, nec impiis obſit quod improbè vivant, ſi prædeſtinati fuerunt ad vitam: quæ aſſertio & bonos è bonis avocabat, & malos ad mala provocabat. Hac hæreſis,* inquit, *ex libris Auguſtini malè intellectis initium ſumſiſſe dicitur.* Videtur autem hoc dogma, licet ab exiguis initiis, latè tamen & diu ſerpſiſſe, & ei etiam faviſſe non infimæ notæ viros: *Quæ Auguſtini tempore, Adrumetinorum Monachorum ſententia fuit, ea & ſexaginta poſt obitum ejus annis fuit Lucidi preſbyteri, & anno octingenteſimo quinquageſimo Godeſchalci monachi, & circa annum milleſimum ducenteſimum, Ludovici Lantgravii: quod de eo teſtatur illius temporis ſcriptor Cæſarius Heyſterbachenſis dialogorum, lib. 1. cap. 27.* Voſſius lib. 1. cap. 11. hiſt. Pelag. ſed redeamus ad Hiſtoriam, ne in lato, aſpero & lenticoſo hoc campo aberremus à via.

Ut autem pleniorem & hiſtoricam harum controverſiarum habeas cognitionem, quæ hodie & olim plurimum ſunt diſceptatæ paucis docebo.

Olim quæſtio erat, utrum quiſquam per vires naturæ implere legem, juſtificari & ſalutem conſequi poſſit, ut Pelagius voluit: vel ſaltem ſuis viribus credere & bonum opus inchoare; ut Julianus putabat: aut denique virtute naturali, per initia fidei & imperfectam boni cupiditatem, ſe ad primam gratiam diſponere poſſit; ut Caſſianus & Semipelagiani crediderunt. Habebantur autem Pelagiani, non quia abſolutum decretum & gratiam prævenientem negarent, ſed quia gratiæ neceſſitatem tollerent: Semipelagiani autem dicti ſunt, non quod abſolutam prædeſtinationem impugnarent, ſed quia præviam gratiam non agnoſcerent: Imò hi habebantur Catholici & populum docere permittebantur: ſententia tamen

 eorum

eorum synodali decreto Romanæ ecclesiæ per Gelasium fuit damnata, libri quoque relati inter apocryphos. Qui vero absolutum duntaxat decretum improbarent, hi non dico hæresios, ut Pelagiani, sed nec erroris, ut semipelagiani, vel ab Episcopo Romano, aut synodo ulla Orientalis aut Occidentalis Ecclesiæ, Augustino superstite aut proximis seculis damnati unquam fuerunt: Nec ab ipsa Ecclesia Lugdunensi, quæ absoluto prædestinationis decreto cum Augustino favebat. Vide *Voßium in historia Pelagiana*. Sed rectè monet *Augustinus lib. de bono perseverantiæ cap.* 2. tria esse quæ maximè adversus Pelagianos Catholica defendit Ecclesia: quorum primum ad gratiam pertinet: alterum ad imperfectam hujus vitæ sanctitatem: tertium ad reatum originalem.

Scripsit adversus Pelagium ejusque hæresin B. Hieronymus libros tres, S. Augustinus plurimos: qui sententiæ primitivę Ecclesiæ addidit dogma de prædestinatione seu absoluto Dei decreto circa electionem salvandorum, ut paulò ante dictum. huic addiderunt Monachi Adrumetini doctrinam de absoluto reprobationis decreto, quo Deus pro mero suæ voluntatis beneplacito statuit aliis donare vitam æternam, alios vero perpetuæ devovere damnationi. Hujus opinionis sectatores dicti fuere apud veteres Prædestinatiani, qui prorsus rejiciunt liberum hominis arbitrium, quemadmodum Pelagiani gratiam Dei.

Utraque hæc hæresis diversis temporibus à diversis Synodis est condemnata. Pelagiana an. C. 416, in Concilio Carthaginensi tertio, Prædestinatiana an. C. 449, in Concilio Arelatensi tertio: Pelagiana & Prædestinatiana in Concilio Arausicano secundo an. C. 530, in Concilio Moguntino & Rhemensi an. C. 848. ut etiam in Concilio Valentino an. C. 855. de quibus singulis suo tempore fusius dicemus. Utraque sententia, tam ea quæ fuerat primitivę Ecclesię, quam hęc nova & singularis B. Augustini in Ecclesia Christiana semper & ubique fuit tolerata, usque ad an. C. 1618. quo tempore mota fuerat quęstio in confœderatis Belgii Provinciis inter Theologos Remonstrantes & Contra-Remonstantes dictos, de prędestinatione, gratia Dei, de necessitate gratiæ in conversione, de modo operationis gratiæ, & de perseverantia sanctorum.

Jaco-

Jacobus Britanniæ rex, Ordines Hollandiæ & Philippus Mornæus Dominus de Plessis, judicabant componendam hanc controversiam per amicum & mutuum utriusque partis consensum. Tentatum hoc in collatione Hagiensi duodecim Theologorum, habita an. C. 1611, sed frustra: additum præterea prudens & moderatum decretum Ordinum Hollandiæ, pro pace Ecclesiarum & utriusque sententiæ tolerantia an. C. 1614. sed frustra: missum etiam in eum finem Londino per Petrum Molinæum in Galliam & Hollandiam scriptum validè pacificum & satis ingeniosum, ad promovendam Ecclesiarum unionem: sed frustra. Cum vero animi quorundam Theologorum exasperati & auctoritate principis Mauritii roborati tam salutaria remedia non admitterent, suadet prædictus Rex convocationem Concilii Nationalis: quod etiam suasione Principis Mauritii quidam Ordinum Generalium amplectuntur multis tamen eorum etiam dissuadentibus & renitentibus, quibus utriusque opinionum tolerantia placebat, & schisma displicebat. Nam ex illa animorum turba, nihil boni aut placidi exspectari posse judicabant.

Prædicto Ordinum Hollandiæ decreto, jubentur Pastores secundum Paulum *sapere ad sobrietatem, & docere quod passim tradunt sacra literæ: Salutem quidem nostram ex Deo solo esse, at nos nobis perniciem accersere: ac proinde in iis explicandis infigere populo, principium progressum ac finem humanæ salutis atque ipsam adeò fidem non nativis hominum viribus aut factis, sed soli nec promerita Dei in Iesu Christo Servatore nostros gratiæ accepta ferri debere: nullos à Deo omnipotente homines ad damnationem creatos, nulli à Deo peccandi necessitatem imponi Neque à Deo ad salutem invitari quenquam, cui salutem omninò non dare decreverit. Præterea tolerandos jubent eos, qui docent à Deo omnipotente ab æterno ad salutem perpetuam electos pro benevolo affectu voluntatis ipsius fundato in Iesu Christo redemptore & servatore nostro eos, qui per impromeritam gratiam & Spiritus sancti operationem in Iesum Christum Dominum nostrum credunt. & in fide per similem inpromeritam gratiam ad finem usque perseverant; contra verò ad damnationem rejectos eos, qui in Iesum Christum non credunt, & inincredulitate ad finem perseverant. quod judicarent eam ipsam docendi formam ad salutem sufficere & ad Christianam instructionem esse idoneam. Quare putant disputationes profundio-*

fundiores, quæ extrema & absurda post se trahunt, publicè aut è suggestu aut aliàs apud populum proponi.

Quibus autem laudibus hujus decreti prudentiam prosecuti sint cum Casaubono Rex & Angliæ præcipui præsules, docet nos ejusdem Casauboni epistola 800 an. C. 1614. Londino scripta: *De edicto illustrißimorum Ordinum, quod nuper misisti, egi accuratè cum Rege serenißimo, cum Domino Archiepiscopo, & multis aliis præstantis doctrinæ præsulibus. Et Rex, & omnes qui legerunt, consilium vehementer & probarunt & laudarunt. Interest enim religionis Christianæ & ad Protestantium existimationem vel maximè pertinet curiosis hominibus fibulam imponi; ut desinant tandem* ὑπερφρονοῦντες παρ᾽ ὃ δεῖ φρονεῖν, *pacem Ecclesiarum turbare & suâ illaudabili* πολυπραγμοσύνῃ *infamiam* ἀταξίας *&* νεωτεροποιίας *apud veritatis hostes reformationem profitentibus inurere. Summâ igitur laude Illustrißimorum Ordinum prudentia digna est, quæ hujus sui edicti publicatione & curiosas hominum mentes, Deo cœptis favente, in officio continebit, & sui imperii Ecclesiis publicam reddet tranquillitatem. Faxit Dominus Iesus, ille unicus Ecclesiæ auctor & conservator, ut quem boni sperant fructum ex hoc saluberrimo consilio illustrißimi Ordines percipiant, & nos pro stabilitâ inter vestras Ecclesias tranquillitate occasionem gratulandi brevi habeamus. Nec verò consilium tantum Rex* εὐσεβέστατος *& alii viri gravißimi probavêre, sed & formulam quoque ipsam jußu Ordinum conceptam. Apparet enim id esse actum, ut à duobus scopulis, in hac doctrina æquè periculosis, hinc Manichæorum, inde Pelagianorum, populi avertantur & in ea doctrina confirmentur, quæ salutis nostræ proram & puppim, principum, inquam, & progressum &* τελείωσιν, *uni Deo asscribens, contemtum tamen bonorum operum non inducat. Vale vir clarißime & me ama, Londini 13. Kal. Iunii* CIϽ IϽI XVI. Videantur etiam constitutiones Ecclesiasticæ Ordinum Provinciæ Trajectinæ, articulo 3. de officio ministrorum, §. 3. 4. & simul earum procemium ab iisdem Ordinibus ad omnes Christianos scriptum, an. C. 1612, ubi post convocatos omnes totius Provinciæ pastores, tradunt, quâ methodo & docendi ratione uti debeant in suis ad populum concionibus, ad conservandam Ecclesiæ pacem. Scriptum verò Molinæi, dictum *Ouverteres pour travailler à l'union des Eglises Chrestiennes* &c. Londino ad Gallos & Hollandos missum, an. C. 1616.

inter cætera hæc continet verba: *Ego existimo eligendum esse locum tutum & commodum, ad quem convenirent duo Theologi per suam majestatem* (Regem Angliæ) *missi*; (locutus erat Molinæus cum rege Jacobo de pace inter Batavos componendâ) *duo per Ecclesias Gallicas, duo per Belgicas, duo per Helveticas, unus aut duo per singulos Germaniæ & nostræ confessionis Principes. Locum commodissimum ego statuo Zelandiam &c. Ibi nollem disputari de religione; nam animis jam excalefactis nemo cedit, & unusquisque ad suos rediens se vicisse gloriatur. Sed ego mallem mensæ imponi confessiones Ecclesiæ Gallicanæ, Anglicanæ, Scoticæ, Belgicæ, Palatinatus, Helveticæ, &c. Et ex his confessionibus studeamus formare unam omnibus communem, in quâ dissimulari aut omitti possent ea, sine quorum cognitione salvari possumus. Qualis est quæstio Piscatoris circa justificationem, & multæ opiniones subtiles proposita per Arminium de libero arbitrio, de prædestinatione, & perseverantiâ sanctorum: certus omnes in religione errores venisse aut ex intemperantiâ sciendi, aut habendi: id est, ex nimiâ curiositate, avaritiâ aut ambitione: quod postremum malum corrupit Ecclesiam Romanam; sed Sathan conatur corrumpere nostras per primum. Quod si nobis imperare possemus multorum rerum ignorantiam & nobis satisfaceremus ad salutem necessariis, & in rebus non necessariis ferre possemus eos, qui aliter sentiunt, magnâ absolvissemus partem in hac ad concordiam viâ.*

Interim nomine Ordinum Generalium ex Theologis Contra-Remonstrantibus Fœderatarum Provinciarum convocatur concilium, & ad id Theologi Ecclesiæ Gallicanæ, Anglicanæ, Palatinatus, Hassiæ, Wetteraviæ, Genevæ, Bremæ & Emdæ invitantur. At Rex Galliæ, ut narrat Blondellus in suo tractatu de actis authenticis &c. Gallico idiomate conscripto, interdicit suis, inter quos etiam Petrus Molinæus, profectionem ad hanc synodum. Is Molinæus cum videret mutatam apud Batavos Rempublicam, serviens tempori, mutat etiam suum pacis consilium in belli machinas. scribit suam Arminianismi Anatomen, octo menses ante convocationem synodi, in quâ sententiam Remonstrantium oppugnat & condemnat. Præterea anno sequenti eidem Concilio offerri curat confessionem suam, Actis Synodi postea insertam. Inchoatur hoc Concilium in urbe Dordrechto 13. die Novemb. anni 1618. finitur nono die Maji 1619.

Multa consideratione digna in hoc Concilio occurrunt, quæ inveniri possunt apud alios; hoc unum hic notabo cum Blondello, quod, cum diversi Patres synodi, diversarum fuerint opinionum in quæstione hac definienda, uni tamen omnes subscripserint sententiæ. Gomarus & cum eo plures supralapsariorum doctrinam defendebant: Britanni & Bremenses easdem sequebantur hypotheses, quas hodie reformati Poloniæ, Brandeburgenses, Hassiaci, Bremenses & Professores Salmurienses & multi alii in eodem Regno & alibi de gratia universali defendunt. Id est, qui statuunt Christum mortuum non tantum pro omnibus generibus singulorum sed etiam pro singulis generum, id est, pro omnibus in universum hominibus. Reliqui & maxima longè synodi pars, quę constabat ex Batavis, tali temperie sua constituunt decreta, ut nemo supralapsariorum, Britannorum aut Bremensium aliqua in re læsus fuisse videretur.

Convocato per dictos Ordines Concilio Dordrechtum, cum unusquisque motarum quæstionum decisionem ab eo exspectandam crederet, suam Anatomen pręlo committit, & mustaceum in hàc laureolà quærit Molinæus: quod frustra reliqui Pastores Carentonienses impedire conati fuerunt, ut testatur in suo jam supra citato Irenico Blondellus. Divulgatam Anatomen oppugnat Guilielmus Tvvissus Anglus pro supralapsariis; qui Molinęo Arminianismum exprobrat: pro Remonstrantibus Ioannes Corvinus Pastor Leydensis, libello cui titulus, mala encheiresis Molinęi, sed neutri scripto respondet. Interim Patres Dordracenses quosdam Remonstrantes ad synodum accersunt, eosque seorsim tanquam reos, sedere jubent. Reliqua vide in actis ejusdem synodi.

S. Basilius epist. 41. notat Dionysium Alexandrinum, de quo egimus anno 266, in refutatione deliriorum Sabellii similem fuisse inexpertis hortulanis, qui cum conantur plantam aliquam curvam nimiâ vi in rectam reducere formam, verum illud medium non invenientes, rumpunt.

Hoc eodem tempore apud Gallos consilio Mornęi vocatur ad professionem Theologicam in Academiâ Salmuriensi, quam Pictonicæ Ecclesiæ Guilielmo Riveto destinarant, Ioannes Camero, qui cum Britannis & Bremensibus universalem defendebat gratiam,

quando

quando Dordrechti in synodo Patres eandem suis Canonibus rejiciunt & ad perpaucos coärctant & constringunt. An. 1620. Alesiana synodus Nationalis canones synodi Dordracenę juramento, & Cameroni professionem Theologicam suâ auctoritate confirmat & stabilit, idque per Molinæum synodi præsidem. Fredericus Spanhemius tùm Professor Genevæ, postea Leydæ, scripta aliquot hujus Cameronis ibidem imprimenda curat & corrigit: paulò post scribit Paulus Testardus Pastor Blesensis de natura & gratia, & Moses Admiraldus Professor Salmuriensis, & antea discipulus Cameronis, tractatum de Prędestinatione, quibus acriter respondet Molinęus. sed anno 1637, in synodo Provinciali Carentonii illa quæstio aliquo modo componitur, & in mandatis datur Blondello & Dallæo & aliis transferendi ibi acta, ad Concilium Nationale Alensonii, in quo sententia Testardi & Admiraldi de gratia universali approbatur. hujus synodi acta suis litteris etiam laudarunt Professores Genevenses & Andreas Rivetus cum Professoribus Lugdunensibus.

Fredericus Spanhemius vocatus ad Professionem Theologicam Lugdunum Batavorum, publicis thesibus ibidem oppugnat hypotheses deputatorum Britannorum & Bremensium ad Synodum Dordrechtensem An. 1618, quarum jam sæpe meminimus. Has theses ad Gallos mittit Cl. Salmasius, vir magni quidem nominis, sed cui nemo placebat pręterquam Salmasius, qui nec Spanhemio, nec Admiraldo satis æquus erat, ut loquitur in suis actis Blondellus, cum literis, quibus etiam placidissimos ad responsionem extimulare, imò irritare potuisset. Certatum utrimque est aliquamdiu, anno 1647. Spanhemius pugnæ socios habuit Guilielmum & Andream Rivetos, & hic approbationem seu laudes omnium Academiarum Belgicarum; quod facere ipsius affinis, is est Molinæus, sibi soli fidens, non consueverat; quamvis utriusque scopus fuerit, *cedere nulli*. Eodem etiam tempore edebat Sedanum diversos libellos contra Cameronem & Admiraldum, nimirum; *L'Eclaircissement des controverses Salmuriennes*, & *Apologiam pro misericordiâ & sapientiâ Dei*. Sed cum jam hos decumanorum fluctuum turbidos motus composuisse visus esset Princeps Tarentinus, an. 1655. in lucem prodiit, quamtumvis difficili partu, Jo-

annis Dallæi prolixa apologia pro Alensonensi & Carentonensi synodis, quâ gratia Dei universalis, quam Fredericus Spanhemius suis exercitationibus oppugnaverat, infinitis rationibus, & Theologorum veterum 120, & recentiorum 63. testimoniis defenditur. Hujus Apologiæ nuper in Belgio editæ adversus Ecclesiarum & Scholarum Belgicæ fœderatæ constantem sententiam parti primæ opposita est an. C. 1656. amica & Theologica ἐπίκρισις Samuelis Maresii Professoris Groeningani: in quâ editor quam prudentissimè hisce verbis suam finit ad lectorem præfationem: *Tu vero, benevole lector, precare pro pace Hierosolymorum, ne levior iste dissensus unquam erumpat in schisma, aut voluntatum & affectuum inter fratres harmoniam turbet hæc qualiscunque in rebus abstrusioribus conceptuum varietas; in quâ videre est, nos ex parte duntaxat cognoscere, & ex parte prophetare. Hic sanè, si uspiam, mutuâ tolerantiâ opus est, ex meditatione & praxi ejus, quod dicit gentium Apostolus, gratiæ præco, Phil.* 3. 15. Quotquot adulti sumus, hoc sentiamus; quod si quid aliter sentitis, hoc quoque Deus vobis revelabit. Attamen in eo, ad quod usque pervenimus, eâdem incedamus regulâ, & idem sapiamus.

An. C. 1657. respondit Maresio Ioan. Dallæus per Vindicias Apologiæ suæ pro duabus Galliæ synodis Nationalibus, adversus Epicritam, gratiam universalem oppugnantem, quibus needum quisquam, quod sciam, quid opposuit.

Vide Blondellum in pacifico suo tractatu Gallicâ linguâ impresso anno 1655. Amstelodami apud Ioan. Blaeu, cui titulus est, *Actes authentiques des Eglises reformées*: in quo multas adfert rationes, multa producit argumenta & Acta authentica pro pace inter Protestantes conciliandâ. Exemplum trium Ecclesiarum Polonarum in synodo Sendomiriensi feliciter unitarum profert & laudat; & simul, cum plurimi reformati Protestantibus Germanis pacem obtulerint, & ad sanctam cœnam, matrimonium &c. eos admiserint; miratur quare illa recusetur Remonstrantibus in fœderato Belgio, quos ab Ecclesiis publicis non nisi in minimis hypothesibus discrepare affirmat. Ubi ridet quosdam mundi Deucaliones, ut loquitur in præfatione, qui se solos à diluvio errorum præservatos putant, qui

quos vis

quosvis ad se venientes arcent & abigunt verbis hisce ferocioribus: *Discedite à me, quia purus sum*: negligentes verba Christi: *Discite à me quia mitis sum.*

Concludo hæc Theologorum hodiernorum prælia, irenicâ paræ-nesi Ecclesiæ Edinburgenæ in Scotiâ, quorundam judicio, omnium reformatarum Ecclesiarum purissimæ, ad Ecclesias Lutheranas.

Cum pace & concordiâ ecclesiæ nihil prius, nihil antiquius habendum, quòd in eâ salus ejus atque incolumitas versetur, summâ ope probos & cordatos omnes niti decet, ut eam ullâ ex parte labefactatam restaurent, restauratamque modis omnibus sartam tectam conservent. In quod vehementius omnes ingenii nervi intendendi, quòd pace & concordiâ sacra pagina nihil impensius urgeat, primæva antiquitas studiosius nihil asseruit, hostis humani generis pessundare nihil obnixius certavit: cujus amissione nihil calamitosius gregi Christi accidere posse tragici eventûs comprobarunt. Atque ut à verbi Dei oraculis exordium arcessam. Annon uno templo, uno altari, unâ lucernâ, unitatem nobis sancivit, & commendavit Deus? Annon etiam in cantico illo Salomonis præclarissimo unitatis nomenclaturâ ubique donatur ecclesia, atque una sponsa, una amasia, una soror, una columba indigitatur? Quin & Esaias, Ieremias, aliique sacrosancti prophetæ, vitia & errores populi & sacerdotum pro concione licèt insectati, communioni tamen ecclesiæ nuncium nequaquàm remiserunt. Et novissimis seculis, cum in cunis recens natus salutis auctor vagiret, pacis cantu à choro Angelico cœlum, terra & omnia personuerunt, idemque munus publicum auspicatus, pacis Euangelium promulgavit: & cum duodecim in Apostolorum munus cooptasset, Petro (teste Augustino) respondendi partes à Domino sunt tributæ, ut in uno unitatem commendaret. Quin & imminente mortis articulo, cum solum cœlo commutaturus Christus, discipulis, non ut legatariis in imâ, sed ut hæredibus in primâ cerâ testamento pacem demandavit. Denique dirutâ intergerinâ macerie, sublatoque odio Iudæorum in Gentes & gentium in Iudæos, cum ampliatis ecclesiæ pomæriis unitatem hanc ampliavit, ut eosdem haberet fines, quos terrarum orbis. O tempora illa plus quam aurea, quibus credentium numerus Hierosolymis in mentem unam animumque syncretismo & affectuum symphoniâ coaluisse prædicantur: nec Apostoli ipsi quicquam pace pensius cariusve habuerunt. Horsum dextra, quæ dabatur, societatis spectabat: horsum ad pacem crebra

Quam utilis quam necessaria pax ecclesiæ, ex quatuor astruitur. Ex veteri test. lege & prophetis pax asseritur.

Ex novo Test. eadem asseritur.

Ex primitiva Ecclesiæ concordia.

bra & vehementes exbortationes pertinent,septemque illa,quæ ab Apostolo cap. 4. ad Ephes. percensentur unitatis vincula, quæ totidem sunt incentiva & celeusmata ad pacem & concordiam colendam; nempe quòd unus Dominus, unum corpus, unus spiritus, una spes, una fides, unum Baptisma, unus Deus, qui in omnibus, & super omnia, & per omnia. Quis tam ferreus, quem hæc non emolliant: tam plumbeus, quem non afficiant: tam odio acerbatus, quem non mitigent, & ad pacis concordiæque studium inflectant? Ad hoc etiam spectant congressus Ecclesiastici, qui ut pacis concordiæque nervi à Deo instituti. Huc etiam sacramenta pertinent, quæ unionis tesseræ pacisque & concordiæ symbola. Adde his, quòd Deus pater, pacis Deus nuncupetur, Filius princeps pacis, Spiritus sanctus pacis & concordiæ nexus: nec non Euangelium pacis nuncium perbibetur, quòd in eo in gratiam cum Deo reponi homo nunciatur, ut in ea indies magis ac magis adolescat, donec emeritis vitæ stipendiis pacem cœlestem assequatur.

Septem pacis & concordiæ vincula.

Congressus Ecclesiastici pacis nervi. Sacramenta pacis vincula. Tota trinitas pacem hortatur.

His ex sacris literis de pace & concordia encomiis patrum testimonia adscisco, qui quantâ sedulitate pacem inire, augere, tueri sategerunt, testantur quàm plurima in pacis subsidium excogitata, quæ in duo non incommodè distribui possunt. Quædam ad corcordiam in animis & affectibus, alia ad consensum in intellectu & judicio retinendum instituta erant. Ad concordiam conservandam pertinebant agapæ, pacis osculum, salutationes, compellationes fraternæ, hospitalitatis (ut cum Tertulliano loquar) contesserationes, & dictio ipsa Christianorum tesseraria, quâ seipsos internoscebant. Erant Agapæ charitatis, & concordiæ convivia, quæ in Ecclesiam inoluerunt, dum Apostoli in humanis agerent. Nomen ipsum amorem præ se fert, quod in his epulis conviva Christiani, non tam corpus quàm charitatem aluerunt, &, ut cum Tertulliano loquar, non tam dapes corporis quàm disciplinam cœnabant. Osculum pacis Apostolorum quoque seculo obtinuisse extra omne dubium est: de quo Chrysostomus homilia de prodtione Iudæ: quod amoris fuit symbolum, quo se mutuò accipiebant Christiani, in sacris præcipuè, ut ostenderent omni simultate depositâ, mutuâ sese, ut fratres, benevolentiâ complecti. Nec salutationes Christianæ aliud, quàm pacem & concordiam præ se ferebant. Nam ut Iudæi obvios venientes pace in salutationibus impertiebant, Christiani cum pacis imprecatione oscula & amplexus profusi amoris indicia conjungebant. Adde his hospitalitatis tesseram, quam contesserationem novè dixit Tertullianus, de præscript. adverſ.

Consensus in mente & judicio, concordia in affectibus. multa ad concordiam hortantur. Agapæ. Tertull. Apolog. Minut Felix Osculum pacis. Chrysost de proditione Iudæ Tertull de oratione. Salutationes. Tertull de præſ. adv. Heret. Hospitalitatis teſſ. Tert ib.

verf. hæret. quæ conjunctionem familiariorem innuebat, quæ per tesseram vel signum fiebat. His adde fraternitatis compellationem, de qua ibid. Tertull. & Minut. Felix consulendi. Hæc fraternitas gentilibus suspecta fuit, quòd eam magno aliquo sacramento contractam & conjuratam esse crederent. Dictio etiam inter Christianos fuit tesseraria, primis illis seculis, quæ fideles à gentibus & alienis à Christi fide sese dignoscebant, de qua Lucianus, hostis Christianorum juratissimus. Quæ fuerat tesseraria illa dictio, postquam à peregrino quodam nomine sceleratorum extrema linea prodita fuisset, mutata est in aliam, in cujus locum formata litera à concilio Niceno primo surrogata. Quæ omnia evincunt, quàm altè sanctorum patrum pectoribus pacis & concordia studium insidebat.

Fraternitatis compellatio. Tert. ib. Cyprian. Epist. 3. Ep. 37. Gell. l. 11. cap. 11. & Ammian. Consule etiam Optatum l. 2. cöt. Parmen. Et Aug Epist. 163. ad Eleus.

Quia verò dissidia & contentiones non ex invidia tantùm & ambitionis fontibus scaturiunt, quæ in affectibus dominantur, sed ex opinionum & judiciorum varietate ut plurimùm oriuntur, magnâ cautione providerunt ecclesiæ antistites, ut fidei fundamenta ad omnem posteritatem intemerata transmitterentur. Ad pacem itaque in fidei communione sanciendam, non pauca sunt adinventa, quales communicatoriæ literæ, eulogiæ, canendi ratio per monopsalma, sympsalma & diapsalma, martyrum in diptychos relatio, & fidelium in publicis precibus nominatio.

Communicatoriis literis Concilium Nicænum primum, originem dedit, quas recens adlectus episcopus ad coepiscopos mittebat, ut communionem cum illis in fide orthodoxa testatam faceret. Eulogiæ, frustula erant panis benedicti, quæ dissiti locorum spatiis invicem mittebant, ut qui sacrâ mensâ jungi non poterant, conjunctionem in fide significarent. Ad hoc invaluit etiam in ecclesia canendi modus, per monopsalma, sympsalma, & diapsalma. Monopsalma sic dictum. quòd unus caneret; sympsalma, plures: dia psalma spatium erat & intervallum inter canendum. Sympsalmate plurium in fide harmonia, & monodiâ unitas plurium in fide designabatur, ut docet Augustinus. Diptychi à biplicatili forma ita dicti, libri erant sacri, quibus inscribebantur imprimis eorum nomina, qui sanguinem vitamque pro fide Christi profuderunt. Præterea qui ad vitæ exitum in fide asserenda perstiterunt, eorum nomina in publicis orationibus contenta voce efferebantur, non tamen invocabantur, aut cultu ullo religioso impertiebantur. Nominamus, (inquit Augustinus) in orationibus sanctos, non autem invocamus, Adde quòd ecclesia, quæ catholica, quæ sancta, una etiam

Vid. etiam Theodor. Balsin. in non. phoc. Eulogia. Paul. alipio. Aug. Eph. 35. Aug. Fact. in Ioh. 12. & ps. 4. Conc 4. æc. Ep. Ægypt. Diacess. Aug l. de Civ Dei lib. 22. c. 10.

nuncu-

nuncupatur, quòd in tribus his ecclesiæ notis postrema non sit unitas. Quin & stylo Augustiniano contra Donatistas unitatis ecclesia, passim & ubique catholicam designat. Denique qui in veteri memoriâ & in patrum scriptis hospites & peregrini non sunt, non ignorant, amorem Christianorum γνώ-

Tert. Ap.

ρισμα olim fuisse, ita uti sorex suo cantu, sic Christiani amoris mutui indicio prodebantur. Et: Duo tantùm sunt de quibus contentionis funem trahimus de præsentia Christi modo, non de præsentiâ ipsâ in sacrosanctâ Christi cœnâ, & de prædestinationis recondito mysterio. At in neutro salutis cardo vertitur, in neutro fidei fundamentum convellitur. Et:

Salutis fundamentum.

Fundamenta salutis posita sunt in illis, quæ creditu & quæ factu necessaria. Quæ creditu sunt necessaria, symbolo Apostolico, quæ factu opus, decalogo comprehenduntur. Porro fundamenta salutis censentur, quibus salus innititur, ut domus fundamentis. Et: His præstructis asseveranter affirmamus Euangelicas utriusque partis ecclesias ab omni hæresi alienas esse: quoniam de quibus inter nos controvertitur, in illis nec prora nec puppis salutis est posita: pertinaciaque omnis abest, & concordiæ licet vinculum laxatum sit, rescissum tamen non est. Quare in spem maximam adducimur tolli posse hæc dissidia, cùm in fundamentis fidei summus sit inter nos consensus. Et: His in medium propositis, antequam duo capita in quibus dissidemus attingantur, præstabit ea commemorare, de quibus mutuus est inter nos consensus, maximè in sacrosancta cœnæ mysterio.

Consensus inter Euangelicos de re sacramentaria.

Convenit siquidem inter nos 1. sacramentalia signa non esse meras tesseras & nuda symbola ad significandum tantùm, sed practica & μεταδοτικά. 2. Non item beneficia tantùm Christi in hoc mysterio offerri & conferri, sed Christum ipsum cum omnibus suis beneficiis. 3. Panem ipsum τῇ οὐσίᾳ & substantiâ manere (ut disertis verbis testantur Theodoretus & Gelasius) 4. Signa sacramentalia ore tenus tantùm apprehendi; rem verò sacramenti, Christum nempe, cum suis beneficiis fide percipi. 5. Sacramentalem intercedere unionem inter signum & rem signatam. 6. Signorum alterum non tantùm, sed utrumque fidelibus omnibus porrigi debere. De his ergò cum per omnia inter nos conveniat: quid de præsentiæ modo tantas turbas excitamus? Cùm præsentiæ hic modus, de quo inter nos magno animorum æstu hactenus certatum, fundamentum salutis non attingat. De quo dubito an patrum omnium priscis temporibus concors fuit sententia, & tamen altum diu fuit silentium, nec de eo ullas in ecclesiâ turbas dederunt, aut datæ fuerunt ante nonum seculum.

Theodoret. quæst. Gelas. de duab. naturis in Christo, adv. Eut. & Nest.

Con-

Controversia altera est de prædestinationis recondito mysterio, in qua ad scripturam ipsam provocamus, & ad Augustinum præter cæteros scripturæ interpretes: quod in hoc argumento contra Pelagianum industria ejus curriculum maxima ex parte elaboratum fuit. Negligentiusque de hoc mysterio loquuti sunt Chrysostomus aliique Græci, qui ante exortum Pelagianismum vixerunt. Utut est, utraque sententia & nostra & vestra extra hæresis jactum est posita. Quare si Augustini scripta per omnia non arrideant, fibulam huic concordiæ imponi posse existimamus, si peccatum & miseriæ omnem causam nobis tribuamus: Dei verò gratiæ salutis omnes numeros acceptos feramus. Eadem habet decretum Ordinum Hollandiç.

Hæc habet Joan. Duræus in tractatu suo de pace inter Euangelicos procurandâ, qui excusus est Bremæ an. C. 1639.

Multa similia scripta irenica à diversis reformatorum Ecclesiis exarata publici juris nuper fecit Joannes ille Duræus Scoto-Britannus, religionum caduceator, qui ann. 1656, dum hoc pomum Eridis à quibusdam ita volvitur, etiam in fœderatas venit provincias, munitus auctoritate Ecclesiarum Britannicarum: quæ scripto Irenico super pace Ecclesiarum Euangelicarum piè doctorum judicia explorant. Hic Duræus jam fere 30 annos magnâ diligentiâ, pertinaci labore, & infinitis per Europam profectionibus Ecclesias reformatas ad conciliandam Euangelicorum, ut vocant, pacem exhortari non desiit. Et tandem secum attulit diversa diversarum Ecclesiarum, concordię inter Euangelicos quærendæ, consilia: in quibus agitur tam de personis ad conventum pro pace convocandis, quam de scopo & modo procedendi. Nimirum ut ad *universale* concilium omnium Euangelicorum vocarentur viri docti, pii, prudentes, placidi, contentionis & schismatis in Ecclesia hostes: & ut cum conjugio veritatis & charitatis ibidem ageretur de fundamentis fidei, & animo pacato & moderato distingueretur inter fundamentalia *circa fundamenta* & inter non fundamentalia *circa fundamenta*: & generalis omnium Euangelicorum confessio de fundamentalibus ex Harmoniâ confessionum formaretur, in reliquis suâ sententiâ unusquisque frueretur, &c. Ille, inter cætera, diversarum regionum ecclesiis obtulit caduceum, syllabum nempe omnium reformatarum Ecclesiarum, summo studio ad

concordiam inclinantium, & tamen necdum quicquam promovit vir bonus.

Tanta molis erat, &c.

Convocantur 13. Cal. Decembris, hujus anni 430, Episcopi per epistolam Imperatoris Theodosii ad concilium Ephesinum, contra Nestorium Episcopum Constantinopolitanum, qui negabat in Christo κοινωνίαν ἰδιωμάτων, id est, communionem proprietatum, & simul Mariam esse θεότοκον, ut narrat Socrates, Evagrius, Cassiodorus, Nicephorus, & acta Concilii Ephesini, tomo conciliorum primo: ubi actione primâ *Imperatoris decreto congregata synodus* dicitur, & ita passim.

CONCILIUM EPHESINUM.

A. C. 431. Ephesi coäcta synodus est œcumenica tertia, *nutu ac auctoritate Theodosii junioris*, ut scribit Evagrius, ad quam cum Cyrillo Episcopi supra 200. conveniunt. Duos misit Comites Imperator, Candidianum & Irenæum. Orientales autem, qui cum Ioanne Antiocheno vocati erant, tardius adfuerunt. Itaque cum synodus 10. Kal. Julii inchoata esset, ac ter citatus Nestorius non veniret, de sede sua depositus est: quinto inde die Joannes cum suis advenit, quos inter Theodoretus Cyri Episcopus eminebat, qui cum suis acta synodi resciderunt: ac Cyrillum ac Memnonem Ephesi Episcopum damnarunt. Post Antiochenos, elapsis duodecim diebus Ephesum venerunt Legati à Cœlestino Papa missi, Arcadius & Projectus Episcopi, & Philippus presbyter. Post multas turbas tandem allaborante Pulcheriâ, synodi acta auctoritate Imperatoris comprobata sunt: ejectoque Nestorio, Maximianus ei subrogatus est. Finitâ synodo Joannem inter & Cyrillum & utrique contributos Episcopos aliquamdiu simultates mansêre, quæ Theodosii studio compositæ sunt. Nestorius primum in pristinum suum monasterium S. Euprepii, quod erat Antiochiæ relegatus: inde quod multos erroris sui contagione afflaret, in Oäsim amandatus est an. C. 436. ubi postmodum verminante linguâ, miserabilem sortitus est exitum.

Socrat. l. 7. c. 33. Evagrius l. 1. c. 3. Nicephorus l. 14. cap. 34.

Evagrius l. 1. c. 6.

Libri

Libri ejus Theodosii edicto flammis addicti sunt. *Petavius.* Alii aliter. *Vide Theod. Peltani in synodum Ephesinam operis totius hypothesin.*

Examinemus omnia ad Concilium requisita. Convocatum est à Theodosio, ut ante demonstratum. Congregata synodus Christum assessorem capitis loco adjunxit, venerandum enim Euangelium in S. Throno collocavit. Sedendi hic fuit ordo: Primus fuit Cyrillus; Secundus Arcadius legatus Episcopi Romani: tum Juvenalis Hierosolymitanus & Theodotus Ancyranus; post alii duo legati Episcopi Romani: Præses hujus Concilii fuit Cyrillus. Vide acta & subscriptiones ejusdem Concilii, & epistolam Flaviani in præambulis Concilii Chalcedonensis de Concilio Ephesino, ubi inquit: *& qui in Epheso sub sancta memoria Cyrillo.* Evagrius l. 2. cap. 8. sub finem: *Concilium Ephesinum primum, cui præsidebat S. Cyrillus Alexandriæ Pontifex.* Leo Papa ad Concilium Chalcedonense epist. 47. meminit prioris Concilii Ephesini, *cui beatæ memoriæ Cyrillus Episcopus tunc præsedit* &c. Subscribit eidem concilio primò Cyrillus Alexandriæ Episcopus sine aliqua additione; secundò Arcadius *Legatus sedis Apostolicæ*; tertio Juvenalis Episcopus Hierosolymitanus, post Projectus, *legatus sedis Apostolicæ*, &c.

Cyrill. apol. tom. 4.

In procemio Concilii Ephesini dicitur: Congregatâ synodo in Ephesina metropoli ex sanctione religiosissimorum & Christum amantium Imperatorum nostrorum, & sedentibus in Episcopio, Deo amantissimi Memnonis Episcopi, Deo amantissimis & religiosissimis Episcopis Cyrillo Alexandriæ & agente vires sanctissimi Cœlestini Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi &c. Nota: Hic additur conjunctio copulativa &, quasi diceretur; Cyrillus Alexandriæ Episcopus præsidebat & adjunctas habebat literas procuratorias à Cælestino Romæ Episcopo. Sic Cyrillus in caussa communi duplici pollebat auctoritate. Arcadius autem & alii dicuntur sine conjunctione legati sedis Apostolicæ.

Alibi & sæpe Patres Concilii, Cœlestinum Episcopum Romanum vocant sanctissimum & piissimum comministrum. In relatione ad Imperatores sancta Synodus sic conqueritur de Joanne Concilium rescindente, contra Ecclesiasticam & sanctam Synodum, & contra caput sanctissimorum Episcoporum hic congregatorum,

 Cyril-

Cyrillum scilicet, sanctissimum Alexandriæ Archiepiscopum, & Memnonem Episcopum &c. Nihil de Cœlestino. In relatione seu epistolâ sanctæ synodi ad Cœlestinum, patres synodi dicunt se ad Concilium Ephesinum vocatos sanctione & per edicta Imperatorum, & ab iisdem tempus sanctæ synodi præscriptum diem Pentecostes: ibidem Cyrillum vocant Deo dilectissimum fratrem & comministrum, & in inscriptione hujus epistolę sic ad Cœlestinum: *Et fuerunt quoque*, inquiunt, *in nostro consessu qui à sanctitate tuâ missi sunt piissimi Arcadius & Projectus, & cum ipsis reverendissimus Presbyter Philippus, qui suâ præsentiâ tuam nobis exhibuerunt.* Subscriptio est: *Valere te, & nostri memorem esse oramus Dominum, dilecte, & desideratissime.* Utuntur Patres salutatione à Cyrillo etiam usurpatâ ad Episcopos sibi subjectos. Evagrius lib. 1. c. 4. dicit Cyrillum obtinuisse locum Cœlestini, id est, etiam procurasse negotia Cælestini quæ in mandatis habebat, in caussa communi, ut diximus. Vel etiam verè dici potest Cyrillum obtinuisse locum Cœlestini, quia si adfuisset ipse Cœlestinus, fuisse debuisset præses Concilii, quia erat honore & dignitate præ cæteris primus Romæ Episcopus. Hæc autem est Cœlestini epistola procuratoria ad Cyrillum contra Nestorium; quæ tamen scripta est an. C. 430. 3. idus Augusti, cum de concilio celebrando necdum ageretur: *Quamobrem*, inquit, *nostræ sedis auctoritate ascitâ, nostraque vice & loco cum potestate usus, hujusmodi non absque exquisitâ severitate sententiam exsequeris; nempe, ut nisi decem dierum intervallo, ab hujus nostra admonitionis die numerandorum, nefariam suam doctrinam conceptis verbis anathematizet* &c. *ilico sanctitas tua illi Ecclesia prospiciat* &c. Vide quantum laboret Baronius & Binius, ut Cœlestinum hujus Concilii præsidem fuisse probent: & Socratem prolixè hęc describentem; qui eodem tempore vixit, & summis laudibus Theodosii junioris mores extollit, de auctoritate autem illa Cœlestini ne verbum quidem: *At Imperatoris mandato*, inquit, *Episcopi ex locis omnibus Ephesum conveniunt.* Durante concilio Theodosius mittit Ephesum Joannem Comitem, qui patefactis literis declaravit Nestorium, Cyrillum, & Memnonem jure depositos, quos omnes ne dissidia majora concitarentur in populo, carceri quemque suo voluit mancipatos. Si Cyrillus vice fun-

Socrat. lib 7. cap. 33.

functus eſt Cœleſtini, ut in illa ſynodo præſes Cœleſtinus fuerit, magnam injuriam ſedi apoſtolicæ fecit Imperator:ut etiam Ioannes Antiochenus cum ſuis,qui Cyrillũ acMemnonẽ damnarunt,& acta Synodi reſciderunt. Sub finem ſynodus per literas ad Theodoſium magnâ ſubmiſſione miſſionem petit; quarum hęc eſt inſcriptio : *Synodus qua gratia Chriſti, & nutu veſtra potentia in Epheſina Metropoli congregata eſt.* Ibidem dicitur. *Epiſcopus Cœleſtinus antequam colligeretur ſancta ſynodus per ſuas literas nunciavit, committens Epiſcopo Cyrillo ſuum obtinere locum.* ſubſcriptum erat, *Cyrillus Epiſcopus Alexandriæ retuli. Iuvenalis Epiſcopus Hieroſolymorum retuli* &c. Hęc habet Baronius pag. 573: *Antequam res à Ioanne Antiocheno atque collegis Epiſcopis ſchiſmaticis Epheſi geſtas narrare aggrediamur hic meminiſſe debemus non recens, & ob Neſtorium fuiſſe Antiochenorum antiſtitum diſſidium adverſus Cyrillum vel alios prædeceſſores, ſed planè vetus, ob eam quidem cauſſam, quod Alexandrinus Epiſcopus primus poſt Romanum in Eccleſia Catholica Antiſtes, jura ſibi vendicabat totius Orientis Eccleſiarum, reſragantibus Antiochenis Epiſcopis, qui illi ſubjici indigno ferebant animo. His igitur jactis ante, & coaleſcentibus indies diſcordiæ ſeminibus, factum ut alio impellente, concitatus nimis Ioannes cum ſuis ferretur contra Cyrillum, & qui cum eo erant, Epiſcopos:* Hactenus Baronius. Ego ex actis cauſſam diſcordiæ ordine docebo. Canon ſextus Concilii Nicœni limites juriſdictionis ſingulis Patriarchis ſtatuit, & pręcipuè Alexandrino. an.C. 325. cui in eo concilio primus poſt Romanum Epiſcopum tribuitur honos. Canon 5. Concilii Conſtantinopolitani an. C. 381. celebrati, dat primatus honorem Epiſcopo Conſtantinopolitano poſt Romanum Epiſcopum,propterea quod Conſtantinopolis ſit nova Roma & ſedes Imperatoris & Senatus. In eodem Concilio à Meletio Antiocheno & Orientalibus Gregorius Nazianzenus eligitur & confirmatur Epiſcopus Conſtantinopolitanus. Timotheus Petri ſucceſſor, Epiſcopus Alexandrinus, cum ſuis Ægyptiis paulò poſt ad concilium veniens hanc Gregorii confirmationem illegitimè factam aſſerit, negans id fuiſſe juris Meletio Antiocheno,& ad ſe ſpectare contendens.Propter has & alias altercationes Gregorius pacis ſtudio ſe ſponte abdicavit:Petrus & Timotheus Epiſcopi Alexandrini cum ſuis Ægyptiis maluiſſent ad Epiſ-

Sozomen. lib 7. cap. 9. copum Constantinopolitanum promovere Maximum Philosophum Cynicum Alexandrinum. Uterque & Antiochenus & Alexandrinus quęrebant fautorem Episcopum in urbe regia. Pręterea cum quintus ille Concilii Constantinopolitani canon quasi instigante Gregorio in damnum Episcopi Alexandrini factus esset, tulit id ægerrimè Timotheus. Nam juxta Concilium Nicænum & consuetudinem antiquam Alexandrina sedes erat dignitate post Romanam prima. Hinc dissidium illud planè vetus Alexandrini Episcopi, non parum auctum est, contra Antiochenum & Constantinopolitanum. Læsum etiam se hoc eodem quinto canone demonstravit in Chalcedonensi Concilio per suos legatos Episcopus Romanus, de quo postea. Timotheo successit Theophilus, & cum eo vetus illud odium, plus quam Vatinianum. Nam magno cum animi æstu & sui nominis ignominia sęviit in magnum & sanctum illum Joannem Chrysostomum, ex presbytero Antiocheno Episcopum Constantinopolitanum, cum maluisset Joanni pręferre Isodorum Ecclesię suæ presbyterum, ut diximus. Vide res gestas Theophili Episcopo indignas A. C. 398. 399. 400. 402. 403. &c. Succedit Theophilo Cyrillus in Episcopatu Alexandrino. Jam verò in hoc Concilio Ephesino Joannes Antiochenus ita rejicit acta Cyrilli Alexandrini, ut in Concilio Constantinopolitano Timotheus Alexandrinus rejecerat acta Meletii Antiocheni. Damnatus tamen omnium consensu Nestorius & Cœlestius, cum suis, qui posterior cum Pelagio quam impudentissimè ausus fuit rejicere tam necessariam & tam salutarem, nobis gratiam divinam: *Gregorius Magnus lib. 5. Epistol. 14. & lib. 6. ep. 31. & lib. 7. ep. 47. Prosper. in Chronicis.* Octavum in hac caussa Pelagii concilium est hoc œcumenicum: quod quamvis propter Pelagianos convocatum non sit, tamen Pelagianis Nestorium damnare refugientibus atque adeo illum etiam invantibus, Patres occasione eâ uti voluerunt, ad Pelagii asseclas unà cum Nestorio damnandos. Hoc ita esse ipsis Concilii actis comprobatur. Tom. 4. cap. 17. in epistola synodica sic Patres scribunt ad Cœlestinum: *Porrò perlectis eis in sancta Synodo, quæ de impiorum Pelagianorum Cœlestii, Pelagii, Iuliani, reliquorumque eadem cum illis sentientium depositione, à tua pietate istic decreta & constituta sunt, judicavimus & nos*

quoque

quoque ea solida firmaque permanere debere. Quare idem omnes vobiscum sentientes, & nos itidem pro depositis habemus. Vide *Vossium Hist. Pelag. lib.* 1. *cap.* 47.

De *Nestorii* opinione & anathematismo vide *Epistolam Cyrilli & synodi Alexandrinæ ad Nestorium, Actorum Concilii Ephesini Tom.* 1. *cap.* 14. Fatebatur quidem *Nestorius* Christum Deum & hominem, imò unam etiam personam agnoscebat, sed dicebat unitatem divinæ & humanæ naturæ esse unitatem conjunctionis, dignitatis & auctoritatis, & non admittebat *κοινωνίαν ἰδιωμάτων*, dicebat enim, proprietas divinæ naturæ est æternitas, infinitudo, ubiquitas: proprietas verò humanæ naturæ est mortalitas, finitudo: quomodo ergo qui erat æternus potuit fieri mortalis, passibilis? &c. Negabat itaque Mariam esse θεότοκον, id est, Deiparam, addebat Christum Deum potuisse dici bimestrem, trimestrem, passum &c. agnoscere videbatur unitatem sed arcanam, ineffabilem, & negabat Deum ab homine nasci posse &c. Vide *Acta Concilii Ephesini Theod. Peltani.*

Octo habet hoc concilium canones, quorum primi septem agunt de condemnatione Nestorii & Cœlestii cum suis, & confirmatione concilii Nicæni &c. quamvis autem à synodis Africæ & Episcopis Romę Cœlestius & Pelagius condemnati essent; necessarium tamen Patribus Ephesinis visum est, ut idem etiam ab œcumenica synodo fieret.

Canon vero 8. hujus concili agit de Episcoporum potestate certis limitibus circumscripta, hac occasione: Episcopi Cypri insulæ maris mediterranei, qui etiam ad hanc Ephesinam venerant Synodum, de injuria Episcopi Antiocheni graviter apud Concilium conqueruntur, ut qui jurisdictionis suæ limites transgredi & Cypri provinciam invadere, ibidemque contra omnem legem & consuetudinem Ecclesiasticam Episcopos, presbyteros, &c. ordinare contendat. Omnibus ergo probè examinatis. *Sancta Synodus dixit: Rem hanc, quæ præter Ecclesiasticas constitutiones & sanctorum Patrum Canones innovatur & omnium libertatem attingentem adnuntiavit pientissimus Episcopus Reginus & qui cum eo pientissimi Episcopi provinciæ Cypri Zenon & Evagrius. Vnde, quoniam communes morbi majore egent remedio, eo quod majus damnum afferant, si non est vetus mos, quod Episcopus Antiochenus*

tiochenus ordinat in Cypro, à nullo impetantur, vel vim patiantur secundum Canones sanctorum Patrum & veterem consuetudinem, sed per seipsos ordinationes pientissimorum Episcoporum faciant.

Illud autem etiam in aliis diœcesibus, & in omnibus provinciis servetur, & nullus Episcoporum aliam provinciam, quæ non antea & ab initio fuit sua, sub suam vel saltem eorum, qui sibi præsunt manum trahat. Sed si quis apprehenderit & suam fecerit, eam restituat, ut ne Patrum Canones prætereantur, neque sub sacerdotii prætextu mundanæ potestatis fastum introducat, ne paulatim & clam libertas amittatur, quam nobis donavit sanguine suo Dominus noster Iesus Christus omnium hominum liberator.

Visum igitur est sanctæ & universali Synodo, servare unamquamque provinciam purum & nullam tyrannidem passum jus vetus, ad conservandam veterem consuetudinem, opus habente unoquoque Metropolitano, ut ad suam securitatem exemplaria Actorum excipiat. Si quis autem veterem figuram contempserit, pœnam non effugiet. Et si quis his, quæ nunc decreta sunt, pugnantes literas attulerit, irritas esse decrevit sancta & universalis Synodus. Hæc Patres Ephesini in Actis Peltani. Illud hic notatu dignum, quod non tantum ex Nicænâ, Constantinopolitanâ, Chalcedonensi, sed etiam ex hac Synodo videamus, metropolitę non esse plenam potestatem concessam in alias Ecclesias, sed certis mitibus determinatam & circumscriptam, ut videre licet Concilii Nicæni canone 4. 5. 6. 7. Constantinopolitani can. 2. 3. 6. &c. Ephesini can. 8. de quo jam egimus. Chalcedonensis can. 9. 12. 17. 19. Hoc can. 8. patres jubent, ut unusquisque se contineat intra limites suæ diœceseos, ne ἐξουσίας κοσμικῆς τῦφος, id est, potentiæ secularis fastus Ecclesiam ingrediatur. sic Africani patres, cum de transmarinis appellationibus ageretur, in epistolâ synodicâ ad Bonifacium Pontificem Romanum: *Credimus adjuvante misericordiâ Domini Dei nostri, quod tuâ sanctitate Ecclesiæ Romanæ præsidente, non sumus jam istum typhum passuri.* Et in epistolâ ad Cœlestinum Pontif. Rom. *Executores etiam clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Quę quidem synodicę epistolę extant in codice canonum Ecclesię Romanæ, & tomo 1. Conciliorum.

Octo illi Ephesini concilii canones extant in codice Tilii, & in codicibus MSS. Balsamonis & Zonaræ, & in actis concilii Ephesini tom. 1. concil. œcumenicorum Romæ edito an. 1608. sex scilicet priores pag. 499. duo verò posteriores p. 442. & 497. Hi verò desiderantur omninò in Latino codice canonum Ecclesiæ Romanæ. Itaque ut hæc lacuna repleretur Ioannes VVeldelstinus, qui primus ipsum codicem Romanum Moguntiæ edi curavit an. 1525, se synodicam epistolam concilii Ephesini unà cum duodecim capitulis contra Nestorium huic adjunxisse scribit, sed non animadvertit illam epistolam synodicam & 12 anathematismos illi subjectos non esse Ephesini concilii, sed Cyrilli duntaxat & synodi diœceseos Ægypti, ut testatur illius epistolæ inscriptio, quæ Græcè & Latinè extat inter acta concilii Ephesini an. 1608. & in codice M. S. Petri Stellæ. Justellus.

Juvenalis Episcopus Hierosolymitanus primatum totius Syriæ Palæstinæ sibi & suis successoribus arrogare tentat, contra Metropolitam Cæsariensem. *Baron.*

Circa hæc tempora latius serpente Ecclesiasticorum ambitione omnes ferè metropolitani, quo jure, quâ injuria, extendere suæ diœceseos limites nitebantur. Hierosolymitanus Antiocheno detrahere volebat Palæstinam & Phœniciam: Constantinopolitanus Heracleensi Thraciam & Pontum: Antiochenus sibi subjicere Cyprum tentabat: Alexandrinus toti Orienti, Romanus universo orbi Romano in Ecclesiasticis, ut Imperator in civilibus, imperare satagebant. Quare hic notandum Ecclesiam olim bifariam fuisse divisam, in Græcam scilicet seu Orientalem, & Latinam seu Occidentalem. Prima Græcæ Ecclesiæ metropolis erat Alexandrina, quæ præerat Ægypto, Thebaidi, Lybiæ & Pentapoli. secunda Antiochena, cui suberant duæ Syriæ, duæ Ciliciæ, Isauria, Mesopotamia, Osroëna, & provincia circa Euphratem, quæ omnes nomine Orientis sæpe comprehenduntur. Tertia erat Constantinopolitana, quæ complectebatur Thracicas, Ponticas & Asiaticas Ecclesias, & Provincias Barbaras, Iberiam nempe, & Colchidem, & magnam Armeniam, quarum incolæ per Episcopos Ponti ad religionem Christianam conversi erant. Quarta est Thessalonica, quæ comprehendebat Daciam & Macedoniam. Ecclesiastici, autem sequebantur formam jurisdictionis civilis, ut sæpius à nobis monitum & demonstra-

ſtratum, & quam latè ſe extendebat poteſtas Præſidis, tam latè etiam extendebatur poteſtas Epiſcopi. ſic Epiſcopus Romanus initio erat metropolita quatuor provinciarum, Romæ vicinarum, & Patriarcha decem provinciarum, quæ Vicario Vrbis erant ſubditæ. Italia autem diviſa erat in duas partes, in diœceſin Epiſcopi Romani & Mediolanenſis, quarum alteri altera non erat ſubjecta: erat tamen Romæ Epiſcopus dignitate prior & primus omnium ob Vrbis prærogativam: ſic Eccleſiæ Africanæ nullam unquam agnoverunt Epiſcopi Romani poteſtatem: diverſę etiam ſynodi per totam Europam celebratę ſunt ſine Epiſcopi Romani agnitione: pręcipuè in Galliis & Aurelię non paucę: Colonienſis exauctoravit Euphratam; Emeritana Priſcillianum propter hæreſin, &c. Patriarcharum omnium ęqualis erat poteſtas, & ſi unquam quicquam in cauſſâ alterius judicatum ſit, hoc plerumque ex mandato Imperatoris factum invenies: ſic paulatim accrevit Epiſcopi Romani poteſtas ex lege ſeu reſcripto Valentiniani tertii, & deinde ob deſtructas diœceſes per frequentes populationes & vaſtationes regionum Europæ: nam per irruptiones barbarorum & innumeros eorum exercitus, tota Occidentalis Eccleſia fuit turbata, oppreſſa, confuſa, ut omnes docent hiſtoriæ.

A. C. 432. Cœleſtinus moritur, ſuccedit Sixtus.

Hoc temporè floruit Simeon ille ſtylites à columna ita dictus, in qua dies noctéſque ſtans, Angelis quam hominibus propiorem in mortali corpore vitam inſtituit. *Petavius. vide Theodoretum in vitis Patrum.*

A. C. 434. Mortuo Maximiano Epiſcopo Conſtantinopolitano ſuccedit Proclus, quondam Joannis Chryſoſtomi diſcipulus *Ille corpus Ioannis Comanis ſepultum ubi Imperatori eam rem perſuaſerat, 35. anno poſt ejus abdicationem anno nimirum Chriſti* 438. *Conſtantinopolim transferendum curavit; quod cum multo honore & ſplendida pompa publicè celebratum, in Eccleſia Apoſtolorum condidit. Hâc occaſione eos, qui propter Ioannem conventus ſeorſim faciebant ad Eccleſia concordiam reduxit. Vnde demiror equidem quid cauſſa fuerit, cur tanta invidia flamma contra Originem mortuum incenſa ſit (ducentis enim annis poſt mortem à Theophilo excommunicatus fuit) cum Ioannes vigeſimo quinto*

Theodoret. lib. 5. c. 36.

quinto anno postquam è vitâ excesserat, fit à Proclo receptus in communionem. Verum Proclus Theophilo tantum facilitate morum antecelluit. Ista autem quâ ratione acciderint, & quotidie accidant, prudentibus viris minimè obscurum est. Verba sunt Socratis lib. 7. cap. 44. Non ausus fuit Socrates odium illud Ecclesiasticum carpere, plerumque ex ambitione, malo isti hominum generi nimis familiari, ortum ducens & omnia sursum deorsum miscens.

Quare idem Socrates dicit Romanum & Alexandrinum Episcopos ἐπὶ δυναστείαν, id est, in dominatum prolapsos, quod brevi etiam in Constantinopolitano apparebit, qui ob fumosum œcumenici titulum non parvas in Ecclesiâ concitabit turbas. Quæ cum videret, & pejora prævideret Greg. Nazianzenus, & oratione post reditum sui temporis vitia facundè deplorasset, voto rem concludit, Utinam esset, inquiens, μηδὲ προεδρεία, μηδέ τις τόπου προτίμησις, καὶ τυραννικὴ προνομία, ἵν' ἐξ ἀρετῆς μόνης ἐγινωσκόμεθα. sic paulatim irrepserunt in Ecclesiam non parva vitia, & curam gregis Christiani in mundani imperii speciem, præcipuè in maximarum civitatum Ecclesiis, mutarunt Exarchæ & Metropolitani, cum Hieronymus de Episcopatu dicat: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: opus, non dignitatem: laborem, non delicias: opus, per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio: cujus magistratus in ministerio,* inquit Salmasius, *dignitas in humilitate, honor in onere, auctoritas in vitæ sanctitate, jurisdictio in vitiorum reprehensione, imperium in doctrinâ verbi divini.* Salmasius in apparatu ad primatum Papæ.

Theodosius suis Jurisconsultis mandat, ut præcipuas Principum A. C. 435. constitutiones à Constantini tempore in unum corpus redigerent, ut in controversiis sententiæ ex iis dicerentur. Id opus cum jam perfectum esset appellatur *Codex Theodosianus*. Anno vero 447. volumen constitutionum novarum Romam ad Valentinianum mittit, quod ad suum Codicem adjici, & *novellas* appellari jussit. *Cod.*

Hoc anno scripsit suum commonitorium *Vincentius Lirinensis*, A. C. 436. *interno gemmarum splendore perspicuus*, ut de eo loquitur S. Eucherius, sed sub nomine *Peregrini*, pro Catholicæ fidei antiquitate & veritate, adversus profanas hæresium novitates, & secundum *Vossium* contra sectatores *Augustini*, qui ejusdem novam de absolutâ præde-

ſtinatione opinionem defendebant. Libellus ille eſt elegantiſſimus adverſus omnes novitatis amatores & pro antiquitatis veritate. *vide in hiſtoriâ Pelagianâ Voſſium lib. 1. cap. 9.*

A. C. 439. Carthago capitur à *Genſerico*, qui Catholicos omnes pellit & in naves veteres ac fatiſcentes impoſitos mari committit, ob Carthaginenſium magna & multa vitia, quæ vide apud Salvianum.

Conſtantinopoli per Proclum Concilium cogitur, cum ibi Dioſcorus Alexandrinæ Eccleſiæ ageret Apocriſarium, qui hujus conventus occaſionem dederat, de jure Diœceſeos movens quęſtionem, & Epiſcopum Alexandrinum omnibus Orientis Eccleſiis debere præſidere urgens; utpote qui primus eſſet in Eccleſiâ Catholicâ poſt Pontificem Romanum Antiſtes. Refragatus his potiſſimum eſt Epiſcopus Antiochenus, negans ex Canonum Nicæni & Conſtantinopolitani Conciliorum pręſcripto debere ſe ſubjici Epiſcopo Alexandrino, cum ex dictis Conciliis fuerint penitus diſtinctæ diœceſes. Porrò ſynodo congregatâ, & cauſſâ quam exactiſſimè ventilatâ, ea fuit ſanctorum Patrum ſententia, ut ſervarentur quæ in dictis ſacroſanctis Conciliis Nicæno & Conſtantinopolitano ſtatuta eſſent. Cum vero Theodoretus Cyri Epiſcopus acerrimus defenſor pro Eccleſiæ Antiochenę juribus inſurrexiſſet, hinc factum eſt, ut Dioſcorus ex hoc tempore eum gravi odio fuerit proſecutus, quod nunquam depoſuit, & præcipuè oſtendit poſtea, cum Alexandrinus factus eſſet Epiſcopus. Theodoretus. *epiſt. 86. ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum.*

A. C. 440. Sixtus Papa moritur. ſuccedit Leo Magnus. *Quæ Carthaginenſes paſſi ſunt à Genſerico Rege Vandalorum Æſchyli & Sophoclis egent tragœdiâ, & fortaſſe eorum vinceret linguas malorum magnitudo*, ut loquitur Theodoretus epiſt. 29. de Carthaginenſium deploratiſſimo caſu & miſerandâ urbis, quondam Romæ æmulæ, clade: imò ipſa illa æterna Urbs non minora paſſa eſt à Gothis. Vide & admirare Imperiorum prodigioſas revolutiones, & totius Chriſtiani orbis acerbas contentiones, cruenta bella, & per Barbaros à Deo immiſſa ſupplicia ſæviſſima.

A. C. 444. Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus moritur. Laudatur ab his, culpatur ab illis, ut plerumque fit ex fervido partium ſtudio. Vide

quintâ

quintâ synodo epistolam Theodoreto afscriptam contra Cyrillum mortuum, instar Satyræ. Succedit Dioscorus, cujus animi dotes brevi videbimus. Statim enim, veteri odio necdum sopito, Theodoretum Nestorianismi accusat, sed falsò, ut multis docet Baronius, & Cyrilli affines & Nepotes variis modis crudelissimè exagitat.

Quæstio erat Hilario Episcopo Arelatensi, primati Galliæ, viro virtutibus & sanctitate claro secundum *Baronium*, de eligendis Episcopis in Galliæ parte Romanis adhuc subditâ, id est, Provinciâ & Delphinatu (reliqua enim Gallia à Gothis & Francis erat occupata) cum Episcopo Viennensi. Super hac quæstione (anno 398. aliâ de caussâ inter Viennensem & Arelatensem motâ) hæc sancita est definitio in synodo Taurinensi: *Illud inter Episcopos Arelatensem & Viennensem, qui de primatus honore certabant, à sanctâ synodo definitum est, ut qui ex iis comprobaverit suam civitatem esse Metropolim, is totius provinciæ honorem habeat primatus, & ipse juxta præcepta canonum Concilii Nicæni, ordinationum habeat potestatem* &c. A. C. 445.

Hæc quæstio cum non cessaret, & de ea querela ad Episcopum Romæ Leonem per ipsum Hilarium jam noviter electum relatum esset, de hac præëminentiâ metropolitanâ inter Arelatensem & Viennensem Episcopos, impetrat Leo legem seu rescriptum ab Imperatore Valentiniano III. quod est Constit. Nov. Theodos. & Valentin. Titul. 24. *Memoriâ perpetuâ dignum est Valentiniani III. Imperatoris rescriptum, S. Leone Pontifice Romano id expetente, ad Aëtium militiæ ministrum in Galliâ agentem* inquit Baronius. *Cum sedis Apostolicæ primatum, S. Petri meritum, qui Princeps Episcopalis coronæ, & Romanæ civitatis dignitas, sacra etiam synodi firmarit auctoritas, ne quid præter sedis auctoritatem illicitum attentare præsumptio nitatur: tunc enim demum Ecclesiarum pax ubique servabitur, si rectorem suum agnoscat universitas* &c. & paulò post: *Hâc perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat, sine viri venerabilis Papæ Urbis æternæ auctoritate tentare, sed illis omnibusque pro lege sit, quicquid sanxit vel sanxerit Apostolicæ sedis auctoritas; ita ut quisquis Episcoporum ad judicium Romani Antistitis evocatus venire neglexerit, per moderatorem ejusdem provinciæ adesse cogatur,*

tur, per omnia servatis, quæ divi parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt, &c. Examinemus paucis rescriptum.

Hæc lex primatum Episcopo Romano tribuit, sed prima est: idque ex merito Petri, dignitate Urbis, & decreto synodali, nullâ factâ mentione S. Scripturæ, aut juris divini. Quis autem hanc legem tulit? Imperator Valentinianus, annos natus 26. *homo mollis & effæminatus, summâ vitæ infamiâ incantamentis deditus, ut ipse conjugatus alienis matronis potiretur* &c. ut inquit Procopius, & docet stuprum in uxore Maximi Senatoris an. C. 454. patratum. In cujus gratiam lata lex? *Papæ Leonis eam petentis*, ut inquit Baronius, *fundata super fideli relatione venerabilis viri Leonis, Papæ Romani, omnibus per ordinem religiosi viri Urbis Papæ cognitione discussis*, ut ipsa lex affirmat: ita ut potius mereatur dici rescriptum Papę, quam Imperatoris, Leonis, quam Valentiniani. Dedit huic Leonis petitioni occasionem & robur Canon ille Sardicensis, quem proculdubiò Imperatori juveni & rerum ignaro obtrusit Leo, ita ut ex eo auctoritas hujus rescripti dependeat: quo etiam antehac sępe malè usi sunt Leonis prędecessores, & quem tam frequenter producit Baronius, Sardicense Concilium inter œcumenica & ejusdem auctoritatis cum Nicæno statuens. Abusus est hujus ignavi Imperatoris auctoritate sagax Leo; Quid fit? S. Hilarius injustè accusatus innocens condemnatus est: Unde Petavius: *S. Hilarius quod in alienam diœcesin grassari* videretur, *à Leone* severius *castigatus dicitur. Illud satis ad coronam Hilarii*, inquit Baronius, *quod licet pro tuendis (ut sibi videbatur justè) juribus Ecclesiæ Arelatensis, offensam meruerit tanti Pontificis, tamen quod sanctitate non vulgari claruerit, in publicis Ecclesiæ, etiam Romanæ, monumentis titulo meruit sanctitatis ascribi, anniversariâque memoriâ ejusdem ubique locorum dies natalis coli. Certè quidem haud mediocre specimen edidit Christianæ modestiæ, dum ita exagitatus, tam à Pontifice quam ab Imperatore (sicut enim fremitus Leonis, ita & ira Regis) tamen omnino conquievit, neque contrariis editis apologiis suam caussam defendit; cum alioqui id præstandi & vis eloquentiæ ipsi suppeteret, & jura à prædecessoribus prætensa suffragarentur.* Hactenus Baronius. Tantam vim habet veritas, ut etiam oblocutoribus nescriis subinde excidat: Maluit cedere suo juri vir sanctus, quam in detrimentum pacis Ecclesiasticæ provocare fremitum Leonis, & per eum iram

Procop. lib. 1. de bell. Vandal.

Vid. epist. Valentiniani, Gallæ Placidiæ, & Leonis ad Theodos. Imper.

iram Regis *inertis, stolidi & semi-hominis*, Sidonio. Ratione dignitatis civilis Arelatum erat subjectum Viennę, sed an. C. 417. Cum diu de prętogativa certassent Arelatensis & Viennensis Episcopi, Patroclus Arelatensis à Zosimo Papa hac occasione non tantum supra Viennensem, sed & omnes Gallię Episcopos, obtinet prętogativam: Referebat Trophimum quendam Petri Apostoli discipulum, qui ab eo missus esset Arelatum ad prędicandum Euangelium, primum sedis ibi fuisse conditorem, & ex eo antiquo jure pertinere illam in alios Episcopos auctoritatem ad Arelatensem, tanquam Christianismi apud Gallos fontem. Patroclus auctoritate Zosimi fit Metropolita: cum verò hoc tempore nova inter eos orta esset quæstio, & Hilarius Romæ coram Leone caussam suam diceret, & jus sui Episcopatus tueri conaretur, accepto hoc ab imperatore rescripto, Hilarium omnibus Episcopatus sui functionibus privat, & jus illius metropolitani sibi vendicat: quâ occasione non parum lęsa fuit libertas Gallicana. *Blondellus.*

Meroveus hoc eodem anno Gallias occupat, & Francicum regnum constituit & ab eo dicta est familia Merovingorum, qui 307, annos, usque ad Hildericum, quem Pipinus consilio Stephani Papæ cœnobio inclusit, regnarunt.

Immanis per universum ferè Romanum orbem sex menses duravit terra motus, quo concutiuntur Constantinopolis, Alexandria, Antiochia, nec terrâ tantum sed & mari. Hoc tempore supplicante populo cum Imperatore & Episcopo extra Vrbem Constantinopolitanam, puer omnibus spectantibus è medio sublatus est ad cœlum qui ubi rediit narravit se audivisse Angelos hoc hymno Deum celebrantes: Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis, miserere nostri. *Quæ ubi Episcopus Proclus intellexit, populum ita psallere jussit, & terræ motus cessavit. Imperator constitutionè imperiali per totum orbem, hymnus hic ut caneretur, decrevit*, &c. Nicephorus lib. 14. cap. 46. sed hic scripsit an. C. 1305. Hujus terræ motus etiam meminit Paulus Diaconus & Cedrenus. A. C. 446.

Theodosius sæpe oblatis libellis sine inspectione subscribebat; id ut corrigeret soror Pulcheria, libellum offert, in quo significaretur emptam à se Eudociam Augustam, si ipse præberet assensum: Ex more subscribit. Sibi retinet Eudociam Pulcheria, & cum vocatam

catam reddere recusaret, ostendit de ratâ habitâ emptione Imperatori chirographum. salso hoc joco animum Imperatoris soror offendit.

Hæc eadem Eudocia pomum à marito acceptum Paulino donavit, qui denuò Imperatori. Imperator de dato pomo uxorem rogat, illa se comedisse mentitur. Theodosius pomum proferens mendacem arguit; unde Imperatoris animus ab eâ alienus, Paulinum occidi jussit. *Zonaras, Nicephorus, & alii.*

Proclus Constantinopolitanus moritur, succedit Flavianus.

A. C. 447. *Etsi symbolum Nicænum per Catholicum orbem ubique vulgatum, atque in omnibus Ecclesiis decantatum, & usu receptum esset, sola tamen Ecclesia Romana in Baptismo & aliorum sacrorum ritibus, ubi fidei confeßio adhiberi soleret, non aliud symbolum quam antiquum illud Apostolicum adhibere consuevit: quod Ruffinus testatur in expositione Symboli* Aquilegiensis, inter opera Cypriani. *Tempore Benedicti septimi poscente Imperatore Henrico II. cani cœpit symbolum Nicænum seu potius Constantinopolitanum cum additamento*, id est, filioque. *Baronius.* Qui hæc duo verba primò ab Hispanis symbolo addita narrat contra errores Priscilliani, quâ de re posthac latius. Negabant illi tres divinitatis personas, & Deum aliquando Patrem, aliquando Filium, aliquando Spiritum sanctum dici asseverabant.

A. C. 448. Dioscorus Episcopus Alexandrinus usurpare conatur jura Ecclesiæ Antiochenæ, contra quem Theodoretus adfert canonem Concilii Nicæni diœcesium limites præscribentem: ubi etiam *Baronius* ex verbis *Innocentii* diversa producit argumenta, quibus Antiochena sedes Alexandrinæ præferri posset, nisi Petro per Marcum hanc erigenti aliter visum fuisset. Quod de Petro statuit vir illustrissimus, alibi ex dignitate civitatis Alexandrinæ civili evenisse docet, ut videbimus an. C. 451. ad Concilii Chalcedonensis Canonem 17. *sed intuere,* inquit idem, *primos hujusmodi mentis elatæ motus, observa hominis fastum, dum sibi subjicere sedem Antiochenam aggreditur. Porrò ut est in Psalmo; superbia ejus ascendet semper.* Cum ratione carpit vitium Dioscori Baronius, sed non videmus manticæ, quod in tergo est.

Eutyches dum magno cum animi fervore Nestorii hæresin impugnat, eò prosiliit, ut non duas tantum esse in Christo personas om-

omninò ex Catholicæ fidei præscripto negaret, sed etiam nec duas in Christo naturas vellet asserere, eosque Nestoriano laborare morbo putaret, qui duas confiterentur in Christo distinctas & inconfusè conjunctas esse naturas. Condèmnatur Eutyches in Concilio Constantinopolitano per Flavianum ejusdem urbis Episcopum. Vide *Concilium Chalcedon. action.* 1. *tomo* 1. *Concil.*

Imperator indicit Ephesi in caussa Eutychetis Concilium & Dioscorum Alexandrinum præsidem Concilii statuit, & convenire jubet cum decem Metropolitanis. Theodoretus Cyri Episcopus accedere per Dioscorum prohibetur, sed audi Baronium: *Porrò intentatum hactenus sibi Theodosius Imperator*, religiosissimus Petavio, *jus arrogat & usurpat, dum celebrandæ synodo œcumenicæ, qui illi in omnibus præsit, Episcopum deligit. Quod quidem Romani esse Pontificis docent quæ acta sunt in habitis antea synodis œcumenicis: siquidem Nicæna synodo Osius à S. Sylvestro missus præfuit: Ephesino autem haud pridem celebrato Concilio Cyrillus Alexandrinus Episcopus à Cœlestino delectus, ut eorundem Conciliorum acta significant. Sed Deo vindice, ubi talem sibi Theodosius Pontificiam auctoritatem arripuit, Imperio privatur, anno sequenti ex hac vita sublatus. Quod igitur talibus sacrilegiis est captum Concilium, quibus fuerit sceleribus auctum & consummatum ejusdem acta declarant.* Hactenus suo more Baronius. Sed quod Osius Præses fuerit Concilii Nicæni, ex auctoritate Constantini Magni suo loco demonstratum est: quod ad Concilium Constantinopolitanum œcumenicum, ne quidem vocatus fuerit Damasus Episcopus Romanus, & Præses fuerit Meletius Antiochenus omnes docent historici: In Concilio Ephesino œcumenico præsedit Cyrillus Alexandrinus Episcopus propriâ & sibi debitâ auctoritate (ut in Constantinopolitano Meletius, cum solus Patriarcharum adesset) & illi, post Episcopum Romanum, primus deberetur honos. Sed *Deo vindice, supplicio necis punitum piissimum Imperatorem, ob commissum hoc contra Pontificiam auctoritatem sacrilegium*, inquit Baronius. Respondebo Baronio per Baronium an. C. 383. in fine ubi ita loquitur de disertissimo illo Symmacho pagano Urbis Præfecto: *Porrò Symmachus homo versatilis, ab occasione ducens argumentum* (quod Baronio familiare) *eandem tamen ad suum propositum inflectens, in relatione quam* A. C. 449.

anno sequenti ad Valentinianum conscripsit, eandem tamen exaggerans, accidisse eam persuadere conatur, quod adempti fuerint sacerdotum reditus, atque agri Vestalium Virginum, ita enim ait: Honoraverat lex Parentum Vestales virgines ac ministros Deorum victu modico, justisque privilegiis. Stetit muneris hujus integritas usque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium bajulorum, sacra castitatis alimenta verterunt: secuta est hoc factum fames publica, & spem omnium provinciarum messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum, nihil imputamus astris, nec rubigo segetibus obfuit, nec avena fruges necavit: sacrilegio annus exaruit; necesse enim fuit perire omnibus quod religionibus negabatur &c. *At quam scitè & prudenter inania ista ab occasione famis adducta à Symmacho argumento refellat S. Ambrosius, ipsum audi,* inquit Baronius.

Evocat etiam inter cæteros Imperator Theodosius ad Concilium Leonem Romæ Episcopum, qui Concilium in Italia haberi suadet, & orat: *Si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere* (inquit Leo Papa)*ut intra Italiam haberi jubeatis episcopale Concilium, citò poterunt auxiliante Deo omnia scandala resecari* &c. Leo ad Theodosium epist. 9. Præsentiam Leonis in Concilio Ephesino petierat Imperator: excusat se Leo, quod se absentem non ferret Urbis incerta conditio. Mittit autem tres legatos ad synodum, & cum iis insignem epistolam 10. ad Flavianum, de Verbi incarnatione: quæ imprimis duas in Christo unitas naturas, indivisè & inconfusè in unius personæ subsistentia inseparabiles docet. Fortunatus id expressit hoc versu.

In Deitate Patri æqualis, sed corpore matri,
Et sine peccato, de genetrice caro. Baronius.

Synodus hæc dicta fuit Lestrica, id est, prædatoria, in qua Eutyches absolvitur, & Flavianus cum Eusebio Dorilæo Eutychetis accusatore condemnatur. Subscribunt 96. Episcopi: & inter hos Domnus Antiochenus, Juvenalis Hierosolymitanus, Basilius Seleuciæ Episcopi, & alii qui videbantur esse columnæ &c. *Baronius.*

Legati Leonis contradicunt Dioscoro, & cum Flavianus per hos legatos Leonem appellaret, cæsus est & multis injuriis afflictus, paulò post in exilum missus, moritur. *Liber. brev. cap. 12. Evagrius lib. 1. cap. 10. Niceph. lib. 14. cap. 47. vide præambula Concilii Chalcedon.*

cedon. & ejusdem Concilii action. 1. 3. 4. 10. *Concilior. tomo primo.* In locum Flaviani creatur Anatholius, qui erat Apocrisarius Dioscori Constantinopoli, Maximus in locum Domni Antiocheni, &c. Episcopi qui subscribere recusarunt per milites à Dioscoro in exilium missi, inter quos Theodoretus mirandis modis crudelissimè oppressus. sed Theodosius certior factus se deceptum fraude Eutychetis & Dioscori, Chrysaphium Eunuchum Eutychetis patronum relegat & bona ejus publicat. *Tom. Conc.* Leo convocat synodum Romæ ubi omnia acta hujus Concilii damnantur. Leo & cum eo Synodus in epistola ad Theodosium inter cætera hæc habet. *Omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus & lacrymis supplicant sacerdotes* &c. *generalem synodum intra Italiam jubeatis celebrari* &c.

In eundem finem scribit Valentinianus Imperator ad Theodosium postulante id Leone, scribit & Galla Placidia Augusta mater, sed frustra. Dioscorus in Ægyptum reversus Alexandriæ, collecto concilio Episcoporum suorum, Leonem excommunicat. *Liberatus cap.* 12. *& Concilium Chalcedon. Concilior. tomo* 1.

Hic annus Jubilæus *Baronio* est faustus & felix, imò post multa alia Annus benignitatis: quia Theodosius junior moritur, cujus laudes vide in præfatione historiarum ecclesiasticarum Sozomeni; & apud *Socratem lib.* 7. *cap.* 22. 40. 41. *Theodoret. l.* 4. *cap.* 36. 37. & tamen ejusdem obitus primum indicium anni benignitatis *Baronio* est: *Moritur*, inquit, *Theodosius Imperator, cujus favore impietas mirum in modum invaluerat*, quia læsit auctoritatem Pontificis Romani, plus juris usurpando in procuranda *ἀπαξία* Concilii œcumenici (quod juris Imperatores illis temporibus semper habuerunt) quam hodie Principibus tribuitur, aut tribui censet *Baronius.* sed hic obiter nota, omnia sive prospera, sive adversa, quæ principibus populisve, vel etiam privatis hominibus evenerunt, non alia ex caussa ferè in his Annalibus dici orta, nisi ex aliqua aut observantia insigni, aut ex aliqua contumelia vel injuria in Papam Ecclesiamve Romanam &c. Succedit Theodosio Marcianus humili loco in Illyrico natus, sed militiâ clarus &c. cujus primordia & mores si nosse velis, vide *Evagrium lib.* 2. *cap.* 1. A. C. 450.

Orientale Imperium, referente *Baronio*, ad multorum annorum

spatia assiduis cladibus ab Attila Hunnorum Rege labefactatum, simulac per Imperatorem Marcianum est restituta vera religio, continuò à Barbaris liberatur, abigiturque divinitus flagellum Dei, ubi locus datur Catholicæ veritati &c. Sic ergo Attila sponte recedens ab Oriente copias convertit in Occidentem, ubi imbecillem sciret regnare Imperatorem Valentinianum &c.

Vide, quæso, quam languidum, quam elumbe Baronii ab occasione, ut alibi loquitur, desumptum argumentum. *Attila relinquit Orientale Imperium*, inquit, *quod esset datus locus veritati.* Sed quare abit ad Imperium Occidentale, ubi & unde omnis veritas Baronio? ubi magnus ille Leo, Episcoporum primus, verbi incarnati veritatem etiam apud Orientales tam feliciter conservat, insigni illa epistola ad Flavianum? quare Italiam tanta vexat fames, ut parentes liberos vendiderint, ut cibum emerent? &c. ubi idem Attila, expugnavit, diruit aut diripuit Apuleiam, post triennii obsidionem, Concordiam, Patavium, Vincentiam, Veronam, Brixiam, Bergamum, Mediolanum, Ticinum &c. ut paulò post videbimus: meminit autem hujus penuriæ istis verbis Imperator: *Motum est proximis obscœnissimam famem per totam Italiam desævisse, coactos homines & filios parentes vendere, ut discrimen instantis mortis effugerent. Tantum uniuscujusque miseranda macies & letalis pereuntium pallor extorsit, ut totius, quem natura concessit, amoris oblita, alienare suos pietatis genus putarent. Nihil est enim ad quod non desperatio salutis impellat; nihil turpe, nihil velitum credit esuries: sola cura est ut qualicunque sorte vivatur.* Hæc Imperator Valentin. *Novel. tit.* 18. *apud Cod. Theodos.*

CONCILIUM CHALCEDONENSE.

A. C. 451. MArcianus Imperator quartum convocat œcumenicum Concilium idque Nicæam, sed propter Imperii motus mutavit locum à Nicæa in Chalcedonem, nam ipse & Pulcheria Theodosii soror, conjux Augusta, Concilio volebant interesse. Hac de caussa Papa Leo per Legatos suos scripsit Episcopis Nicæam convocatis, cum essent congregati Chalcedone. Legati fuerunt Paschasinus Episcopus Lilybæi in Sicilia, Lucentius Episcopus Asculanus, Bonifacius & Basilius S. R. E. presbyteri Cardinales.

Hujus

Hujus concilii caussas & seriem breviter descriptam sic habet *Petavius: Eutyches Archimandrita Constantinopolitanus novæ auctor hæresis, quæ naturarū in Christo discrimē omnino tollebat* (nam ut Nestorius duas in Christo videbatur statuere personas, sic Eutyches, ab uno extremo in aliud incidens, ut unam in Christo defenderet personā, etiam unam statuit naturam: & quidem duas fuisse, sed in incarnatione coaluisse, ut aqua cum vino) *postulatus judicio ab Eusebio Dorilæi Episcopo, damnatus est in Concilio Constantinopoli à Flaviano ejus urbis Antistite an. C. 448. Sequenti anno opera Chrysaphii Eunuchi, qui Flaviano infensus erat, apud Ephesum alia synodus est habita quam* Κηστρικὴν, *hoc est, latrocinalem nominant: cui Dioscorus Alexandrinus praerat, is qui anno 444. Cyrillo successit. In ea communioni restitutus est Eutyches, Flavianus depositus, eique subrogatus Anatolius presbyter & Apocrysarius Dioscori. Sed & Theodoretus & Domnus Antiochenus in ordinem redacti, etsi hic conciliabulo isti subscripsisse legitur, una cum Iuvenali Hierosolymitano. Flavianus dum Romanum Pontificem appellat in exilium pulsus ac pugnis & calcibus malè multatus interiit Legati Romani Pontificis vexati. Hanc synodum Leo Papa condemnavit. Cui vicissim Alexandriæ Dioscorus communionem abrogavit. Hæc omnia connivente Theodosio, principe alioquin religiosissimo, sed à Chrysaphio illuso, peracta sunt, cum abesset Pulcheria; quæ spadonis istius & Eudociæ calumniis anno 447 Imperii administratione cesserat. Tandem agnito errore Theodosius objurgatam acriter Eudociam Hierosolymam misit ac Pulcheriam revocavit anno 450. quo eodem mortuo Marcianus cum Pulcheria conjuge Imperium accepit. Eâ jubente occisus est Chrysaphius. Anno porro 451, Chalcedone generalis est celebrata synodus 630 Patrum, cui Romani Pontificis Legati interfuere, nec non Dioscorus ipse: sed & Marcianus Imperator cum Pulcheria & Magistratibus & Senatoribus adsuere. Cœpta est 8. Idus Octobris, & post 13. sessiones absoluta Cal. Novemb. quibus Latrocinantium abrogatâ synodo damnatus est Discorus & Eutyches, ac memoria Flaviani cum honore restituta. Dioscorus Gangram Paphlagoniæ relegatus, ibi vitam finiit. Ejus. Concilii canones 28. à Leone minimè sunt recepti. Pulso Dioscoro, & in ejus locum ordinato Proterio, Alexandrini amore præsulis sui ad seditionem versi sunt. Sed eos Marcianus facile compescuit, &c.* Verba sunt Petavii.

Conveniunt ergo Chalcedone Episcopi. A sinistro latere sedent Legati Papæ & Episcopus Constantinopolitanus, à dextro Dioscorus Alexandrinus & Juvenalis Hierosolymitanus, in medio super thronum posita fuêre sacrosancta Euangelia, aderant Marcianus & Pulcheria.

Hoc Concilium convocatum est auctoritate Marciani Imperatoris ex instigatione Anatolii Constantinopolitani Episcopi & contra consilium & opinionem Leonis Papæ Romani. Sic enim Leo epist. 41. ad Marcianum: *Poposceram à gloriosissima clementia vestra, ut synodum quam pro reparanda pace Orientalis Ecclesiæ à nobis etiam petita necessariam judicastis, aliquantisper differri ad tempus opportunius juberetis,* &c. Mittit tamen suos legatos, ut in hac eadem epistola liquet. Imò etiam in epistola ad Pulcheriam in Italia Concilium celebrari precatur Leo. Vide in præambulis hujus synodi litteras Marciani ad Episcopos, quibus eos ex auctoritate Imperatoris cum minis convocat: quod ipsi Episcopi ejusdem concilii actione primâ & sequentibus testantur. Conveniunt autem sexcenti triginta, ut dictum est. Quis hujus Concilii præses fuerit quæritur. In initio tertiæ actionis dicit Paschasinus primus Papæ Romani Legatus, Leonem præcepisse ut ipse præsideret: & eâdem tertiâ & sextâ actione subscribitur: *Paschasinus vice Domini mei*, &c. *Leonis Papæ Romani synodo Præsidens.* Maximam habuisse auctoritatem Judices & Senatores ab Imperatore missos docent Evagrius lib. 2. cap. 4. & ipsa synodi acta. Primâ actione Paschasinus inquit, *Ecce nos Deo volente Anatolium primum habemus,* &c.

Vide epistol. Leonis 23. 24. 25. in quibus Leo humiliter petit, ut jubeat Imperator &c.

Hoc Concilio Dioscorus, & Eutyches condemnantur, qui credebant, ut diximus, post adunationem non manere duas naturas in Christo.

Dioscoro exauctorato Episcopi Ægyptii sibi alium Patriarcham eligunt, & ad orthodoxiam redeunt. Theodoretus & Ibas Edessenus Episcopus, cum se orthodoxos declarassent, restituti sunt. Confessio fidei edita est ex definitione Concilii Nicæni, Constantinop. & Ephesini.

Hujus Concilii actione 15. primo tomo Concil. Petri Crabbe 27. inveniuntur Canones in quibus tria præcipue consideratione digna

digna sunt. Primò, quod contendentes aut litigantes Clerici ad Episcopum suum aut ad Episcopos Provinciæ ablegantur. Secundò, quod dicatur Clericos in consequendis honoribus sequi debere ordinem dignitatis civilis. Tertiò cum canone 28. actione 16. conceditur primatus Constantinopolitano Episcopo secundum sententiam sanctorum patrum 150 Concilii Constantinopolitani primi & œcumenici secundi.

Ut primum de lite Clericorum componenda probetur, audiamus canonem 9. qui hic est: *Si quis clericus adversus clericum habeat negotium, non deserat proprium Episcopum, aut ad secularia percurrat judicia, sed prius actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel oborto Concilio ejusdem Episcopi, apud quos utræque partes voluerunt, judicium obtinebunt. Si quis autem præter hac fecerit, canonicis correptionibus subjacebit. Quod si clericus habeat caussam adversus Episcopum proprium, vel adversus alterum, apud synodum Provinciæ judicetur. Quod si adversus ejusdem provinciæ Metropolitam Episcopus vel Clericus habet querelam, petat aut primatem diœcesios, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam judicetur.* Similia vide canone ejusdem Concilii 12. *Vide Blond. pag. 741.*
& 17. Canone 19, jubet synodus ut in illum finem Episcopi quotannis in singulis suis provinciis conveniant, idque secundum mandatum Metropolitani, & Canones Patrum, id est, Canonem Concilii Nicæni quintum. Eodem illo canone Clerici contendentes vel excommunicati ad synodum suæ provinciæ venire jubentur, ut ibi discutiantur hujusmodi quæstiones. vide etiam Canonem 4, Concilii Nicæni, ubi Metropolitanis datur potestas in singulis provinciis. Idem confirmat & Constantinopolitanum & Ephesinum Concilium, utrumque œcumenicum, quæ vide; & inter cætera decretum Concilii Ephesini de Episcopis Cypriis, & præterea canonem synodi Antiochenæ nonum, quæ celebrata est an. C. 334. ab Episcopis 90, cujus hæc sunt verba: *per singulas regiones Episcopos convenit nosse, Metropolitanum sollicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod omnes undique, qui negotia videntur habere ad Metropolim conveniant, unde placuit & eum honore præcellere* &c. sed lege totum canonem. Vides Metropolitano summam dari potestatem in suâ provinciâ idque esse confirmatum in diversis Conciliis, nullâ unquam factâ

mentio-

mentione Episcopi Romani, ut manifestum sit Canonem illum Sardicensem jam obliteratum, nullius fuisse valoris.

Unum addam. Barlaamus in libello de Papæ principatu cap. 9. *sed enim*, inquit, *quod nulla unquam œcumenica synodus de Romana sede decrevit, quarta synodi decimus septimus canon nova Romæ sedi adjudicavit, ut in unaquaque videlicet provincia, si quis Episcopus injuriâ afficeretur à Metropolitano ad Exarchum Diœceseos aut sedem Constantinopolis judicium deferretur.* Rectè illud & verè Barlaamus, nullam œcumenicam Synodum Episcopo Romano attribuisse, quod quarta œcumenica Episcopo urbis Constantini adjudicavit. Nam Concilium Sardicense, quo appellationes ex omnibus Occidentis provinciis Romanæ sedi decretæ sunt, non fuit œcumenicum, non saltem pro œcumenico habitum est. Scire verò debemus, quemadmodum Synodi Sardicensis decretum illud, quo licentia dabatur Episcopis Romam provocandi, in Occidenti à veteri Ecclesia observatum, non est; sic nec id servatum esse in Oriente quod constituerant Chalcedonenses illi Patres de provocatione ab Exarchis seu Patriarchis singularum Diocœseôn ad sedem Constantinopolitanam admittenda. Nam Justinianus novella centesima & vigesima tertia in confirmatione Canonum illorum Concilii Chalcedonensis, mentionem nullam facit illius additionis: ἢ παρὰ τῷ Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ δικάζεσθαι; quâ manifestè sedi Constantinopolitanæ decernebatur: imò contra sancit, non licere retractari, quod semel ab Exarcho, id est, Patriarcha, uniuscujusque Diœceseos in causis Episcoporum & Metropolitanorum statutum ac judicatum fuerit.

Secundò ab hac synodo Chalcedonensi jubetur ut Ecclesiastici sequantur ordinem dignitatis civilis; Canonis 17. hæc sunt verba: *si verò qualibet civitas per auctoritatem Imperialem renovata, id est noviter constructa sit, aut si renovetur in posterum, civiles & publicas ordinationes etiam Ecclesiarum parochialium sequatur ordinatio.*

Hic autem erat ordo dignitatum Ecclesiasticarum: Romanum Imperium divisum fuit in quatuordecim diœceses, & unaquæque diœcesis continebat multas provincias, quarum unaquæque multos habebat Episcopos, & inter eos unum Metropolitanum diversorum Episcoporum, sed unius provinciæ Episcopum. Primus diœceseos

cœſeos Epiſcopus dicebatur Exarchus, ſeu primas, (quorum nominum prima occurrit mentio in hoc Chalcedonenſi, quę in prioribus nuſquam extat) cui etiam obediebant diœceſeos Metropolitani. Ejuſmodi erant Epiſcopi Romæ, Conſtantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ, Carthaginis, Epheſi, Theſſalonicæ, Mediolani, Arelatis &c. Inter eos quinque vocabantur Patriarchæ, ut Romæ, Conſtantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ, Hieroſolymorum, & eminebant ſupra alios Exarchos, excepto Hieroſolymitano, qui ſuberat Epiſcopo Cæſarienſi Metropolitano; nam illa erat Palæſtinæ Metropolis ſecundum ordinem civilem; Et Epiſcopi Romani Imperii ordinem ſedendi habebant, ſecundum dignitates civiles. Vide Imperatoris Juſtiniani Novellam 31. cap. 2. Conſtantinopolis verò, anteà dicta Byſantium, ante ſedem Imperii ibi conſtitutam, erat ſub Metropolitano Heracleæ.

Ab auctoritate urbium civili, dependere auctoritatem & ordinem ſedendi Eccleſiaſticorum clarè probat Baronius an. C. 39. §. 10. *Majores in inſtituendis ſedibus Eccleſiaſticis, non aliam iniiſſe rationem, quam ſecundum provinciarum diviſionem & prærogativas à Romanis ante ſtabilitas, quam plurima ſunt exempla: ſed ſatis modò erit unum vel alterum huc in præſentiarum adſerre; ac inprimis illud haud longè petitum de ſede Antiochena, quæ quantumlibet à Petro ante Alexandrinam fuerit inſtituta, tamen quoniam Præfectura Alexandrina Auguſtalis dicta, ab Auguſto eo nomine inſignita, magnificentiſſimè præ cæteris fuerit nobilitata ab eodem, longè præſtabat Syriæ præfecturæ: ea de cauſſâ factum apparet, ut quamvis Antiochena ante Alexandrinam à Marco nomine Petri erectam, fuerit inſtituta, tamen illi poſtpoſita habeatur. Sic etiam inter omnes Orientales præfecturas Syriæ proconſulatus præſtabat, cum ejus provinciæ Metropolis eſſet Antiochia: inde etiam accidit ut prima omnium Eccleſia Antiochena habeatur. Et quamvis Hieroſolymorum prima omnium origine temporis & nobilitate rerum in ea conſummatarum meritò dici poſſet, cæteriſque ea de cauſſa, quæ in Oriente ſunt eccleſiis jure præferenda videretur, illi tamen ſubjiceretur. Imò ſecundum prædictam, ut apparet, rationem, non ipſa Hieroſolymorum eccleſia eſt inſtituta Metropolis Palæſtinæ, ſed quod totius illius Provinciæ Metropolis Cæſarea maritima à Romanis eſſet effecta, illic etiam ſedes Metropolitana ejuſdem Provinciæ eſt decreta,*

ta, servato tamen aliquo Hierosolymorum Ecclesiæ honore. Habes id perspicuè declaratum ab Hieronymo epist. 6. ad Pammachium, ubi sic ait; Responde mihi: ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? ni fallor hæc tibi decernitur (in Concilio Nicæno scilicet) ut Palæstinæ Metropolis Cæsarea est, ita totius Orientis Antiochia. Hæc ille: Cæterum ante Concilium Nicænum Cæsaream Palæstinæ Metropolim esse constitutam ipse canon septimus Concilii Nicæni non obscurè significat, cum sic ait; Quia consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salvâ Metropolis auctoritate, vel propriâ dignitate. Hæc erat Cæsarea, quæ, Iosepho auctore, maxima omnium Iudææ civitatum erat. Hactenus Baronius. Sed jam denuò vide, quomodo sui obliviscatur idem Baronius; ubi loquitur de Canone Concilii Constantinopolitani, & de privilegiis Episcopi Constantinopolitani in Chalcedonensi approbatis & firmatis actione 16. canone 28. hisce verbis. *At certè si non aliunde canon suffulcitur quam ex redditâ ratione nullâ ex parte subsistente; ipsum necesse est penitus evanescere. Vbinam gentium, quæso, prærogativa sedium ex pulcritudine, amplitudine, vel dignitate civitatum, à majoribus reperitur sancita, & non potius ex Apostolorum successione, unde & ipsæ Apostolicæ sunt nominatæ, & præ cæteris à Patribus exaltatæ reperiuntur?* Sed contrarium est verum, ut paulò ante testatur ipse Baronius, & secundum rationes ab illustrissimo viro postremò adductas, Ecclesia Hierosolymitana omnibus cæteris esset præferenda, & multis aliis Ephesina, propter Apostolum Iohannem, & Corinthus, Thessalonica, Philippi, præstarent Alexandriæ, quia illæ ab Apostolis fundatæ sunt Ecclesiæ.

Tertiò, actione 16 Concilii Chalcedonensis disputatur de æquali dignitate Episcopi Constantinopolitani cum Episcopo Romano, quod contra Legatos Episcopi Romani tota synodus approbat. Sunt ipsa verba synodi, quamvis tantum subscripserint Episcopi n°. 185. Canon autem est 28. qui sequitur. *Etenim sedi senioris Romæ propter Imperium civitatis illius Patres consequenter privilegia reddiderunt: & eâdem intentione permoti centum quinquaginta Deo amantissimi Episcopi Concilii Constantinopolitani œcumenici, æqua sanctissimæ sedi novæ Romæ privilegia tribuerunt, rationabiliter judicantes* imperio & senatu urbem ornatam, *æquis senioris urbis Romæ privilegiis frui; & in Ecclesiasti-*

siasticis, sicut illa, majestatem habere negotiis, & sedem post illam existere, &c. Idem canon renovatus est in Concilio Constantinopolitano sexto œcumenico, in Trullo convocato, Canone 36. an. C. 681. & confirmatus à Justiniano *nov. constit.* 131. *c.* 2.

Legati Papæ Romani audito canone 28 pro privilegiis Episcopi Constantinopolitani, in eâdem prædictâ actione citant canonem Concilii Nicæni sextum pro primatu Papæ, sed malè, ut ostendimus in concilio Nicæno & Africano an. C. 419. Addunt canoni (quod Ecclesia Romana semper habet primatum) verba, quæ canon Concilii Nicęni non continet, ut ibidem ex codice ab Aëtio dato deprehenditur. Ergo subscribitur ab omnibus Episcopis clamantibus: *nemo coactus est.*

Subscribit ibidem Eusebius Dorilæi Episcopus, qui diu Romæ vixerat à Dioscoro relegatus, & testatur Episcopum Romanum eum canonem suscepisse. Sic autem finem capit concilium Chalcedonense; *Gloriosissimi judices dixerunt: Ex his quæ gesta sunt, vel ab unoquoque deposita, perpendimus omnem quidem primatus honorem præcipuum secundum canones antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conservari: oportere autem sanctissimum Archiepiscopum Regiæ Constantinopolis novæ Romæ, eisdem primatibus honoris dignum esse, & potestatem habere ordinare Metropolitas in Asianâ, Ponticâ & Thracicâ diœcesibus* &c.

Obiter hic notandum, in corpore Canonum à Justiniano edito, non solum eos canones contineri, qui ab œcumenicis synodis constituti sunt, sed etiam qui ab œcumenicis comprobati robur acceperunt: ut canones Ancyranæ, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiochenæ & Laodicenæ synodi, quæ tantum sunt synodi provinciales. Atque hi Canones ab Imperatore Justiniano etiam vim legis acceperunt, per novellam constitutionem Imperatoris 131. de confirmatione codicis canonum Ecclesiæ universæ. *Videatur Justellus in præfatione ad codicem Canonum.*

Relatio seu epistola illa synodi Chalcedonensis, quæ invenitur post actionem tertiam, ad Papam Leonem scripta, à multis spuria & adulterata habetur: nam cum sub finem epistolæ tempus scriptionis indicatur, habetur *scripsi* pro *scripsimus*. Item Cal. April. cum in Octobri sit celebrata, ut vides actione primâ, & finiatur quinto

 Kal.

Kal. Novemb. actione 16. *Indictione dicitur* 13. cum Concilium sit celebratum indictione 4. ut liquet actione primâ. Annus autem Christi 493. initium est indictionis 13.

Putat Baronius vocem œcumenici seu universalis inter titulos Papæ Leonis in hac relatione omissam dolo librariorum, nos credimus multos prædictos errores in hanc epistolam irrepsisse ex oscitantia eorundem. Sed paucis examinemus verba relationis. Primò dicitur à synodo Leoni: *quibus tu sicut membris caput praeras.* Quod verum est. Primò, caput, κορυφή, Princeps &c. erat Episcopus Romanus in Ecclesia orbis Romani, jure dignitatis Urbis veteris Romæ: Secundò erat etiam caput hujus concilii, quia per suos legatos presidebat; sed ut verum fatear, Divisum Imperium cum præside Cæsar habebat: Sicut Zorobabel typus Christi,& Josue renovarunt & instaurarunt Ecclesię Hierosolymitanę ędificationem circa dogmata; sicut Constantinus & Theodosius Imperatores magni & alii in Ecclesiâ Christianâ etiam sacra curarunt, sic & Marcianus, quod acta Concilii Chalcedonensis manifestè declarant. Sequuntur in relatione: *Papa Romano vinea custodia est commissa à Salvatore.* Verè & benè; nam fuit Leo insignis veritatis athleta, qui suo *fremitu*, ut loquitur Baronius, & animi magnâ constantiâ, spiritu excitatus divino, hęreses conatus est è vinea Domini pellere &c. Sed sancta synodus illum honorem non soli Leoni deberi indicare voluit, cum ille sit omnium Episcoporum & Presbyterorum communis. S. Hieronymo vinitores sunt Apostoli & eorum successores. De privilegiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ decretis synodalibus per synodum Chalcedonensem confirmatis, relatio prolixè, & clarè agit; & tamen Baronius hunc canonem 28. vocat *clandestinum, adscititium, subreptitium, commenticium, spurium* &c. imo & rescindit, nescio quâ auctoritate, à decretis concilii œcumenici & magno animi fervore exclamat: *Considera, lector, stropham, admirare vafriciem, & execrare proditionem.* sed, ut verum fatear, nescio, quare se ita turbet illustrissimus Cardinalis. nil detrahitur hisce canonibus honori Episcopi Romani qui ipsi concessus in synodo Nicæna: nam eandem servat in sua diœcesi potestatem, & in primatu eundem honorem. Alexandrinus & Antiochenus Episcopi, quibus præferebatur Constantinopo-

In Esaiam lib. 1. c. 5.

nopo-

nopolitanus, interfuerunt concilio Constantinopolitano, in quo hic canon primò est constitutus, & assensu suo eum approbarunt, nam illi non ignorabant secundum dignitatem civilem Ecclesiasticorum esse auctoritatem; eamque ab urbium dependere magnitudine & splendore, & inde iniquo animo ferre non poterant sibi illius urbis Episcopum anteponi, quæ esset amplitudine non minor, & dignitate sedis imperialis præcelleret. Nec Episcopus Romanus tam ægrè ferre debuit, quod æqualem acceperit Constantinopolitanum, qui sciebat Constantinopolim Româ non esse minorem, nec dignitate inferiorem: cum utriusque eadem esset ab Imperio dignitas. Audiamus Socratem, qui nos docebit Constantini Imperatoris fuisse propositum, çqualem Romç veteri condere in Oriente urbem, quæ à gloriosissimis hujus synodi judicibus nova Roma vocatur. hæc sunt verba Socratis lib. 1. cap. 12. *Byzantium vehementer auxit, amplis circumdedit mænibus, præclaris ædificiis exornavit, parem & æqualem Romæ civitati facilè omnium Principi, effecit; Constantinopolim nuncupavit; lege denique sancivit, ut secunda Roma vocaretur.* sed fortasse illa canonis noni & septimi decimi clausula magnanimum Leonem & reliquos Romæ offendit Pontifices, quâ clerico datur licentia agendi caussam apud suum primatem aut sedem urbis Constantinopolitanæ; sed ut bene judicat Blondellus, non ea fuit Patrum mens, ut hâc clausulâ quid detraheretur Episcopo Romano, cum ipsi gloriosissimi judices in hâc synodo dicant, *primatum & præcipuum honorem secundum canones antiquæ Romæ conservari*, sed tantum loqui videntur de imperio Orientis, nam Occidentis imperii maxima pars à barbaris nationibus erat occupata. Ab an. C. 417. Gothi & Suevi sibi subjecerant Hispaniam: an: 427. Vandali Africam: an. 441. Hunni Illyricum: an. 447. Attila innumerabili exercitu totam fere Europam vastarat, in Dacia Arreglis-cum superarat & occiderat, & Aëtium cöegerat è Britannia vocare suas legiones & ea de caussa eam in prædam exponere Pictis, Saxonibus & Scotis, ut reliquias Galliæ conservaret, cujus magnam partem occuparant Burgundi, Westrogothi & Franci: hoc autem anno 451, quo celebratum est concilium Chalcedone, Gallia diluvio malorum submersa, & terribili bello obruta, desperatis armis in

campis Catalaunicis pro suâ libertate, & reliquiis imperii Occidentalis pugnabat, ita ut nihil ejus superesset præter Italiam cum vicinis insulis. At hæc de Chalcedonensi synodo sufficiant.

Valentiniano tertio adhuc superstite Attila, dictus flagellum Dei, qui anno 444. occiso fratre Bleda Hunnos regere cœperat, sexto post anno, qui fuit Christi 450, in Gallias contendit, quas per id tempus obtinebant Gotthi, quos Visegothos nominant, Franci, Burgundiones, Alani, aliique Barbari. Partem earum Romani ægrè tuebantur Aëtio duce: qui Occidentis Imperium, ne funditus periret, unus illâ tempestate sustinuit. Gothis imperabat Theodoricus, cujus filiam Gisericus Hunerico filio nuptam ob veneni suspicionem, truncis naribus & auribus dehonestatam ad patrem remiserat. Ob hoc sibi metuens Vandalus Attilam in eum magnis concitavit muneribus. Qui ad Aureliam adduxit exercitum. Hanc enim urbem Sangilianus Rex Alanorum se illi traditurum spoponderat: quâ re cognitâ, cives ab ejus se insidiis tutati sunt. Erat in eâ urbe tum S. Amanus Episcopus, sanctitatis & doctrinæ claritate celebris, qui & ad famam adventantis Attilæ Arelatem ad Aëtium implorandi auxilii causfâ iverat: & cum hujus, tum multò magis divinæ opis fiduciâ, trepidantes suorum confirmabat animos. Obsidenti igitur Aurelianos Attilæ ex improviso supervenit Aëtius cum fœderatis Regibus quem ille fugiens, in Belgicam concessit. Ibi an. C. 451. magno commisso prælio fusus est in campis Catalaunicis, qui & Mauriaci nominantur, inquit Jornandes. In eo prælio Romanis adfuere Viso-Gotthi, Franci, Sarmatæ, Burgundiones, Saxones, aliæque nationes. Hunnis Gepidæ & Ostrogotthi, duce Valamiro. Theodoricus Gotthorum Rex occubuit, ac cæsa ab utrisque partibus, ut ait Jornandes, 170000. Idatius 300000. satis constat debellari cum Hunnis tum potuisse, nisi veritus esset Aëtius, ne his funditus extinctis Gothi in Galliis sustineri non possent. Itaque Thorismundo Theodorici filio, per speciem adeundi paterni Regni, in Narbonensem redire persuasit, qui anno vertente à fratribus Theodorico & Frederico jugulatus est. *Petav.*

Jornand. de rebus Getic. c. 36.

Salvianus Episcopus Massiliensis, dum de cladibus à Barbaris illatis agit, longè Gallis modestiores fuisse his temporibus

bus Hunnos, Gepidas, Francos, Saxones pluribus refert.

Attila præter spem ereptus in Italiam infudit exercitum, ubi Aquileiam obsidione captam solo æquavit, plura præterea ejusdem regionis castella immanis hostis succendit ac diruit. Concordiam, Altinum sive Patavium vicinas Aquileiæ civitates fulminis instar demolitionis solo coæquavit. Exinde per universas Venetiæ urbes, hoc est, Vincentiam, Veronam, Brixiam, Bergamum, & reliquas, nullo resistente, Hunni bacchabantur, &c. Inde Mediolano, Ticino, aliisque vastatis oppidis Romam petens, Leonis Papæ, qui ad Mincium ei amnem occurrit, legatione commotus abscessit in patriam. Unde rursus in Gallias contra Alanos, qui trans Ligerim consederant, profectus, à Thorismundo itidem, ut in campis Catalaunicis, fugatus est, ut ait Jornandes. Anno vero 454. cum puellam duxisset, hausto largius vino, animam vomitu cum sanguine fudit. *Iornandes, Cassiod. Chron Paulus Diaconus lib.* 15. *Petavius.* A. C. 452.

Dioscoro pulso Proterius in ejus locum eligitur Episcopus Alexandrinus, qui post multa pericula militari custodiâ indigebat. Interim Alexandrini & Ægyptii ad hanc usque diem Dioscorum velut sanctum colunt &c. *Baronius.*

Multa moliuntur hæretici, sed magnâ benignitate erga eos utitur Imperator Marcianus. Vide *Novell. Valentin. tit.* 12. *de Episc. judic.* 10. sanctionem Valentiniani III. quâ abstulit judiciale episcoporum tribunal &c. & cum eâ confer rescriptum ejusdem Imperatoris quod est. Cod. Theodos. lege nov. tit. 24. anno 445. Hinc Baronio ultio divina subsecuta &c.

Ferunt Venetiarum civitatem ex Attilæ & Barbarorum incursione in Italiam originem accepisse, Italis plerisque, maximèque Patavinis ex urbium suarum incendiis & ruinis ad insulas & æstuaria Rivi alti transmigrantibus. *Blondus l.* 1. *dec.* 3. *Sigon de imp. Ital. l.* 15.

Valentinianus Imperator, Placidiæ matris obitu laxatis licentiæ frenis imperio per libidinem & crudelitatem abutitur, & cum Maximi Senatoris uxori stuprum obtulisset, illius callido consilio suspectum sibi redditum Aëtium, Europæ propugnaculum, in palatio obtruncat: quo cum occidit Occidentale Imperium, & via strata ad primatum Episcopo Romano, cum, quasi digitis, Leone, posteris suis successoribus, monstrante. A. C. 454.

Va-

Valentinianus III. dolo Maximi per amicos & satellites Aetii in campo Martio confoditur, quo occiso Maximus, horum omnium architectus, nullo resistente, tyrannide invadit Imperium, & primâ uxore mortuâ, Eudoxiæ Valentiniani conjugis potitur nuptiis, & cum se ejus amore fassus esset in Valentiniani conspirasse mortem, id indignè illa ferens, in ultionem cædis mariti, Gensericum Vandalum ex Africa in Italiam accersit; qui venit, Romam capit, vastat: sed Leonis Papæ oratione mitigatus, incendio ac cædibus abstinet, direptis tamen per dies 14. sacris ac profanis opibus omnibus: Eudoxiam Augustam ejusque filias ambas Eudociam & Placidiam in Africam abduxit, atque illam Hunerico filio copulavit, hanc quod Olybrio jam erat nupta, servavit. *Procopius*, *Idatius*, *Paul.Diac.*&c. Maximus à suis laniatus in Tiberim projicitur, vix altero imperii mense. Succedit Avitus Gallus, ab exercitu Gallicano Tolosę renuntiatus Imperator, qui cum Gothis pacem firmavit. Ab hoc tempore parum Imperii & Majestatis Roma habuit, pressa infinitis calamitatibus. *Onuphrius*.

A. C. 456. Omnes Insulę maris Mediterranei & loca maritima per Gensericum vastantur.

A. C. 457. Moritur Marcianus Imperator Orientis, & Avitus Gallus Occidentis, Gothorum ope destitutus.

Illi succedit Leo, huic Majoria nus. Ille Leo Imperator à Nicephoro lib. 15. c. 15. dicitur fuisse vir bonus & misericors, & in rebus omnibus consideratus & providus, imò & miraculosè vocatus Imperator ante electionem: electus verò summâ pace & concordiâ; quia senatoribus optimus videretur. Leo Papa Leoni Imperatori tribuit animum sacerdotalem & Apostolicum epist. 75. & per Imperatorem agi vult, cum Episcopi desunt officio: vocat eum Principem Christianissimum & inter Christi prædicatores digno honore numerandum &c. Sanctione confirmat Concilium Chalcedonense Imperator Leo, & exstant 37. epistolæ metropolitanorum cum subscriptione suorum Episcoporum, quibus etiam confirmant concilium Chalcedonense, idque ex petitione Leonis Imperatoris, & perinde, ac si *præsentes in synodo suâ scriptione fidem Catholicam communirent*, &c.

Liberat. Greg. c.15. tom. 2.

Mor-

Mortuo Marciano iterum tumultuari cœpit in Ægypto factio Dioscori turbantibus omnia monachis, quos Timótheus Ælurus ex monacho presbyter Alexandrinus à Proterio Episcopo Alexandrino, cum Petro Moggo Diacono damnatus, vafer & impurus homo in Proterium commoverat; cum per illorum cellas circumcursans Angelum se esse mentiretur, ad hoc missum ut à Proterio discedere, ac Timotheum ejus loco juberet Episcopum facere. Nec tam stolidi commenti vana spes fuit. Proterius ipso die sanctæ parasceves in baptisterium fugiens ab efferata plebe, sive à militibus quos Timotheus occupatâ jam sede submiserat, obtruncatus est. *Petavius.*

Anatholius Episcopus Constantinopolitanus moritur, succedit Gennadius. A. C. 458.

Leo Imperator auctores tam immanis facinoris contra Proterium linguarum abscissione mulctavit. Timotheum Ælurum Episcoporum judicio reservavit, ac denique instante Leone Papâ longius deportari jussit, primò Gangram, deinde Thersonam. Succedit alter Timotheus Episcopus Alexandrinus. *Epist. Leonis.* A C. 460.

Moritur admirabilis ille Simeon Stylites, de quo ita Theodoretus: *Simeonem illum insignem; magnum illud orbis terrarum miraculum, sciunt quidem omnes qui parent Romano Imperio, norunt Persæ quoque & Indi & Æthiopes, quin etiam ad Scythas & Nomadas fama pervadens ejus in laboribus subeundis diligentiam docuit & Philosophiam* &c. vixit in columna duos cubitos lata annos 56. unde illi nomen, & annum attigit 109. *Evagrius lib. 1. cap. 13.*

Majorianus Occidentis Imperator, *ingentis animi Princeps recuperandæ Africæ cupidus, bellum contra Vandalos aggressurus à Ricimere Gotho patricio & utriusque militia magistro, apud Dertonam Hispania comprehensus & abdicare imperium coactus interficitur, Dagalaipho & Severino Consulibus, id est anno* 461. *à Ricimere imperio est exutus quartó nonas Aug. & occisus 7. idus Aug. ad Hyram fluvium, cum imperasset annos 4. & menses* 4. Idem ille *Gothus Ricimer ex pacto Severum Imperatorem constituit anni ejusdem mense Novemb. 23. Cal. Dec. quem & anno tyrannidis quarto veneno sustulit anno* 465. *Cal. Septemb.* Cassiodorus, Marcellinus, Sigonius, Petavius. A. C. 461.

Moritur hoc anno S. Leo Papa, succedit Hilarius.

Quantus fuerit sinceræ fidei defensor, & pro recta fide quantos labores

sustinuerit & quam Ecclesiæ Dei utiles, non ignoramus, inquit Casaubonus. *Neque verò dubium mihi est, tantum illud studium, ut sedes Romana in majus extolleretur à bono principio fuisse profectum, & ad finem optimum spectasse. Vastabant illâ ætate Ecclesias Orientis Nestoriani, Eutychiani, Dioscorus & alii perditissimi hæretici; qui magnas quotidie in Asia, Ægypto, aliisque regionibus strages, ut apri vineam ingressi, edebant: neque erat qui progressibus se eorum opponeret, qui quidem bonam caussam multum posset adjuvare præter Episcopum Romanum: nemo autem peritus rerum Ecclesiæ ignorat operâ Romanorum Pontificum per multa secula Deum esse usum in conservanda sarta tecta fidei doctrina. Hoc intelligens Leo magnus & quotidianâ experientiâ edoctus, quantum vera fidei interesset, ut paratum illi semper esset in sede Romanâ præsidium firmissimum, modis omnibus ut ita esset, procuravit; quod quidem minus mirum videri debet, quia sic Ecclesiæ Dei expedire optimus quisque tum credebat, & erat ita revera illis temporibus. non est putandum Leonem Monarchiæ inhiasse, qualis postea fuit excogitata. Rerum Ecclesiasticarum finibus ejus auctoritas circumscribebatur, regnum, imperium, & dominatio temporalis in Ecclesiam nondum irrepserunt. Scripsit homilias eloquentissimas de solemnitatibus Domini & sanctorum, nec non epistolas gravissimas n°.* 98.

A. C. 466. In Gallia terræ motibus & aliis prodigiis motus Mamertus Viennæ Episcopus, supplicationes Deo pro impetrandis imbribus aut serenitate, diebus ante ascensionem Christi, instituit, quæ dies *Rogationum* appellatæ sunt. jejunabatur autem triduum, ut in quadragesima & assiduæ supplicationes habebantur. *Sigebertus.*

A. C. 467. Anthemius Patricius Romæ Imperator appellatus est. Ita porrò Leonem Imperatorem inter & Ricimerem, à cujus nutu dependebat Occidentale Imperium, convenerat, Græcus ut Romam mitteretur Augustus, cui filia Ricimeri nuberet. sic barbatus iste Anthemii gener factus, solitâ perfidiâ socerum bello civili prius appetitum, Romæ peremit. *Petavius.*

Moritur Papa Hilarus, succedit Simplicius.

A. C. 471. Gennadius Episcopus Constantinopolitanus moritur, & succedit Acacius.

A. C. 472. Lex Leonis Imperatoris pro Episcopo Constantinopolitano hæc est,

est, cujus edendæ sanctionis auctor fuit Baronio Acacius, & invenitur in Cod. tit. de sacrosanctis ecclesiis, lege 16.

Sacrosanctam quoque hujus Vrbis Ecclesiam & matrem nostræ pietatis & Christianorum Catholicæ religionis omnium & ejusdem religiosissimæ Vrbis sanctissimam sedem, privilegia & honores omnes super Episcoporum creationibus & jure ante alios residendi & cætera omnia quæ ante nostrum Imperium, vel nobis Imperantibus habuisse dignoscitur, habere in perpetuum firmiter Regiæ urbis intuitu judicamus & sancimus.

Ut hæc constitutio ab Acacio concepta, sic prior Valentiniani III. stylo Leonis exarata videtur an. C. 445. Sic ex ambitione Episcoporum & favore aut torpore Imperatorum aucta est Episcoporum Romæ veteris & novæ auctoritas. Sed observa nullam fieri mentionem S. Scripturæ ante Gelasium Papam an. C. 496. ita ut utriusque Episcopi dignitas hactenus tantum sit juris humani.

Hic Baronius acriter invehitur contra *Acacii fastum, temerarium conatum & stylum superbiæ, qui caput ipsum super omnes filios superbiæ extollens*, ita nominatur diabolus, *maximas in Ecclesia concitaret discordias, inflammaret odia, moveret turbas* &c. Anno autem 445. contra Leonem Episcopum Romanum, qui operâ Valentiniani primatum acquisiverat, ne verbum quidem; sui oblitus, quod dixerit an. C. 402, ubi Socratem vocat audacissimum Origenistam & impostorem: *Hæc ingerimus quod plurimum intersit, in veritate historica disquirenda, affectus auctoris dispendere*, vel potius inspicere.

In primitiva Ecclesia ob primordium veritatis & promissionem futuræ conversionis perdiu Judæos eorumque synagogas tolerarunt Christiani: neque etiam in rei inveteratæ recenti mutatione nec in maxima Judæorum multitudine fieri aliter potuit. *Vide quæ in simili dixi ad Rubr. C. de repud.* postea autem, cum circa annum 623, nonnulli Judæos vi ad Christianam religionem compellere cœpissent, præcipit quarta Toletana synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri: cui enim vult Deus miseretur & quem vult indurat, *cap. 5. de Iudæis distinct.* 45. Jure civili quoque veteres synagogas & ritus suos citra contemptum Christianæ legis retinent. *l. 11. Iudæos l. 14. nullus. l. ult. §. 1. hoc tit. novel.* 146. *cap. 3. c. Iudæi. hoc tit.* Sed hoc deinde abrogavit Imperator Leo, jussitque ne illi aliter

 quam

quam pura salutarisque Christianorum fides vult, vivere audeant. *Novel. Leon.* 55. *ut Iudæi secundum Christianismi ritus vivant.* Posterioribus deinde temporibus ulterius processerunt Christiani Principes, Judæos & ferro & igne persequentes. Autumn. *hic* Mornac. *in l. ult. hoc tit.* eosque è Brabantia perpetuò relegatos esse refert Christin. *vol.* 2. *decis.* 44. *num.* 6. *&c.* nostris moribus Judæi tolerantur, ut & apud Germanos & Italos. *Groenewegen in Cod. l.* 1. *t.* 9.

In die Dominico ruri positi agrorum culturæ liberè licenterque inserviunt, *de feriis l.* 3. *omnes judices.* sed hoc interdictum est *Novell. Leon.* 54. *& Concilio Aurelian.* 3. *circa annum* 550. *Can.* 21. & jure divino illicitum censent Ames. *de casib. conscient. l.* 4. *c.* 33. *quæst.* 9. *Zepperus, de leg. Mosai. l.* 4. *c.* 9. *sect. de mercat. & nund. in fine.* At hoc moribus nostris ita temperatur, ut temporis messis fructus maturos secare, atque colligere, aliaque omnia necessaria, quorum cunctatio damnosa foret facere liceat. *Privileg. à Rodolpho à Diephout Episc. Ultraject. Delphens. concessum ult. Feb.* 1434. *Keur. van Delflant* 13. *Can.* 1592. idem de Gallorum moribus tradit Mornac. *hic.* Adde quæ dixi *in leg. ult. hoc tit.* Porrò de hujus diei origine atque institutione, videlicet an ab ipso Domino nostro Jesu Christo, an ab Apostolis aut Ecclesia sit institutus, vide Grot. & Rivet. *in decal. præcept.* 4. Idem Groenevvegen *in Cod. lib.* 3. *tit. de feriis.*

Patricius Ricimer, Romæ facto Imperatore Olybrio, Anthemium contra reverentiam Principis & ejus affinitatis, cum gravi clade civitatis extinguit, qui non diutius peracto scelere gloriatus, post 40 dies defunctus est. *Cassiodorus in Chronico.*

A.C. 473. Olybrius occiditur septimo postquam creatus erat mense, Gundibalo hortante, quem Olybrius patricium fecerat, & in locum ejus à Gothis militibus Glycerius surrogatur.

A.C. 474. Leo Imperator Constantinopolitanus moritur cujus filius Leo, Zenone auctore & procuratore occiditur, qui succedit.

Glycerius Imperator Occidentis à Julio Nepote Imperio deponitur in portu Romano, & creatur Episcopus Salonitanus. quo postea occiso, Nepos moderandum Imperium suscepit, à quo Orestes natione Gothus magister militum creatur. *Evagrius l.* 3. *c.* 1.

A.C. 475. Orestes cum conspirante exercitu filium suum Momilium Augustu-

gustulum nuncupatum Imperatorem acclamari fecit, Nepos fugit in Dalmatiam. Fuit hic Momilius Augustulus Occidentis Imperatorum postremus. *Procop.*

Odoacer Rex Turcilingorum cum Scyris & Herulis auxiliantibus Italiam occupavit, & se regem Italiæ nuncupavit. Oreste cæso, Augustulum relegavit in Campaniam. Ita Imperium Occidentale desiit. cum ab Augusto durasset annos 521. Romæ interim literæ. & artes liberales, itemque solidior sacrarum literarum scientia, ruente Imperio, unà ruere cœperunt. Barbaris secum barbariem importantibus, studiisque melioribus bellicâ passim clade obtritis.

Regnat in Italia Odoacer Arrianus & Barbarus, qui tamen si non fide Catholicâ, *inquit Baronius*, certè clementia aliisque virtutibus Romanos novos tyrannos antecelleret. Hæc sunt planè quæ hujus seculi Hieremias, *Salvianus* scilicet Massiliensis Episcopus, deploravit: nimirum ob durum intolorabileque Romanorum dominium à Deo ultore evocatos ab extremis orbis glacialis partibus Erulos majoribus haud cognitos. A. C. 475.

Mirandus Christianæ Reipublicæ status. Videre namque est totum Christianum orbem sub hæreticorum principum dominio constitutum nullumque penitus Catholicum regem, alicui saltem exiguæ provinciæ dominari. Etenim Italiam Odoacer Rex Arrianus occupat; Gallias itidem principes Burgundiones & Gothi, iidemque Arriani & Franci adhuc gentiles partiti sunt. Hispaniæ pariter Gothos dominos patiuntur. Vniversa Africa dirum tyrannum Gensericum, Arrianumque persecutorem sustinet. Hic magno jure exclamare cum S. Hieronymo quis posset: Ingemuit totus orbis & Arrianum se esse miratus est. Vniversum vero Orientale Imperium Zenonem Imperatorem Eutychianum hæreticum simulatâ perfidiâ bis iniquum experiebatur. Baronius.

Magnæ interea rixæ & crudeles turbæ fuerunt inter Candidionem, Petrum Fullonem. Stephanum, Petrum Gnapheum Episcopos Antiochenos: ut & inter Timotheum Ælurum, Joannem Talaidam & Petrum Moggum Episcopos Alexandrinos. de quibus vide *Liberatum, Evagrium, Petavium.*

Basiliscus Tyrannus Zenonis regnum invasit. Zeno fugit in Isauriam, suam patriam, ubi incognitus vixit annum & menses sex. Sub

hoc Basilisco Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus & quingenti alii Episcopi, acta concilii Chalcedonensis & Leonis de fide decisionem anathemate damnant: Eo mortuo denuò opinionem mutant; sic nutum & fidem Imperatorum sequebantur Episcopi. *Evagrius lib. 3. cap. 5. 6. 7.* &c.

A. C. 477. Zeno redit ad Imperium & Basiliscus imperare desiit fame peremptus.

A. C. 481. Hunnericus filius Genserici immaniter sævit in Ecclesias Africanas.

A. C. 482. *Hortatu Acacii qui clam favebat hæresi Eutychianæ, & mirus erat simulandi artifex,* verba sunt Petavii, *Zeno Imperator Ioannem Talaidam, qui post obitum Timothei Solophacioli Alexandriæ creatus fuerat Episcopus, ejecit, & Petrum Moggum ad eam sedem redire permisit. Tum novam fidei formulam promulgavit, ita callidè conceptam ut in eam hæretici perinde ac Catholici consentire possent: quod ἑνωτικὸν, id est, Conciliatorium appellavit: sed in eo erat tacita Concilii Chalcedonensis abrogatio, & hæresis Eutychianæ simulata damnatio.* vide verba Henotici Zenonis apud *Evagrium lib. 3. cap.* 14.

A. C. 483. Cum omnes Patriarchæ Zenonis conciliationem approbarent, solus Fœlix III. Episcopus Romanus, qui Simplicio successit, cum suis illi contradixit.

Durant interim magnæ & admirandæ, seu potius execrandæ illæ contentiones Episcoporum: & Hunerici crudelissima persecutio adversus Ecclesias Africanas.

A. C. 484. Joannes Talaida relictâ Alexandriâ Romam venit, ubi magnas concitavit turbas, cum diceret se pro concilio Chalcedonensi & decretis Leonis sede Episcopali pulsum; alterumque nempe Petrum Moggum subrogatum, qui illa rejiceret. Qua de caussâ Simplicius vehementer turbatus Zenoni Imperatori scribit: sed Zeno crimen perjurii objectat Joanni, nec alterius rei gratiâ Episcopatu abdicatum esse affirmat. Joannes Fœlici dat libellos Acacium accusans, quod contra Ecclesię ritum cum Moggo communicarat, deque aliis facinoribus contra canones ab eo commissis. Mittit Fœlix ad Zenonem, Vitalem & Misenum Episcopos, tum ut ejus auctoritate concilium Chalcedonense confirmaretur, tum ut Petrus ut hæreticus

Episcopatu pelleretur; tum denique ut Acacius mitteretur ad Fœlicem rationem eorum redditurus, quæ Ioannes illi objiceret. Respondet Zeno Fælici, Joannem violatâ fide Episcopatum Alexandrinum occupasse, & nullum non sacrilegii genus commisisse. Petrum verò non sine accurata de ejus fide inquisitione ad sacerdotii gradum elatum esse; & eum propriâ manu Concilio Nicæno subscripsisse, quod cum Chalcedonensi consentit. *Evagrius lib. 3. cap. 9. 10. 11. 12. 13.* & sequentibus, ubi nil ferè prȩter innumeras & acerbas reperies rixas, lites, jurgia, tantis viris indigna, quæ legere, fuit tædiosum. Quid multa? Acacius citatus ad tribunal Pontificis Romani per dictos Legatos, non venit. Nec video quo jure fuerit à Papa vocatus Romam, & cur venire debuerit. *Et tamen Fœlix, duos suos Legatos exauctoravit, quod cum Acacio & Moggo communicassent, & in Acacium sententiam Anathematis dixit, qui vicem rependens Fœlicis nomen erasit è diptychis, quæ sunt tabulæ ecclesiasticæ.* Petavius.

Non cessavit Acacius sacra peragere, inquit *Liberatus* cap. 18. & cum videret Fœlix res in Oriente adeò turbatas, ut nulla penitus spes foret Joannem Alexandrinum in suam sedem restitui posse, eundem Nolanæ in Campania præfecit Ecclesiæ, ubi obiit.

Hunnericus Vandalorum in Africa Rex inauditam in Catholicos crudelitatem exercuit. Episcopos supra 334. in exilium extrusit, complures linguis manibusque truncavit, qui Constantinopolim & in alia loca delati, miraculo fuere, cum integrâ nihilominus voce loquerentur. quam piorum carnificinam horrenda Tyranni mors est consecuta, qui à vermibus consumptus periit. *Sigonius. Petavius.* *Marcellin. Victor. Tumunens. Greg. Tur.*

Acacius Constantinopolitanus Episcopus moritur, de cujus in tabulis Ecclesiasticis retinenda memoria diu cum Romànis Episcopis luctati sunt Episcopi Constantinopolitani, cætero quia Catholici; ut Euphemius, qui post Flavitam in illum thronum evectus anno 489 communionem Romani Episcopi ea de caussa non habuit: tandem tamen ex diptychis abolita est illa Acacii memoria, id agente Hormisdâ Papâ apud Justinum Imperatorem. A. C. 488.

Acacio mortuo succedit Flavitas Episcopus Constantinopolitanus, qui cum Petro Moggo communicat.

A.C. 489. Post Flavitam succedit Euphemius Episcopus Constantinop. qui cum literas Petri Alexandrini, de mutua inter eos communione accepisset, animadverteretque eum Actis concilii Chalcedonensis anathema dixisse, valdè commotus fuit, seque à Petri communione penitus sejunxit. *Evagrius lib. 3. cap. 23.*

Theodoricus Rex Gothorum, patricius & Consul Romanus, Zenonis hortatu aut consensu Italiam cum exercitu adiens, Odoacrem gemino prælio superatum ad Sontium fluvium, & ad Veronam, sequenti verò anno ad Duram fluvium tertiò victum, Ravennam coëgit fugere, ubi triennio illum obsedit, ac postremò fraudulentâ cum eo pactione factâ, ut Italiam communiter obtinerent, ad convivium vocatum eundem interfecit. an. C. 493. quo cœptum fuit Gothorum in Italia Regnum. *Sigonius.*

A. C. 490. *Faustus epist. ad Leonigũ tom. 1. Concil. Gallic.*

Ex prædestinatiana secta Lucidus, insignis presbyter à Fausto Regiensi Episcopo castigatus in viam rediit. Edidit ille Faustus opus egregium de gratia Dei quâ salvamur, & libero humanæ mentis arbitrio in quo salvamur. In eo opere docet gratiam Dei semper præcedere & invitare & adjuvare voluntatem & quidquid ipsa libertas arbitrii de labore piæ mercedis acquisivit, non esse proprium meritum, sed gratiæ donum. Lapsus tamen est idem Faustus postea in Pelagianismum: contra eum scripsit, Prosper Aquitanus. Episcopus Rhegii Lepidi in Æmilia Gennadius. c85. de scriptoribus Ecclesiasticis. vide an. C. 430, ubi fusius hac de re egimus.

Confirmavit & approbavit Epistolam Fausti ad Lucidum, Concilium Arelatense, conciliorum nonum, quæ Pelagii hæresin damnarant: ubi sic loquitur conversus Lucidus presbyter inter cætera: *Ita autem assero gratiam Dei, ut annisum* (coöperationem) *hominis & conatum gratiæ semper adjungam: & libertatem hominis non extinctam sed attenuatam & infirmatam esse pronunciem, & periclitari eum qui salvatur & eum qui periit potuisse salvari.* Vide Baronium.

Excerpam præcipua capita epistolæ Fausti ad Lucidum presbyterum prædestinatorum hæresin sectantem, approbatæ subscriptione Concilii Arelatensis III. verba sunt Binii tom. Concil. 2.

Anathema illi qui dixerit, illum qui periit, non accepisse ut salvus esse posset.

Anathema illi, qui per Dei præscientiam, hominem in mortem deprimi dixerit.

Ana-

Anathema illi qui dixerit quod vas contumeliæ non poßit aſſurgere, ut ſit vas in honorem.

Anathema illi qui dixerit quod Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit, nec omnes homines ſalvos eſſe velit.

Item *Anathema illi, qui inter reliquas Pelagii impietates, hominem ſine peccato naſci & per ſolum laborem poſſe ſalvari, damnandâ præſumptione contenderit, & qui eum ſine gratia Dei liberari poſſe crediderit.*

Nos autem per illuminationem Chriſti veraciter & confidenter aſſerimus, & eum qui periit per culpam, ſalvum eſſe potuiſſe per gratiam, ſi gratia ipſius famulatus laboris obedientiam non negaſſet. Et eum qui per gratiam ad bona conſummationis metas ſervitio obſequente pervenit, cadere per deſidiam, & perire potuiſſe per culpam. Gravem namque in Auctorem retorquemus invidiam, ſi dicamus quod ei poßibilitatem capiendæ ſalutis noluerit dare, qui periit &c.

Synodus Lugdunenſis paulò poſt Arelatenſem habita, anathematiſmos ſynodi Arelatenſis adverſus dictos Prædeſtinationos & Pelagianos non tantum approbavit, verum etiam auxit. in quibus utraque ſynodus, ſententiam Auguſtini ſi non damnaſſe, ſaltem non approbaſſe videtur.

Addam his locum auctoris de vocatione gentium, quem Proſperum Aurelianenſem fuiſſe ſuſpicatur noſter Voſſius, & circa hæc tempora vixiſſe autumat: ſic autem loquitur de loco Pauli 1. ad Tim. 4. 10. *Quoniam ſive occultè ſive manifeſtè, ipſe eſt (ut Apoſtolus ait) ſalvator omnium hominum, maximè fidelium. Quæ ſententia ſubtiliſſimæ brevitatis & validiſſimi roboris, ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc de qua agimus controverſiam dirimit: dicendo enim, qui eſt ſalvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei ſuper univerſos homines eſſe generalem. Adjiciendo autem maximè fidelium, oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inſpiratæ ad ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis provehitur.*

Zeno abſque liberis decimo ſeptimo regni ſui anno comitiali morbo extinctus eſt: Longinus ejus frater magnam adeptus potentiam, tametſi ſpem animo concepiſſet, ſe imperio potiturum, tamen ea quæ exſpectabat minimè eſt conſecutus. Nam Ariadna Zenonis Uxor Anaſtaſio, qui nondum ad Senatorium ordinem aſcenderat,

coronam imposuit Imperatoriam. Iste Anastasius patriam habuit Dyrrachium, ac non Imperium solum Zenonis, sed etiam ejus uxorem sibi comparavit. *Evagrius lib.* 3. *cap.* 29. Quomodo Zeno vivus sit sepultus, vide apud *Cedrenum* & *Zonaram*.

lib. 3. *cap.* 29.

A. C. 492. Fœlix moritur succedit Gelasius Episcopus Romanus, natione Afer.

Odi esse prolixus, sed ut videamus faciem seu statum Ecclesiæ sub Anastasio Imperatore, describam cap. 30. Evagrii lib. 3. *Iste Anastasius pacis studiosus*, inquit, *cum in Reipublicæ*, *tum maximè in ecclesiæ administratione, nihil omninò rerum novarum moliri voluit. Imò verò omnibus modis elaboravit, ut cum Ecclesiæ sanctißimæ ab omni tumultu & perturbatione vacarent, tum omnes qui ipsius parebant imperio, summâ tranquillitate fruerentur, omni contentione & discordiâ ex rebus tam Ecclesiasticis, quam civilibus prorsus sublatâ. Quod autem ad concilium Chalcedonense attinet, illud id temporis neque palam in Ecclesiis sanctißimis prædicatum fuit, neque ab omnibus rejectum. Nam singuli Ecclesiarum Præsides pro suo arbitratu ea in re egerunt. Atque ut nonnulli decretis in eo Concilio editis firmè & constanter adhæserunt, & ne syllabam de rebus in illo definitis remittere, imo ne literæ mutationem admittere voluerunt; quin etiam ab illis, quæ ejusdem decreta repudiabant, magna cum animi confidentia resfugerunt, recusaruntque penitus cum illis communicare: sic alii, non solum illud Concilium & ejus decreta rejecerunt, verum etiam tum illud, tum Leonis de fide decisionem damnarunt anathemate. Alii verò epistolam Zenonis de concordia mordicus tenuêre; idque cum inter se, utrum una, an duæ sint in Christo naturæ graviter dißiderent. Ac pars eorum ipsâ litterarum compositione decepti sunt, pars ad pacem se magis inclinarunt; usque adeò ut omnes Ecclesiæ in separatas factiones dividerentur, ipsarum præsides inter ipsos minimè communicare vellent. Vnde plurimæ dissensiones, tum in Oriente tum in Occidente, tum Libya ortæ sunt, dum Episcopi Orientis cum Episcopis Occidentis neque cum Episcopis Libyæ, neque ipsi vicißim cum Episcopis Orientalibus in gratiam reduci poterant, sed res ad majorem absurditatem indies prolapsa est. Quippe Episcopi Orientis ne secum ipsi communicare volebant, nec Europæ præterea & Libyæ Episcopi, nedum cum exteris. Quas res cum Anastasius imperator animadverteret; Episcopos, sicubi no-*

bi novis rebus studentes aut quemquam præter consuetudinem illorum locorum in quibus ætatem degebat Concilium Chalcedonense prædicantem, aut idem ipsum damnantem anathemate comperiret, exturbavit. Ac primum Euphemium ejecit Constantinopoli, deinde Macedonium, cui successit Timotheus: Antiochiâ porrò Flavianum expulit. Hactenus Evagrius, ubi videre licet plures alias dissensiones,& miserè laceratam Christi Ecclesiam per obscuras,difficiles & inutiles controversias,quę à temporibus Arrii Ecclesiam perpetuò turbarunt. Sic dum de minimis fidei quæstiunculis acriter disceptatur,pulsâ charitate, vera fides amittitur.Nam fidei vitam in charitate constituit, qui fidem per charitatem operari voluit. *O Timothee, depositum serva, divitans prophanas vocum inanitates & oppositiones falsò nominatæ scientiæ, quam nonnulli profitentes, circa fidem aberarunt. sectare autem justitiam, pietatem, charitatem, patientiam, mansuetudinem: certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam: pietas ad omnia utilis est,quæ habet promissionem vitæ præsentis & futuræ,* ut loquitur Paulus ad Tim. Cogor exclamare cum Poëta, *Heu pietas heu prisca fides!* Vtinam & hodiernæ in Ecclesiis Dei cessarent contentiones, & nostri Ecclesiastæ suis tam frequentibus concionibus id nobis præstarent & efficerent, quod ex doctrina Evangelica & simplicibus Dei præceptis, jure meritoque promittit Lactantius lib. 3. cap. 26. *Da mihi*, inquit, *virum qui sit iracundus, maledicus, effrænatus: paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris & mortis: jam cruces & ignes & Phalaridis taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem: jam sobrium, castum & continentem videbis. Da crudelem & sanguinis appetentem: jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injustum, insipientem, peccatorem: continuò & æquus & prudens & innocens erit. Vno enim lavacro malitia omnis abolebitur. Tanta divinæ sapientiæ vis est, ut in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam uno semel impetu expellat: ad quod efficiendum, non mercede, non libris, non lucubrationibus opus est. Gratis ista fiunt, facilè, citò; modò pateant aures & pectus sapientiam sitiat:* quæ non admittit tam diras altercationes, tam crudelia odia; sed est *pudica, pacifica, modesta, tractabilis, plena misericordiâ*, &c.

Narrat hoc anno *Baronius* è *Suida*; Euphemium patriarcham Constantinopolitanum aliquando Anastasium Imperatorem de fide habuisse suspectum: igitur minitabundum compellasse ipsum in hæc verba: *sin secus feceris resectâ tuâ comâ, in triumphis ducam te cum populo.* Hoc exemplum prorsus insigne est & cui nullum legatur simile: ausum esse non jam Papam, sed Archiepiscopum Constantinopolitanum, tantâ contumeliâ Imperatorem afficere, ut minaretur se illũ ꝓpriâ auctoritate tonsurum, & in monasteriũ aliquod inclusurum. Non puto esse aliquem Dei timentem virum, *inquit Casaubonus*, qui audaciam patriarchæ non detestetur. Miserrima enim futura est Regum & Imperatorum conditio, si hoc exemplum admittitur. Ego hic tragœdias à *Baronio* expectabam, vel eo saltem nomine, quod tantum alius prȩter Papam sibi vendicat: Ille vero exsultat ad hoc factum & ita scribit: hæc cum dixit Euphemius, planè exauctorationem ei comminatus est: siquidem idem erat recidere Imperatori comam, quod in ordinem Monachorum redigere ad pœnitentiam, ut de pluribus factum legitur. Vidisti quanta sibi auctoritate sacerdotii sumat Euphemius, ut abrogationem Imperii magnâ animi certitudine intrepidus publicè comminatus fuerit Imperatori, quod timens ille ob hæreticorum cœtum, ad tempus saltem abscessit simulans se esse Catholicum. Quis hæc legit & non agnoscit *Baronii* in principes animum? Sed Deus caussam principum adversus illum fortiter hoc loco vindicavit, mirâ enim θεοβλαβείᾳ, hoc est in Deum impietate, exultabundus ille animus hic fuit percussus. Historia falsa est: locus Suidæ ut tale aliquid ex eo posset exprimi, præcipuis verbis, pessimo exemplo, fuit truncatus: denique crimine falsi manifestò deprehensus hæret, non dicam *Baronius*, sed is qui hunc locum *Baronio* suggessit. Suidas expresè notat Anastasium, quando hæc ad illum Euphemius, fuisse silentiarum. Zonaras explicat de eodem Anastasio loquens: silentiarius erat, una è vilissimis dignitatibus. En facinus indignum: quod de abjectissimæ conditionis homine narrant historiæ, id Imperatori tribuere, & de ejus falsa contumelia adeò impotenter triumphare. At fraus illius, à quo hunc locum *Baronius* accepit insignis & quovis supplicio digna. sustulit enim è verbis Suidæ ista ὁ μετὰ ταῦτα βασιλεύσας, id est, is qui postea

ftea regnavit. Si poftea, non igitur tunc, quando id illi accidit. *Cafaubonus* in prolegomenis.

Anaftafius *Hæfitantium* fectator fuiffe dicitur *à Leontio*, qui ob id, quod neutri duarum fibi adverfantium partium adhærerent, ita nominati funt.

Theodoricus Oftrogothorum Rex poft triennalem Ravennæ A. C. 498. & Odoacris obfidionem & pacem cum eodem initam, ut æquâ forte Italiæ potirentur imperio, Odoacrem ad convivium vocatum fraudulenter interfecit: & pacem cum omnibus vicinis Regibus fibi conciliavit & rebus politicis moderandis animum adduxit, ufus Romanis Magiftratibus. Caffiodorum virum illuftrem & doctum patriciatus dignitate ornavit. *Caffiod.*

Plurimi Epifcopi Romani magno molimine conati funt fuæ fedis auctoritatem fupra reliquas promovere, imò & primatum illi tribuere avidè inhiarunt. Pro quo cum alii alia argumenta producerent, ut Canones Concilii Nicæni aut Sardicenfis, Gelafius Papa primus ex S. Scriptura ea defumpfit, quo jure, quâ injuriâ, breviter examinabimus, additis ad verba Gelafii marginalibus adnotatiunculis. Hæc autem funt Gelafii Papæ verba in commonitorio ad Fauftum Legatum Conftantinopoli: *Nobis opponunt Canones dum* Concilior. tom. 1. *nefciunt quid loquuntur: propterea quod hoc ipfo infanire fe produnt, quod prima fedi fana rectaque fuadenti parere fugiunt. Ipfi funt canones, qui appellationes totius Ecclefiæ ad hujus fedis examen voluêre deferri: ab ipfa verò nufquam prorfus appellari debere fanxerunt: ac per hoc illam de tota* Canon eft 3. non Nicæni fed Concilii Sardicenfis. *Ecclefia judicare, ipfam ad nullius commeare judicium; nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, fententiamque illius conftituerunt non oportere diffolvi; cujus potius decreta fequenda mandarunt.* & paulò poft fub finem: *Quid tamen dicerent, fi non chartis fuis in omnibus vincerentur?* Hæc nullibi inveniuntur. *Ineptias itaque fuas fibi fervent, nifi refipifcant, potius cogitantes Chrifti vocem non effe fuperfluam, quæ confeffioni B. Petri Apoftoli, inferni portas* Alii confeffioni alii Petro ea tribuunt. Nemo ante Gelafium Epifcopo Romano. *nunquam prævalituras afferuit. Quapropter non veremur, ne Apoftolica fententia refolvatur, quam & vox Chrifti, & majorum traditio, & Canonum fulcit autoritas, ut totam potius Ecclefiam illa dijudicet.* Sed audiamus verba fynodi Romanæ fequentis anni, ubi videbimus quomodo Gelafius auctoritatem ecclefiafticam feu fpiritualem, fupra

 alias

alias Ecclesias, ut postea Gregorius VII. potestatem secularem seu temporalem supra Imperatores & Principes usurpare satagit.

A. C. 494. Gelasius Papa acriter contra Episcopum Constantinopolitanum decertat; qui primus verba seu loca S. Scripturæ in Concilio Romano Episcoporum 70 pro primatu Episcopi Romani profert, quæ sic se habent in decreto de scripturis apocryphis: *Post propheticas,* inquit, *Euangelicas atque Apostolicas scripturas, quibus Ecclesia Christi per gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum putamus, quod quamvis universa per orbem Catholicæ unus thalamus Christi sit; Sancta tamen Romana, Catholica & Apostolica Ecclesia, nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed Euangelicâ voce Domini & Salvatoris nostri primatum obtinuit; Tu es Petrus, inquientis, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam; & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam: Et Tibi dabo clavis cæli. Et, quæcunque ligaveris super terram erunt ligata & in cælis; Et, quæcunque solveris super terram erunt soluta & in cælis: cui data etiam est societas beatissimi Paulli Apostoli vasis electionis: qui non diverso (sicut hæretici garriunt) sed uno tempore, uno eodemque die gloriosâ morte cum Petro in urbe Roma, sub Cæsare Nerone agonizans coronatus est, & pariter supra dictam Sanctam Ecclesiam Romanam Christo Domino consecrarunt, talemque omnibus urbibus in universo mundo suâ præsentiâ, atque venerando triumpho prætulerunt. Est ergo prima Petri Apostoli sedes Romana Ecclesia, non habens maculam neque rugam nec aliquid hujusmodi. Secunda autem sedes apud Alexandriam Beati Petri nomine à Marco ejus Discipulo & Euangelista consecrata est. Ipseque à B. Petro Apostolo in Ægyptum directus verbum veritatis prædicavit, & gloriosum consummavit Martyrium. Tertia verò sedes apud Antiochiam ejusdem beatissimi Petri nomine habetur honorabilis, eo quod illic priusquam Romam venisset, habitavit, & illic primum nomen Christianorum novella gentis exortum est. Et quamvis aliud fundamentum nullus potest ponere præter id quod positum est, qui est Christus Iesus, tamen ad ædificationem nostram eadem S. Romana Ecclesia, post illas Veteris & Novi Testamenti, quas regulariter accepimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas, id est Sanctam Synodum Nicænam trecentorum decem & octo Patrum, mediante Maximo Constantino Augusto, in qua Arius hæreticus condemnatus est: sanctam Synodum Constantinopolitanam*

Concil. orum tomo 1.

Prælata est. Concilii Niceni & Constantinop. Canonibus.

Matth. 16. Dicta sunt Petro. Hæc eadem dicta etiam aliis Apostolis.

Quem vide ad Ephes. c. 2. v. 20. Incertum; propter discrepantes scriptores. Deformes maculas vide seculo. 9. 10. & seq. non tam Pe Petro, quam dignitati civili, &c. Et à Petro primatus præferenda est Antiochena Ecclesia, Alexandrina & Romana.

nam mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit. Sanctam Synodum Ephesinam, in qua Nestorius condemnatus est, consensu beatissimi Cœlestini Papæ, mediante Cyrillo Alexandrinæ sedis antistite & Arcadio Episcopo ab Italia destinato. Hic observa lector, inquit Baronius, *nullam fieri de Theodosio juniore mentionem, sicut de cæteris Imperatoribus, sub quibus contigerunt reliqua synodi celebrari; quod ipse Theodosius malè audire visus sit:* pius alioqui Imperator ab Historicis aliis habitus, vide Baronii mentem an. C. 499. sed pergit: *Sanctam Synodum Calchedonensem mediante Marciano Augusto & Anatolio Constantinopolitano Episcopo, in quo Nestoriana & Eutychiana hæresis simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnata sunt. Hæc de quatuor œcumenicis synodis Gelasius*, inquit *Baronius*, sed non meminit Concilii Sardicensis, quod tamen etiam œcumenicum vult Baronius. Hoc prædictum de scripturis apocryphis decretum reperies Conciliorum Petri Crabbe tom. 1. pag. 991. ubi idem Eusebius est apocryphus & non Apocryphus & epistolæ Pontificum decretales venerabiliter recipiuntur, quæ alibi à Baronio rejiciuntur: ubi liber Canonum Apostolorum apocryphus est, &c.

In Occidente victo Odoacre, ut diximus, Italiam Ostrogothorum Rex Theodoricus obtinuit, qui vicinorum principum affinitatibus regnum suum firmare studuit. Etenim Clodovei Francorum Regis sororem Audeflendam duxit, ut rectè Aimonus narrat, non filiam, quod Iornandes ex eoque Freculfus memorant: filiarum, quas ex concubina susceperat, alteram Alarico, VVisegothorum; Sigismundo alteram Burgundiorum Regi collocavit. Ac principio quidem ita Rempublicam gessit, ut cum optimis quibusque Romanorum Cæsarum comparandus fuerit, & quamvis populari ex instituto Gothorum, Arrianam sectam teneret, Romana jus ac libertatem Ecclesiæ summâ fide, tutatus est. Inclinante jam ætate ad crudelitatem & barbariem deflexit: Symmachum enim ejusque generum Boëthium, falsò ad se delatos crimine, capitali affecit supplicio. &c. Cassiadorus, Petavius.

Interea Francorum in Gallia regnum Clodovei Regis auspiciis longè latèque prolatum est; victo & occiso Syagrio Egidii Comitis filio, qui Suessionibus præerat an. C. 486. Thuringis itidem an. C. 492 perdomitis. Idem Chilperici Burgundi, qui Gundebaldi frater erat, filiam Chlotildem conju- Gregor. 2. cap. 27. Aimoinus 1. cap. 12.

Gregor. 2. cap. 31. Aimoinus cap. 19 *conjugem duxit: à qua sæpius de amplectenda Christianâ religione monitus, tandem an. C. 496. ejus consilio paruit, postquam in prælio, quod contra Alemannos ad Tolliacum in Vbiis gessit, invocato Chlotildis Deo, præsentem ejus opem esset expertus.* Idem.

Hoc eodem anno magnus ille Monachorum Patriarcha, Occidentalis decus Ecclesiæ Benedictus, patriâ Nursinus, Romæ literis dans operam, ab Urbe recedens, profectus in solitudinem, in Occidente sublimioris vitæ Monasticæ prima jecit fundamenta, ut habet vetus historia Cassinensis. *Baronius.*

A. C. 495. Euphemius Episcopus Constantinopolitanus, Catholicus seu Orthodoxus, multis appetitus insidiis, ab Anastasio Imperatore pellitur in exilium, in cujus locum succedit Macedonius, qui Zenonis Henotico subscripsit, ob quod communionem ejus aversati reliqui, *Baronio* Catholici, multa perpessi sunt. Scissa enim erat eo tempore à Romanæ sedis societate Ecclesia Constantinopolitana, quod Acacii nomen, qui in schismate discesserat, è sacris tabulis eradere Euphemius, & cum eo Catholici in Oriente Episcopi, nollent, contra quos multa molitus Gelasius Papa per Faustum Legatum in suo commonitorio, Concilio Romæ convocato, & suâ epistolâ ad Dardanos. Contra Euphemium, quamvis Catholicum multa acria habet *Baronius. Communionem* inquit, *Acacio defuncto fovebat Euphemius, causam iniquam & impiam falsis prætextibus ornans,* &c. & paulò post: *Deus per hæreticum Imperatorem voluit Euphemium schismaticum Episcopum sede dejici atque abscindi qui scindebat Ecclesiam.* Et. *Passus quidem hæc est Euphemius licet, injustè & à perfido Imperatore Catholicæ fidei adversario: quod tamen contempsisset parere Romanis Pontificibus in abdicatione Acacii nominis, meruit ipse justo Dei judicio abdicari; sic planè qui gloriosum fuisset confessionis, ob hæc quæ passus est, titulum consecutus; quod ab ipsa Romana Ecclesia minimè meruit ad communionem admitti* (*extra quam*, Catholicam dixerunt Patres, non Romanam ut Baronius, *nulla potest esse ex sententia Patrum vera confessio neque martyrium*) *infelix decessit inglorius, & postea nomen ejus è diptychis est sublatum.*

Marcell. Theoph. an. Theodos. lect.

Anastas bibliotb.

Condemnat Euphemium Episcopum Constantinopolit. Cæsar Baronius Et Imperatorem Anastasium.

A. C. 496. Gelasius Papa moritur, succedit Anastasius.

A. C. 497. Anastasius Papa legatos mittit ad Anastasium Imperatorem, pro conci-

conciliandaEcclesiarum pace, quibus ad erat Festus patricius Senaror Romanus; qui Anastasio Imperatori pollicetur se effecturum, ut Henotico Zenonis Anastasius Episcopus Romanus subscriberet. *Baron.*

Anastasius Papa moritur, succedit Symmachus. De Anastasio Papa hæc habet Baronius: *Cæterum siquis contentiosè nimis asserere velit Anastasium propensiorem fuisse in restituendo sublato è diptychis Acacii nomine, sed morte præventum id præstare minimè valuisse: in hoc est quidem, quo magis magisque admireris Dei providentiam erga Romanam Ecclesiam, tum titubantem Apostolicæ sedi præsidentem Pontificem ex humanis ante subduxerit, quam quod meditaretur, impleret, & ante à morte præreptum, quam vel tentari posset ut Festo Legato de subscribendo Zenonis Henotico consentiret. Ita namque divino consilio*, addit Baronius, *quo potissimum semper Catholicæ fidei servare consuevit integritatem, factum scimus, ut quam citissimè morte mulctatus sit, qui in aliquod discrimen adducturus esset Catholica Romanæ Ecclesiæ puritatem.* sic frequentur hariolatur vir illustrissimus. A. C. 498. *Et Anastasium Pontificem Max.*

Schisma oritur triennale Symmachum inter & Laurentium. At non clerus tantum, sed & Senatus Romanus ea de caussa mutuis inter se discordiis rixisque certavit, unde cædes in Urbe, rapinæque quamplurimę. Laurentius promotorem habuit Paschasinum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum, virum qui tum ex doctrina, tum ex vitæ sanctitate, summam sibi gloriam comparaverat. Factâ contentione hoc contraxerunt partes, ut ambo Ravennam pergerent ad judicium Regis Theodorici, ex Rege Odöacris: Qui dum ambo introissent Ravennam hoc judicium ęquitatis invenerunt: ut qui primò ordinatus esset, vel ubi pars maxima cognosceretur, ipse sederet in sedę Apostolica: quod tandem æquitas in Symmacho invenit &c. *lib. Pontif. Baron.* Hic Symmachus constituit, ut omni die Dominico vel natalitiis Martyrum, hymnus *Gloria in excelsis* caneretur. *Sigon.*

Convocantur diversæ Synodi Romę in caussa Symmachi, Theodorici Regis auctoritate, quod negat Baronius; interim hæc verba reperiuntur in initio synodi quartę, Tom. I. Conciliorum: *Sancta Synodus apud Vrbem Romam ex præcepto gloriosissimi Regis Theodorici, di-* A. C. 499.

ci, diversis è regionibus congregata, &c. Symmachus Papa insimulatur multorum scelerum, & Ravennæ apud Theodoricum accusatur; Laurentius etiam, qui Nucerinus Episcopus hactenus fuerat, Romam evocatur & omnia turbis miscentur. *Anastasius.*

Clodoveus in Galliis Francorum Rex, operâ Clotildis Reginæ conjugis, fœminæ Christianæ, fit Christianus, & à S. Remigio Rhemensi Episcopo cum tribus hominum millibus baptizatur. *Greg. Turon.* addunt ad hanc historiam Hincmarus & eum secuti Flodoardus & Aimoinus, *cum puer ille qui ampullam ferebat, in qua sacrum chrisma continebatur, concursu multitudinis interclusus esset, ad beati preces Antistitis columbam cœlitus advolasse, quæ ampullam alteram rostro attulit, è qua Clodovæus inunctus*; cujus tamen rei nulla apud Gregorium Turonensem mentio, juxta *Petavium.* Ille post superatos Burgundos & Gothos, Lutetiam Parisiorum veniens tam felicibus auspiciis, consecratam ibi sedem regni constituit, an. C. 507.

A. C. 500. Clodoveus Galliæ Rex multa prædia donat Rhemensi Ecclesiæ, quorum præcipuam partem Remigius confert Ecclesiæ Laudensi, ibique Episcopatum instituit. *Sigeb.*

A. C. 504. Persecutio in Africa à Vandalis olim instituta recrudescit, & Fulgentius, cum vix ordinatus Episcopus esset, in exilium mittitur, cum septuaginta aliis Episcopis in Sardiniam. *Baron.*

A. C. 507. Concilium Aurelianense jussu Chlodovei congregatur. *Tom. I. concil. Gallic.*

A. C. 511. Pellitur in exilium ab Imperatore Anastasio Macedonius Episcopus Constantinopolitanus; succedit Timotheus Eutychianus, homo impurus, quem Constantinopolitani κήλωνα appellabant. Ad hujusmodi scelera Anastasium impulit *Severus* monachus, lues totius Orientis & princeps eorum, qui ἀκέφαλοι dicti sunt. *Evagrius.*

A. C. 514. Omnes præcedentes & prætermissi anni, nil habent memorabile, præter contentiones, turbas, cædes, & bella Ecclesiastica: quæ sunt tam frequentia, tam diuturna, ut videantur æterna.

Symmachus Papa moritur, succedit Hormisda.

Moritur Chlodoveus Francorum Rex cui uni ex omnibus orbis principibus Catholico Regi tam lætos armorum successus, ut paulò ante diximus, singularis indulsit numinis favor: quod inusitata per

id

id bellum testata sunt miracula. Interim in propinquos sæviens, pene omnes interemit, ac Lutetiæ decessit. *Petav.* *Gregor. 2. cap. 37. 41. Aimoinus 1. cap 21. 23.*

De Francorum moribus, vestibus, virtutibus, & bellicositate, vide *Gregorium Turonensem*, *Agathiam* &c. sed militarem fortitudinem sic paucis exprimit Sidonius:

Non timor: invictique manent, animoque supersunt
Iam prope post animam.

Chlodovei regnum ex æquo inter se, uti moris tunc erat, diviserunt quatuor ejus filii. Theodoricus ex concubinâ natus sedem apud Metas regni habuit; Chlodomirus apud Aurelianos: Chlotharius in Suessionibus: Childericus Lutetiæ. *Greg. Tur: lib. 3: c. 1.*

Macedonius Episcopus Constantinopolitanus in exilio moritur Gangræ, multosque à morte suâ morbis liberavit. Cumque jam esset in sepulcro condendus, sublatâ dexterâ manu, crucis signo sepulcrum obsignavit. Idem Theodoro cuidam suorum familiarium dixit. *Accipe hac, & abi, & Anastasio recita: Ego quidem Macedonius abeo ad patres meos, in quorum fide perstiti: interim tamen semper Deum interpellabo, dum tu quoque venias, & caussa nostra disceptetur.* Hæc Cedrenus *in annalibus, hac eadem Theophanes in Miscellâ, & Anastasius bibliothecarius in Chronico* &c. Porrò de miraculis nihil inquit Baronius. Interim tamen ex Diptychis nomina Acacii, Euphemii, & Macedonii, instigantibus Episcopis Romanis, postea sunt sublata. A. C. 515.

Insignis est epistola Anastasii Imperatoris, per legatos Episcopi Romani ad Hormisdam Papam missa, in quâ & fidei integritas, & pacis Ecclesiasticæ amor summus indicatur. *Tom. 1. epistol. Rom. Pontif. inter Hormisdæ epistolas.* De Episcoporum Romanorum rigore nimio conqueritur ad Hormisdam Papam Imperator Anastasius, ut & postea Justinus Imperator de rigore Hormisdæ ad Hormisdam. *vid. tom. 1. Conciliorum.* A. C. 516.

Moritur Anastasius, succedit Justinus Thrax, è subulco miles, tribunus, Comes, tandem alienâ pecuniâ Imperator. De Anastasio sic Evagrius lib. 3. c. 39. *Est res supra modum illustris, & planè divina ab eodem Imperatore in tributo, quod Chrysargyrum dicitur, tollendo gesta. Impositum fuit hoc sceleratum tributum cum aliis compluribus, tum* A. C. 518.

meretricibus, quæ corporis pulchritudinem habebant venalem, &c. Idem cap. 34. *Anastasius Asiatico præfecto mandatum dedit, ut Cosmum & Severianum Episcopos suis sedibus expelleret: qui retulit ad Anastasium, hos sine sanguine non posse suis sedibus exturbari. Itaque tantum in Anastasii animo insedit clementiæ & mansuetudinis, ut per litteras Asiatico significaret se velle nullum facinus aggredi quamvis magnum & memorabile, si vel gutta sanguinis pro eo fundenda esset. Hic Ecclesiarum totius orbis status fuit dum regnaret Anastasius: quem nonnulli tanquam Concilii Chalcedonensis adversarium existimantes, è sacris tabulis exemerunt.* Et c. 44. *In seditione populi propter trisagium, Anastasius se paratissimum abdicare Imperio proclamat: quod cum populus vidisset, subitò, velut nutu quodam divino captus, mutavit sententiam; rogat Anastasium ut coronam sibi imponat, pollicetur que se ea lege acquieturum. Anastasius autem postbâc ad brevissimum temporis spacium vitam protrahens, cum 27. annos, menses tres & dies totidem, Romanũ rexisset Imperium, ex hac luce migravit.* Hactenus Evagr.

De Anastasii morte alii aliter narrant; nempè post mira insomnia, variasque visiones, & mortis instantis, ex ictu fulminis, prædictionem, eum fulmine trucidatum. *Zonaras, Cedrenus* &c.

Hic Anastasius dum pacem Ecclesiis conciliare conatur, maxima in iis oriuntur contentiones. Fama est paulò ante mortem virum ei apparuisse terribili specie, qui librum manibus tenens, annos ex eo vita illius 14. se ob ipsius impietatem delere testatus est: ut mirum sit, tam longum vitæ destinatum illi fuisse spacium, quod si implesset, centum & duos annos attingeret. Petavius ex Zonara &c. Sic varia & incerta multa inveniuntur apud hujus temporis historicos, partium studio abreptos.

Postquam Anastasius ex corporis ergastulo, ad præclarius domicilium demigravit, inquit Evagrius, lib. 4. cap. 1. Justinus, ut diximus, successit: fuit is genere Thrax, obscuris majoribus natus.

Per idem tempus Amantius vir potens in primis cubiculo Imperatoris præfuit: qui quia non licebat Eunucho Imperio Romano potiri, cupiebat Theocrito, homini secum fide & benevolentiâ conjuncto, coronam dare Imperatoriam. Itaque Iustino accersito, magnam pecuniæ vim ei dat quam jubet illis distribui, qui possent purpuram Imperatoriam Theocrito impertiri, & ad id præstandum maximè viderentur idonei. Iustinus autem, sive quod populum largitione suum planè reddidit, sive quod excubitorum benevolen-

volentiam pecuniâ sibi conciliavit (utrumque enim memoratur) Imperio ipse potitus est, ac statim post Amantium & Theocritum cum nonnullis è medio sustulit. Evagrius.

Ille Amantius tempore Anastasii somniarat se coram Imperatore stantem à magno quodam porco prostratum devorari. *Zonaras:* Unde autem prodierit Justinus, notum.

Joannes Episcopus Constantinopolitanus in actis publicis plerumque vocatur œcumenicus.

Hormisdâ Papâ instanter id apud Justinum Imperatorem urgente, per legatos Constantinopolim missos damnata est cum hæreticis omnibus Acacii, Euphemii, Macedoniique memoria, ut & Zenonis & Anastasii Augustorum nomina de diptychis deleta. *Hic dixisset Christus,* οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματος ἐστε ὑμεῖς. *Luca, 9.* A. C. 519.

Cum redintegratâ pace Hormisda Legati per Græciæ urbes proficiscerentur, unus ex his Ioannes Episcopus Dorothei Thessalonicensis Episcopi factione ab hujus urbis populo crudeliter ignominioseq; est habitus, quam ob caussā citatus à Iustino Dorotheus, corruptis judicibus, levi pœnâ defunctus est. Petav.

Vitalianum, vitam in Thraciâ degentem, qui Anastasium Imperio exturbare moliebatur, Iustinus Constantinopolim accersit; nam & potentiam ejus extimuit ob ancipitem fortunam, quæ in bellis cerni solet, & nominis ejus celebritatem, quæ in omnium ore fuit, & Imperii, quâ flagrabat, cupiditatē. Ac cum conjecturâ prospiceret, idq; sanè verissimè, se non alia ratione eum posse vincere, nisi amicitiā erga eum simularet: vultu mirè ad fraudem composito, quæ facile deprehendi non posset, unum ex ducum numero, qui Præsentes vocantur, eum designat. Et quo magis persuaderetur Vitaliano & facilior aditus ad fraudem pateret, ad Consulatus quoq; honorem effert. Qui Consul factus, cum in palatio versaretur, in porta quadam post aulam positâ, per dolum cæsus occubuit: basq; pœnas pro sceleribus, quæ tam inconsideratè contra Imperium consciverat, persolvit. Hæc Evagrius l.4. c.3. A. C. 520.

Iustinus Eutychianos per concilium excommunicat, & Manichæos edicto & exilio persequitur. vide Epistolam Iustiniani ad Hormisdam pro Episcopis Catholicis Constantinopolitanis è diptychis non submovendis: *Ne dum volumus animas lucrari, corpora multorum perdamus & animas*, inquit. ubi austeritas & fastus Hormisdæ obliquè notatur. Nam ita alloquitur Hormisdam Iustinianus: *Vt futuri judicii memores caussam taliter ordinetis*, &c. & aliâ epistolâ:

Æternitatis igitur supremæ, tremendique judicii non immemor sanctitas vestra &c. quasi Hormisda eorum oblitus non satis secundum spiritum lenitatis ageret: ut Hormisdæ exprobat ipse Justinus Imperator. Vide *epistolas Hormisdæ in fine tomi* 1. *Concilior*. Interim tamen Justinus Imperator,& Epiphanius Episcopus Constantinopolitanus Hormisdæ Episcopo Romano,pacis aut alterius considerationis politicæ ergò, multa tribuunt.

A.C. 523. Hormisda Papa moritur, *qui*, inquit Baronius, *inter immensos seculi fluctus, tempore impii Anastasii Imperatoris ecclesiam regens, clavumque regiminis summâ constantiâ moderatus, latentes vitavit scopulos hæreticorum, undasque humanæ potentiæ scindens & calcans, ad optatum pacis portum Ecclesiæ navim sub Iustino Imperatore perduxit: præscribensque jura Principibus* &c. sic paulatim accrevit Pontificum auctoritas. apud Imperatores socordes & negligentes, & inter cæteros,Justinus *fuit homo insignis stoliditatis, summa cum infantia & rusticitate*, secundum Procopium.

Per numeros veniunt ista gradusque suos.

Succedit Hormisdæ Joannes Pontifex; & Fulgentius in Africa floret.

A.C. 525. Cum Justinus Imperator in Oriente persequeretur Arrianos, & horum Ecclesias Catholicis adjudicaret, graviter id ferens Theodoricus, Italiæ Rex Arrianus, Joannem Papam Legatum misit ad Justinum, ut ab Arrianis injuriam abstineret, minitans, nisi id facerer, se in Catholicos vicissim totâ Italiâ sæviturum. *Lib. pontif.* Multa hoc loco incerta statuit Baronius & persecutionem Justini Imperatoris adversus Arrianos tanquam justam defendere conatur, *quia*, inquit, *non licet per legem Dei pacisci cum inimicis Dei.* ubi citat locum Deuteron. 7. Josue 9. Judic. 2. sed hisce S. scripturæ locis non est vetitum aliquod facere pactum cum infidelibus, verum tantum cum septem iis nationibus, quæ Palæstinam incolebant, quam Deus electo suo populo possidendam dederat, qui erant Hethii, Gergesii, Amorrhæi, Hevii, Sebusii, &c.

Secundò hoc probare nititur epistolâ Joannis Papæ ad Episcopos Italiæ, quæ omninò adversatur historiæ de vitâ ipsius Ioannis, cum quâ reliqui omnes historici conveniunt, ut *Beda, Paulus Diaconus, Aimoinus, Marianus Scotus, Sigebertus & alii.* Quare ego mihi certò persuadeo, illam epistolam Joannis etiam esse de mercibus Isidori

Mer-

Mercatoris,quas orbi obtrusit post octavum à nato Christo seculum; in cujus officinâ multa adulterata & corrupta venalia inveniri, alibi etiam ipse monet Baronius, & copiosè Blondellus lib. cui titulus, *Vindiciæ pro sancta veteri Romana Ecclesia* &c. pag. 573. Hanc esse ejusdem valoris epistolam facile est animadvertere, nam primò pugnat cum veritate historicâ, ut diximus, secundò cum ipsâ ratione. Nam quomodo subditi regis potentissimi ausi fuissent *Arrianorum templa tanquam Catholica divinis precibus atque operibus consecrare*, ut habet spuria illa epistola Joannis Papæ, cum ipse Rex fuerit Arrianæ sectæ addictissimus, & ea de caussa Joannem legatum Constantinopolim ad Justinum miserit, ut Arrianis adempta templa restituerentur, minitans se omnes Catholicorum Ecclesias gladio perditurum, nisi id apud Justinum obtineret: quod, ut historici referunt, obtinuit. Tertiò, falsitas hujus epistolæ apparet, ex malè allegatis Consulibus, & citato scriptionis tempore, quod etiam viderunt Baronius & Binius. Multas alias Baronii conjecturas consultò prætereo, ne sim nimis prolixus. sed hoc certò constat, ab Imperatoribus Arrianæ sectæ fuisse concessam libertatem, ab anno C. 363. ad annum 526. & non tantum consensu, sed etiam ex voluntate Episcoporum Romæ.

Quare non possum satis mirari Christianorum quorundam mores, qui se mutuò in caussa fidei malè persequuntur, aut saltem sibi invicem libertatem conscientiæ aut exercendæ religionis vi adimunt: idque contra doctrinam Sacræ scripturæ, contra consentientem Patrum sententiam, & primitivæ & purioris Ecclesiæ praxin. Doctrinam S. scripturæ vide *Matthæi* 10. 14. & 13. 24. 29. *Marci* 9. 38. *Lucæ* 10. 3. 4. 30. &c. & 9. 54. & 18. 9. *Iohan.* 6. 67. (& in illum locum Athanasium, Chrysostomum & alios) *Actor.* 5. 38. 39. *Galat.* 4. 29. *Heb.* 11. 15. &c. S. Petrus autem dicit *Actor.* 5. 29. *Deo magis obediendum quam hominibus*, & Cyprianus epist. 63. *Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Unanimem Patrum primitivæ Ecclesiæ consensum, in hâc de persecutione Christianorum sententia, docet Justinus Martyr, qui vixit an. C. 150, & hæc habet apologiâ secundâ: *Persuadendo nos ducit ad fidem per facultates naturales, quas nobis dedit; ut ea sequamur, quibus delecta-*

delectatur, liberè ea eligendo Et existimanus id esse utile omnibus hominibus, ne non tantum ea discere impediantur, sed ut ad eadem etiam admoneantur. Athenagoras in sua apologia pro Christianis scripta paullò serius circa annum 170. sic loquitur: *Imperium vestrum, maximi reges, regitur per diversas leges & consuetudines, neque probibitum cuipiam est per aliquam legem aut supplicii metum sequi suæ regionis religionem, quamvis sit ridicula &c; Vos & ipsæ leges permittunt omnibus bis, partim credere nullum esse Deum, quamvis hoc putetis esse impium & pravum, partim eos habere Deos, qui cuilibet placent, tanquam rem necessariam, ut per timorem Dei ab injustitia avertamur. Sed (quamvis vos non sinitis vos seduci simplici narratione, veluti vulgus) vos tamen odistis nos solo de nomine Christianorum.* Tertullianus Apologetico adversus gentes pro Christianis circa an. C. 200. sic scribit: *Videte ne & hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, & interdicere optionem divinitatis, ut non liceat mibi colère quem velim, sed cogar colere quem nolim. Nemo se ab invito coli vellet, ne homo quidem &c.* Et lib. ad Scapulam cap. 2. *Humani juris & naturalis potestatis est unicuique quod putaverit colere, nec alii obest aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi: cum & hostiæ ab animo libenti expostulentur.* Verissima sunt pauca hæc ejusdem auctoris verba: *Lex nova non se vindicat ultore gladio.* Cyprianus ep. 52. §. 8. qui vixit an. C. 251. *Tum deinde quantus arrogantia tumor est, quanta humilitatis & lenitatis oblivio, arrogantiæ suæ quanta jactatio, ut quis aut audeat, aut facere se posse credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut Zizania se putet à frumento posse discernere, aut quasi ipsi palam ferre & aream purgare concessum sit, paleas conetur à tritico separare. Cumque Apostolus dicat: In domo autem magna non solum vasa aurea sunt & argentea, sed & lignea & fictilia: aurea & argentea vasa videatur eligere, lignea verò & fictilia contemnere, abjicere, damnare, quando non nisi die Domini vasa lignea divini ardoris incendio concrementur, & fictilia ab eo, cui data est ferrea virga, frangantur. Aut si se cordis & renis scrutatorem constituit & judicem, per omnia æqualiter judicet,* &c. Et ad Demetrianum de persecutione §. 5. *Quid te ad infirmitatem corporis vertis? quid cum terrenæ carnis imbecillitate contendis? Cum animi vigore congredere, virtutem mentis infringe, fidem destrue, disceptatione,*

tatione, si potes, vince, vince ratione. Si ea esset Dei voluntas ipse in ultionem suam surgeret, ipse se suâ majestate defenderet. *Discite à me,*inquit Christus, Dei sapientia & virtus, *quia ego sum mitis & humilis corde &c. Et quia odisse non licet nobis*, inquit idem Cyprianus §. 9. *& sic Deo plus placemus, dum nullam pro injuria vicem reddimus* &c. *Odiis vestris benevolentiam opponimus, & pro tormentis ac suppliciis, quæ nobis inferuntur, salutis itinera monstramus.* Apud Eusebium lib. 7. cap. 10. Dionysius Alexandrinus sic respondet Æmyliano Præfecto: *Exposui vobis memoriter*, inquit Æmylianus, *clementiam dominorum nostrorum quâ erga vos utuntur. Etenim facultatem salutis vobis dederunt, modò ad id quod natura ipsa dictat reverti, & duos imperii hujus custodes adorare, ac quæ natura repugnant oblivisci volueritis. Quid igitur ad ista dicitis? haud enim clementiæ illorum ingrati eritis opinor, quandoquidem ad meliora vos hortantur. Dionysius respondit: non cuncti cunctos, sed singuli aliquos Deos adorant, quos sibi adorandos esse putant. Nos igitur unum illum Deum omnium opificem, qui etiam pientissimis Augustis Valeriano & Gallieno imperium hoc commendavit, colimus & adoramus, illumque indesinenter pro imperio eorum, ut immotum permaneat, oramus.* Lactantius Firmianus l. 5. c.20. qui vixit an.C. 320. sic prolixè scribit de insania persequentium in negotio religionis: *O mira & cæca dementia! iis putatur mala mens esse, qui fidem servare conantur, in carnificibus autem bona: in iis ne mala mens est, qui contra jus humanitatis, contra fas omne lacerantur? an potius in iis, qui ea faciunt in corporibus innocentium, quæ nec sævissimi latrones, nec iratissimi hostes, nec immanissimi barbari aliquando fecerunt?* Et: *sed quoniam vi nihil possunt (augetur enim religio Dei, quantò magis premitur) ratione potius & hortamentis agant.* Et: *non est opus vi & injuria, quia religio cogi non potest, verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas. Distringant aciem ingeniorum suorum, si ratio eorum vera est: afferatur, parati sumus audire si doceant. Tacentibus certè nihil credimus, sicut ne sævientibus quidem credimus. Imitentur nos, aut rationem rei totius exponant. Nos non illicimus, ut illi objectant, sed docemus, probamus, ostendimus. Itaque nemo à nobis tenetur invitus. Inutilis enim est Deo, qui devotione ac fide caret. Et tamen nemo discedit, ipsâ veritate retinente. Doceant illi hoc modo, si qua illis fiducia veritatis*

est &c. Quid ergo saviunt, ut stultitiam suam dum minuere volunt, augeant? longè diversa sunt carnificina & pietas: nec potest aut veritas cum vi, aut justitia cum crudelitate conjungi. Sed meritò non audent de rebus quicquam docere divinis, ne à nostris derideantur aut à suis deserantur. Nam fortè vulgus, cui simplex incorruptumque judicium est, si mysteria illa cognoscat in memoria mortuorum constituta, damnabit, aliudque verius, quod colat, quaeret. Hinc fida silentia sacris instituta sunt ab hominibus callidis, ut nesciat populus quid colat. Cum autem nos in eorum doctrinis versemur, cur nobis aut non credunt, qui utrumque novimus: aut invident, quia vera falsis prætulimus? Sed defendenda sunt, inquiunt, suscepta publicè sacra. O quam inhonestâ voluntate miseri errant. Sentiunt enim nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamque summâ vi oportere defendi: sed ut in ipsa religione, sic in defensionis genere falluntur. Defendenda enim religio est non occidendo, sed moriendo: non sævitiâ, sed patientiâ: non scelere, sed fide: illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et necesse est bonum in religione servari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur. Nihil est enim tam voluntarium, quam religio: in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est. Recta igitur ratio est, ut religionem patientiâ vel morte defendas, in qua fides conservata & ipsi Deo grata est, & religioni addit auctoritatem. Magnus ille Athanasius qui vixit an. C. 356. epistolâ ad solitariam vitam agentes: *Quod si inhonestum est aliquot Episcopos metu coactos sententiam immutasse, quantò gravius fœdiusque illorum facinus, qui, quod hominum est minimè suæ caussæ confidentium, invitos ad mutationem sententiæ coëgerunt. Ita quoque diabolus, quia nihil veri habet, in securi & asciâ invadens, concutit fores eorum, à quibus recipitur. Salvator contra mansuetus est, Siquis, inquit, velit me sequi & esse discipulus meus, docetque se cum ad quempiam venit, non vi instare, sed potius pulsare ac dicere, Aperi mihi soror, mea sponsa: quod si aperiant, intrat, si ngraventur aut nolint aperire, abscedit. Non enim gladiis aut jaculis, aut militari manu veritas prædicatur, sed suadendo & consulendo. Qua autem ibi suadendi libertas aut consulendi ratio, ubi qui contradicit pro mercede exilium, aut mortem reportat? David autem quamquam Rex, cum hostem sub suâ manu haberet, milites*

suos,

suos, qui hosti necem inferre volebant, non pro potestate sua probibuit, sed ut ait scriptura rationibus persuasit; neque concessit eos insurgere ad cædem Saulis. Iste verò nullâ ratione instructus, vi & potentiâ omnes cogit: adeò ut statim nulli non appareat ipsarum sententiam, non secundum Deum, sed humanam esse. Et: *Verberari enim, Christianorum proprium est: flagillare autem Christianos, Pilati & Caiphæ officia sunt.* Et: *Ariani cæteris proterviores, alias hæreseos sorores, suas se multò minores declarant, cum longè majori impietate utantur, omnesque & imprimis Iudæos scelere improbitateque æmulentur. Vt enim illi Paulum, quem de objectis criminibus vincere non poterant, statim eum ad Tribunum & Præsidem adduxerunt, ita quoque & isti indies plura excogitantes, non nisi judicum potestate utuntur; & ubi quis vel semel illis contradixerit ad Præsidem & Ducem rapitur. Cætera porrò hæreses demonstrationibus convicta ab ipsâ veritate, tacitè obmutescunt, nihilque agunt, nisi quod de convictione suâ erubescunt. Nova autem ista & execrabilis hæresis, cum rationibus subruitur, cum ipsa veritate pudefacta concidit: quos non potuit verbis inducere, eos vi, plagis, carceribusque pertrahere annititur, atque vel ità seipsam, quam non sit pia & Dei cultrix, manifestat. Piæ enim religionis, ut dixi, proprium est non cogere sed suadere. Siquidem Dominus non cogens, sed libertatem voluntati permittens, dicebat quidem vulgò omnibus*: Siquis vult venire post me. *Apostolis verò*, num & vos abire vultis? *Quid autem aliud hæresin istam, quæ prorsus aliena est à pia religione facere decuit, nisi contraria Salvatori?* Hilarius Episcopus Pictaviensis, Europæ magnum lumen, an. C. 356. sic eadem de re scribit in libello supplice, quem exhibuit Constantio Imperatori: *Æquum debet videri sanctitati tuæ, gloriosissime Auguste, ut, qui timent Dominum Deum & divinum judicium, non polluantur, non contaminentur execrandis blasphemiis: sed habeant potestatem ut eos sequantur Episcopos & præpositos, qui & inviolata conservant fœdera charitatis, & cupiunt perpetuam & synceram habere pacem: nec fieri potest, nec ratio patitur: ut repugnantia congruant, dissimilia conglutinentur, vera & falsa misceantur, lux & tenebræ confundantur, dies quoque & nox aliquam habeat conjunctionem. Præcipe, ut non studium, non gratiam, non favorem locorum rectores gravissimis hæreticis præstent. Permittat lenitas tua populis, ut quos voluerint, quos putaverint, quos elege-*

rint, audiant docentes & divina mysteriorum solemnia concelebrent, &c. *Sed quid aliud his literis quam libertatem fidei & contagionem nominis Arriani deprecantur, orantque vincula, carceres, tribunalia, & omne illud ferale habitum, novas etiam in reos quæstiones inhiberi? Deus cognitionem sui docuit potius quam exegit: & operationum cælestium admiratione præceptis suis concilians auctoritatem, coactam confitendi se aspernatus est voluntatem. Si ad fidem veram istiusmodi vis adhiberetur, Episcopalis doctrina obviam pergeret diceretque: Deus universitatis est, obsequio non eget necessario, non requirit coactam confessionem. Non fallendus est, sed promerendus. Nostrâ potius, non suâ causâ venerandus est. Non possum nisi volentem recipere, nisi orantem audire, nisi profitentem signare. Simplicitate quærendus est, confessione discendus est, charitate amandus est, timore venerandus est, voluntatis probitate retinendus est. At verò quid istud, quod sacerdotes timere Deum vinculis coguntur, pœnis jubentur? Sacerdotes carceribus continentur, plebs in custodiam catenati ordinis constrictâ disponitur, virgines nudantur ad pœnam,* &c. Et idem lib. adversus Auxentium: *Ac primum miserari licet nostræ ætatis laborem & præsentium temporum stultas opiniones congemiscere: quibus Deo humana creduntur, & ad tuendam Ecclesiam ambitione seculari laboratur. Oro vos Episcopi, qui hoc vos esse creditis: quibusnam suffragiis ad prædicandum Euangelium Apostoli usi sunt? Quibus adjuti potestatibus Christum prædicaverunt, gentesque ferè omnes ex idolis ad Deum transtulerunt? Anne aliquam sibi assumebant è palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere inter catenas & post flagella cantantes? Edictisque regis Paulus cum in theatro spectaculum ipse esset Christo Ecclesiam congregabat? Nerone se credo, aut Vespasiano aut Decio patrocinantibus tuebatur: quorum in nos odiis confessio divinæ prædicationis effloruit. Illi manu atque opere se alentes, intra cœnacula secretaque coëuntes, vicos & castella, gentesque ferè omnes terrâ ac mari contra senatusconsulta & regum edicta peragrantes: claves, credo, regni cælorum non habebant? Aut non manifesta se tum Dei virtus contra odia humana porrexit, cum tantò magis Christus prædicaretur, quantò magis prædicari inhiberetur? At nunc proh dolor, divinam fidem suffragia terrena commendant: inopsque virtutis suæ Christus, dum ambitio nomini suo conciliatur, arguitur. Terret exiliis & carceribus Ecclesia, credique sibi cogit,* *quæ*

quæ exiliis & carceribus est credita: pendet à dignatione communicantium, quæ persequentium est consecrata terrore: fugat sacerdotes, quæ fugatis est sacerdotibus propagata: diligi se gloriatur à mundo, quæ Christi esse non potuit, nisi eam mundus odisset. Hæc de comparatione traditæ nobis olim Ecclesiæ, nunc quam deperdita, res ipsa, quæ in oculis omnium est atque ore, clamavit. S. Martinus Episcopus Turonensis apud Gallos an. C. 386. persecutioni hęreticorum per Maximum tyrannum animosè restitit, dialogo tertio apud Sulpitium Severum, §. 15. *Maximus Imperator, aliàs sanè bonus, depravatus consiliis sacerdotum ex eorum sententia decreverat tribunos summâ potestate armatos ad Hispanias mittere, qui hæreticos (Priscillianistas) inquirerent, deprehensis vitam & bona adimerent. nec dubium erat, quin sanctorum etiam maximam turbam tempestas ista de populatura esset, parvo discrimine inter hominum genera: etenim tum solis oculis judicabatur, cum quis pallore potius aut veste, quam fide hæreticus æstimaretur, &c. Petit palatium præcipuâ curâ, ne tribuni cum jure gladiorum ad Hispanias mitterentur. Pia enim erat sollicitudo Martino, ut non solum Christianos, qui sub illa occasione erant vexandi, sed ipsos etiam hæreticos liberaret. Et mox percussores his, pro quibus Martinus rogaret, diriguntur. Quod ubi Martino compertum jam noctis tempore est, palatium irrupit. Spondet si parceretur, se cum Ithacio &c. communicaturum, dummodo ut & tribuni, jam in excidium Ecclesiarum ad Hispanias missi retraherentur. Nec mora intercessit, Maximus indulget omnia. Postea tamen cavit, cum illa Ithacianæ partis communione misceri.* Chrysostomus an. C. 390. in Matth. 13. homil. 47. ad verba, *Vis igitur abeuntes colligamus ea? Dominus autem prohibet ne fortè cum zizaniis simul herbam tritici etiam evellant: quod dicebat ut bella & effusionem sanguinis prohiberet. Nam si trucidarentur hæretici, absq; fœdere pacis atque induciis bellum orbi inferretur. Duabus ergo rationibus prohibuit: Altera, quia frumentis parum nocerent: altera, quia nisi sanarentur, extrema supplicia non evaderent. Quare si & puniri eos vultis & frumentis nequaquam officere, opportunitas temporis congrua vobis exspectanda est. Quid autem est quod simul eradicabitis cum zizaniis? ipsa etiam frumenta. Certè aut quia si arma capietis,* inquit, *necesse est, cum hæreticos trucidatis, multos sanctorum etiam interimere: aut quia ab ipsis zizaniis multa commutata, in frumenti conditionem seipsa converterunt. Si ergo prævenientes evelletis, ea frumenta peribunt,*

quæ à commutatis zizaniis provenirent. Non prohibet autem concilia bula hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere, verum interficere & trucidare, &c.

Audiamus quid in hisce fecerit magnus ille Augustinus vir, spiritu Christi plenus, quæ videre unicuique licet in ipsius vita à Posidonio Episcopo Calamensi descripta, sed paucis ea dabimus verbis Erasmi ex epistola ejusdem ad Archiepiscop. Toletanum primo tomo Augustini præfixa: *Strenuus ille pugil dejecit Pascentium Arrianum licet auctoritate potestateque publicâ formidabilem: Traduxit Manichæorum prodigiosas fabulas, & obscœna mysteria protraxit in lucem: nam hæc prodidisse erat vicisse. Donatistas & Circumcelliones, pertinax malum, multis conflictibus tandem fudit, profligavit, delevit: Postrema lucta fuit cum Pelagianis: Denique Paganorum reliquias magna ex parte delevit in Africâ. Et ad tantas res conficiendas, non vi, non armis, non copiis, non carceribus aut incendiis usus est, sed solo gladio spiritus, quod est verbum Dei: atque armis Apostolicis tot victorias, tot triumphos paravit Ecclesia Dei, licet adversus Donatistas & Circumcelliones, quoniam ipsi ferro rem gerebant, adhibita sit tandem Cæsaris auctoritas, refragrante primum Augustino, mox Cæsaris edictum sic intercessione suâ moderante, ut plerisque mulctæ auraria redderentur iis, qui persolverant: summâ verò curâ intercessit apud Cæsareos magistratus, ne quis hæreticorum occideretur. Cupiebat amicus medicus superesse, quos arte suâ sanaret. Imò quod est majoris clementiæ, bis etiam vitam impetravit, à quibus orthodoxi quidam erant trucidati. Hæc sanctissimi præsulis clementia, non eo commemoratur à nobis, ut animum addamus impiis, qui falsis dogmatibus scindunt ac labefactant Ecclesiam Christi: sed ut ostendamus quanta mansuetudo deceat doctorem Ecclesiasticum. Non ideo Cæsarum leges robur non habebant, quod harum severitatem aliquando piorum hominum intercessio mitigaret: præsertim ubi manifesta pœnitentiæ signa spem vitæ correctioris præberet. Nec enim ideo non est justa lex, quæ jubet homicidam plecti capite, quod Episcoporum pietas talibus nonnunquam impetravit vitam: Alioqui latronem dimittere in plurium perniciem grassaturum, non est clementia, sed crudelitas. Proinde quemadmodum ad tuendam reip. tranquillitatem necessaria est legum principalium severitas: ita laudanda est in Episcopis Christi vicariis Christiana lenitas: quæ tam singularis erat*

in

in hoc Præsule, ut cum in civitate quâdam Pagani contra Cæsaris edictum publicitus fecissent impetum in Christianos, multisque vexatis, unum atque alterum occidissent aut saltem parassent occidere: jamque severam principis ultionem exspectarent, quidam ex ipsis eruditus per literas ab Augustino petierit, ut intercessione suâ iram Cæsaris mitigaret: Tam insignis erât sanctissimi præsulis mansuetudo, ut hostis & idololatra non vereretur ab hoc petere, quod vix amicus ab amico auderet flagitare. Quo impudentior est postulatio, hoc magis arguit vix credibilem Augustini mansuetudinem. Eâdem mansuetudine moderatus est collegia virorum ac mulierum, quæ juxta regulam Apostolicam aliquot instituit, &c.

Praxis Ecclesiæ cum Patrum sententiis convenit; ita ut persecutionem tam ab Ethnicis, quam ab hæreticis Catholici seu orthodoxi patienter & hilares perpessi, alios autem, ut Novatianos, Donatistas, Arrianos &c. persecuti non sint, ut nos docent omnes tam patres quam historici. Concilium Toletanum celebratum circa annum C. 623. cap. de Iudæis, distinct. 45. hæc habet: *Præcipit sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre, cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat.* Hinc à sapientioribus culpatur Imperator Iustinianus, quod Samaritas vi & minis ad Christianam religionem compulerit, ut docet *in arcana seu suppressa historia Procopius.* Hinc Idacius & Ithacius Episcopi & accusatores Priscilliani hæretici in Hispania, apud tyrannum Maximum in Galliis, cum auctores apud Imperatorem fuissent, ut in eum ejusque socios gladio animadverteretur, per Damasum, Ambrosium & Martinum amoti sunt ab Ecclesiarum communione, ut docet *Sulpitius historia sac. lib. 2. & in vita S. Martini, & nos an.* C. 385. Sævierunt in Christianos Imperatores Pagani, in orthodoxos Circumcilliones & Arriani, nullo ætatis, nullo sexus discrimine: & his omnibus divini nominis studium obtendi solet: sed plerumque obtendi tantum: & interim eo modo contra Christi dogma lolium cum tritico, imò triticum pro lolio abscinditur. Sed nec hoc ita mirum, ut ineptum & crudele est, cum de ejusmodi hominibus prædixerit Christus: *Occident vos & putabunt se Deo rem gratam facturos. Sic fiunt miseris & religiosa delicta,* ut inquit, *Cyprianus ep. 2. ad Donatum.* Habeant alii sibi suas opiniones, mihi ea doctrina præ cæteris maximè probatur, quæ recens *Matth.* 13.

pro-

prodiit ex scholâ Apostolorum: quæ propagata est *non occidendo sed moriendo, non scelere sed fide, non vi sed patientiâ*, ut alibi Lactantius.

At dicamus nos cum S. Gregorio Nysseno, &c. Orthodoxorum crudelissimis persecutoribus, si bene memini lib. de Trinitate ad Eustatium, verbis valdè appositis: *Qui nos odio prosequuntur sine aliquo prætextu, facere mihi videntur veluti lupus in fabula Æsopi. Nam quemadmodum lupus objiciebat agno quædam crimina, ne videretur eum injustè occidere, à quo nunquam fuisset læsus: & licet agnus omnes lupi accusationes refutasset, non tamen desistebat illum vi opprimere, cui impar erat jure: Ita illi qui adversus nos irâ & odio sunt accensi, & fortè pudibundi, quod nos sine justa caussa oderint, accusationes contra nos comminiscuntur, & proinde nunc hanc nunc illam odii adversus nos producunt caussam: nec quamvis omnes abundè satis confutata sunt, nos odisse desinunt*. sed, si placet, dabo eandem Æsopi fabulam versibus eleganter expressam ex Illustris Grotii doctissimis annotatis in Euangelia:

Ad rivum eundem lupus & agnus venerant
Siti compulsi: superior stabat lupus,
Longèque inferior agnus: tunc faciè improbâ
Latro incitatus, jurgii caussam intulit:
Cur, inquit, turbulentam mihi fecisti aquam
Istam bibenti? Laniger contra timens:
Qui possim, quæso, facere quod quereris lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus:
Ante hos sex menses malè, ait, dixisti mihi.
Respondet agnus: Equidem natus non eram.
At pater herclè tuus, inquit, maledixit mihi:
Atque ita correptum lacerat iniquâ nece.
Hæc propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis caussis innocentes opprimunt.

Atque hæc de persecutione hæreticorum.

Ingens terræ motus Antiochiam concussit, parumque aberat, quin totam penitus evertisset, urbem, sed quæ terra motus non attigit, subsecutum incendium prorsus absumpsit. Postremò omnium Euphrasius Antiochenæ civitatis Episcopus iisdem calamitatibus oppressus interiit, in cujus locum suc-

successit Euphaimius Orientis Præfectus. Hęc Evagrius lib. 4. cap. 5. &c.

Justinus Ioannis Papæ precibus motus ab Arrianis persequendis destitit. Theodoricus Ioannē reversum in Italiam in vincula conjecit, arbitrans eum conspirasse cū Iustino in sui regni perniciem, nam Iustinus non vulgari, sed eximio Ioannem exceperat honore: ita confectus ærumnis & pædore carceris obiit Ravennæ Ioannes Episcopus Romanus. *Vita Ioan. in lib. pontific. Histor mixta, Aimoinus, Marian. Scot. Sigib. Frisingens. Abbas Vrsperg. & alii.* Symmachus & ejus gener Boëthius viri nobiles, Senatores gravissimi & Consulares apud Theodoricū quasi res novantes delati, gladio pereunt: Sed paulò post moritur Theodoricus de cujus morte varii variè. Succedit Athalaricus. A. C. 526.

Iustinus moritur succedit Iustinianus ex sorore nepos. A. C. 527.

Hunc Iustinum mirè imperitū ac rudē fuisse literarum, testis est in suppressa historia Procopius: sic, ut ne suum quidē nomen posset scribere. Quare quod de Iustiniano legitur apud Suidam, fuisse ἀμαθὴν γραμμάτων ἁπάντων & ἀναλφάβητον, id est, ignarū omniū literarū, id de Iustino non de Iustiniano capiendum esse censet Alemannius in notis ad Procopiū: hunc enim vel doctissimū fuisse idē probat. *Petav.*

Hoc anno moritur magnus ille Dioynsius, inquit Baronius, quamvis cognomento Exiguus, qui preclarè de tēporibus, altero historiæ lumine, meritus est. Nam primus morem induxit numerandi annos à nativitate Christi, quæ dicitur æra vulgaris, cum antè Diocletiani ęra obtineret: sed ipsum eosdē annos non rectè concepisse, in initio hujus historiæ admonuimus. Ille enim statuit annum natalis Christi, Julianum XLV. & V. C DCCLIII. cum doctorum plurimi duobus annis anticipent. *Quare notandum, erroneam quidem esse illam computandi formam, quā nunc utimur, sed tamen utilißimā post deprehensum errorē. Cum enim sciamus quot annis recurrendū sit, semper de anno certò constabit nobis. Deinde cum ab annis 900 in usu fuerit, incommodū valde esset eam è mundo eliminare. Notandum ergo, illam familiarē & ubiq; receptam formā à plerisque servari. Etiamsi Constantinopolitani ab annis mundi calculū deducāt, tamen in supputatione annorū Christi nobiscū sentiūt. Deinde nostrâ non interest quomodo in Oriente annos numerēt, modo nobis constet, quid in usu fuerit apud majores nostros, ut sciamus annos, qui nūc decurrūt supputare.* Blond.

Natione fuit Scytha Dionysius ille, sed Abbas Romanus. Miror in hoc rerū tam seriarū scriptore subleſtam fidem, cū nobis promittat Canones conciliorū, interim tamen multos pręclaros & memorabiles

Pppp omittat:

nimis parcus & tenax fuit in communicandis tam dignis veteris Ecclesiæ monumentis. Si suspicari licet, voluit suæ inservire Ecclesiæ, voluit blandiri suo Domino. Vide quomodo roserit secundum, tertium & quartum Concilium œcumenicum: nisi alia superessent documenta, plurima nobis, tanquam profundâ nocte, abdita fuissent.

Ecclesia Christiana, inquit Iustellus, *duplici jure olim regebatur, Divino & Canonico. Ac divinum quidem jus Codice S. scriptura: Canonicum vero Codice Canonum continetur. Itaque in Conciliis illi duo in medio consessu poni solebant, ut ex eorum jure Episcopi inter se dogmata pietatis explorarent, obortas hæreses refutarent & controversias ad disciplinam Ecclesiasticam, sacramque πολιτείαν pertinentes dirimerent. Dicebatur Codex Canonum Ecclesia Catholicæ, qui constabat ex canonibus Concilii Nicani, Ancyrani, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani, Ephesini & Chalcedonensis. Confirmatus est ille canonum Codex auctoritate universa Ecclesia in Concilio Chalcedonensi canone primo, & ab Imperatore Iustiniano Novellâ 131. Hic antiquus codex apud Orientales in magno semper fuit usu, qui bis postea addiderunt Canones Apostolicos vulgò dictos: tum & canones Concilii Sardicensis & conciliorum Africanorum; preterea canonicas quasdam sanctorum Patrum Ecclesia Orientalis epistolas: quibus postea adjecta sunt Imperatorum de rebus ecclesiasticis leges, qua collectiones à Græcis dictæ fuerunt Nomocanones. Ex hoc canonum Ecclesia Catholica codice originem traxit Ius Canonicum. Ecclesia verò Occidentalis etiam antiquum habuit canonum Codicem, & inter cæteros ex interpretatione hujus Dionysii Exigui circa annum C. 527. ut testatur illi coævus Caßiodorus libro de divinis lectionibus cap. 25. qui sua interpretationi etiam adjecit canones, qui dicuntur Apostolorum, & canones concilii Sardicensis & Africanorum: qui Dionysii codex ab Ecclesia Romana præcipuè est receptus, scripsit etiam collectionem decretorum Pontificum Romanorum, quæ etiam addita est Codici canonum Romano: sed eam auspicatur ab epistolis Papa Syricii, ex quo valdè verisimile fit, Romam nullas præcedentes agnovisse, quamvis à quibusdam nobis obtrudantur. Obiter hic monendum, omissos à Dionysio Concilii Constantinopolitani canones quatuor, Ephesini omnes, & Chalcedonensis duos posteriores. Ephesinorum loco supposuit VVendelstinus in suo codice canonum Ecclesiæ Romanæ 12. anathematismos à Cyrillo & concilio Alexan-*

drino in Nestorium dictos. Vide præfationem Iustelli jurisconsulti Galli, & indagatoris ecclesiasticæ veritatis diligentissimi in Codicem canonum Ecclesiæ universæ, & apud Wendelstinum epistolam Dionysii Exigui cum indice canonum collectionis suæ, editam ex MS. optimi & eruditissimi viri Nicolai Fabri, & vindicias Blondelli pro sancta vetere Rom. Ecclesia.

Iustinianus variis Princeps moribus fuit, atque ex virtutibus vitiisque temperatus: nam & acres ad pietatem ac religionem habuit impetus; quod innumerabilibus edictis testatum reliquit, quibus Catholicæ fidei & Ecclesiasticæ disciplinæ consuluit: & idem postremò in Eutychianum impegit errorem; tum in omni vita rapacitatis avaritia ac perfidia deformatus maculis, pluribus etiam ac horrendis inustus à Procopio, opere in illo quod ἀνέκδοτον, *quasi suppressum dixeris, inscribitur, quod vivente Iustiniano id in vulgus non esset ausus edere. In quo de Iustiniano, Theodora, Belisario quædam stupenda, neque vulgo vel nota vel credita declarat. De Theodora Iustiniani conjuge nemo dissentit, impotentem; avaram, libidinosam fuisse fœminam, imo & hæreticam: utpote ab scenicis artibus & meretricio quæstu ad legitimum matrimonium abductam ob formæ commendationem. Cui plus æquo addictus Iustinianus, in Rempublicam pariter & Ecclesiam multa commisit, & multas leges de rebus Ecclesiasticis sancivit.* Petav. A. C. 528.

Monachi in Oriente deficiunt aut in hæreses prolabuntur: in Occidente instaurantur & propagantur per S. Benedictum, qui prope Cassini montis radices, ubi erat sita villa Marci Varronis, monasterium erexit. *Chron. Cassin.* A. C. 529.

Codex Justiniani per sexdecim eximiæ eruditionis viros delectos hoc anno jussu Justiniani elaboratus est, & præcipuè in id opus insudante Triboniano Ethnico, sed jurisconsultissimo, quem ducem operis appellabat Justinianus, *qui avaritiæ morbum amplitudine doctrinæ solertissimè occultabat,* Suidas. Procop. An. C. 533; Pandectæ & institutiones sunt absolutæ: an. 534, codex emendatus & priore abrogato, editus est, qui hodie est in usu: postremò editæ sunt constitutiones aliquot, quas vocant novellas. *Gifanius in Institut.*

Justinianus Triboniano & cæteris jurisconsultis mandat, ut veterum jurisperitorum decreta ex immensis eorum voluminibus secer-

nant, eaque ordine ad intelligendum & utendum accommodato digerant,& in certos libros & titulos ita totum jus antiquum per mille & ducentos ferè annos diffusum contrahant. Atque hoc modo Institutiones juris & Digesta legum confecerunt: sed dum nimium brevitati student, obscurarunt illas leges, & quæ lites decidere debebant, materiam litis sæpe præbent. *Sigonius.*

Et tamen de legum multitudine non parum conqueritur Lipsius. Amelii vetus querela, inquit, an scomma fuit? *Iurisprudentiam multorum camelorum onus esse.* Quid nunc dicam? Elephantos ab India adde, vix ferent. Atqui Platonis oraculum auribus meis insonat: *quod ubi leges multa ibi & lites multæ & vita moresque pravi.* Audi & scrutare. Verè oraculum est, & de multitudine litium nostra Belgica, vicina Gallia & Italia dicent. Quomodò autem non & mores pravi? Nam primum concordia tollitur, odia aperta aut occulta in animis gignuntur; adde fraudes, insidias & studium vincendi quovis nexu ac supplantandi. *Non enim*,ut Celsus verissimè scripsit, *bona conscientia, sed victoria litigantium est præmium.* Lipsius cent. miscell. ep. 78. de legibus.

A. C. 530. Felix Papa moritur, succedit Bonifacius, prosapiâ Gothus, contra quem in schismate eligitur Dioscorus.

In tomo Conciliorum primo sub finem invenitur epistola ad Eulalium Episcopum Alexandrinum tributa huic Bonifacio, & professio fidei nomine Iustini Imperatoris edita, quas supposititias esse candidè testatur Baronius, his inter cætera verbis: *Eant procul à fidelium cœtu, qui in Ecclesiam non habentem maculam neque rugam ejusmodi conantur inferre quisquilias, longèque longius exulent à Catholico orbe, qui, quæ corruere videntur, mendaciis suffulcire nituntur* &c. Utinam ab ea labe omninò immunis esset vir illustrissimus! sed hoc judicet candidus & rerum antiquarum peritus lector.

Hoc anno habita est Arausicana synodus secunda in Galliis, cui Cęsarius Episcopus Arelatensis præfuit, quæ Catholicam de gratia doctrinam à non Catholica discrevit, partim contra Pelagianos & Semipelagianos seu Massilienses, partim verò adversus Prædestinatianos. Plurimi hujus synodi canones cum Africanis conveniunt, transmissi ad hujus synodi Patres, ut ipsi fatentur, à sede Apostolica, &

cum

cum antiquis patribus collati. Quidam cõtra Pelagianos, qui omnem Dei gratiam rejiciebant, & liberi arbitrii merito omnia tribuebant: Quidam verò sunt contra Semipelagianos, qui initium salutis seu boni operis homini deferebant; & coöperationem divinæ esse gratiæ statuebant; de quorum dogmatibus antehâc fusius egimus. Canone vero 25. hæc invenies contra Prædestinatianos. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati, Christo auxiliante & coöperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divinâ potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sint, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illis anathema dicimus. Hoc etiam salubriter profitemur & credimus* (cõtra Semipelagianos) *quod in omni opere bono nõ nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur: sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum, cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sunt placita implere possimus.* Vide Tomos Conciliorum *Binii* & alios.

Bonifacius convocatâ synodo voluit omnes excommunicare qui Dioscoro Antipapæ adhæserant, sed cum ingens eorum multitudo esset, totus clerus intercessit. Idem in eadem synodo elegit sibi successorem Vigilium contra Canones, idque subscriptione Cleri confirmatum fuit, ut hoc modo jus, quod sibi Gothi sumebant in eligendo Pontifice, eluderet. At Senatores Urbis & alii sese huic decreto opponunt, & convocatâ synodò caussam disceptant, concluduntque Papam hac in re errasse. Ideo Bonifacius suam sententiam revocavit, & suum chirographum ipse conbussit. *Liber pont.*

Bonifacius Papa moritur, sed propter ambitum & contentionem competitorum hoc anno successorem non habuit. *lib. pont.* A. C. 531.

Bonifacio succedit Joannes II. ipsis Calen. sequentis anni quo tempore invaluit labes Simoniaca, de qua conqueritur ad Regem Athalaricum Joannes. *lib. pont.*

Incredibilis Constantinopoli adversus Imperatorem commota est seditio per Nepotes Anastasii Imperatoris. Justinianus cum de fuga cogitasset, hortatu Theodoræ palatium muniit, ac brevi Belisarii & Narsetis operâ factiosos repressit, occisis uno die hominum 30000. *Theoph. Procop.*

 Franci

Franci devictâ Burgundiâ, superatis Gothis, in Italiam & Hispaniam irruperunt, & tandem obtinuerunt quidquid in Galliis Gothi possederant.

A. C. 531. Origenistæ redivivi emergunt.

A. C. 533. Mittit legationem ad Joannem Papam Justinianus cum hac quæstione, quam moverant Scythæ Monachi Constantinopolitani; utrum dicere liceret unum de Trinitate passum. Hormisda responsum diu distulerat, jam toto anni spatio & summo studio interim curatum est quid discerneretur. Tandem Anatolius Romanæ Ecclesiæ Diaconus Ferrandum Diaconum Carthaginensem discipulum S. Fulgentii consulit: is respondet rectè dici *unum de Trinitate passum, sed securius addi, in carne.* Baron.

A. C. 534. Baronius acriter perstringit Hotomannum jurisconsultum negantem epistolas Iustiniani ad Ioannem & Ioannis ad Iustinianum esse germanas: quod tamen affirmare dicit Alciatum & Cujacium jurisconsultissimos, sed videamus utrum ex iis, quamvis genuinis, & è novellis Iustiniani ille primatus, illa monarchia Episcopi Romani, quam statuit vir Illustriss. probari possit.

Cod. l. 1. t. 1. de summa Trinitate hæc est epistola Iustiniani *ad Ioannem sanctißimum Archiepiscopum almæ urbis Romæ & Patriarcham: Reddentes honorem Apostolicæ sedi*, &c. *Nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum & indubitatum sit quod movetur, ut non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ caput est omnium Ecclesiarum &c.*

Ibidem est ejusdem Iustianiani epistola ad *Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum cum hac inscriptione: Sanctißimo & beatißimo Archiepiscopo regiæ urbis & œcumenico Patriarchæ*:

Volentes ut sanctitas vestra cognoscat omnes res ad statum Ecclesiasticorum pertinentes, &c. *nec patimur ut quidquid eorum, quæ ad Ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad ejusdem* (Episcopi Romani) *referatur beatitudinem, cum ea sit caput omnium sanctißimorum Dei sacerdotum*, &c.

Epistola Ioannis ibidem ad Imperatorem Iustinianum hæc habet: *Quam*, Romanam sedem, *esse omnium verè Ecclesiarum caput, & patrum regulæ, & Principum statuta declarant, & pietatis vestræ reverendißimi testantur affatus*, &c. Impe-

Imperator Iustinianus similibus, & Romanum & Constantinopolitanum ornat titulis, illum appellat Ecclesiarum caput, hunc patriarcham œcumenicum. IoannesPapa Ecclesiam Romanam vocat caput Ecclesiarum, jure canonum & statutis principum: & verè: idque propter dignitatem & amplitudinem Urbis: sic eodem jure canonum & statutis principum secunda à Romana Ecclesia est Constantinopolitana.

Baronius suam de primatu Papæ opinionem confirmat per novellas ipsius Iustiniani. Novella constitutio ejusdem hæc est:

Iustinianus Imperator Ioanni viro beatißimo & sanctißimo, Archiepiscopo, & patriarchæ veteris Romæ:

Vt legum originem anterior Roma sortita est, ita & summi Pontificatus apicem apud eam esse, nemo est qui dubitet. Vnde & nos necessarium duximus patriam legum, fontem sacerdotii, speciali nostri numinis lege illustrare, &c. Novella constitutio 42. sic loquitur.

Iustinianus Imperator Menniæ beatißimo & sanctißimo Archiepiscopo & universali patriarchæ;

Quoties Sacerdotum sententia quosdam indignos sacerdotio deposuit toties Imperium ejusdem sententia cum sacerdotum auctoritate fuit. Sicque divina & humana pariter concurrentia unam consonantiam rectis sententiis fecerunt. Quemadmodum & nuper factum esse circa Anthimum scimus; qui quidem dejectus est de sede hujus regiæ urbis à sancta memoria Agapeto, sanctißima Ecclesiæ antiqua Roma Episcopo: eò quod nullo modo sibi ipsi convenienti (contra omnes Sacros Canones) se intruserat sedi: sed & communi sententiâ ipsius S. memoria viri primum, atque etiam sacræ synodi hic celebratæ condemnatus & depositus fuit eò quod à rectis dogmatibus recessit, &c. *Custodiat itaque beatitudo tua quæ rectè adnotata, & mittat ipsa per suas litteras omnibus metropolitis* (nota) *sub ipsa existentibus; quorum cuilibet cura erit, ipsa manifesta facere Ecclesiis sub ipsa ordinatis, ut,* &c.

Ex hac novella elicit Baronius, quod Agapetus deposuerit Anthimum, cum id factum ab Agapeto auctoritate Justiniani, ut jam pridem à Theophilo Alexandrino S. Chrysostomus per suum conciliabulum auctoritate Arcadii, & Augustæ: quod nihil juris infert; cum potius secundum veritatem dicendum sit, *Anthimum*

damna-

damnatum communi sententiâ Agapeti & Synodi celebrata Constantinopoli, quia se intruserat sedi, ut habet liber Pontific.

Novella constitutio 131. cap. 1. de quatuor sanctis Conciliis.

Sancimus igitur vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à sanctis quatuor Conciliis exposita sunt & firmata: id est, in Niceno 318. in quo Arrius: in Constantinopolitano 153, sanctorum Patrum, in quo Macedonius, in Ephesino primo, in quo Nestorius est damnatus: in Chalcedonensi, in quo Eutyches, cum Dioscoro anathematizatus est. *Prædictarum enim quatuor synodorum dogmata, sicut sanctas scripturas accipimus, & regulas sicut leges observamus.* Ergo & observandi Concilii Nicæni canones 4. 5. 6. Constantinopolitani canon 2. & 3. Ephesini canon ultimus, Chalcedonensis canon 17. & 28.

Eadem Novella capite 2. agit *de Patriacharum ordine sedendi.*

Ideoque sancimus secundum earum definitiones sanctißimum senioris Romæ Papam, primum esse omnium sacerdotum: Beatißimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos novæ Romæ secundum habere locum, post sanctam Apostolicam senioris Romæ sedem, aliis autem sedibus præponatur, &c.

Hic suam explicat mentem Justinianus, dum Episcopo Romano primũ tribuit dignitatis in sedendo locum, secundum supra reliquos Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum, Constantinopolitano, idq; secundum urbium dignitates civiles & conciliorum decreta. Sed ex eo nulla sequitur jurisdictionis accretio aut in collegas, & comministros, ut loquuntur, dominatio, quia aliquis est ordine prior: nam ille ordo, necessariò in omni cætu aut collegio observandus est ut, unusquisq; sciat, quo loco sedere & subscribere debeat. Examinemus epistolas & novellas Justiniani, & videbimus Romanum & Constantinopolitanum Episcopos titulis & honore apud Justinianum pares, in eo tantũ differentes, quod alter altero sit ordine & dignitate prior, quemadmodum præses in collegio: Et ponamus titulos Episcopi Romani esse excellentiores, ut etiam esse debent, sed *tituli non semper ex meritis*, ut loquitur Baronius an. C. 260. §. 22. *sed ex consuetudine dari solent. Paulus Apostolus Felicem, nefarium hominem præfecturam gerentem vocat optimum; sic à Dionysio Alexandrino Valerianus & Gallienus Imperatores Ethnici sanctißimi appellantur: Theodoricus Rex Arrianum*

rianus à synodo piissimus & sanctus dicitur, Et idem an. C. 451. pag. 148. *Contra Canones nihil pragmaticum valebit. Regulæ patrum teneant, id est secundum Canones & non secundum leges Imperatorum ecclesiastica sint judicia.* Ambidexter est Vir magnus. Iam utitur armis Imperatoriis pro Episcopo Romano, ut anno C. 445. pro Leone M. rescripto Valentiniani III. & an. C. 606. Imperatoris Phocæ edicto pro primatu Bonifacii, & alibi, ut vides loco citato, non admittit leges Imperatorum, sed tantum regulas & Canones Patrum. sed ut, quod verum est, dicamus, Episcopus Romanus semper fuit magnæ in Ecclesiâ auctoritatis, primus & caput fuit omnium sacerdotum, sed sine imperio in collegas: idque ex dignitate & majestate Urbis, decretis synodicis confirmantibus τὰ ἀρχαῖα ἔθη, antiquam consuetudinem, & concessionibus imperialibus, ut diximus: sed ubi destituta fuit suis Imperatoribus Roma, & Episcopi Romani desierunt esse martyres, quidam eorum voluerunt esse Imperatores.

Iustinianus pro suâ humanitate & modestiâ scribit se nolle pati, ut in rebus Ecclesiasticis quicquam sine Papæ cognitione agatur; sed tamen contrarium ab eo crebrò fieri videbis, ut & ante eum à multis aliis factum, & præcipuè à magno illo Theodosio, Imperatorum Christianorum optimo in Concilio Constantinopolitano &c. an. C. 380. Obiter addam quid in rebus Ecclesiasticis egerit inter cætera Iustinianus: Novella 9. erigit Imperator Iustinianam primam in novum Patriarchatum, *ipsique indulget*, sunt verba Novellæ, *summum sacerdotium, summum fastigium*: sancitque novellâ 131. cap. 3. *ea uti haberet locum Apostolicæ sedis; adeò ut esset*, inquit Nicephorus, *Ecclesia libera, & sibi ipsi caput cum plenâ potestate.* Ita & eâdem imperiali auctoritate idem Iustinianus novellâ 131. cap. 4. diœcesin Africanam restituit in veterem suam prærogativam (quam Vandalorum irruptio interruperat) adeòque rescripto Imperiali Episcopum Carthaginensem absolutum totius Africæ primatem constituit: imò & ibidem in Novellis idem Imperator disponit de rebus Archiepiscoporum, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum, & reliquorum Clericorum; item de Abbatibus, Monachis & monasteriis, &c.

In quibus, tanquam ſuo jure, ſtatuit, definit, mandat, nec unquam eâ de cauſſâ fuit reprehenſus, etiamſi has leges etiam ſine Concilio Eccleſiæ dederit.

Pace cum Perſis factâ, revocatus Belliſarius, in Africâ contra Vandalos bellum parat, inchoatum an. 533. terminatum an. 535. Gilimer occiſo Hilderico, Hunnerici & Eudoxiæ Valentiniano tertio genitæ, filio, Vandalis regnabat: Carthaginem Belliſarius exitu anni 533. cepit. Hoc autem anno Gilimerem totâ obſeſſum hieme in poteſtatem recepit, & Conſtantinopolim abduxit ad Iuſtinianum: quo facto affectatæ in Africâ tyrannidis calumniam abſterſit; tum ingens decus eſt conſecutus, repræſentatâ longo intervallo veterum triumphorum ſpecie: quorum ille ritu & apparatu, nisi quod pedes ambulabat, captivis ante ſe traductis, inque his Gilimere ipſo, ad Iuſtinianum in Hippodromum perrexit, quem adorare coäctus eſt Gilimer, cum illud identidem clamaret; *Vanitas vanitatum* &c. *Petavius.*

Procop. bell. Vandal. l. 2. Marcellin.

Theodorico rege mortuo anno 526. Gothis regnavit Athalaricus, Amalaſunthæ Theodorico genitæ & Eutharici ex Amalorum ſtirpe filius, ſub matris tutelâ, qui octavo anno regni deceſſit, Chriſti 534. Amalaſuntha Gothos verita, ſceptrum in Theodatum tranſtulit, Amalaphridæ Theodorici ſororis filium, qui præter ſpem evectus, homo pecuniæ appetens & ignavus, bene de ſe meritam & egregiam fœminam occidit. Quod agente Theodorâ Iuſtiniani conjuge perpetratum eſſe teſtis eſt Procopius; cum ne Juſtinianus eam ſibi præferret illa vereretur. Hujus nece graviter commotus Imperator, & ad recuperandam alioquin Italiam Africanæ expeditionis ſucceſſu admonitus, victorem exercitum ac ducem Beliſarium contra Gothos mittit an. C. 535.

Procop. in anecd.

A. C. 535. Ioannes Papa moritur, ſuccedit Agapetus.

Iuſtinianus multas leges Eccleſiaſticas præſcribit. *Novell.* 3. 5. 6. 8. &c. & mittit ad Agapetum ſuæ fidei confeſſionem à Ioanne roboratam, quam amplectitur etiam Agapetus, & ſummoperè probat Agatho Papa Romanus ſynodo 6. act. 4.

Moritur Epiphanius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ſuccedit Anthimus operâ Theodoræ. De Epiphanio, more ſolito, ſic Baronius:

nius: *Quod autem in epistolâ Agapeti ad Iustinianum querela est adversus Epiphanium de illegitimâ ab eo ordinatione præsumptâ, & aliis quibusdam perperam factis, haud impunè intentatum scias: nam quam citissimè Deus ultus est, quod idem Episcopus in Canones deliquisset, & quidem severè, cum ipsum ex hac vitâ præripuit.*

Agapetus Papa Romanus, legatus Theodati Gothorum Regis ad Iustinianum, venit Constantinopolim, quem quam humanissimè excepit Iustinianus. 1. Quia Legatus erat Theodati Regis, non subditus Imperatoris, ut ante annos 60. 2. Quia erat primæ sedis totius Romani orbis Episcopus. 3. Quia erat quasi arbiter Iustinianum inter & Theodatum. Cui cum bellum propter cædem Amalasunthæ ab Imperatore esset indictum, debuit effusâ benignitate Agapetum sibi devincire, & cum eo urbem Romam, quæ pars magna erat istius regni. Oraverat præcedente anno lugubri & miserandâ epistolâ tanquam libello supplice ad hoc bellum Iustinianum Agapetus contra Theodatum, quod completum an. C. 537. Vide Procopium de bello Gothico lib. 1. qui narrat Agapetum in legatione suâ invenisse Imperatorem valde difficilem. Faciliorem eum habuit Papa Romanus in exauctorando Anthimo Episcopo Constantinopolitano, quem, cum Eutychis hæreseos accusatus esset, ex illâ sede dejectum, omni sacerdotio privavit, ejusque loco Mennam favore principis, & convocatâ synodo, constituit; eodem modo, ut instigante Arcadio & Eudoxiâ Chrysostomum Constantinopolitanum quamvis Orthodoxum, Theophilus Alexandrinus, ut sæpe diximus: nec tamen eâ de caussâ primatum sibi asscripsit Theophilus. Vide concilii Constantinopolitani secundi actionem quartam, & Novellam Justiniani 42. Agapetus paulò post moritur Constantinopoli. A. C. 536.

Posset quispiam, qui hariolationibus delectaretur, verba Baronii, in morte Epiphanii Episcopi Constantinopolitani paulò ante citata, jam propter mortem tam subitam retorquere In Agapetum: *haud impune*, inquit, *intentatum scias: nam citissimè Deus ultus est, quod idem Episcopus in Canones deliquisset, & quidem severè, cum ipsum ex hac vitâ præripuit.* Addere quis posset, quia mortuus est tam subitò Agapetus, Arriani & ignavi Regis, qui summâ injuriâ Reginam occiderat,

rat, legatus; extra patriam, quasi exsul, rejectis pacis, quas attulerat, conditionibus, cum parvâ sui existimatione & dedecore sedis Apostolicæ, & urbis Romæ. sed linquamus nugas.

Agapeto mortuo Theodatus corruptus pecuniâ, Silverium, Hormisdæ Papæ Romani filium, vi Episcopum Romanum creavit. *Anastasius.*

Menna Constantinopoli synodum ex vicinioribus Episcopis, & iis qui Constantinopoli morabantur, celebrat, in quâ cum Anthimo Severus aliique damnati sunt hæretici, & edicto Justiniani relegati, incendio addictis eorum libris, haud verò librorum auctoribus. *Tom. Conc.* 2. vide in eâdem synodo atrocem & acerbam excommunicationem adversus Anthimum &c.

A. C. 537. Bellandi cum Gothis initium sumpsit Belisarius in Siciliâ, quam anno præcedenti cum Syracusis occupavit; Hoc anno, primò capit Neapolim in Italiâ, secundò Romam, quæ se Belisario, Silverio Romano Episcopo id suadente, dedit, Gothis Ravennam abeuntibus. *Procopius.*

A. C. 538. Vitiges Rex Theodato occiso, à Gothis electus, Romanis fortiter resistit, & revocatis è Gallia Gothis magno cum exercitu Romam obsidet annum integrum, sed à Belisario obsidione liberatur. *Proc.*

Silverius Papa arte Theodoræ accusatur de scriptis ad Regem Gothorum litteris de prodendâ Urbe. Interim Theodora Augusta clam cum Vigilio Diacono, Romano Silverii Constantinopoli legato, pacta de Anthimo restituendo, Silverium Simoniacum à Belisario in exilium mitti, ac pro eo Simoniacum Vigilium creari curat Episcopum Romanum. Biennio post, postquam Silverius Vigilio anathema dixisset, illo in insulâ Palmeriâ ærumnis & inediâ necato, legitimis comitiis Pontificatum accipit Vigilius. Sic pellitur & moritur operâ Vigilii Silverius, intruditur vi per Simoniam Vigilius, nam promiserat Augustæ duo auri centenaria, *hæresi Eutychianâ inquinatus.* Liberatus, Onuphrius. De Vigilio sic Baronius: *Quid reliquum potuit esse salis infatuati, nisi ut calcaretur ab omnibus, & projiceretur in hæresum sterquilinium? Putorem namque contraxit hæreticæ pravitatis, ex consuetudine initâ cum hæreti-*

reticis. En in quod barathrum infelicem hominem conjecit ambitio! in quantam eum insaniam & infamiam adegit gloria vana cupido! cujus caussâ cogatur & in ipso portu pati naufragium, in petra petra scandalum esse, atque in sede videri mobilem, & in fide infidelem haberi. & paulò post: *Ita planè pondere scelerum prægravatus, dum sursum ascendere meditatur, deorsum unà cum iis, & ab iis qui in cœlo principatum superbè appetiêre, demergitur, eadem cum illis consilia mente volvens: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti* &c. *& similis ero Altissimo.* Et paulò post: *Vigilius schismaticus, alienæ sedis emptor & invasor, non mirum si perditus homo ad schisma addiderit hæresin, cathedram contra cathedram erigens, lupus gregem invadens, fur & latro non per ostium in ovile conscendens, pseudo-episcopus, ac denique Antichristus contra Christum jure potuit appellari,* &c. Vide ibidem plura in Vigilium Baronii fulmina. *interim tamen quæ essent Pontificii muneris exsequi minimè prætermisit,* ut idem ait. Vide in epistola Vigilii, si ea est Vigilii, hæc verba; quæ etiam inveniuntur in epistola decretali Anacleti tertia, sed supposititia: *Quoniam licet omnium Apostolorum par esset electio, beato tamen Petro concessum est, ut cæteris præemineret: unde & Cephas vocatur, quia caput est & principium omnium Apostolorum,* sed κεφαλὴ, caput Græcè significat, κηφᾶς autem Syriacè Petra est. fortasse hæc vidit Vigilius apud Optatum lib. 2. contra Parmen: *Apostolorum caput Petrus unde & Cephas dictus est.* Eundem errorem errant Baronius & Bellarminus. Imò & Innocentius III. lib. Mysteriorum 1. cap. 8. magnum in eo mysterium invenit. *Licet*, inquit, *Cephas secundum unam linguam interpretetur* Petrus, *secundum alteram tamen exponitur* caput. *Nam sicut caput habet plenitudinem sensus, catera vero membra partem recipiunt plenitudinis; ita cæteri sacerdotes vocantur in partem plenitudinis: sed summus Pontifex assumptus est in plenitudinem potestatis.* Vide soliditatem istius argumenti apud Ioannem 1. 43. *Tu es Simon, filius Iona,* inquit Christus, *tu vocaberis Cephas, quod sonat si interpreteris lapis.* Græcè πέτρος. *Ignoscimus quidem hunc errorem Optato, si illa Optati verba sunt, homini Africano, Hebraica, Syriaca & Graca lingua ignaro, sed de Ecclesiâ Dei bene merito,* inquit Casaubonus exerc. 13. cap. 18.

 Orien-

Origines post 250 à morte annos, & plures alii, jam diu extincti à Menna & Pelagio diacono, Episcopi Romani Apocrisario, in Concilio paucorum Episcoporum damnantur, & contra eos prolixa & acerba Imperatoris exstat constitutio. Vide Epistolam Pontiani Episcopi Africani ad Justinianum Imperatorem de non damnandis mortuis: ***Errores possumus respuere, non auctores jam mortuos præcipiti condemnatione damnare, ut ne dum quæris damnare jam mortuos, multos inobedientes interficias vivos, & exinde compellaris reddere rationem ei, qui venturus est judicare vivos & mortuos.*** Baron. an. C. 546. præsertim cum plenum sit o[illegible] & acerbitatis, defunctos in jus vocare & damnare. Non sapiunt ista lenitatem Christi.

A. C. 539. Roma à Vitige obsidetur integrum annum, Græcorum & Gothorum armis Italia depopulatur, penuriâ & peste consumitur. Tanta fames erat, ut alterni se esitarent, ut duæ fœminæ 17. viros interfectos absumpserint, ut pleræque matres infelicium natorum comederent membra; tanta mortalitas, ut insepulti passim manerent, &c. ***Procop. l. 2. de bell. Goth.***

A. C. 540. ***Grandi miraculo convertitur Vigilius Episcopus Romanus, & Pontifex cœpit esse germanus; ut secundum vetus proverbium illud, num & Saul inter Prophetas? acciderit*** &c. ***mutatus mirâ transformatione, ex hoste in defensorem, ex persecutore in prædicatorem, ex blasphemo in confessorem, atque demum in omnibus ex perfido in fidelem,*** &c. Baronius.

Mos ille antiquus notandi annos per consulatus à Justiniano hoc anno antiquatus est: duravit annos 1047.

Ravennâ cum Vitige ipso ejusque conjuge redactis in potestatem Iustiniani Imperatoris, ac delato sibi à Gothis repudiato regno, Bellisarius anno belli quinto desinente revocatur ad bellum Persicum, ac Vitigem ad Iustinianum adducit. Theodebaldus aut Ildibaldus à reliquis Gothis Rex creatur; & post eum Eraricus. ***Procop.***

A. C. 541. Multæ & magnæ virtutes ornarunt Belisarium, sed hoc præcipuè mirabantur omnes, quod Constantinopolim adduxerit Gilimerem & Vitigem Reges, & simul cum regibus Vandalorum & Gothorum, Genserici Theodoricique ingentes opes, imo & spolia ac vasa, quæ quondam à Tito Vespasiani filio Hierosolymitanis erepta erant, & à Genserico in Africam transportata; quæ Iustinianus jam Hiero-

Hierosolymam referri jusserat. *Procop. & Evagrius.*

Adad Æthiopum rex bellum gerit cum *Omeritarum* rege: quod cum difficile & periculosum esset, vovit, si vinceret hostes, se Christianam religionem amplexurum. Voti reus mittit ad Iustinianum legatos, impetratque ab eo Episcopos, qui primi Christianismum in Æthiopiâ publicarunt. *Cedrenus.* Hinc patet Æthiopes de antiquitate Christianismi apud se frustra de Philippo ac Candaces reginæ Eunucho auctoribus gloriari. *Calvisius.*

Iustinianus Imperator multas condit leges Ecclesiasticas, quarum observationem commendat Præfectis provinciarum, à præfectis autem provocari vult ad Imperatorem.

Totilas, peremptis præcedentibus Regibus, eligitur Gothorum rex, Theodobaldi erat consobrinus vir acer & prudens & multis principe dignis ornatus virtutibus. Hic collapsam in Italiâ rem Gothicam non minus æquitate ac moderatione quam fortitudine bellicâ restituit: fusis sæpius Romanis, Romam ipsam an. C. 546. recipit, quam sequenti anno Belisarius iterum ex Oriente missus in Italiam occupat: eademque biennio post à Totila est recuperata. Procop. A. C. 541.

Totilas Campaniam, Calabriam, Apuliam, Beneventum, Neapolim &c. sibi subjicit. A. C. 543.

Admiranda pestis in Oriente grassata est. *Procop. de bello Persico & Evagr. lib. 4. cap.* 28. A. C. 544.

Tibur, Spoletum, Perusium Totilas capit. A. C. 545.

Justinianus Imperator promulgat edictum adversus tria capitula sacrosancti Concilii Chalcedonensis, ex sententiâ Theodori Archiepiscopi Cæsareæ Cappadociæ, qui in odium Pelagii, cujus operâ damnatus fuerat Origenes cum suis erroribus, Imperatori suggessit de Theodoro Mopsvesteno, cum epistolâ Ibæ, & scriptis Theodoreti adversus duodecim Cyrilli capitula. *Baronius.* Dissensionum hoc locuples seminarium in maximam Ecclesiæ perniciem hæsit inter ipsos Catholicos. Orthodoxi quidem damnationem horum capitulorum non negassent, si actum fuisset tantum de doctrinâ in horum scriptis damnandâ, & non de personis etiam damnandis, qui tamen ipsi hanc suam sententiam damnaverant, & eâ relictâ ad Orthodoxos accesserant; & simul hæc damnatio videbatur cedere in præjudicium synodi Chalcedonensis. *Calvisius.* A. C. 546.

Histo-

vit Constantinopolim, ac diu tergiversantem & frustra silentium hujus controversiæ suadentem in suam pertraxit sententiam. Nam sequenti anno decretum edidit quod Judicatum *dicitur, in quo salvâ synodi Calchedonensis reverentiâ, tria ista Capitula damnavit* Petavius.

Hinc dirum schisma & magnus contra Vigilium obortus tumultus & Clerici plurimi à Vigilio deficiunt, his contra, illis pro damnatione trium Capitulorum pugnantibus. Sic maximo Ecclesiæ detrimento, ubi rixæ & contentiones ortæ, decertantibus inter se Orthodoxis, enormi schismate scissis, totum hoc seculum redditur infelicissimum. Baronius. A. C. 548.

Nota. hoc bello Gothico Belisarius an. 538 Romam capit. an. 540 eandem à Vitige obsessam liberat. an. 547, eam Totilas recipit, quam sequente anno recuperat Belisarius, & ob invidiam aliorum Constantinopolim redit: Biennio post eam recuperat Totilas, quam denuò Narses, victo Totilâ, cum omni Italia sibi subjicit. an. C. 553. A. C. 549.

Interim totius Occidentis Barbari potiuntur, & dum dogmata Christianorum componere Iustinianus conatur, universum perit Imperium. Et hoc evenit, inquit Baronius *dum laborat leges sacras præscribere sacerdotibus, à quibus accipere debuisset.* Unde vides, quare Justiniano non tam æquus fuerit quam Justino, *Vir illustriss.* *Procop. de bell. Goth. lib. 3.*

Totilas denuò Romam occupat, consilio seu proposito Urbem desolatam & habitatoribus privatam relinquendi. *Interim Iustinianus exagitatus prurigine certandi contra mortuos, vivos sui imperii subditos negligit. Horrendum planè spectaculum, Catholicis adversus Catholicos confligentibus, & ipsis Romanæ Ecclesiæ clericis adversus Romanum Antistitem rebellantibus.* Baronius. A. C. 550. *Procop. &c.*

Iustinianus contra sacros Canones decretaque Patrum, in contumeliam Antistitis primæ sedis, contra tria Capitula, publicè appendi jussit edictum, mandans satellitibus suis, nimium oblitus sui, agitatus à satana, ut in ipsum Vigilium manus injiciant: qui fugit in Ecclesiam S. Petri. Zoilus Episcopus Alexandrinus, quod penitus illa Capitula damnare renuisset, sua sede privatur, subrogato alio. Hæc agebat Imperator instinctu Theodori Episcopi Cæsareæ, qui ex Monacho præceps Origenista. Baronius. A. C. 551.

Instante Iustiniano, ut absolutè & sine ulla synodi mentione damnationẽ trium Capitulorum conciperet Vigilius abnuit, & adversus minas & contumelias invicto animo perstitit. Petavius. *Sic à legũ conditore leges concul-*

 cantur,

cantur, & sic justitia à Iustiniano exulat. Sic analphabetus Imperator repente factus est palliatus Theologus; sic de dogmatibus acutissime disputare didicit, qui nunquam legere scivit, non ipsum foris inscriptum titulum sacrorum bibliorum. Baronius. Sed errat vir magnus, is enim erat Justinus, Justiniani avunculus, ut antea diximus.

Vigilius dum moratur Constantinopoli, Clericos suos desertores, Rusticum, Sebastianum &c. Orientales, Theodorum Episcopum Cæsariensem & Mennam Constantinopolitanum &c. censurâ suâ condemnat & excommunicat.

A. C. 552. Vigilius alapa in faciem percussus relictâ Ecclesiâ S. Petri fugit cum suis in sanctæ Euphemiæ Calchedonem. Miserandus totius Ecclesię status, Catholicis inter se in qualibet civitate pugnantibus.

Mennas Episcopus Constantinopolitanus moritur succedit in ejus locum Eutyhius.

A. C. 553. Narses in Italiâ Gothos superat, & ipsum ducem Totilam bellicosissimum, universo cum eo exercitu trucidato & Urbe potitus, totam pene Italiam subegit. Gothi Tejam Gothorum fortissimum Regem eligunt; quo brevi post in prælio cæso exeunte belli anno 18. Christi 553. cum Gothis debellatum est. *Procop.*

Procop. de bell. Goth. lib. 3.

Iustinianus ut controversia de tribus capitulis modum poneret, & turbas Origenistarum sedaret, generale concilium indixit, quod quintum ordine celebratum est Constantinopoli, reclamante Vigilio, qui trium capitulorum patrocinium resumpsit, & concilium in Occidente haberi maluisset. Eadem nihilominus à quinta synodo damnata sunt, ad sententiam Iustiniani, & Origines ante trecentos prope annos defunctus anathemati subjectus una cum Didymo & Evagrio. Evagrius lib. 4. c. 37.

Concilium quintum.

A. C. 554. Cum vero Vigilius semel atque iterum à Concilio vocatus non veniret, & illius decreto subscribere nollet, à patribus condemnatus, & à Justiniano in exilium ejectus est. quare Baronius dicit in hac synodo Spiritum Dei non præsedisse, imo membra fuisse sine capite, & ne particularem posse dici synodum, nedum οἰκȣμενικήν.

Clerus Romanus cum Narses Romæ esset, eum rogat ut apud Imperatorem intercedere velit pro Vigilio ut Romam remitteretur: Justinianus non improbat restitutionem, si tria illa Capitula

damnare velit. Vigilius, ut ab exilio liberaretur, improbat illud scriptum quod priori anno contra condemnationem trium Capitulorum obtulerat & subscribit condemnationi, atque ita Narsetis operâ revocatus *ab exilio, dum Romam revertitur, in Sicilia calculi morbo periit: huic successit Pelagius promotione Imperatoris per Narsetem, qui necis allata Vigilio suspicionem publico super Euangeliis & cruce jurejurando discußit.* Petavius ex diversis.

Cæterum ipsâ synodo absolutâ tantum abest ut pax reddita sit Ecclesiis, ut majus bellum exarserit, intestinaque discordia magis sævierit, Orthodoxis inter se altercantibus de damnosa, & fortè nugatoria quæstione, non tam de fide, quam de personis motâ. *Hoc eodem anno concutitur terramotu Constantinopolis dies* 40, *sed commotio illa Ecclesiam agitavit ad plurimorum annorum spatia.* Baron.

Concilio huic interfuerunt Eutychius Constantinopolitanus, Apollinaris Alexandr. Præsides cum Episcopis 165. *Vigilius per literas consensit Concilio, non tamen interesse voluit*, Evagr. l. 4. c. 37. Zonaras, Cedrenus.

Vigilius etiamsi scripto interveniente Eutychio consentiret, aßidere tamen illi in synodo noluit sed altiori collocari throno. Itaque consessu abstinuit: prodito nimis arrogantia spiritu, qui quidem nimium jam Romanos præsules ceperat agitare, ut inquit Nicephorus.

Pelagius à Justiniano nominatus, & per Narsetem ad Episcopatum promotus, quintam synodum Constantinopolitanam recipit. A. C. 555.

Franci magno exercitu usque ad Capuam deveniunt, universam vastantes Italiam, ubi à Narsete ad internecionem ceduntur. *Agathius lib.* 2. *Agathius lib.* 2.

Bellum Ecclesiasticum in Occidente contra Pelagium quintam synodum approbantem viget, ita ut Episcopus non inveniretur, (quod crederetur Vigilium veneno sustulisse) qui eum consecraret atque opus fuerit presbyterum Ostiensem (quod nunquam antea accidit) loco Episcopi munus illud obire, ipso Pelagio id jubente. *Lib. Pontif.* A. C. 556.

Terræmotus, tremor, bellum, pestis Constantinopolim vexant, & tantus Romæ fuit terræmotus, ut is Urbem plus vastaverit quam ulli hostes. *Agathias.* A. C. 557. & 558.

Pelagius Papa moritur, succedit Ioannes III. A. C. 559.

Belisarius, Romanorum decus, conspirationis in Imperatorem suspectus, ac domo vetitus egredi, paulò post reconciliatus est, omnibus, quæ adempta erant, bonis cum honore restitutis. Quidam eum excæcatum, omnibusque dignitatibus atque divitiis exutum, mendicare stipem fuisse coactum, asserunt, cujus non meminerunt Græci historici, & negat in sua pro Justiniano Apologia *Alciatus.*

A. C. 563. Evagrius lib. 4. c. 38. A. C. 564. *Justinianus fit Gajanita hæreticus, incorruptibilem, & passionum expertem Christi carnem ante resurrectionem statuens: persequitur Orthodoxos, & Eutychium Constantinopolitanum subscribere nolentem pellit, & in insulam relegat. Eutychio succedit Ioannes scholasticus.* Baron.

A. C. 565. Moritur Justinianus extremâ ætate. *Qui cum omnia omnino turbâ ac tumultu complevisset, mercedemque his rebus debitam in extremo vitæ suæ tempore reportasset, ad supplicia, justo Dei judicio, apud inferos luenda profectus est. Hæc Evagrius* inquit Baronius, *suorum temporum rerum gestarum scriptor insignis.* Sed ut verum dicam, ubi etiam per incerta & frivola Evagrius maledicit, Baronio insignis est scriptor: si, quæ Baronio non placent, narrat, ea ex Epiphanio Eutychiano desumpsisse Evagrium dicit &c. & tamen Gregorius Papa *pia memoriæ Iustinianum appellat.* Agatho Papa epistola ad Heraclium & Tiberium sic de Iustiniano: *Et præ omnibus æmulator veræ & Apostolicæ fidei, piæ memoriæ Iustinianus Augustus, cujus fidei rectitudo, quantum pro sincera confessione fidei Deo placuit, tantum Remp. Christianam exaltavit* &c. Et aliâ epistolâ ad eosdem Imperatores Româ ex synodo 125. Episcoporum missâ, ubi Theodosii Magni atque Marciani fidei Catholicæ præstantiam prædicavit, hæc de Justiniano infert, & præfert eundem eisdem: *præstantissimè tamen,* inquit *omnium Magnus ille Iustinianus, cujus & virtus ita & pietas omnia in meliorem ordinem restauravit,* &c. Hæc sunt ex Agathone Pontifice Justiniani præconia, sed Baronius sic pergit: *Sanè quidem,* inquit, *etsi humanæ non sit facultatis divinis interesse judiciis, atque de illo omninò nefas sit judicare, tamen* &c. Abit instar actoris ad Imperatoris vituperium & accusationem, neglecto illo crimine judicandi de Dei judicio, cum ait: *quam autem mortuus ante horrendum majestatis divinæ tribunal sententiam acceperit, etsi non sit hominis*

lib. 2. epist. 10. lib. 3. Synodo 6. act. 4.

minis judicare; opinari tamen si cui licet, facilius est invenire, qui Evagrii de ejus condemnatione velit sequi sententiam, quem jure sciat prærogativâ temporis, cum qua ipse scripsit, inspexerit, historicis reliquis esse præferendum &c. Baronius. Quasi verò Evagrius sententiam à Deo adversus Imperatorem latam audivisset, & Iustinianum ad inferos proficiscentem vidisset. Habuit fortasse Evagrium itineris comitem Iustinianus: non enim decuit Imperatorem solum,

Ire per amplos
Lugentes umbris campos, per opaca viarum,
Per loca senta situ nigro, noctemque profundam.

Iustinianus diversa narratur edidisse scripta, sed Baronius dicit Imperatorem sicut Triboniani leges civiles, ita & Theodori Cæsarii, suo nomine, vulgasse scripta Theologica. Hæc suspicatur de Iustiniano vir illustriss. quia versabatur in errore Suidæ, qui tradidit Iustinianum omnium literarum fuisse ignarum, cum fuerit doctissimus.

Iustiniano imperante serici conficiendi rationem Monachi quidam ex Indiâ profecti Constantinopolitanos docuerunt, ovis inde translatis; cum hactenus non nisi sericum factum è Perside Romani negotiatores adveherent. *Procop.*

Iustiniano mortuo succedit Iustinus junior, Vigilantiæ sororis Iustiniani & Dulcissimi filius, cui uxor Theodoræ Imperatricis neptis.

Iustinus deliciis & mollitie defluxit, in voluptatibus obscænis volutatus, alienæ pecuniæ adcò ardenter appetens, ut sacerdotia plebeis hominibus venalia palam exponeret. Idem cognatum suum cui par ad Imperium jus erat, virum ob res bellicas clarum, fraudulenter miserandum in modum interemit, ut & alios illustres. *Evagrius. lib. 5. cap. 1.* A. C. 566.

Narses in Italiâ subactis Gothis à Romanis propter avaritiam apud Iustinum accusatur. Iustinus in ejus locum mittit Longinum, primum Exarchum, id est, vicarium Præfectum. Augusta Sophia Narseti Eunucho exprobrat ut cum puellis in Gynæceo lanam præpararet: Cui respondet Narses, *se telam ei orditurum, qualem ipsa dum viveret deponere aut detexere non posset.* Ille Neapolim secedit, & Longo- A. C. 567.

 bardos

bardos è Pannomia in Italiam vocat. *Paull. Diac. de gestis Longob. l. 1. c. 5. 6.*

A. C. 568. Longobardi è Scandinavia vel potius è Suevia oriundi, alii eos in Saxonia circa ripam Albis positos fuisse dicunt, è Pannonia in Italiam cum diversis aliis Barbaris gentibus, summa cum immanitate ruunt, Rege Alboino. Idem c. 6.

A. C. 571. Alboinus Rex Longobardorum ab uxore Rosimunda occiditur, succedit Clephis. Idem lib. 2. c. 14.

A. C. 572. & 573. Joannes Papa moritur, & succedit Benedictus. Clephis Rex à servo occiditur, & triginta sex militum duces Italiam partiti, ejus maximam partem sibi subjiciunt, cum summa crudelitate. Erant autem partim Christiani partim Ethnici:qui exspoliatis Ecclesiis, sacerdotibus interfectis, civitatibus subactis, populisque, qui more segetum excreverant; extinctis, Italiam maxima ex parte sibi subjecerunt. *Paull. Diaconus.* Hoc tempore vacantibus quasi omnibus litterarum ludis, rusticitas, immanitas, barbariesque implevit Italiam: nam omnis rerum summa ad paucorum libidinem devoluta erat,colludentibus ducibus; donec infelicem populum usque ad radicem arrosissent. Inter arma silebant leges, artes, disciplinæ & cum religione omnis pietas: furta, cædes, rapinæ, stupra, & omnia immania, vigebant: fabula erat Christus.

A. C. 574. Persæ & Avares Imperium Romanum rursum invadunt, & illi depopulantur Syriam.

A. C. 575. Acceptis his cladibus Imperator Justinus, phrenesi corripitur, dilucidis intervallis ad modicum resipiscens. Sophia Augusta ut ruenti Imperio consuleret, precibus pacem à Rege Persa Chosröe redimit. *Evag.*

A. C. 577. Benedictus Papa moritur succedit Pelagius II. Gothus, inconsulto Imperatore, cum à Longobardis vastaretur Italia, & Roma ab eisdem esset obsessa, & schismate ab Ecclesia Romana separatæ esset multæ Ecclesiæ & Provinciæ ob damnationem trium Capitulorum. Vide totius Ecclesiæ & Italiæ calamitosissima tempora, & orbis decus, in meram barbariem commutatum. *Lib. Pontif. Baronius.* Hic Papa constituit, ut subdiaconi vel uxores à se separarent, vel sacerdotiorum possessione cederent. *Pol. Verg.*

Justi-

Justinus Tiberium sibi collegam adsciscit. *Evagrius lib. 5. c. 13.* A. C. 578.
Aliis Iustinus hoc anno moritur.

Tiberius Chosroën Persarum Regem vincit,& mori cogit. *Evag.* A. C. 579.

Justinus junior (auri melior custos quam Imperii, & melior monitor quam Imperator) moritur, in hæresim Pelagianam lapsus, *Gregorius Turonensis.* Post eum Tiberius solus regnat, genere Thrax: quem historici omnes à lenitate, justitia, munificentia, pietate cæterisque Imperatore dignis virtutibus enixè prædicant. A. C. 582.

Plurimi historici hoc anno imperium Mauritii ordiuntur, ita ut Justino 12 tantum, Mauritio vero 20 annos imperii tribuant & hinc historiæ horum temporum ex hoc Baronii errore plurimum turbatæ sint. *Setbus Calvisius.*

Initio Imperii Tiberius Sophiam occultè sibi parantem insidias, privatam ad sortem redegit. Mauritium virtute & rei militaris scientiâ insignem, magistrum militiæ creat: cujus res contra Persas præclarè gestas, cujus prudentiam, fortitudinem, temperantiam, & multa & admiranda de futuro ejus Imperio vaticinia, ex ore piorum & sanctorum virorum prolata, vide apud historicos, *Evagrium, Zonar. Cedrenum,* &c. A. C. 583.

Eutychius ab exilio per Justinum juniorem revocatus Episcopus Constantinopolitanus moritur, succedit Joannes Jejunator appellatus. A. C. 586.

Tiberius Imperator moritur, succedit Mauritius è Cappadocia oriundus oppido Arabisso. mortem Tiberii alii statuunt. an. 582.

Tiberius jam moriturus in lecto, Mauritio Augusto filiam suam uxorem dedit & Imperium pro dote. Illum vocans Tiberium, hanc Constantinam, coronatis ambobus.

Magnas & multas Mauritii laudes vide apud Evagrium ejusdem temporis scriptorem (qui Baronio primus ex Græcis orthodoxus est historicus, anno 594. *fol.* 75.) *lib.* 5. *cap.* 19. &c. *Vide etiam miscellam histor. anno* 2. *&* 3. *Tiberii Imp. lib.* 17. *& prædictiones multas de instante Mauritii imperio apud Evagrium lib.* 5. *cap.* 21. *apud Metaphrastem die* 22. *Aprilis, Surium tomo* 2. *Theodori; apud Eustachium qui præsens erat, in vitâ Eutychii prædictionem Eutychii Episcopi Constantinopolitani in exilio Apud Evagrium lib.* 6. *cap.* 1. *ubi quasi vivum*

virtutis

virtutis exemplar describitur Mauritius. Vide *etiam visionem Tiberio ostensam, fortè de Mauritio apud Baronium an. C. 686 pag. 620.* Audi ipsum, Baronium: *Cum omnium sententia constet Mauritium omnium virtutum egregium fuisse cultorem, præcipuè vero observantissimum ipsius Catholicæ Religionis. Testis est S. Gregorius in epistola ad Episcopum Antiochenum, ubi ait: Omnipotenti Deo gratiæ sunt sine cessatione exsolvendæ & pro vita piissimi & Christianissimi Domini nostri Imperatoris* &c. *semper orandum est.* &c.

Ricaredus Visigothorum Rex relictâ hæresi Arianâ, factus Orthodoxus, Catholici Regis nomen obtinuit, & Christi fidem in Regno suo curavit recipiendam, an. C. 589. *Isid.*

A. C. 587. Vide epistolam Pelagii, in qua inter cætera negat cuipiam Patriarcharum licere uti nomine Universalis seu œcumenici; *absit hoc,* inquit, *absit à fideli cujusquam mente hoc sibi velle quempiam arripere, unde honorem fratrum suorum imminuere ex qualicunque parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem unquam suis in epistolis Universalem nominet; ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem offert indebitum. Adversarius noster Diabolus, qui contra humiles sæviens, sicut Leo rugiens circuit, quærens quem devoret: non jam, ut cernimus, caulas circuit: sed ita validè in quibusdam Ecclesiæ necessariis membris dentem figit, ut nulli sit dubium, quin, nisi unanimiter, favente Domino, cunctorum provida pastorum turba concurrat, omne, quod absit, citius ovile dilaniet. Perpenditis fratres charissimi, quid è vicino subsequatur; cum in sacerdotibus erumpunt tam perversa primordia. Quia enim juxtà est ille de quo scriptum est: Ipse est rex*
Iob. 41. 25. *supra omnes filios superbiæ (quod non sine gravi dolore dicere compellor) frater & coëpiscopus Iohannes mandata Dominica & Apostolica præcepta regulasque Patrum despiciens, eum per elationem præcurrere conatur in nomine. Vestra beatitudini indicet omnipotens Deus, quam gravi hujus considerationis gemitu torqueor, quod ille quondam mihi notissimus, ille omnibus dilectus, qui eleëmosynis, orationibus atque jejuniis videbatur occupatus, & ex eo quo fœtebat, cinere, ex eâ, quam prætendebat humilitate, jactantiam tantam sumpsit, ita ut universa sibi tentet ascribere, & omnia, qui soli uni capiti cohærent, videlicet Christo, per electionem pompatici sermonis, ejusdem Christi sibi studeat membra subjugare.* Hactenus Papa Pelagius.

Con-

Concilium Matiscone in Galliâ celebratur, in quo inter alia sancitum, ut seculares, ut vocant, Clericis honorem exhiberent, & si forte secularis equo incederet, appropinquante Clerico eunte, descenderet, &c. Guntramus Galliæ Rex paulò post edicit, ne Clerici aut judices suos substitutos habeant, sed quæ sui officii sunt, ipsi peragant. *Turonensis apud Calvisium.* A. C. 588.

Concilium Toletanum III, Episcoporum ferè 72, à Recaredo Gothorum rege converso celebratur, de quo sic *Baronius: Non sine scientiâ atque consensu, simulque auctoritate Pelagii Papæ generale hoc celebratum est Concilium.* Et tamen nulla ibidem fit mentio Pelagii, sed ipse Rex synodum convocat, ipse interest cum uxore, ipse tridui jejunium Episcopis indicit, confessionem suæ fidei scribit, & firmandam patribus exhibet. Reccaredus cum Badda reginâ primi subscribunt: Patres Regem vocant unius gregis unum pastorem, qui Apostolicum implevit officium &c. *Tom. Conc. 2. Isid. in chron. Goth.* A. C. 589. *Tom. Concil. 2.*

Magna fuit victoria Philippici contra Persas sub Mauritio: Philippicus autem erat maritus sororis Mauritii.

Magna inundatio Tiberis, antiquæ ædes dirutæ, horrea Ecclesiæ subversa, nonnulla tritici modiorum millia perdita, multitudo serpentum cum magno dracone instar trabis validæ per hujus fluvii alveum descendit: sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris fluctus in littus rejectæ sunt. *Gregor. Turonens. lib. 10. cap. 1. Paul. Diacon. & alii.*

Subsecuta statim est clades, quam Inguinariam vocant, quæ hoc anno Urbi funestissima populum invasit, ex irâ divinâ (ut signa docuerunt) immissa, ut testatur *Gregorius Papa*, visæ sunt sagittæ cælitus delapsæ in homines, quos mox improvisa pestis percussit. Hæc primum omnium perculit Pelagium Papam: quo defuncto magna strages populi facta est. *Gregor. Turon.* A. C. 590.

Ordinavit hic, ut præfationes, quæ celebrationi Eucharistiæ præmitti solent, novies variarentur: videlicet in nativitate Domini, in apparitione, in Paschate, in Ascensione, in Pentecoste, de Apostolis, de Trinitate, de sanctâ cruce, de jejunio. *Calvis. ex Baron.*

Amplissimus hic hariolis multa dicendi pateret campus, cum tam multa & formidolosa portenta obitum Pelagii prægressa & secuta fuerint; ut inundatio Tibris magna, serpentum multitudo, draco monstrosus, funestissima lues, quæ primum invasit & abripuit urbis Romæ Episcopum Pelagium; sed, quæso, cui bono tam incerta & anilia omina? Ad vitam Pelagii apud Platinam hanc addit annotationem Onuphrius Panuinius: *In eo quod Platina scribit Pelagium pontificem injussu principis creatum nihilque tum à clero in eligendo actum esse, nisi ejus electionem Imperator approbasset, non ita curatè rem hanc attigisse visus est, quæ sic habet. Gothis Italiâ omni per Narsen Patricium pulsis eâque cum urbe Româ Orientalis Imperii parte factâ; sub Iustiniano Imperatore, ex auctoritate Papæ Vigilii novus quidam in comitiis Pontificiis mos inolevit. Is fuit ut mortuo Papa nova quidem electio more majorum statim à Clero S. P. Q. R. fieret, verum electus Romanus Pontifex non ante consecrari, atque ab Episcopo ordinari posset, quam ejus electio ab Imperatore Constantinopolitano confirmata esset, ipseque literis suis patentibus, licentiam electo Pontifici concederet, ut ordinari & consecrari posset, atque ita jurisdictionem Pontificatus tum obtineret, pro qua licentia consequenda electo necesse erat certam pecuniæ quantitatem Imperatori transmittere. Quâ veniâ obtentâ, ipse postea consecrabatur & Romanum administrabat Pontificatum. Antea enim eidem dies comitiorum & consecrationis Pontificis renuntiati erant. Hoc autem ideo Iustinianum Imperatorem vel ex ejus auctoritate Vigilium Papam instituisse credendum est, ut Imperator certus esset de conditionibus novi Pontificis, cujus tum maxima esse auctoritas cœperat: Imperatoribus præsertim Italiâ absentibus, ne aliquo Pontifice factioso vel Imperatoris hoste ordinato Urbs & Italia eo auctore ab Orientali Imperio deficeret, seque vicinis barbaris traderet; quod Silverium Papam aliquando quæsiisse sibi persuaserat. Qua ratione fiebat, ut in novis comitiis eum potissimum Pontificem Romanum crearent, quem Imperatori à quo confirmandus erat amicum esse scirent, & de quo ille confideret, nihil in Italiâ contra Imperium moliturum, Barbaris præsertim Longobardis eam paulò post vexantibus. Perduravit hæc consuetudo usque ad Benedictum secundum, cujus sanctitate permotus Constantinus Imperator, Heraclii pronepos, edicto suo jussit ut deinceps quem Clerus & Senatus P. Q. R. Pontificem summum delegissent, is nullâ*

amplius Imperatoris confirmatione exspectatâ, more vetustissimo statim ab Episcopis ordinaretur. Rursus Hadrianus hoc jus & paulò amplius Carolo Magno Francorum Regi & ejus successoribus Regibus Francorum primum, deinde Imperatoribus Romanorum concessit; quod successoribus ejus ab Hadriano tertio ereptum: Otthoni primo Germanorum Regi & Romanorum Imperatori restituit Leo VIII. Id postremo Gregorius VII. Henrico IV. ademptum Cardinalibus & Clero S. P. Q. Romano primum, deinde alii Pontifices, qui secuti sunt Cardinalibus tantum permisêre, quod ad nostra usque secula perdurat. Ex epistola S. Gregorii quarta libri primi, Anastasio Bibliothecario in vitis Pelagii II. Vitelliani, Agathonis & Benedicti secundi Romanorum Pontificum, item post Carolum Magnum Gregorii IV. Sergii II. Leonis IV. Benedicti II, Romanorum Pontificum, Abbate Vrspergense, ex Ademaro Monacho S. Germani in eorundem Pontificum enarrationibus, Registro Gregorii Papæ VII. Sigiberto in chronico, Guilielmo Tyrio lib. 1. cap. 15. de bello sacro, Gratiano in decretis distinctione 63 Concilii Lateranensis sub Alexandro tertio Papa celebrati actis & aliis vetustis S.R.E. monumentis. Hactenus Onuphrius.

Iustinus, Tiberius, Mauritius, Phocas, omnes reperiuntur fide Catholicâ Orthodoxi, hac tantum ex parte damnandi, quod confirmationem electi in Romanum Pontificem sibi vendicarent. Baron. Cum crudelissima pestis Pelagium & Romanorum plurimos trucidasset, *plura alia post eam subsecuta sunt mala: nam cum adhuc apud Basilicam Vaticanam ordinatus Pontifex Romanus sederet, ventis vehementibus concussâ civitate quæ vetustate infirma erant ædificia, solo prostrata sunt: addita his fuêre alia mala recentia & instantia, quibus tum Italia premebatur ubique, tum Roma ipsa durius vexabatur, quo factum est ut crederetur extremi mundo dies Iudicii imminere.* Baronius.

Concilium in Galliis agitur, ubi instituitur, ut Dies Dominicus præcedentibus vigiliis ageretur in Gallia, quod & antea in quibusdam Ecclesiis usitatum erat. Ordinatum etiam fuit ne mulieres nudis manibus Eucharistiam tractarent, sed adhibito linteolo nitido acciperent. Linteolum illud peculiari vocabulo appellarunt suum Dominicum aut Dominicale. *Turon.*

Mortuo Pelagio succedit Gregorius ille Magnus, qui Imperatorem Mauritium literis dehortatur ab electionis confirmandæ sen-

tentia: Electionem verò ab Imperatore confirmatam ubi intelligeret, latibula quærere & aufugere conatur, aut saltem simulat: quod idem in Joanne Jejunatore Episcopo Constantinopolitano sugillat & ridet paulò ante Pelagius, objiciens illi in electione simulatam humilitatem, & post eam fastu turgentem arrogantiam, quod nomen œcumenici usurparet: sic interdum non tantum seculares & politicos, sed & Ecclesiasticos summosque Episcopos ambitio & cum malignitate æmulatio abripit.

A. C. 591. Gregorius more majorum synodalem epistolam scripsit ad Orientalis Ecclesiæ Patriarchas, Ioannem Constantinopol., Eulogium Alexandrinum, &c. & inter cętera his verbis: *Praterea*, inquit, *quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; sicut quatuor sancti Evangelii libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor. Nicanum scilicet, in quo perversum Arrii dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Macedonii error convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur; Chalcedonense verò, in quo Eutychetis Dioscorique pravitas reprobatur, totâ devotione complector. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola Iba erroris plena reprobatur: in quo Theodorus personam mediatoris Dei & hominum in duabus substantiis separans ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur: & in quo scripta Theodoriti, per qua beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementia prolata refutantur* &c. Ubi ita damnat tria illa capitula, ut à damnatione Theodoretũ & Ibã, quos absolverat conciliũ Chalcedonense, eximat.

Gregor. l. 1. epist. 29. Mittit Gregorius claves S. Petri, limaturam catenarum ejusdem S. Petri intus continentes ad diversos his verbis: *Præterea sanctissimam clavem à S. Petri corpore vobis transmisi, qua super ægris multis miraculis solet coruscare: nã etiã de ejus catenis interius habetur. Eadem igitur catena, quæ illa sancta colla tenuerunt, suspensæ colla vestra sanctificent.*

A. C. 592. Funestus fuit annus Italiæ, & valdè calamitosus Gregorio, tum foris præliis assiduis agitato, tum intus ægritudine vexato, *Baron.* Lege à Mauritio latâ, *ne quis miles, nisi expletâ militiâ, monachus esse posset*: Papa Gregorius deprecatur Imperatorem ne hoc facere velit, quod Mauritius excusat ob inopiam militum. *Gregorius lib. 2. ep. 61.*

A. C. 593. Baronius vocat Gregorium Pontificiæ æstimationis, & immunitatis Ecclesiasticæ assertorem acerrimum; Gregorius verò,

rò, secundum Baronium, Mauritium Imperatorem, uti tyrannum, non inter Imperatores, sed inter diros Ecclesiæ persecutores numerandum censet: imò cum Nerone & Diocletiano cum comparat, eosque & Mauritium portas inferi nuncupat. *Concitavit enim, diabolus scilicet*, inquit Baronius, *adversus Ecclesiam Dei*, id est, Gregorium Pontificem Romanum, *non solum innumerabilem populi multitudinem, verum etiam (si fas est dicere) ipsam regiam potestatem: nulla enim ratio sinit, ut inter reges habeatur, qui destruit potius quam regat Imperium.* Verba sunt *Gregorii.* Mirari satis nequeo Gregorii humilitatem, cujus paullò ante meminimus, cum dignitatem Pontificiam recusare visus est, & quam ostendit alibi in litteris ad Mauritium, ubi se indignum pietatis ejus famulum & subditum appellat, qui jam magno fastu & animi impotentiâ invehitur in pe. Mauritium propter acceptam ex veteri consuetudine ab Imperarore cuniç summam, 2'o libras auri, pro confirmationis sententiâ, objiciens illi hæresin simoniacam, cum hodierni Pontifices paucos confirment Episcopos gratis, & pauca concedant pallia sine munere aureo. Ne quid de annatis dicam. *Platina in vitâ Bonifacii IX. Polydorus de invent. rerum lib. 8. cap. 2. Authentica Iustiniani 123. cap. 3.*

in Psalm. pœnitent. 4.

Gregor. l 2. epist. 62. & 65. Ind. 2.

Attende quæso, inquit Baronius, *quantam sterilitatem bonarum literarum secum adduxerint assidui in Italiâ bellorum motus*, tam Ecclesiastici, quam seculares, tam Episcoporum, quam Regum (quod & aliàs nos attigisse meminimus) *ita ut haud in promptu esset reperiri facile, qui utriusque lingua peritus esset. Certè de seipso idem testatur Gregorius alibi, Græcas literas minimè calluisse. Sed eadem infelicitas Constantinopolitanam quoque urbem vexabat, ut careret illa homine, qui Latinè scripta posset perfectè reddere Græca lingua.*

Greg. lib. 6. epist. 29.

Hoc anno in suis homiliis deplorat Gregorius miserandum Italiæ & Urbis statum. *Quid est jam*, inquit, *quod in hoc mundo libeat? ubique luctus adspicimus, ubique gemitus audimus. Destructæ urbes, eversa sunt castra, depopulati agri, in solitudinem terra est redacta: nullus in agris incola, penè nullus in urbibus habitator remansit: finem non habent flagella justitiæ cœlestis, quia nec inter flagella correctæ sunt actiones culpæ. Alios in captivitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus &c. Ipsa autem, quæ aliquando Mundi Domina*

A. C. 595. In Ezechiel. hom. 18.

na esse videbatur qualis remanserit Roma conspicimus. Immensis doloribus, desolatione civium, impressione hostium, frequentiâ ruinarum attrita est, ita ut completum videamus &c.

Malorum hanc Iliada Italis intulit Arnulphus Rex Longobardorum; qui à Narsete, ut diximus, in Italiam vocati, eam paulatim obtinuerunt, Româ Ravennâque exceptis, quibus Exarchi Græci ab Imperatore missi præerant. Regnatum est à Longobardis in Italia annis 206. Postremus enim Rex Desiderius à Carolo Magno Francorum Rege an. C. 773. inclusus Ticino, sequente anno urbe captâ in Gallias est abductus.

Hi Exarchi, Præfecti Græci, Ravennæ residentes & Longobardis utcunque resistentes, reliquias ibi Imperii Orientalis tutabantur; sed per impotentiam & avaritiam magna etiam damna suis inferebant. Sub annum 568 Longinus patricius, primus Ravennas Exarchus mittitur, amoto Narsete, à Justino Juniore Imperatore. Postremus fuit Eutychius sub quo Aistulphus Longobardorum Rex Ravennam armis occupavit circa an. C. 752. Hàc ratione Exarchi Romæ & Ravennæ præfuerunt annos circiter 185.

Altercationes inter Mauritium & Gregorium ortum habent primò ex sententia confirmationis certâ pecuniæ summâ acquirendâ, qua de causa cum acerbè Imperatorem sugillaret vir sanctus, eundem etiam offendit: Gregorium vero Arnulphi Longobardorum Regis astutia deceptum, Mauritius simplicem appellat, quod Gregorius ægrè ferens, fatuum interpretatur. Accedunt inter Gregorium & Joannem Constantinopolitanum contentiones de nomine œcumenici, qualem se appellabat Joannes, ut etiam ante eum alii ejusdem prædecessores.

Gregor. l. 4. ep. 31. Indict. 13.

Prurigo humanæ gloriæ plurimos Episcopos illius temporis exagitavit, & præcipuè primates seu Patriarchas totius Ecclesiæ, ut Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum, velut in præcedentibus monuimus. Cum autem Episcopus Romæ veteris, propter Urbis dignitatem, edicta Imperatorum, & Canones Conciliorum cæteris esset præferendus: Constantinopolitanus verò novæ Romæ Episcopus per decreta Imperatorum & Canones Conciliorum secundum teneret dignitatis locum

locum Pelagius & Gregorius novum & arrogans illud nomen œcumenici, in Episcopo Constantinopolitano iniquo animo ferentes, verbis execrabantur, in quo Ioanni favere Imperator Mauritius videbatur.

Quamvis S. Paulus 2. ad Timoth. 2. 14. inquit, *Contestans coram Domino, ne verborum pugnas sequantur, ad nullam utilitatem, ad subversionem audientium*; interim tamen Pelagius & S. Gregorius magnâ animi vehementiâ illud vocabulum œcumenici tanquam superbum & anti-Christianum à nemine usurpandum judicarunt: cum soli Christo ille titulus debeatur; ut idem inquit Gregorius. Benè certè idem ad Eulogium Episcopum Alexandrinum. *Indicare quoque vestra beatitudo studuit, jam se quibusdam non scribere superba vocabula quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur dicens: sicut jussistis. Quod verbum jussionis peto à meo auditu removete, quia scio quis sum & qui estis. Loco enim mihi fratris estis, moribus Patris. Non ego jussi, sed quæ utilia visa sunt indicare curavi. Non tamen invenio vestram beatitudinem hoc ipsum, quod memoriæ vestræ intuli, perfectè retinere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuipiam alteri tale aliquid scribere debere: & ecce in præfatione epistolæ quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum Universalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto, dulcissima mihi sanctitas vestra ultra non faciat; quia vobis subtrahitur, quod alteri, plus quam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus; nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est, honor universalis Ecclesiæ: Meus honor est, fratrum meorum solidus vigor. Tunc ergo verè honoratus sum, cum singulis quibusque debitus honor non negatur. si enim Universalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur Universum. sed absit hoc. Recedant verba, quæ vanitatem inflant, & charitatem vulnerant. Et quidem in sancta Chalcedonensi synodo atque post à subsequentibus patribus decessoribus meis hoc oblatum, vestra sanctitas novit, sed tamen nullus eorum uti hoc unquam vocabulo voluit, ut dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligerent omnium, apud Omnipotentem Deum custodirent suum.* Hactenus Gregorius. Insignis, me herclè, hæc est epistola, sed ut verum fatear, ob inanem illum titulum nimias in Ecclesia turbas

lib. 7 ep. 30. *Gregorius non vult vocari œcumenicus.*

Grego. l. 12. ep. 32.

con-

cõcitasse mihi visus est homo Dei, cũ praxin istius vocabuli, ut illud interpretatur Gregorius, & pręcipuè Baronius, ne quidem unquam cogitasse videantur Episcopi Constantinopolitani, quamvis illo titulo usus fuerit Iustinianus in epistolis suis ad Epiphanium & Menam Ioannis Iejunatoris decessores. Interim quamvis S. Gregorius verbum illud appellet arrogans, scelestum, Diabolicum, Antichristianum, deberi tamen illum titulum Romano Episcopo sustinet Baronius; & addit ipsum Gregorium illum titulum quidem negasse Patriarchis Orientalibus, non autem Episcopis Romanis: & tamen ad Anianum (Baronio Sabinianum) Gregorius scribit, *isti scelesto vocabulo consentire, nihil esse aliud, quam fidem perdere*, quod est hæreticum. Perdere fidem malè interpretatur Baronius, *violare hierarchiam à Christo institutam; cum Petro Universalis Ecclesiæ cura sit credita, & consequenter Pontifici Romano*; quod verum esse nemo negare debet: sed in modo errat vir illustrissimus. Majori reverà modestiâ, quam Baronius, prædictâ epistolâ ad Eulogium utitur Gregorius ipse: *Nam, inquit, dixi non mihi vos, nec cuipiam alteri tale quid scribere debere* &c. Et quidem in Chalcedonensi synodo hic titulus Leoni oblatus est, nemo tamen prædecessorum Gregorii eo uti voluit &c. Usum tamen reipsâ Gregorium ejus tituli effectu multis exemplis probare conatur Baronius; sed partim frivolis, partim non veris. Sic loquitur tomo Annalium octavo pag. 85. *Annon opere sæpe ostendit* (Gregorius) *se esse totius orbis Episcopum? quis annus est ejus Pontificatus, quo non apparet ipsum universalis Ecclesiæ habenas regere, Orientalibus & Occidentalibus jura dare, omnes audire, & omnes itidem judicare, appellationes ab universo orbe accipere?* &c. Dicit quidem hæc Baronius, sed non probat. Etsi quædam exempla Orientis adferat, ea tamen sub diœcesi Thessalonicensi & Orientali Illyrico erant, quæ suberant Jurisdictioni Romani Patriarchatus. Multis verbis vim infert Gregorio Baronius, nam magno conamine eum reddere vult Universalem Episcopum, sed ut S. Gregorius detestatur superbiam Ioannis Constantinopolitani: sic apud mitem & humilem Christum execranda est ambitiosa & crudelis illa arrogantia. Dum Baronius summâ cum violentiâ reddere vult Gregorium œcumenicum, secundum mentem Gregorii Gregorium facit superbum

Baronius Gregorium vult vocari & esse œcumenicum.

lib. 4. epist. 39.

lib. 4. ep. 38. Ind. 13.

bum, ſceleſtum, Diabolum, Antichriſtum, nam præter dicta, etiam hæc verba ea de cauſſa objicit Ioanni Gregorius epiſtolâ jam citatâ: *In cælum aſcendam*, inquit eam ob cauſſam de Joannne, *ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte Teſtamenti, in lateribus aquilonis aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* *Eſaia cap. 14 6.*

Sed, ut verum fatear, multis parum differt vox œcumenici à voce Catholici; nam utraque ſignificat univerſalem: Καθολικὸς enim Epiſcopus eſt qui τὴν καθόλου ἐπισκοπὴν, id eſt, inſpectionem ſeu Epiſcopatum in univerſum ſibi creditum habet, ut loquitur Clemens, ſi is verus eſt ille Clemens, in conſtitutionibus Apoſtolicis; quæ ſignificatio Catholici omninò congruit cum appellatione œcumenici. Nam ut Catholicus Epiſcopus omnium Eccleſiarum ſuæ diœceſeos curam habet, ſic & œcumenicus. Et quamvis οἰκουμένη ſignificet totum orbem, non tamen ſemper vox œcumenicum, comprehendit univerſum mundum. Imò & Palæſtinam vocare τὴν οἰκουμένην Judæis familiare eſt, unde illud natum, quod urbs Hieroſolyma ſita in meditullio τῆς οἰκουμένης; quod ſi de orbe terrarum accipias ridiculè eſt fabuloſum: ſi de Iudæa veriſſimum. Eſt enim, ut *Ioſephus* loquitur, ὀμφαλὸς τῆς χώρας, id eſt, umbilicus regionis. Sic magna & nobilis pars mundi ſæpe οἰκουμένη à Græcis vocatur; & in Conciliis œcumenicis non omnes totius orbis Epiſcopi erant congregati. Ad Concilium Conſtantinopolitanum primum, œcumenicum ſecundum, ſub Imperatore Theodoſio Magno, nulli Epiſcopi Occidentales erant vocati, nec ipſe Pontifex Romanus: & quis poſſet eſſe verè œcumenicus, id eſt, totius orbis Epiſcopus, cum tam multi ſint extra Imperium Romanum, in Perſia, Aſſyria, India, Æthiopia Epiſcopi? Nec Epiſcopi Conſtantinopolitani, tale imperium, ut ſibi imaginantur S. Gregorius & Baronius, meo ſaltem judicio, exercere in alios voluiſſe videntur, ut paulò ante à me dictum, ſed ob urbis amplitudinem, quæ erat alterum & ſecundum caput Imperii, propter Imperatoris & Senatus Romani præſentiam, cui ſubjectæ erant tres diœceſes, Aſiana nempè, Pontica & Thracica, &c. hoc nomen univerſalis ſeu œcumenici uſurpaſſe credendum eſt; quod fecerunt ante Romanos Epiſco-

pos primi, ut epistolæ S. Gregorii docent. Hujus vocabuli meminit Anastasius Bibliothecarius in præfatione in septimum Concilium ad Joannem VIII, ubi hanc Episcoporum Constantinopolitanorum fuisse mentem disertè indicat: *In eo sanè*, inquit, *quo frequenter œcumenicum in hac synodo Græci Patriarcham suum inconvenienter appellant, Apostolatus vester adulationi veniam det, sæpe Prælatis suis non sine reprehensione placere studentium. Verùm cum apud Constantinopolim positus, frequenter Græcos super hoc vocabulo reprehenderem, & fastus vel arrogantiæ redarguerem; asserebant quod non ideò œcumenicum, quem multi universalem interpretati sunt, dicerent Patriarcham, quod universi orbis teneat præsulatum, sed quod cuidam parti præsit orbis, quæ à Christianis inhabitatur: nam quod Græci οἰκουμένην vocant à Latinis non solum orbis, à cujus universitate universalis appellatur, verum etiam habitatio vel locus habitabilis nuncupatur.* Hactenus Anastasius. Et sanè inepta est de vocabulis contentio, ubi de re & jure constat. Hæc lis inter eos composita est anno 606, quem consule.

A. C. 596. Moritur Joannes Jejunator, Episcopus Constantinopolitanus, quem inter & Gregorium Papam atroces fuêre contentiones de nomine œcumenici, ut diximus, qui propter præstantes virtutes, jejunium, eleemosynam, paupertatem, &c. ab Imperatore & omnibus suis sanctus est habitus,& à Gregorio diabolo assimulatur, &c. Vide

Niceph. lib. 18. cap. 34. Nicephorum. Hinc Baronius vocat eum elatum, fastu plenum, superbiâ tumidum, & ablegat lectorem ad Gregorium, Ioannem, quemadmodum Samuel Saul, lugentem.

In locum Joannis succedit Cyriacus, vir optimus, qui simulac episcopatum aggressus esset, antiquo more duos ad Gregorium mittit legatos, cum fidei Catholicæ professione, quod reciprocè facit Gregorius, & quamvis apud Episcopos Orientales literis summoperè laudet Cyriacum & eum vocet *tranquilli & mansueti animi virum, & inter turbas non turbatum*, & mutua hæc fidei communicatio intercessisset, legatum tamen suum seu apocrisarium Sabinianum interesse sacris Cyriaci vetat, nisi nomen œcumenici penitus omittat.

A. C. 597. Quare denuò synodali epistola Cyriacus à Gregorio communionem

nem Catholicam & pacem servari rogat, additis Imperatoris Mauritii, in eundem finem literis: nec tamen Apocrisario sacris Cyriaci interesse permittitur, nisi relicto œcumenici titulo. Hæc eadem Gregorius scribit ad Episcopum Alexandrinum & Antiochenum: S. Anastasius Sinaita Episcopus Antiochenus respondet Gregorio ejusdem ferè argumenti literis, cum iis, quas Imperator scripserat, nimirum pro ejusmodi levissima caussa, schisma non esse conflandum &c.

Ad Synodalem Cyriaci respondet Gregorius, ut à profani vocabuli & stulti nominis appellatione se compescat, & magni esse momenti dicit, quod Imperatori frivolum visum fuisset; imò præcursorem Antichristi esse ostendit, qui superbum œcumenici nomen sibi arrogat. Antiocheno Episcopo his, inter cætera, verbis scribit: *Vos tamen eandem caussam nullam esse dicere non debetis, quia si hanc æquanimiter potiamur, universa Ecclesiæ fidem corrumpimus. Et ut de honoris vestri injuria taceam, si unus Episcopus vocatur universalis, universa Ecclesia corruit: si unus, universus cadit. Sed absit hac stultitia, absit hac levitas ab auribus meis* &c. Epistolam Episcopi Alexandrini respondentem nobis composuit, ex epistola Gregorii ad Alexandrinum Baronius, nam, ut ipse inquit, *illa non extat*, quæ tamen illam prærogativam Romano Episcopo non tribuit, qualem vult Baronius: nam ubi retulit Eulogius Alexandrinus ab Apostolo Petro tres esse constitutas sedes, Romanam, Alexandrinam & Antiochenam, hæc addit verba: *Cum ergo unius atque una sit sedes, cui ex auctoritate divina nunc tres Episcopi præsident: quicquid ego boni de vobis audio, hoc mihi imputo: si quid de me boni creditis, hoc vestris meritis imputate: quia in illo unum sumus qui ait:* Ut omnes unum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Loquitur de unitate, quæ ex dilectione provenit: *Nam charitas non invidet, non irritatur, non cogitat malum, omnia suffert.* Ioan. 14.

Anno C. 167. secundum Bedam in epitome historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum, tempore Eleutherii Episcopi Romani Britanniæ Rex Lucius cum suis Britannis convertitur ad fidem Christi: quam integram inviolatamque in pace servarunt, ad tem- 1 Cor. 13.

 pora

pora Imperatoris Diocletiani, cujus persecutione, dictâ decima, cum diversis aliis S. Albinus prope Verodanicum civitatem martyrio periit: in cujus honorem ibidem Ecclesia admirandi operis est extructa, *ubi usque ad hanc diem curatio infirmorum, & frequentium virtutum operatio*, ut loquitur Beda, *celebrari non desinit.* Post persecutionem Diocletiani in pace vixit Ecclesia Christi in Britannia usque ad tempora Arrii, cujus hæresis hanc insulam, quamvis toto orbe divisam, etiam turbavit. Anno 381 Maximus tyrannus cum exercitu è Britannia in Galliam transfretavit, ubi Gratiano Imperatori & regnum & vitam ademit. Anno 409, præsidiis Romanorum revocatis, Galliâ Italiâque à Gothis subactâ, Romani in Britannia regnare cessarunt. Anno 430, Palladius ad Scotos in Christum credentes, à Cœlestino Papa primus mittitur Episcopus, sub Theodosio juniore. Ubi Romanorum legiones Britanniam reliquerunt, Picti Scotique Britannos invadunt & vastant, contra quos Britanni vocant Anglos, qui erant pagani & natio Saxonum, circa litora Oceani Germanici habitans: quæ ubi in Britanniam venit, sub Martiano an. 449. paulò post eandem sibi subjecit, pulsis Christianorum reliquiis in Walliæ, Cambriæque scopulos. Ante Anglorum in Britanniam adventum Germanus & Lupus Episcopi Galli, *maris & Pelagianorum tempestatem divinâ virtute sedarunt.* Sub Imperatore Mauritio, hoc videlicet anno 597, mittit Gregorius Magnus Episcopus Romanus in Britanniam ad convertendos ad Christi fidem Anglos, Augustinum & Mellitum cum aliquot Monachis, *qui Apostolicam primitivæ Ecclesiæ vitam imitantes, orationibus videlicet assiduis, vigiliis ac jejuniis serviendo, verbum vitæ, quibus poterant prædicando, cuncta hujus mundi velut aliena, spernendo, ea tantum, quæ victui necessaria videbantur, ab eis, quos docebant, accipiendo, secundum ea, quæ docebant, ipsi per omnia vivendo, & paratum ad patiendum adversa quaque, vel etiam ad moriendum, pro ea, quam prædicabant veritate, animum habendo. Quid? crediderunt nonnulli & baptizabantur, mirantes simplicitatem innocentis vitæ & dulcedinem doctrinæ cœlestis, qui statim in Ecclesia S. Martini antiquitùs facta convenire, psallere, orare, missas facere, prædicare & baptizare cœperunt, doctrinâ vitâque eorum multis miraculis confirmatâ. Tandem Ethelberto rege Cantii ad*

fidem

fidem converso & baptizato, relicto gentilitatis ritu, multi se unitati S. Ecclesiæ Christianæ sociarunt. Quorum fidei & conversioni ita congratulatus esse Rex perhibetur, ut nullum tamen cogeret ad Christianismum: sed tantummodò credentes arctiori dilectione, quasi concives sibi regni cœlestis amplecteretur. Didicerat enim à Doctoribus auctoribusq; suæ salutis, servitium Christi voluntarium non coäctitium debere esse. Beda Ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum l. 1. c. 25. 26. & S. Gregor. l. 7. ep. 30. indict. 1.

At Augustinus primò poscit obedientiam Romanæ Ecclesiæ à Christianis Britonibus, tum ut secundum morem ejusdem Ecclesiæ festum Paschatis celebrarent, Baptismum administrarent, & Anglosaxonibus prædicarent: sequebantur enim in iis consuetudinem Asiaticorum, sub proprio Metropolitano, nam Romanæ Ecclesiæ non suberant: quod cum Britones negarēt, bellum illis minatur & calamitates iis imprecatur Augustinus: *Beda l. 2. c. 2.* & Edelfridū Northumbriæ regem contra Britones Monachos instigasse scribitur, quorum 1200 in pugna profligati à diversis historicis memorantur: ita ut illa Britonum cædes dicto Augustino imputetur: quod quam sit alienum à Christi & Apostolorum doctrina & à veteris Ecclesiæ praxi, ipsa nos docet passim historia Ecclesiastica, *sed vindice Deo, nec inultus discessit Rex Ethelfridus.* vide *Hennicum Spelmanum Concilior. pag.* 111. A. C. 599.

Laudat Gregorius, in epistola ad Episcopum Antiochenum, fidem Catholicam Imperatoris Mauritii his verbis: *Quod*, inquit, *ad sacros ordines recta fidei viri perducantur, eidem omnipotenti Deo gratiæ sine cessatione solvendæ sunt: & pro vita piissimi & Christianissimi Domini nostri Imperatoris & tranquillissimâ ejus conjuge, & mansuetissimâ ejus sobole semper orandum est, quorum temporibus hæreticorum ora conticescunt* &c. *Equidem inter felicissimos Imperatores*, inquit Baronius, *collocandus erat Mauritius, si quemadmodum fuit catholicæ fidei tenacissimus, fuisset pariter & in reliquis aquè sincerus; sed dum minimè rectæ fidei aquè bona opera conjunxit, & contemptui habuit sanctissimos sacerdotes* (id est, non in omnibus obsecutus est Gregorio, & præcipuè quod nomen œcumenici in Ioanne & Cyriaco Episcopis Constantinopolitanis non impediverit) *Dei vindictam meruit experiri.* Sic idem paulò post: *Vidisti in Mauritio fidem; vidisti & erga pauperes largitatem, ut etiam Romam usque ejus se effunderet misericordia (nam triginta libras auri Imperator*

Romam miserat pauperibus erogandus) sed quod in multis aliis appensus in statera divini judicii, inventus sit minus habens, meruit in hoc seculo severè admodum castigari. sic frequenter, quasi Deo à secretis fuisset, loqui solet *Baronius*. Episcopi Istriæ qui communione Episcopi Romani annis ferè quadraginta obstinuerant, ut & alii, ob tria illa capitula, ad communionem redeunt. *Gregor. Papa. lib. 3. ep. 37, &c.*

Certatur inter Romanos & Longobardos sub duce Spoleti & peccatis exigentibus gentilis barbarus Romanos vicit, opem illi ferente per Sanctum Martyrem Sabinum offenso numine, &c. *Gregor. lib.* 10. *cap.* 54. *Ind.* 5. *Paul. Diacon. lib.* 4. *cap.* 5. Hic silet Baronius, nec peccata Romanorum inquirit, quamvis S. Sabinus contra eos pugnaverit, ut faciet nimis rigidè post occisum, per Tyrannum Phocam, Mauritium Imperatorem aliis præstantissimum & Gregorio Christianissimum.

Theoph. in Miscell. Paul. Diac. lib. 12. *c* 19. *Niceph. l.* 18. *cap.* 28. 29. *Zonar.* A. C. 603.

Avarico bello dux Comentiolus seditiosorum aliquot millia levius armata jussu Mauritii barbaris objecit, quibus partim cæsis, partim captis, Chaganus Avarum Rex, exiguâ in captivorum pretium taxatâ pecuniâ, quod eos redimere Imperator nollet, jugulavit omnes an. C. 602. Sed ob tantam avaritiam & immanitatem, sensit infensum sibi numen Mauritius. Itaque ut erat religiosus ac pius, missis per Monasteria, sacraque loca omnia literis, orari Deum jussit; ut admissi illius delicti vivus potius quam mortuus pœnas persolveret: quod illi ex voto Deus indulsit. *Petavius.*

Sentiens ipse manum Domini esse exporrectam ad ulciscendum, specimen edidit probatissimi Christiani, conficiens sibi ex calice iræ, poculum Medicinæ, quod sibi prodesset ad peccatorum suorum purgationem & perfectam animæ salutem consequendam. *Baronius.*

S. Theodorus ex ostensa visione prædicit mortem Mauritii & mortis genus, *Sic ipse*, inquit, *morietur, sed post eum multa deteriora contingent, quæ hæc ætas non exspectat*: ut videbimus sub Phoca. In vita S. Theodori Siciot. tomo 2. die 22. Apr. Monachus, cujus vitæ exercitatio illustris erat, omnibus prædicit Mauritium gladio occisum iri. Herodianus palam Mauritio denunciavit quæ ipsi eventura essent. Prænovit Mauritius ab eo se occidendum esse cujus nomen duabus his literis P H. inchoaretur. Cujus rei gra-

tiâ Philippicus sororis ipsius maritus in suspicionem adductus est: sed divinitùs per somnium de nomine interfectoris Mauritius certior est redditus. *Nicephor. lib.* 18. *cap.* 38.

Mauritius cùm se graviter Deum offendisse sciret, libellos supplices ad omnes Patriarchas & monachos in omnia monasteria etiam Hierosolymam misit, ut à Deo peterent, ut ipse de peccatis admissis in hac vita & non in futura pœnas lueret: cum pro ipso ubique viri pii precarentur Dominum, quadam noctè in somnis conspexit ejusmodi visum: Nempe astare se ante Salvatoris imaginem in palatii porta area collocatam, atque unâ simul multam turbam captivorum ipsum apud Dominum accusantem. Tum ipsum Iudicem jubere Mauritium caussam dicturum sisti. Sicque à satellitibus correptum, ab eodem Iesu Christo interrogatum fuisse, ubinam sibi pœnas rependi vellet, in has scilicet vel futura vita: Mauritium autem respondisse: Domine benignissime, juste judex, hic malo quam in altera vitâ. Nec mora statim jussum esse, ut cum uxore sua & liberis totaque familia Phocæ militi trucidandus daretur. Expergefactus vocat Philippicum sororis maritum, eique somnium narrat, rogatque utrum noverit in exercitu Phocam militem. Novi, inquit, is missus ab exercitu tecum jurgavit. Quærenti Mauritio quo ille præditus esset ingenio, respondit, hominem esse timidum & crudelem; tum Imperator: si timidus est, homicida est: addit de cometa gladii formam habente, qui quasi lingua cœlestis, eventura prædiceret. Postea refert quid legatus à sanctis veniens responsi attulerit. Postridie Magistrianus, quem ablegaverat ad hoc Mauritius, venit legatus, hoc responsum ferens: Probat Deus conversionem tuam, & anima salutem concedit, teque totamque familiam tuam inter electos collocat: sed Imperii cum dedecore jacturam patieris. Quibus auditis, Mauritius Deo laudes & gratias dixit. Inter hæc exercitus jubetur hiemare trans Istrum, unde vehementer commotus, tumultuosè Phocam militum centurionem super scutum elevantes Imperatorem salutant. Phocas venit Constantinopolim & per factionem Prasinam à Cyriaco in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ insignibus Imperatoriis decoratur: ex quo clades provenit Imperii. Capitur Mauritius, & ante oculos ejus quinque filii masculi necantur: ad singulas cædes ille altâ philosophiâ dixisse fertur illud Davidicum: Iustus es Domine & rectum judicium tuum. Nutrix unum eorum à nece subtrahit, ut pro illo filium suum offerret, quod Mauritius fieri vetuit, infantemque ipsum prodi-

Haimoinus l. 4. *c.* 3.

A. C. 603.

prodidit, qui visus est è vulneribus lac dare cum sanguine. Tandem verò ultimo loco occisus est ipse Mauritius, cum se casu & infortunio superiorem in omnibus demonstrasset. Habet hæc eadem cum Cedreno Theophanes, sed multò prolixius. *Non alius Imperator aut acerbiorem fortunam expertus est, aut toleravit constantiùs.* Petavius.

Eâdem die cognita fuit Alexandriæ mors Mauritii Imperatoris per vaticinium dæmonum, ut narrat *Theophanes.*

Baronius caussam hujus pœnæ in Imperatore & ejusdem familia fuisse dicit, quod multa malè adversus libertatem ecclesiasticam sanxerit, & contra Gregorium Papam perpetraverit. Qua de re
vid. a. 586. apud Historicos nihil; sed contra apud plurimos magnas Mauritii laudes invenio, excepto uno avaritiæ vitio, vel potius, quod suos milites quamvis seditiosos, quos parvo redimere potuisset, ita trucidandos Tyranno Chagano reliquerit. Vide *Nicephorum* lib. 18. c. 39. & 42. & *omnes alios.*

Phocas autem ita describitur à *Cedreno*:

Staturâ fuit mediocri, deformis, terribilis aspectu, rubente capillo, coëuntibus superciliis, mento raso, cicatrice in mala notatus, qua ipso irascente denigrabatur. Vinosus, mulierosus, sanguinarius, rigidus, in dicendo ferox, à miseratione alienus, moribus ferus, hæreticus. Vxor ejus Leontia, iisdem moribus fuit imbuta. Illius ætate omne genus malorum in Romanum Imperium exundarunt: nam & hominum & bestiarum mortua est immensa multitudo; & terrâ fruges negante, tum fames, tum gravissima pestes oborta sunt: biemesque fuerunt adeo sævæ, ut congelaverit mare & pisces perierint. Perjurus Narsetem præclarum Ducem, Persarum terrorem, vivum combussit: Plotini Patricii uxorem vi stupravit &c. *Sanctus quidam monachus, Phocâ Imperante, Deum ad disceptationem provocans quæsivit, cur tam impium Christianis imposuisset Imperatorem? audivitque vocem, cum neminem adesse videret: Deteriorem alium potuisse inveniri nullum, ac hoc meruisse flagitia Constantinopolitanorum*, Cedrenus.

Phocas Zonaræ est *pessimus tyrannus, qui cum in mulierum stupris volutaretur, & ebriosus & sævus & sanguinarius esset, in publico erat omnium ordinum odio.*

Nicephoro Phocas dicitur *tyrannus pessimus, ebrietati & crudelitati deditus, teterrima bellua* &c. *qui octo annos Imperio insultavit.*

Huic

Huic tam truci Imperatori scribit literas Gregorius gratulatorias & adulatorias, tam magno Episcopo indignas: *Benignitatem pietatis vestræ*, inquit, *ad Imperiale fastigium pervenisse gaudemus. Lætentur cœli, & exultet terra, & de vestris benignis actibus universa Reipublica populus, nunc usque vehementer afflictus hilarescat* &c. Et: *Considerare cum gaudiis & magnis actionibus gratiarum libet, quantas omnipotenti Domino laudes debemus, quod remoto jugo tristitiæ ad libertatis tempora sub imperiali benignitatis vestræ pietate pervenimus* &c. Similem scripsit S. Gregorius epistolam omni adulatione refertam ad Leontiam, ejusdem farinæ Augustam. *l. 11. ep. 38.* *Epist. 45.* *l. 11. ep. 40. Ind. 6.*

Videat lector, utrum bene judicent Gregorius & Baronius, de iniquitate temporum Mauritio Imperatore piissimo, ut alibi ipse Gregorius loquitur, tantoperè conquerentes, quod Ioanni & Cyriaco usum nominis œcumenici permitteret: parum cogitantes de innumeris Phocæ vitiis, horrendâ ejusdem crudelitate, & immani tyrannide.

Sub imperio ebriosi & mulierosi hominis Persæ Syriam, Palæstinam, Phœniciam, Cappadociam, Armeniam, Galatiam, & Paphlagoniam sibi subjecerunt: imò ad ipsam Chalcedonem pervenerunt, quæ ex adverso Bysantio sita est. Avares omnia vastantes, Europam percurrunt, cum tantâ hominum cæde, qualem haud quisquam unquam vidit. Ita etiam, ut Gregorius Papa in quadam epistolâ *venturi judicis tremendum examen* cum metu & lacrymis considerandum sine cessatione censeat, &c. *l. 11. ep. 37. Ind. 6.*

Longobardi finitâ pace cum Gregorio, omnia vastant, & cum exercitu Urbem oppugnaturi accedunt, excidium ejusdem molientes sub Rege Arnulpho, cum ante hanc brevem pacem triginta annorum spatio Longobardorum gladiis & incursionibus Roma divexata fuisset. Sed quid S. Vir in his angustiis? *Ego*, inquit, *in tanto gemitu & occupationibus vivo, ut ad dies quos ago, me pervenisse pœniteat, solaque mihi consolatio sit mortis exspectatio.* Gregorius lib. 1. epist. 26.

Moritur Gregorius Magnus, qui fuisset major, si humilior. habent etiam suas maculas magna illa luminaria. Mauritium egregium Imperatorem nimis acerbè reprehendit; Phocæ Imperatori pessimo nimis assentatur: Vocabulum œcumenici impe-

tuosè nimis oppugnat & condemnat: Joannem Patriarcham Constantinopolitanum nimis fervidè redarguit. Habuit tamen vir magnus etiam magnas virtutes: nam omnium judicio Papa fuit doctissimus & sanctissimus, *& ita vixit*, inquit Platina, *ut ad tempora nostra neminem ex successoribus parem habuerit, nedum superiorem, vel sanctitate vitæ, vel diligentiâ in rebus agendis vel doctrinâ & scriptis. Quid plura de viro hoc sanctissimo commemorem? cum omnis institutio Ecclesiastici officii veteris præsertim ab eo sit inventa & approbata. Quem quidem ordinem utinam sequeremur! Non abhorrerent hodie à lectione officii viri docti, quemadmodum faciunt propter barbariem (nescio quam) illi Latinitati & compositioni additam. Misit & viros optimos in Britanniam, Augustinum, Mellitum & Iohannem, cumque his monachos vitæ probatissimæ: quorum monitis & prædicationibus fidei nostra dogma Angli tum primum integrè receperunt. Rediere etiam Gothi Gregorii operâ ad unionem Catholicæ fidei; nimirum sub Recaredo Rege seu Richardo in Hispaniâ, deposito Arrianismo: qui Catholicam fidem amplexus, eandem in suo regno recipiendam curavit, synodum coëgit, ipsique præfuit, jejunium trium dierum Episcopis indixit, confessionem fidei scripsit, & synodo confirmandam proposuit.* Hactenus Platina.

Eruditorum multi solam orationem Dominicam, vel additis aliis quibusdam precibus, consecrationem tempore Apostolico peractam censent, quod his verbis etiam testatur S. Gregorius. *Orationem*, inquit, *Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodò orationem oblationis hostiam consecrarent: Et valdè mihi inconveniens visum est, ut precem quam Scholasticus composuerat super oblationem diceremus, & ipsam traditionem quam redemptor noster composuit super ejus corpus & sanguinem non diceremus. Sed & Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos autem à solo sacerdote.* Platina in vita Sixti an. C. 129, *Nuda primò hæc erant & omnia simpliciter tractabantur: Petrus enim ubi consecraverat oratione* Pater noster *usus est.* Sigibertus ad an. C. 688 in Chronico: *Orationem Dominicam per quam solam Apostoli consecrabant* &c.

Gregor. l. 7. ep. 64. Ind. 2.

Chrysost. hom. 18. in 2 Corinth.

Quæstio de animę origine inter S. Hieronymum & Augustinum mota & agitata est an. C. 414. de ea sic judicat *S. Gregorius* epistola ad Secundum: *De origine animæ inter sanctos Patres requisitio non parva*

Gregor. l. 7. epist. 53.

va versata est; sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certè singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vitâ insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Gravis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi: quia, si de Adam substantia animæ cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si cum carne non nascitur, cur in ea carne, quæ de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur?

Idem *Gregorius* in epistolâ ad Serenum Episcopum Massiliensem, qui imagines rejecerat & fregerat, imagines quidem servandas, sed populum ab adoratione earum prohibendum, easque esse libros laicorum statuit.

De columbâ ad aurem Gregorii visâ, de combustione librorum, de animâ Trajani ab inferis revocatâ precibus ejusdem, dubiæ sunt historiæ, quamvis hæc postrema ridicula, cum ab inferno non detur redemptio, & obscæna, & Joannem *Damascenum* habeat auctorem. Vide *Baronium*, & disce ab eo, *quomodò fabulæ sæpenumerò fabulis ornentur, revelationes inanes ad confirmandum mendacium producantur, imposturæ imposturis addantur, & mendacia mendaciis suffulciantur, quamvis testes habeant omni exceptione majores, ex Vaticano ipso prodeuntes. scripta quæ ex Vaticano afferuntur*, inquit vir illustrissimus, *non semper vera sunt, quamvis ob id recipienda simplices putent, tanquam divinum oraculum: quasi non omnis bibliotheca referat similitudinem sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium congregantis bonos & malos, continens libros probatos & improbatos, utiles & inanes simul amplexans* &c.

Origines fundamenta jaciens purgatorii ex dogmate Platonis, quod etiam 6 Æneid. refert Virgilius, primus in ecclesiam invexit ignem, quo animæ post hanc vitam à peccatis purgarentur. Hunc secuti sunt Ambrosius, Hieronymus, Ruffinus. Interim purgatorium Originis ab hodierno trifariam differt 1. Ratione personarum, quoniam nunc duntaxat igni purgantur, quorum animæ alicujus temporalis pœnæ reatu obstrictæ, vel cum aliquibus peccatis venialibus migrant ex hac vitâ: at juxta Originem & alios, qui Augustinum præcesserunt, mortales omnes, uno Christo excepto, ignem hunc subibunt. 2. Discrepat ratione temporis, quia nunc animas statim ab excessu, veteres non nisi extremo judicii die igne hoc purgandas docent. 3. Quod caput est, nunc censent tolli aut mitigari

posse pœnas purgatoriales per orationes & oblationes virorum, quale nihil sensit aut dixit Origenes, vel qui eum secuti. Purgatorium autem, quale hodie traditur, ante Augustini tempora ignotum fuit, cui & illud visum dubium. Ab Gregorii verò ætate in Romana ecclesia ex incertis revelationibus & visionibus habitum est certum, quod Græca ecclesia nec hodie agnoscit. *Vossius.*

Post purgatorii ortum proculdubiò subsecutæ sunt Indulgentiæ, quæ hodiè in Ecclesia Romana sunt usitatæ & frequentes; quarum tamen origo etiamnùm est incerta. Quæ mihi hactenus occurrerunt indulgentiæ, fuêre abbreviatio pœnitentię alicui pręscriptę per suum Episcopum, & per eundem ob certas rationes remissæ, vel secundum tempus, vel secundum rigorem. *Durandus* agnoscit hodiernas indulgentias ignotas fuisse tempore Hieronymi & Augustini. *De ortu indulgentiarum si certitudo haberi posset, veritati indagandæ opem ferret*, inquit Cajetanus, *verum nulla S. scriptura, nulla priscorum Doctorum Græcorum aut Latinorum auctoritas scripta hæc ad nostram deduxit notitiam; sed hoc solum à trecentis annis scriptura commendatum est de vetustis Patribus, quod Beatus Gregorius indulgentias stationum instituit.* Stationes autem erant vigiliæ diurnæ tempore solemnis jejunii, quando in orationibus vigilatur. Quæ indulgentiæ, meo judicio, plurimum discrepant ab hodiernis. Ego saltem has apud Gregorium necdum invenire potui. Vide Bellarminum *de Indulgentiis l.* 2. *c.* 17. & alios infinitos. Polydorus *de inventoribus l.* 8. *c.* 1. narrat *Bonifacium VIII.* primum jubilęum divulgasse an. C. 1300. quo pœnarum remissionem iis promittebat, qui limina Apostolorum visitassent, idque centesimo quoque anno. *Clemens VI.* celebrari jubilæum voluit quinquagesimo quoque anno. *Sixtus IV.* ad vigesimum quintum quemque annum jubilæum reduxit, an. C. 1475. Atque ita veniarum, quas indulgentias vocant jam tũ usus celebris esse cœpit. *In re parum perspicuâ*, ut ait Polydorus, *utor verbis Ioannis Roffensis Episcopi: multos, inquit, fortasse movet indulgentiis illis non usq; adeo fidere, quod earum usus in Ecclesiâ videatur recentior, & admodum serò apud Christianos repertus: quibus ego respondeo, non certò constare à quo primum tradi cœperint: fuit tamen nonnullis earum usus, ut ajunt, apud Romanos vetustissimus, quod ex stationibus intelligi potest.* & subjicit: *nemo certè*

Cajetan. de indulg. lib. 1.

dubitat

dubitat orthodoxus an purgatorium sit, de quo tamen apud priscos vel nulla vel rarissima fiebat mentio, sed & à Græcis ad hunc usque diem non creditur. Quamdiu enim nulla de purgatorio fuerat cura, nemo quæsivit indulgentias; nam ex illo pendet omnis indulgentiarum existimatio: tolle purgatorium, & indulgentiis non erit opus. Atque hoc pacto, pergit Polydorus, *post Gregorium seges paulatim crevit, cujus messem non exiguam permulti interdum faciebant, & cumprimis Bonifacius IX. cujus tempore hujusmodi venia, & quidem plenâ manu, non concedebatur modo aliquoties, verum, etiam teste Platinâ, velut quæpiam merces quotidie vel passim vendebatur, non absque concedentis recipientisque malo, quam per hæc ut remedia animæ morborum venalia, minus permulti à malefactis abstinebant, & clavium auctoritas plurimum vilescebat. Nec id temerè accidebat, quia, ut dicit Hieronymus, ubi merces media est, dona spiritualia viliora sunt. Quæ utinam non nisi illa vidisset ætas.*

De indulgentiis vide Sleidanum, & Thuanum historiarum l. 1. & de Taxa cameræ seu cancellariæ Apostolicæ Espencæum in commentario ad Tit. cap. 1. qui liber impressus est Parisiis anno 1520, *in quo plus scelerum discas, quam in omnibus omnium vitiorum Summistis & summariis & plurimis quidem licentia, omnibus autem absolutio empturientibus proposita est. Parco nominibus, nam, quod ait nescio quis,*

Nomina sunt ipso penè tremenda sono:

verba sunt Espencæi summi Theologi Galli.

Confecit idem Papa Gregorius Antiphonarium & præcepit Kyrieleyson ad missas cantare: Alleluia etiam: sed hoc extra tempus quadragesimæ, & orationem Dominicam post Canonē addi voluit. *Sigeb.*

Priusquam autem eligeretur Papa instituit Litaniam, septiformem dictam, avertendæ pestis vehementissimè sævientis gratiâ. Ea litania hoc modo distributa fuerat: septem erant cœtus, ex septem templis per urbem prodeuntes. In primo cœtu erant Clerici, in secundo cives, in tertio monachi, in quarto moniales, in quinto fæminæ conjuges, in sexto viduæ, in septimo pueri & infantes: hique cœtus seorsim suas litanias per urbem canebant. *Gregor. & Greg. Turon. & Platin.* Ordinem autem horum cœtuum alii alium statuunt.

Mortuo Gregorio Magno succedit Sabinianus, non magnus, nec sine tumultu electus, & moritur eodem anno. Homo obscuro

natus loco, moribus obſcurior, rebus geſtis Gregorii viri ſanctiſſimi adverſatus eſt: nam cum ſuo pontificatu fame laboraretur, inſtarentque pauperes ut pietatem Gregorii eleëmoſynis imitaretur, nil aliud reſpondebat, quam Gregorium popularem famam aucupantem patrimonium Eccleſiæ largitionibus diſſipaſſe. Paululum etiam abfuit, quin libri ejus comburerentur: adeò in Gregorium irâ & invidiâ exarſerat homo malevolus. *Platina.*

Ioan. Diaconus lib. 4. cap. 66. in vita S. Gregorii.

Cum Sabinianus liberalitati prædeceſſoris ſui derogaret, Gregorius eum per viſum ter pro culpa tenaciæ & hujus derogationis increpatum, quod non reſipiſceret, etiam quartò horribiliter increpans & comminans in capite percuſſit: Quo ille dolore vexatus, non multò poſt mortem obiit. *Sigebertus.* Sic ſanctus & mortuus Gregorius Papa, Sabinianum Pontificem Romanum interficit? Tantæne animis cæleſtibus iræ? ὀργὰς πρέπει θεοὺς οὐχ ὁμοιοῦσθαι βροτοῖς, inquit Euripides in Bacchis. Hac de cauſa Sabinianus cum ignominia ſepelitur, nam exaſperatum habebat populum Romanum, quod triticum Eccleſiæ, urgente fame, non erogaſſet in pauperes, ut ſolebat Gregorius, ſed vendidiſſet, &c. *Anaſtaſius ſeu potius lib. pontif.*

Narſes eximius belli dux adverſus Perſas, vivus à Phoca perjuro comburitur: quare tyrannus ſentiens ſe ab omnibus timeri tantum, amari autem à nemine, omnes ſuſpectos habens, amabat ipſe nullum, ac novas ſuorum cædes pro tenuiſſimis ſuſpicionibus meditans, civium ſanguine civitatem infecit. *Cedrenus & Miſcella.*

A.C. 609. Sabiniano ſuccedit Bonifacius tertius, cum annum ferè integrum ſedes vacaſſet; tantis contentionibus certabatur in conſequendo Pontificatu. *Anaſtaſ.* Et ſedere non ſolebat electus Pontifex nec conſecrari niſi Imperator ratum id habuiſſet, inquit *Baronius.* Hic Bonifacius à S. Gregorio miſſus fuerat Conſtantinopolim Apocriſarius ad Phocam Imperatorem. Accidiſſe vidimus, ut qui eo functi fuiſſent munere, eidem in ſummum Pontificem ſæpius deligerentur: ita Vigilium, Paſchalem, Gregorium, Sabinianum &c. electos eſſe reperimus. Nam ut dictum eſt, Orientalis Imperatoris conſenſus accedere debebat electioni cleri, ideoque eligere ſtudebant, quem eidem gratum fore ſcirent. Vt de Bonifacio hoc contigit,

git,qui usque ad Gregorii obitum Constantinopoli degens, Phocam sibi demeruit in ejus se insinuans amicitiam. *Idem.*

Interim simultatis occasio inter Phocam & Cyriacum exorta est, referente *Theophane & Cedreno* : *Constantina olim conjux Mauritii Tyberii Imperatoris filia, quando cum tribus filiabus ad magnam Ecclesiam fugit, Tyrannus ad mulieres abstrahendas mittit; restitit Tyranno Cyriacus: eduxit tamen postea & occidi jussit. Hinc in Cyriacum exacerbatus Phocas, in ipsum quod valuit explevit.*

Hujus rei causâ , cum ex more literas ad Bonifacium Phocas scriberet, in odium Cyriaci solum Romanum Episcopum, ut ajunt, voluit œcumenicum. *Anastasius, sive auctor libri Pontificalis*, qui hæc primus nobis reliquit, & quem alii secuti historici: *Hic obtinuit apud Phocam,* inquit, *ut sedes Apostolica B. Petri caput esset omnium Ecclesiarum, id est, ecclesia Romana, quia ecclesia Constantinopolitana se primam omnium Ecclesiarum dicebat.* Paul. Diacon. de gestis Longobard. l.4. c. 11. *Hic Phocas, rogante Bonifacio, statuit sedem Ecclesiæ Romanæ primam esse, cum prius Constantinopolitana se omnium primam scriberet.*

Quod enim interessent quædam inimicitiæ & odiorum fomenta inter Phocam & Cyriacum, in ejus odium favisse videtur Imperator Romano Pontifici, præter morem suorum prædecessorum: siquidem Mauritius nullum locum petitionibus S. Gregorii quod tum Ioannes, tum ejus successor Cyriacus nomen sibi usurparent Universalis, & petentis ut ab ejusmodi nomine cessarent, dedit. Infensus ergo Cyriaco Phocas Imperiali edicto sancivit, decere ejusmodi nomen Romanam tantum Ecclesiam, ipsique soli convenire Romano Pontifici, ut diceretur Universalis, non autem Episcopo Constantinopolitano. Baronius. Usi quidem sunt titulo œcumenici, sed nunquam se supra Papam Romanum extollere conati sunt Episcopi Constantinopolitani : dicta fuit Constantinopolis nova Roma, & honore à Papa secundus erat ejus Episcopus.

Annotatio Onuphrii Panuini ad vitam Bonifacii III. in Platinam hæc est : *Vetustissima Patriarchalium sedium privilegia in Concilio etiam Nicæno Canone 6. approbata fuère, ut Romana sedes primum locum, secundum Alexandrina, & tertium Antiochena obtinerent. Nam Hierosolymitana longo tempore post inter Patriarchales Ecclesias commemorata est. Constantinopoli vero conditâ in Concilio generali secundo in ea urbe,*

sub

sub seniore Theodosio congregato decretum est, ut Constantinopolitana sedes secundum post Romanam locum, & ante Alexandrinam obtineret, quod Constantinopolis esset nova Roma. Ita ejusdem Concilii vulgatus Canon 3. & Socrates Ecclesiasticæ historiæ lib. 5. cap. 8. Quem tamen Canonem supposititium esse, & à Græcis fictum fuisse aperte in Concilio Chalcedonensi proclamarunt Legati Leonis Papæ & S. R. E. qui in Concilio Papæ nomine præsidebant, ut ex ejusdem synodi actione 16. liquet. Nam cum ejus canonis occasione Concilium Chalcedonense prærogativam supra omnes Ecclesias post Romanam tamen, sedi Constantinopolitanæ denuo tribuisset, repugnarunt eidem Legati, affirmantes nihi tale unquam ei Ecclesia ante id tempus fuisse concessum, & decretum illud, quod cæterarum Ecclesiarum dignitatem tolleret, iniquum esse. Vtcunque autem sit, illud satis constat, quod Episcopi Constantinopolitani ambitione & Regia Vrbis magnificentia splendoreque elati non solum supra cæteras sedes locum sibi vendicasse contenti, majora etiam ausi sub Leone Papa, unus eorum Anatolius, cæterarum sedium privilegia, & eorum Episcoporum consecrationem ad se unum revocare, eosque in ordinem cogere, & sibi subdere conatus, acerrimum oppugnatorem habuit Leonem Papam &c. Et paullo post: *Cujus postremò industriâ res turbatæ compositæ sunt. Cæterum aliquo tempore post, sub Pelagio II. Ioannes, & qui ei successit Cyriacus, Patriarchæ Constantinopolitani, longè majora moliti, & adversus ipsam sanctam sedem Apostolicam insurgere ausi, Vniversalis sibi Episcopi nomen, & primum in Ecclesiâ locum, in præjudicium non solum omnium Ecclesiarum, sed etiam Romanæ assumere conati, Gregorium Papam eorum superbia resistentem habuêre. Cujus in Registro suo de hac controversiâ graves aliquot epistolæ extant. lib. 4. epist. 76. 78. 80, 82. & lib. 6. epist. 168, 169, 170. Et cum res Mauritii inertiâ sub Gregorio transigi non posset, eo mortuo sub Bonifacio III. ab Imperatore Phoca ita constituta est, ut Romanus Pontifex juxta Apostolica dogmata* (quod probandum) *& vetustissimam sanctorum Patrum traditionem, primum omnino locum in Ecclesiâ Catholicâ retineret, secundum vero Constantinopolitanus Antistes. Ita Beda lib. de temporum ratione, & Paulus Diaconus Historia Longobardicæ lib. 4. cap. 21. & lib. 18. historia Romanæ Eutropio adjecta. Processu temporum, & præsertim post Photium Patriarcham Constantinopolitanum, utrâque parte conveniente, illud usurpari cœptum, ut ambo Episcopi Romanus*

nus scilicet & Constantinopolitanus œcumenici, id est, universales appellarentur; hic quidem universalis Patriarcha, non quod sibi uni aliorum jura vendicaret, sed quod iis dignior esset, primumque post Papam locum haberet: ille vero universalis Papa. Additumque ut Papæ nomen, quod omnium vocabulorum Episcopalium excellentius esse statutum est, solus Romanus Pontifex, cum ante omnibus commune esset Episcopis, retineret, quo uno & illi tantum particulari nomine potestatis, ejus dignitas, & supra cæteras Ecclesias vetus prærogativa designaretur: Cæteri verò quatuor Episcopi præcipuarum sedium, videlicet Constantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ & Hierusalem Patriarcha vocarentur. Ex his porrò Episcopus Constantinopolitanus œcumenici nomen, quod initiò usurpaverat, etiam continuavit, & præsertim post Photium, atque ita scribere solitus est: N: miseratione divinâ Archiepiscopus novæ Romæ Constantinopolis, & œcumenicus Patriacha. Episcopus vero Romanus superbi nominis ambitioso titulò semper abstinuit, neque alio, quam humillimo nomine, videlicet, N. Episcopus servus servorum Dei, vel Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, se appellavit. In publicis tamen acclamationibus quæ in missarum solemniis & celebratione Conciliorum fieri solebant, hunc titulum sibi ab aliis attribui ægrè permisit: sic, D: N. N. Papæ universali vita &c. Atque hic fuit litis finis inter duos summos Christiani orbis Episcopos: Quam rem ego ex historiarum tum Græcarum tum Latinarum variâ electione observavi. Hactenus Onuphrius. Quæris quid dicat Baronius? *Hoc edicto Phocæ titulũ illum tantum negari Episcopo Constãtinopolitano, ab eo malè usurpatum, non eum tribui Episcopo Romano, cum hoc nomẽ œcumenici longè antè à synodo Chalcedonẽsi & à Patriarcha Alexãdrino Romano Pontifici sit oblatũ, & Romanæ Ecclesiæ duntaxat debeatur: cum Romanã Ecclesiã semper tenuisse primatum super omnes totius orbis Ecclesias ne ipsi quidem adversarii contradixerint.*

Responderi posset, in epistola Concilii Chalcedonensis patres ita Leonem alloqui titulo honoris: *nam si Episcopus œcumenicus est totius terræ habitabilis, ille titulus soli Christo debetur*, ut loquitur S. Gregorius. Nec adversarii (quod vult Baronius) statuunt Episcopum Romanum tenuisse aut tenere primatum supra omnes totius orbis ecclesias: nam infinitæ semper fuerunt Ecclesiæ extra imperium Romanum, ut in Æthiopia, Persia, India & aliis regionibus, in quas nec Imperatori nec Pontifici Romano quicquam auctoritatis fuit,

& primatus, alius eſt ordinis, alius dignitatis, alius juriſdictionis; ut ſæpe dictum.

Bonifacius III. Epiſcopus Romanus,& Cyriacus Conſtantinopo-
A. C. 607. litanus moriuntur.

Bonifacius I V. Papa, qui Pantheon à Phoca obtinet, ſuccedit.

Multi & præcipui nobiles à Phoca quam crudeliſſimè occiduntur, & carcer, ne pædore captivi perirent, dilatatur ex commiſeratione nobiliſſimæ matronæ. *Miſcella.*

A. C. 608. Thomas Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui Cyriaco ſucceſſerat, ubi ſæpius vitæ finem oraſſet, moritur, videns ſub Phoca præſentia, & timens majora mala. ſuccedit Sergius.

A. C. 609. Omnia ubique cædibus flagrant. Epiſcopus Antiochenus,& cum eo multi civium occiduntur à Judæis. Plurimi Præfecti & urbis proceres necantur Conſtantinopoli, carcer incenditur, captivi effugiunt. Italia gemit ſub gladio Longobardorum, & Romanæ res ſunt afflictæ & obſcuræ.

A. C. 610. Sæviſſimè trucidatur Phocas, tyrannus ſæviſſimus, amputatis manibus, pedibus, pudendis, capite; reliquus truncus à militibus comburitur.

Hæc acta ſunt juſſu Heraclii Africæ præfecti, qui ex illuſtribus genere Cappadox in Africa Imperator appellatus, & à Priſco Phocæ genero vocatus, navali prælio Conſtantinopolim occupat, Phocam capit & occidi jubet: quo facto Imperator ſalutatur, & à Sergio Epiſcopo Conſtantinopolitano coronatur. *Cedren.*

Valentinianus III. Aëtium Europæ propugnaculum interficit, Maximi Senatoris uxorem ſtuprat; Maximus Valentinianum occidit. Hujus eſt edictum pro primatu Papæ Leonis an. C. 445.

Phocas Narſetem Perſarum terrorem interficit, Photini Patricii uxorem ſtuprat. Photinus Phocam è ſolio detractum veſte imperatoriâ ſpoliat, nigrâque amictum ad Heraclium deducit, ubi occiditur. Hujus eſt edictum pro primatu Bonifacii III.

A. C. 611. Perſæ ſine aliquo impedimento graſſantur, & res Eccleſiæ Romanæ propter pernuriam ſcriptorum obſcuræ ſunt. *Baron.*

A. C. 612. Ceſſantibus Perſis jam victoriis exſatiatis, prædiſque expletis, Arabes

Arabes dicti Saraceni ferro igneque Syriam invadunt. Hi primo dicti fuerunt Agareni, ex Ismaëlitis orti, postea mutato nomine ancillæ se Saracenos vocarunt, ut narrat *Zozomenus lib. 6. cap.* 38. sed vide quæ à nobis dicta de iis ex Scaligeri animadverſ. in Chronic. Euſebii an. C. 375. Hi ſtipendio fraudati, & à quæſtore Imperatoris contumeliâ affecti, ſe brevi jungent Mahumeti.

Perſæ Damaſcum capiunt. A. C. 613.

Bonifacius IIII. moritur, ſuccedit Deusdedit Papa. Hic decrevit, A. C. 614. ut ſi qui viri vel mulieres ſuos ipſius liberos, quocunque modo de baptiſmo ſuſceperint, ſepararentur: vel, ſi quis vir commatrem ſuam, vel ſi qua mulier compatrem ſuum in conjugium duceret, ſepararentur. Mulier tamen maritalem dotem recipiat, & poſt expletum annum, ſi voluerit, alteri nubat. *Sigebert.*

Hieroſolyma capitur à Perſis & vaſtatur, miſerique Chriſtiani vili pretio Judæis venduntur, crux in Perſidem ablata eſt. Judæi & Saraceni crudeliſſimè in Chriſtianos utriuſque ſexus ſæviunt. *Cedrenus.*

Perſæ depopulantur Ægyptum, & Lybiam, nihil interim agentibus Romanis. *Cedr.* A. C. 615.

Et cum tantoperè labefactatum eſſet Imperium in Oriente, nutare etiam cœpit reſiduum in Italia. Nam collapſo Imperio per Perſas in Oriente, Eleutherius Exarchus in Italia etiam ſtudere cœpit, ut pereuntis Imperii ſibi partem vendicaret. Interim Clotharius cum filio Dagoberto Galliæ Monarchiam poſſidet.

Deusdedit Papa moritur, ſuccedit Bonifacius V. A. C. 617.

Imperator Heraclius prædictis calamitatibus perculſus, mittit ad Choſroën, orans pacem: at ille nullam pacis fore conditionem ſuperbè reſpondit, niſi crucifixum abnegaret Deum, & Solem adoraret. *Cedr.*

Avarum Rex ſuburbia urbis Conſtantinopolitanæ deprędatur. A. C. 618. Angli convertuntur; cætera obſcurus annus.

Perſæ Galatiam regionem, & in ea Ancyram Provinciæ Metropolim capiunt. *Ced.* A. C. 619.

Imperator pacem à Cagano Avarum Rege petere cogitur: A. C. 620.

cum ignominia & immanitate necatur. Patre mortuo pacem cum filio pepigit Heraclius, scilicet ut captivos dimitteret, crucem restitueret, cederet Syriâ, Palæstinâ &c. Heraclius autem splendido triumpho Constantinopolim ingreditur, in manibus pro victrice lauro crucem Christi gestans. *Miscell. Cedren.*

Heraclius Monothelitarum opinionem temerè susceptam, pertinacius tuetur; nempè unam tantum in Christo statuens voluntatem & actionem, quam à Sergio Constantinopolitano & Cyro Alexandrino profiteri didicerat. *Theophan. Diacon. Cedr.* A. C. 629.

Festum exaltationis crucis hoc anno instituitur. *Baron.*

Machomet Pseudopropheta & Arabum Princeps exitialem condidit sectam, quam & armis longius extendit. Hic de camelorum pastore locupletis hera conjux factus in Palæstinam abiit; ubi cum Christianis Iudaisque colloquens, adjutore Sergio Monacho, qui ob haresin ecclesiâ ejectus erat, ex omnium sectarum colluvione novum illud fabricatus est monstrum: cui stolido mendacio auctoritatem addidit. Cum enim à Dæmone & comitiali morbo jactatus identidem corrueret, mærenti ob id uxori persuasit, Gabrielis se Angeli conspectu & colloquio consternatum sic affici. Id confirmante Sergio, muliercula operâ latius dissipatum, ac vulgo creditum est. Scribit Theophanes decem annis occultam haresin illum habuisse, ac novendecim postea vi ferroque propagatam asseruisse. Illud constat an. C. 622. Iulii die 16. feria 6. fugam arripuisse eum, cum ob erroris novitatem de vita periclitaretur. Ab hac fuga quam Hegiram vocant Arabes, id est διωγμὸν, persecutionem, nova illorum epochæ proficiscitur. Petavius. A. C. 630. *Theoph. Diacon. Zonar. Cedrenus.*

Heraclius cum Seigio Episcopo Constantinopolitano & Cyro Alexandrino, sub velamine pacis, multa molitur; nempe ut voces tacerentur, quibus discordiæ nutrirentur: sed frustra. A. C. 631.

Arabes Saraceni sub successore Mahometis Gazensem regionem invadunt & deprædantur, occiso Præside Palæstinæ cum suis. A. C. 632.

Arabes Saraceni civitate Rostrensi aliisque locis captis, Theodorum Heraclii fratrem prælio vincunt. Heraclius relictâ Palæstinâ fugit Constantinopolim. A. C. 633.

Honorius Romanus, Sergius Constantinopolitanus, Cyrus Alexandrinus Episcopus, audiunt Monothelitæ; Honorium quamvis in sexta synodo generali hæreseos damnatum, ab illa labe purgare conantur *Onuphrius*, *Baronius*, *Petavius*.

A. C. 634. Saraceni cædunt Romanos, Damascum & Ægyptum subdunt.

A. C. 635. 636. 637. Saraceni Syriam, Palæstinam, & ipsam Hierosolymam capiunt, imo & Antiochiam & Alexandriam, tres Patriarchatus. *Theophan.*

A. C 638. Honorius Papa moritur, succedit Severinus. sed aliter Onuphrius.

Exarchus Isacius presbyteros Romanos in exilium mittit, Lateranense Patriarchium vi per milites invadit, prędaturque thesaurum Ecclesiæ, prędâ ad Imperatorem missâ. *Anastas.*

A. C. 639. Severinus Papa electus & necdum confirmatus, ecthesin seu expositionem fidei Imperatoris Heraclii, seu potius Sergii Episcopi Constantinopolitani, reprobat, & paulò post moritur. succedit Joannes IV. qui anno sequenti eandem ecthesin in synodo Episcoporum Romę damnat. *lib. Pontif.*

Eodem anno moritur Sergius Constantinopolitanus, succedit Pyrrhus.

Saraceni totum Persarum regnum sibi subjiciunt: nam ad fugam conversus Hormisda Persarum Rex, rebus penitus desperatis, regalia quoque amisit insignia.

A. C. 641. Heraclius Imperator moritur, succedit filius natu major Constantinus; qui à noverca Martina dicitur veneno sublatus, ut ejus filius Heraclionas imperaret; sed decreto senatus mutilatione nasi mulctatus, & mater perfida linguę abscissione punita in perpetuum exiliũ sunt ejecti, collato imperio in Constantem, Constantini filium. *Cedr.*

Joannes Papa moritur, succedit Theodorus.

A. C. 642. Nunquam facies Orientalis Ecclesiæ turpior. accedebat secta Mahumetana, & victorię Saracenorum, & mille mala, quæ tam dira bella secum ferunt. Adeò erant hæc tempora gravia, luctuosa, desperata; ut si quis ea cum præteritis conferat, hæc longè deteriora sit judicaturus, & ideo scriptorum inopiâ obscura. *Baronius.*

Pyrrho Episcopo Constantinopolitano relegato succedit Paulus Monothelita.

A. C. 647. Dum annis præcedentibus acriter inter Episcopos de opinione Mono-

Monothelitarum diſputatur, Saraceni nova ſua regna ſtabiliunt, & hoc anno Africa & inſula Cyprus ab iis ſubjugantur. *Theophanes.*

Conſtante Monothelitâ Imperatore, ſuadente Paulo Conſtantinopolitano, editum eſt de fide edictum, quod typum vocarunt, ut omnes Chriſtiani orbis Eccleſiæ in unam ſententiam unirentur, paxque firma in Eccleſiâ eſſet: nimirum ut ſilentium de excitatâ controverſiâ indiceretur, tam iis qui unam, quam iis qui duas in Chriſto voluntates aſſererent. Sed & Typus, & Paulus & Pyrrhus Romæ collectâ ſynodo per Papam Theodorum damnantur, & ſimul omnes Monothelitæ. *Anaſtaſius.* A. C. 648.

Theodorus Papa moritur, ſuccedit Martinus hujus nominis primus: diſſentit Onuphrius. A. C. 649.

Martinus non tantum Typo ſubſcribere recuſat, ſed ſecutus veſtigia prædeceſſoris, convocatâ centum & quinque Epiſcoporum ſynodo, & Typum & ecthesin, & Sergium, Pyrrhum, Paulum, Conſtantinopolitanos, & Cyrum Alexandrinum cum omnibus Monothelitis damnat. Quâ re indignatus Imperator, per Theodorum Colliopam Ravennæ Exarchum, Martinum Papam cum Maximo Monacho Conſtantinopolim abduci jubet. Unde Martinus Cherſonam relegatus brevi moritur, & Maximus linguâ manuque truncatus eſt. *Anaſt. Beda. Acta Maxim.* A. C. 650. *Anaſtaſ. in collectaneis. Theophanes.*

Tot & tantis calamitatibus Chriſtianus orbis undique obruitur, ut finem mundi inſtare haud leviter creditum fuerit &c. *Baron.*

Dum Martinus in carcere & exilio multas ignominias & miſerias patitur, Paulus & Pyrrhus Conſtantinopolitani Epiſcopi moriuntur, & Eugenius juſſu Imperatoris per Exarchum Romæ eligitur Papa in locum exſulis Martini & Petrus Epicopus Conſtantinopolitanus in locum Pyrrhi. *Niceph. Baron.* A. C. 152.

Saraceni Armeniam vaſtant & inſulam Rhodum occupant, ubi Coloſſum evertunt poſt mille trecentos ſexaginta ſtabilitatis annos, quem cum Judæus quidam emiſſet, nongentos camelos ex ejus ære oneravit. *Theophanes.* Tantæ erat magnitudinis, ut divaricatis cruribus ſpatium præberet navibus portum ingredientibus, altitudinis centum viginti pedum, qui anteà terræ motu diſiectus, Saracenorum manu confractus & venundatus eſt. A. C. 653.

Mar-

A. C. 654. Martinus in exilio moritur, ſuccedit Eugenius: ſed aliter Onuphrius.

Conſtans Imperator navali prælio à Saracenis ſuperatur. *Theoph. Miſcell.*

A. C. 655. Eugenius moritur, ſuccedit Vitalianus Papa. Hic voluit in templis cantui chorali addi organum muſicum. *Sigeb.*

A. C. 659. Conſtans Imperator fratrem ſuum Theodoſium interficit. *Ced.*

A. C. 663. Venit Romam Conſtans, ſacra vaſa omnemque ornatum Eccleſiarum ſecum aufert. *Diacon.*

A. C. 664. Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus moritur, ſuccedit Conſtantinus, Monothelitarum adverſarius.

A. C. 666. Conſtantino ſuccedit Theodorus verſutus Monothelitâ *Niceph.*

A. C. 668. Conſtans Imperator in Sicilia occiditur, ſuccedit filius Conſtantinus Pogonatus. *Cedr.*

A. C. 669. Vitalianus Papa moritur, ſuccedit Adeodatus. aliter Onuphrius & ſæpe.

A. C. 676. Adeodatus moritur, ſuccedit Donus Papa, iterum diſſentit à Baronio Onuph. Omnia obſcura.

A. C. 677. Sudarium, quo B. Virgo dicitur à Metaphraſte deterſiſſe caput Chriſti de cruce depoſiti, ac deinde tradidiſſe Joſepho ab Arimathęâ, ut eo inter lintea ſepulcralia uteretur, poſt reſurrectionem Chriſti primitus dicitur poſſeſſum à Judæis credentibus in Chriſtum, uſque in quinctam generationem: deinde ab infidelibus uſque ad hæc ferè tempora. *Voſſius.* Eiſdem idem ſudarium, cum multas ſibi dvitias ex ejus benedictione cumulaſſent, eripitur. Per ignem probatur, & à Saracenis reſtituitur Chriſtianis. Fuit longum pedes octo. *Calviſius ex Beda.* Hoc hodiè oſtenditur Taurini & Veſuntii, illud pedum 12. hoc pedum 8. in utroque totius hominis effigies dicitur impreſſa. *Voſſius.*

A. C. 678. Donus moritur, ſuccedit Agatho Papa. Iterum variat Onuph. tam incertæ ſunt res Pontificum.

A. C. 680. In epiſtolam Agathonis ad Imperatorem, in qua deploratur rude ſeculum, ſic *Baronius*: *Intelligis probè, lector, quantum deploret Agatho Pontifex temporis hujus bonarum literarum ſterilitatem, cum ob aſsiduos Longobardorum motus exculta Latinitas, & ipſa Italia facunda ſcientiis, fuerit*

fuerit omnino iisdem inculta & sterilis reddita, ut opus fuerit è Britanniâ Theodorum accersere Theologum, quem nec habere licuit. Habes praterea in quantam Ecclesia redacta essent paupertatem, ut necessarium fuerit earum ministris corporali exercitatione sibi victum comparare.

Constantinus Imperator constitutâ Reipublicæ tranquillitate, factâ pace cum Saracenis, Bulgaro, & rege Avarum, ad pacandam Ecclesiam consilia sua transtulit: quam in rem generale Concilium indixit, Novembri mense cœptum, sequenti anno terminatum. Præsidente eodem piissimo, & Christo dilecto magno Imperatore Constantino, in secretario sacri palatii, quod cognominatur Trullus, & ex jussione ejus à Deo instructæ serenitatis præsentibus & audientibus Niceto glorioso exconsule, & plurimis aliis exconsulibus. Verba sunt synodi sextę: *Conveniente quoque sanctâ & generali synodo quæ per sanctionem Imperialem congregata est, id est, Theodoro & Georgio venerabilibus presbyteris & Ioanne venerabili Diacono, vicem agentibus Agathonis sanctissimi &c. & Georgio venerabili, &c. Episcopo Constantinopolitano, & Petro Deo amabili presbytero, locum servante sedis magna Alexandria, & Macario Archiepiscopo Theopoleos Antiochia, & Georgio religioso presbytero* &c. *Theodori venerabilis vicarii sedis Hierosolymorum* &c. *Residentibus gloriosis patriciis & consulibus ex latere piissimi Imperatoris Constantini, & ex lavâ quidem ejus parte residentibus venerabilibus vicariis Agathonis sanctissimi* &c. *à dextrâ verò ejus parte similiter residentibus Georgio sanctissimo archiepiscopo Constantinopolitano, & Macario sanctissimo Archiepiscopo Antiocheno, & Petro Deo amabili presbytero monacho, & loci servatore sedis magna Alexandria* &c. A. C. 681.

In eo Concilio, quinque probatis œcumenicis synodis decretum est, duas in Christo voluntates ac totidem actiones esse, quot in eo sunt naturæ, & qui secus docuerant monothelitæ pro hæreticis damnati sunt, ut Sergius, Pyrrhus, Cyrus, Paullus aliique, quibus & Honorius Romanus Pontifex in actis adjungitur, qui Heraclio Imperante sederat. Verùm hanc ab illo calumniã (de quâ posteâ latius) depellit Ioannes quartus, qui tertius ab eo pontificatũ tenuit, & an. C. 641. obiit: Ubi Honorium docet, Sergio de una in Christo voluntate subdolè interrogãte respondisse, duas nõ fuisse repugnãtes & contra-

rias, cujusmodi in nobis experimur; cæterum naturas in illo duas ac voluntates totidem ab eo agnitas fuisse. *Petavius.*

Idem Constantinus liberat Episcopum Romanum de pecunia persolvenda à recens creato Pontifice, retinet tamen jus confirmationis. *Anastasius.*

A.C. 682. Agatho Papa moritur & Georgius Episcopus Constantinopolitanus: in cujus locum succedit Theodorus monothelita, Baronio *pessimus, qui versipellis sub larva Catholica seu Orthodoxæ fidei hoc munere fungitur.* Hic est Baronio ille *actorum synodi corruptor, ille fur, qui aliundè in ovile descendit, ille lupus sub vestimentis ovium, qui suum nomen è numero damnatorum in Actis substraxit & Honorii Papæ addidit.* Hic Baronius operosè satis sub persona Theodori orationem ad Imperatorem fingit, ad corrumpenda pro suo arbitrio acta synodalia. Probabilia, fateor, multa adferunt Onuphrius, Baronius, & Petavius & alii pro Honorio; sed Maximi Monachi dialogum cum Pyrrho producit Onuphrius, & Baronius ex Vaticano, epistolam Ioannis IV, Petavius ex collectaneis Anastasii, tum variis, tum incertis.

Vide Bellarmin. lib. 4. cap. 11. de Pontif. Rom. & instruct. Theol. historic. lib 5. Serbesium.

Si hæc vera essent, quæ tot & tantis verbis, ex suspicione asserit Baronius, cur non statim publico scripto aut apologiâ tota Ecclesia Romana coram universo orbe impias illas Theodori fraudes ostendit? cur non aliud & authenticum exemplar, ut factum in Carthaginensi & Chalcedonensi conciliis, producunt? Cur id permisisset Imperator non Monothelita, sed Agathoni & Ecclesiæ Romanæ addictissimus, *orthodoxæ fidei conservator, rectæ fidei propugnator, pravæ doctrinæ expugnator, firmamentum Ecclesiarum, luminarium pacis, cujus vita est orthodoxorum vita. Novus Constantinus Magnus, novus Theodosius, novus Marcianus, novus Iustinianus, novus David, vir secundum cor Dei, qui non dedit somnum oculis suis, & palpebris dormitationem, donec per Concilium sextum ipsam rectæ fidei reperit perfectam prædicationem?* &c. Verba sunt Patrum ejusdem Concilii. Cur id permisissent 150. Concilii hujus patres, in tam publico & œcumenico monumento, quos omnes veritatis testes adducere potuisset Ecclesia Romana, omnes, inquam, orthodoxos, Agathonis observantissimos, Monothelitanę hęresios acerrimos hostes? Cur illud

Con-

Concilium purum & integrum ſine aliquâ correctione aut reprehenſione admiſit Leo VII. an. 707.? Cur Gregorius ſecundus id vocavit *Concilium ſanctorum, quod habuit conſilium Dei*, epiſt. ad Germanum? Cur Adrianus I. approbat verba Tharaſii admittentis hanc ſanctam ſynodum cum omnibus canonibus &c, Concilio ſeptimo? Cur ipſum Concilium Nicęnum ſecundum, in cujus actione ſeptimâ idem Honorius damnatur, ſtatuit Concilium ſextum ſanctum eſſe & œcumenicum? &c. Cur novis his Ariſtarchis ſolis tam firma habenda fides, qui ex conjecturis & ſcriptis incertis, hęc totî mundo perſuadere ſatagunt, ut omnes Pontifices Romanos ab errore in rebus fidei vindicent? Interim errare poſſe Pontificem Romanum defenderunt integræ Academiæ & Guiliemus Occam in ſuo dialogo apud Goldaſtum, & Alphonſus à Caſtro lib. 1. cap. 4. contra hæreſ. & Ambroſ. Catharinus in comment. ad Galat. 2: Hadrianus VI ipſe Papa ſic loquitur quæſt. in 4. ſententiam de Confirmat art. ult. *Ad ſecundum principale de facto Gregorii, dico primò, quod ſi per Eccleſiam Romanam intelligatur Papa, certum eſt quod poſſit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæreſim per ſuam determinationem & decretale aſſerendo. Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici* &c. Errarunt Marcellinus, Vigilius, Liberius, &c. nec hoc ita novum videri debet, cum Chriſtus pro ipſo Petro oraverit, ne ipſius fides deficeret. Luc. 22.

Ut ipſa veritas manifeſtius appareat, in Concilii actis hæc reperies. In exclamationibus Patrum Concilii, actione 16, cum reliquis Honorio hæretico dicitur anathema: In definitoriâ Concilii ſententiâ cum cæteris damnatur Honorius, & poſt ſubſcriptiones anathematizatur: In acclamationibus, poſt ſubſcriptionem Conſtantini Imperatoris Honorio dicitur anathema: in acclamatorio ſermone à ſancto univerſali Concilio poſt infinitas laudes Imperatoris Honorius ſubjicitur anathemati: Actione 18. in epiſtolâ Conſtantini ad Eccleſias Occidentales, in initio & ſub finem, ut etiam in epiſtolâ Leonis II, ad Conſtantinum Imperatorem, damnatur cum reliquis Honorius. Idem habet ſynodus Quini ſexta, & vide ſimilia, ut diximus, in ſynodo Nicænâ ſecunda actione ſeptima & ultima. 2. in definitione ſanctæ, magnæ, & œcumenicæ ſynodi. 3. in epi-

Vid. Tom. Concilior. ſecundum.

ſtolâ Tharaſii & totius ſynodi ad Imperatorem Conſtantinum & Irenem ejus matrem. 4. in epiſtola ſynodi Nicænæ ad ſacerdotes & Clericos omnes. Idem docent plurimi hiſtorici, ut Cedrenus, Marianus Scotus, Abbas Urſpergenſis, Abbas Stadienſis, & alii ſcriptores.

Si vera ſunt quæ ſtatuit Baronius, ſumma cum ignominia Imperator Conſtantinus orthodoxotatos, glorioſiſſimi judices, Patres aut Epiſcopi 150, omnes orthodoxi, peſſimè ſugillantur: ſi non ſunt vera; accuſantur omnes poſt celebratum Concilium ſextum Honorii ſucceſſores, & ipſa Romana Eccleſia, quod Honorii honorem non ſatis tempeſtivè & animoſè defenderint.

A. C. 683. Mortuo Agathone Epiſcopo Romano, vacat ſedes Romana annum & menſes ſeptem, & eligitur Papa Leo II. *Hujus Leonis inſtitutum eſt, ac quidem ſanctum (quod utinam hodie obſervaretur) ne ad archiepiſcopatum aſſumptus pro uſu pallii aliorumve officiorum quicquam Eccleſiæ perſolveret, cum ex largitione multa quotidie mala orirentur.* Platina in vita Leonis II. Ille in ſua ad Conſtantinum Imperatorem epiſtola Honorium ſuum prædeceſſorem damnaſſe videtur, ſed magna eſt de hujus epiſtolæ veritate altercatio, & in hiſtoria Pontificum denſæ tenebræ.

A. C. 684. Leo Papa moritur, ſuccedit Benedictus II. In confirmatione hujus Benedicti Conſtantinus Imperator Clero Romano remittit confirmationem Pontificis, ita ut poſt obitum ſtatim illis liceat Pontificem eligere & confirmare, ne dum confirmatio Conſtantinopoli differtur, interregnum Paparum prolongetur. *Baron.*

Jus creandi Romani Pontificis uſque ad tempora Conſtantini Magni Imperatoris, cum Pontificatus potuit cruciatus potius dici, quam dignitas, haud dubiè penes collegium Romanorum ſacerdotum & populum fuit. Poſtea paulatim cœpit ejuſdem collegii, cum populi ſuffragio, ea electio firma eſſe, quam Conſtantinopolitanus probaſſet Imperator: idque inſtitutum duravit uſque ad annum ſalutis DCLXXXV. Quo quidem tempore Conſtantinus quartus Imperator ſanctitate Benedicti ſecundi permotus ſtatuit, ut quem jam inde ſacerdotum ſenatus populuſque Romanus Pontificem creaſſet, is verè ſucceſſor Petri haberetur: cum ante id tem-

tempus Constantinopolitani Principis & Italiæ Exarchi auctoritate ea sit dignitas rata habita, id quod postea haud diu est servatum: nam cum paucis post annis Gregorius tertius ac nonnulli alii deinceps Pontifices Longobardorum injuriis pressi, nihil auxilii à Constantinopolitanis principibus haberent, ad Carolum primò Martellum & Pipinum, deinde ad Carolum Magnum, ipsius Pipini filium Francorum reges confugere coäcti sunt. Quas ob res Leo tertius ipsum Magnum Carolum fecit Imperatorem, cujus successores consueverunt itidem Pontificis electionem confirmare. Atque sic usu venit, ut tum primum tutela Romani Pontificis ab Imperatoribus Constantinopolitanis ad alios translata sit. Postremò circiter annum salutis MLIX. Nicolaus secundus Concilio celebrato Pontificum, electionem ad Cardinales illos, qui, animarum curam gerebant, tantum reduxit, idque hodie servatur. *Platina, Onuphrius & alii.*

Theodorus Episcopus Constantinopolitanus moritur, succedit Paulus ex laico, & magna est scriptorum inopia. *Niceph.*

Constantinus Imperator moritur, succedit Justinianus filius: & A. C. 685. Benedictus Papa moritur, succedit Ioannes V. Manichæi jussu Imperatoris in Armenia comburuntur.

Joannes V. moritur, succedit Papa Conon. A. C. 686.

Conon moritur & schisma oritur inter Theodorum & Pa- A. C. 687. schalem, qui Exarcho promittit centum auri libras si se Pontificem faciat: sed primores Judicum, & exercitus Romanæ militiæ, & Cleri plurima pars, & præsertim sacerdotum & civium multitudo Sergium eligunt: Schismatici ostia Palatii muniverant, sed pars quæ Sergium elegerat, quia validior erat, prævaluit &c. *Divino Spiritu*, inquit Baronius, *omnia dirigente.* Hic instituit, ut tempore cœnæ Domini canatur Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *lib. Pontif.*

Hoc tempore Francorum Reges, sive quod puerili ætate re- A. C. 688. gnum caperent, sive socordiâ aut voluptuosâ vitâ jam imbelles penitus redditi, procul aberant ab administratione regni, adeò ut in ducibus exercitus, seu palatii præfectis, Majores domus vocabant, totum esset regni regimen collocatum. Pipinus Ansegisi fi-

lius hoc aut præcedente anno eam dignitatem cœpit ; summus sanè vir, & Francorum Imperio dignus. Huic fuit filius ex Elpaide pellice Carolus Martellus : quo uno postea Francici nominis dignitas stetit. Pipinus domitis Frisonibus, eorumque duce Ratbodo, ac Franciæ regno 27. annis summâ ęquitate gubernato, moritur anno 714. cui Carolus successit.

Willebrordus ab Egberto Archiepiscopo Eboracensi missus in Frisiam, ut eam à paganâ religione ad Christianam converteret, ex Anglia in Germaniam, cum sociis undecim profectus, ut Suiberto, Lebuino, Marcellino &c. venit Trajectum, quod tum Frisones occuparant ; sed non receptus, circa vicinos oberrat. Pipinus Major domus Galliæ Ratbodum Trajecto pellit & ferè regno ejicit, Willebrordum ad Frisios mittit, qui eos docuit religionem Christianam. *Beda & Beka.* quam tamen anteâ iisdem prædicaverat, Winfridus, postea Bonifacius dictus.

Sub Justiniano juniore Constantinopoli in Trullo (ita palatium nuncupatur, in quo etiam celebratum fuit Concilium sextum œcumenicum, sub Constantino Pogonato) synodus habita est Episcoporum 227. ad supplendas quintam & sextam œcumenicas synodos, in quibus nulli erant Canones editi, sed tantum de fide & personis actum.

In hac synodo cum Callinicus Constantinopoli esset Episcopus, canones conditi sunt centum & duo, aliis plures, quæ ob prædictam causam à Græcis dicta fuit πενθέκτη, id est, Quinisexta. Patres hanc synodum ab Imperatore Justiniano convocatam, vocant sanctam & œcumenicam, & canones more antiquo Imperatori offerunt, qui ab eodem subscribuntur. Rejectum quidem fuit illud Concilium Quinisextum à Sergio, ejusdem temporis Papa, quia in eo quidam Canones ei displicebant, ut testatur in ejusdem vitâ Anastasius; qui tamen postea à patribus Concilii Nicæni secundi, & à Papa Adriano approbati & suscepti sunt eâdem reverentiâ, quâ œcumenicum Concilium sextum sub Constantino Pogonato celebratum an. C. 680. Nam in hoc secundo Concilio Nicæno, inquit Tharasius, Episcopus Constantinopolitanus, & ejusdem Concilii præses, *eidem patres qui sextæ synodo interfuerunt, hos canones collegerunt,*

legerunt, iisdemque subscripserunt, sub Imperatore Iustiniano, Constantini filio &c. Vide ejusdem synodi Nicænæ actionem 4. & 8. & epistolam Adriani ad Tharasium actione 2, &c.

Magnæ exinde ortæ sunt contentiones Imperatorem inter & Sergium propter Canones synodi Quinisextæ. Causam ejus ut videas, addam tres ejusdem synodi Canones à Sergio forte rejectos. 1. Canon 13. prohibet separari conjugatos presbyteros & diaconos ab uxoribus; & conjugatos tali honore dignos ab illo gradu non prohibet, & vetat tempore ordinationis postulare, ut à consuetudine uxoris abstineant, additis locis S. Scripturæ & Canone Apostolico quinto. hoc tantum jussum, ut uxoribus abstinerent tempore administrationis Mysteriorum. 2. Canone 36. renovatur constitutio Patrum Concilii Constantinopolitani primi, & Patrum Concilii Chalcedonensis, ubi post Episcopum veteris Romæ, novæ Romæ Episcopus statuitur honore secundus, Alexandrinus tertius, Antiochenus quartus, & Hierosolymitanus quintus. 3. Canon 55. Cum Romæ sabbatis jejunaretur, vult ibidem servari canonem Apostolicum 66, quo jejunium sabbatis & diebus Dominicis prohibetur. Ab hoc tempore Ecclesia Orientalis & Occidentalis à se mutuò paulatim sunt distractę & alienatæ; sed vide *Binium*.

Justinianus Imperator crudelis, truncatis naribus Chersonesum in exilium mittitur, in illius locum Leontius Imperator salutatur. A. C. 694.

Pulso Radbodo Willebrordus an. 695. ędiculam S. Crucis struit prope castrum Wiltenburch. An. 696. à Pipino de Herstallo, patre Caroli Martelli Romam mittitur, ut Episcopus Frisiorum à Sergio Papa ordinaretur: quod obtinet, & Clemens vocatur. Cum an. 697. rediret, cœpit Cathedrale ædificare templum B. Martino sacrum Trajecti, à Gallis sic dicti, quod antea Wiltenburch appellabatur. *Atque hic locus sedis Episcoporum, cum eò multi vicini confluerent, paulatim in urbem coaluit, ut loquitur noster* Buchelius. qui addit: *In loco, qui hodie Wiltenburgh dicitur, quondam fuit castrum Fethna, quod aliud à Trajecto erat, ut ex donatione Caroli Martelli de castris Trajecto & Fethna liquet, & territorium, quod modò Vectense dicitur, satis indicat.* Hic Willebrordus fuit primus Ultrajectensium Episcopus, qui reliquit librum de peregrinatione sua. Obiit an. 737. cum annis 40. Eccle- A. C. 695.

siam

ſiam gubernaſſet, Hollandos & Friſios convertiſſet. Vitam ejus fuſè Alcuinus, brevius antem Ioannes Beka deſcripſit. *Voſſius, Molanus.*

Willebrordi comites, & inter eos præcipuus Suibertus vicinas regiones peragrantes, Zelandiam, Hollandiam Tranſiſulaniam, tractumGroeningenſen,Gelriam,Weſtphaliam ad Chriſti fidem convertunt & ibidem in diverſis locis templa ædificant. Omnes dictæ regiones ſub nomine Friſiæ ferè comprehendebantur, & prædicti Apoſtoli,Willebrordus cum ſuis ſociis erant Anglo-ſaxones; magna autem Saxonicę linguæ cum Friſica olim ſimilitudo fuit, ut loquitur *Buchelius.*

Ille Suibertus ſocius aut chorepiſcopus Wildebrordi adoleſcentem ſubmerſum reſuſcitaſſe fertur prope Malſem ad Lingam fluvium, ut habet Marcellinus, qui in Tranſiſulania Euangelium prædicavit. *Baron.* Idem Suibertus à Ratbodo Friſiæ rege interficitur,quod ſtatuam Jovis&Feſtæ(fortèVeſtę)evertiſſet. *Annales Friſii.*

Leontius Imperator præciſo naſo in monaſterium detruditur, & Tiberius Abſimarus in ejus locum ſuccedit.

Ingens numerus Saracenorum in Syria àRomanis cæditur. Mirum auditu tam numeroſam fuiſſe gentem Saracenorum, poſt cæſos tam ingentes exercitus, poſt occupata tot & tanta regna: Nam intra ſexennii ſpatium ſibi ſubjecerunt Ægyptum, Arabiam, Phœniciam, Palæſtinam, Syriam & Meſopotamiam. *Cedr.*

Infans novem dierum fatur,& dicit ſe non eſſe filium Sergii Pontificis, quod vulgò ferebatur, & ſic ab infamiâ liberatur. *Baron.*

Sergius Papa moritur, ſuccedit Joannes VI.

Regnum Hiſpaniæ à Gothis id poſſidentibus datum Eccleſiæ Romanæ, ante adventum Saracenorum, ſcribit Gregorius VII. in duabus epiſtolis, Tomo 3. epiſt. Rom. Pontificum. *Baronius. Gratum opus Hiſpanis.* Sed ſic ea de re loquitur Mariana Hiſpanus lib.9. cap. 5. *Romani præterea Pontifices Hiſpaniam ſibi vectigalem reddere cogitarunt: ut argumento ſunt literæ Gregorii VII ad reges, comites, cæteroſque Principes Hiſpaniæ, id confirmantis antiquis temporibus obſervatum, priuſquam à Mauris Hiſpania eſſet everſa. Verum iis conatibus nihil eſt profectum, ac verò pari animorum conſtantiâ obviam itum rerum eventus declarat, retentâ ſemper à noſtris immunitate.*

Juſti-

Iuſtinianus ope Regis Bulgarorum Imperium recuperat, Leontium & Tiberium Abſemarum capite truncari jubet, multosque ſenatores & patricios, plurimosque civium & militum interficit. *Theophanes*, *Cedrenus*, *Zonaras* &c. A. C. 703.

Aripertus Rex Longobardorum circa hæc tempora Cottias Alpes, quæ quondam Imperii fuerant, ſed à Longobardis hactenus poſſeſſæ, Pontifici Romano donat, & donationis inſtrumentum, aureis literis ſcriptum, Romam mittit. *Diaconus*. Hæc eſt omnium prima Provincia, à Romano Papa poſſeſſa, cum tamen non niſi ſerò factus ſit Dominus Urbis.

Joannes VI. Papa moritur, ſuccedit Joannes ſeptimus. A. C. 705.

Joannes VII. & Siſinnius Papæ moriuntur, ſuccedit Conſtantinus, qui proficiſcitur Conſtantinopolin ad Juſtinianum Imperatorem, ſed ſcriptorum inopiâ quid ibi egerit Papa ignoratur. niſi de canonibus additis ad quintam & ſextam ſynodum ex conjectura *Baronii*. A. C. 707. 708.

Juſtinianus II. orthodoxus, ſed fortunæ ludus, cum filio Tiberio à Philippico tyranno & Monothelita occiditur & capite truncatur. *Theophanes*. A. C. 711.

Hoc tempore Roma per Duces ab Imperatore miſſos gubernabatur, hinc Ducatus Romæ dici conſuevit.

Sexta ſynodus celebrata Conſtantinopoli in Trullo in, qua Monothelitæ damnati, per Philippicum Imperatorem & Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum Monothelitas, orthodoxis uno quaſi momento in Monothelitas verſis, à numeroſiore fortè ſynodo damnatur. *Baronius & Concilia*. A. C. 712.

Romani non admittunt imaginem Imperatoris, nec cuſam in nummis. *Anaſtaſius*.

Philippicus Imperator ejicitur, ſuccedit Anaſtaſius aut Artemius Catholicus. *Cedr*. A. C. 713.

Saraceni Hiſpaniam occupant ope Juliani Comitis Tingetani, & Rodericum Gothorum Regem occidunt, qui uxorem aut filiam Juliani ſtupraverat.

Conſtantinus Papa moritur, ſuccedit Gregorius II. A. C. 714.

Onuphrius in vita Conſtantini Papę ad Platinam: *Primus omnium Romanorum Pontificum Imperatori Græco Philippico in os reſiſtere palam auſus fuit Conſtantinus Papa. Imperator enim in iconomachia hæreſin lapſus, ſanctas imagines ubique tollendas eſſe etiam Romano Pontifici juſſerat,*

rat, quod ille facere constantissimè recusavit. Leoni vero III. similia jubenti Gregorius, qui Constantino successit, majora ausus, Italicum Imperium, quod de Longobardis supererat, jure eripuit an. C. 729. Gregorius deinde tertius, quem secundus successorem reliquit, Orientalibus destitutus auxiliis primus ad Francorum opes, longè latèque patentes confugit, & ab ipsorum Duce Carolo Martello, Pipini postea Regis patre, auxilia contra Longobardos Romam vexantes postulat; quæ res simul incœpta, cum Longobardici regni excidio finita est. Anastas. in vitis Pontificum. Paul. Diacon. l. 6. c. 11. & 13. historia Longobardicæ. Aimonus l. 4. c. 57. item annales Constantinop. qui sub Eutropii nomine circumferuntur, l. 21. quorum auctor fuit Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, quos Anastasius è Græco in Latinum vertit. Hactenus Onuphrius.

Pipinus de Herstallo Franciæ major domus moritur, cui succedit ille fortissimus Carolus Martellus, ex Elpaide pellice filius. *Sigeb.*

A.C. 715. Anastasius seu Artemius relegatur in monasterium, & Theodosius IV. creatur à militibus Imperator, qui quietis quam imperii magis cupidus seipsum abdicavit, cui successit Leo Isaurus. *Cedr.*

A.C. 717. Saraceni Constantinopolim tres annos obsident, sed frustra.

A.C. 719. Hoc tempore vixit Winfridus Anglus, postea dictus Bonifacius, Germaniæ vocatus Apostolus, & successor Willebrordi. *Joannes de Beka.*

Radbodus rex Frisiæ moritur, succedit Adgillus filius, qui paulò post religionem Christianam suscipit. *Annal. Frisii.*

Sub Leone Isaurico an. C. 719. Saraceni vastatâ Asiâ, & expugnatâ Pergamo, Byzantium obsidentes, magnâ eorum clade repelluntur. *Miscella.*

Carolus verò Martellus post victos Francos, Saxones, Alemanos, Bojoarios, Noricos, & Eudone Aquitaniæ duce fugato, Aquitanos subegit: Eudo rebus suis diffisus Saracenos ex Hispaniis cum
A.C. 725. eorum Rege Abdiramâ in subsidium excivit: quibus sacra profanaque populantibus, occurrit Carolus prope civitatem Turonensem, eosque cum ipso Rege internecione concîdit. Cæsa sunt uno die ad trecenta septuaginta quinque millia, cum ex Francis 1500. haud amplius desiderati sint. *Anastasius in vita Gregor. II.*

INDEX

RERVM & VERBORVM,

Quæ in hac parte prima continentur.

A.

Abelis interitus. pag. 2.
Adrianus in imperio succedit Trajano. 156. *Iudæos ridet ac internecione delet.* ibid. *Christianos persequitur.* ibid. *damnari rursus vetat.* p. 164. *librum à Quadrato pro Christianis scriptum excipit.* ibid. *moritur.* 165.
Adulteræ doctrinæ genera, quæ sub Apostolis fuerunt. 144. 145. 146.
Æræ Christianæ initium. 73.
Ἀγάπη charitatis convivium. 87.
Ἀγάπη seu modus convivandi in veteri ecclesiâ. 227. *convivium hoc tollitur.* 229. *non multum differt à Charistiis Romanorum.* ibid.
Agrippinus Episcop Carthaginensis concilium convocat de rebaptizandis hæreticis sine ullâ contradictione Episcopi Romani. 300
Alexander Magnus moritur.
Alogerum historia. 340. 341. &c.
Alpes Cottiæ Romano Pontifici dono dantur à rege Longobardorum. 729.
Altaris in Missa usus quando cœperit. 326.
Anacletus martyrio moritur. 154.
Anastasius succedit Siricio Papæ. 524. *damnat Origenis errores.* 525. *moritur.* 526.
Anastasius Orientis Imperator fit. 642. *pacis ecclesiæ studiosus.* ibid. *Hæsitantium sectator.* 645. *conqueritur de rigore Romanorum Episcoporum.* 651. *moritur.* ib.
Anathema & Maranatha à Synagogâ transiit ad Ecclesiam. 251. *quid sit.* ibid.
Anicetus Papa Rom. 255. *cum Polycarpo discrepat circa festum Paschatis & reconciliatur.* 256. *moritur.* 272.
Angli convertuntur ad Christum. 616.
Angliæ historia ecclesiastica. 699. 700.
Animæ origenis quæstio. 706.
Annus nativitatis Christi quis. 73. *opiniones diversorum.* ibid.
Antiochia diro terræ motu concussa. 154. *terræ motu & incendio absumitur.* 664. *in tres factiones scinditur.* 466. *tres ibi Episcopi & quinque sectæ.* ib.
Antiochenæ ecclesiæ initium. 90. *ejusdem primitiæ.* 98 99.
Antonius Caracallus Getam fratrem occidi jubet. 291. *Sævit in Papinianum.* 292. *occiditur.* 300.
Antonius Magnus cum multitudine monachorum deserta Ægypti permeat & possidet. 414.
Antoninus Pius succedit Adriano in imperio, sub hoc Christiani valdè multiplicantur. 165. 166. 167. *edicto cavet ne quis injuriâ afficiat Christianos.* 254. *moritur.* 255.
Apollinaris. 496. *Episcopus Laodicenæ condemnatur.* 479. *ejus dogma.* 496.
Apollonia martyrio perit. 312. *dolorem dentium invocata tollit.* ibid.
Apollonius martyr. 105.
Apostolorũ Concilium Hierosolymitanũ. 92.
Apuleius quando vixerit.
Aquila ex gentili factus Christianus & post Iudæus. 306.
Arausicana Synodus. 668. *contra prædestinatianos.* 669.
Arabum origo. vide Saraceni.
Arca Noë. 3.
Archelaus Herodis successor. 75. *Viennam relegatur.* ibid.

 Ariadna

Ariadna Zenonis uxor imperatoriam majestatem in Anastasium defert. 361.
Arnobius Rhetor, Lactantii magister Christianos defendit. 362.
Aaron. 6.
Arius quis. 395 *ejus dogma.* 396. *libri ejus combusti.* 400. *in exilium missus.* ib. 413. *Arriani restituuntur.* 418. *omnes persequuntur qui consubstantialem Patri filiũ credũt* 469. *Arrius moritur.* 419 *Arriani superiores.* 440 *edicto restituũtur.* 513.
Arsacius invito populo in locum Chrysostomi creatur Episcopus. 581.
Artemon & Paulus Samosatenus Hebionitarum haresim sequuti. 127.
Asclepiodorus & Theodotus trapezita discipuli fuerunt Theodoti Bysantini. 127. *Natolium seducunt.* ibid.
Athanasius Episc. Alexand. creatur. 413. *dissentit cũ Eusebio Nicomedia Episc* 417. *damnatur in cõcilio Tyrensi.* ib. *relegatur Treviros in Gallias: dignitati restituitur.* 418. 422. *fugit Romã ad imperatorẽ.* 423 *secũdo dãnatur.* 430. *restituitur dignitati* 431. 436. *fugit in Eremum.* 441. *revertitur Alexandriam.* 460. *ibi concilium convocat.* ibid. *moritur.* 478.
Athanas. apolog. scribit pro Christian. 256.
Attila Hunnorum Rex. 630. *Flagellum Dei.* ibid. *Italiam vastat.* 631.
Avaritia Monachorum & Clericorum à Valentiniano cohibetur. 473.
Auctoris sententia de scriptis veterum suppositiis vel incertis. 113. *Ejusdem sententia de cœnobitis.* 317.
Audiani qui. 426.
Augusti Caesaris mors. 75. *ejus dictum de Herodis infanticidio.* ibid.
S. Augustinus quos adversarios habuerit. 191. *quando floruerit.* 500. *transit ad Platonices.* 515. *ejus genus.* ibid. *orat pro mortuis.* 515. *Agapas tollit.* 517. *fit Episcopus Hipponensis.* 520. *Monasteria in Africam invehit.* 536. ib. *scribit opus de civitate Dei.* 536. *mittit Orosiũ ad Hieronymum regatum de origine animarum* 540. *interfuit concilio Milevitano, ubi condẽnatus Pelagius & Cœlestius.* 542. *refutat Pelagium.* 547. *moritur.* 565. *Auctor fuit absoluta prædestinationis.* 565. *sententia ejus de gratia & libero arbitrio.* 579.
Aulus Gellius quando vixerit. 255.
Aurei in ecclesia seculi finis. 360.
Aurelianus summa crudelitate in Christianos grassatur, & innumeros facit Martyres. 358. *occiditur fulmine territus.* 339.
Ausonius Gallus creatur Roma consul. 493.
Auxentius Episcopus Mediolani arrianismo damnatus, Episcopatum tamẽ ad vitã reservat. 472.
Azymo an fermentato in Eucharistia veteres usi fuerint. 219.

B.

Baptismi institutio. 87. *ejusdem ritus & origo.* 236. 237. *infantium baptismus.* 338. *Adultorum.* 239.
Baptismus V. Testamenti. 247. *Baptismus N. Testamenti.* ibid.
Baptizati altari admoventur. 241. *fiunt participes Eucharistia.* 241.
Baronius. 57.
Basilius Episc. Ancyra disputat cũ Photino Syrmiensi Episcop 437. *superior evadit.* ib.
Basiliscus Tyrannus Orientis imperium invadit. 637. *hujus nutu acta concilii Chalcedonensis damnantur à Patriarchis.* 638. *fame perit.* ibid.
Bellum Ecclesiasticum. 527. *in Occidente contra Pelagium Pontificem Romanum qualefuerit.* 683.
Belli Iudaici origo. 119. *confectum imperatore Vespasiano.* ibid.
Bellum Trojanum. 58.
Benedictinorum origo. 416.
Benedictus Nursinus primus in Occidente fuit Monachus. 416.
Biblia à 70 interpretibus (curante Ptolomaeo) in linguam Graecam vertuntur. 305 *tripartita ab Origine concinnantur.* 305.
Biblia Hesychii, Origenis, Luciani. 306.
Boëthius & Symmac. capite truncãtur. 647.

Boni-

Bonifacii Episcop. Vltrajectin. dictum de sacerdotibus aureis. 304.
Burgundi fidem Christi sequuntur. 565.
Caini qui. C. 175.
C. Caligula imaginem suam in templum introducere nititur. 89. occiditur. 90.
Captivitas Babylonica 13.
Cardinalis Contareni sententia de justificatione. 192.
Cardinalium origo. 124.
Carolus Martellus major Domus Galliæ. 726. post victos Gallos, Francos, Aquitanos subigit. 730 uno die cadit 370000. hostes, cum ex suis vix 1500. desideraverit. 730.
Carpocrates & Hebion sectantur Cerinthum. 127. 173.
Carthago (quondam æmula Romæ) capitur & miserè diripitur. 612.
Catechumeni qui. 240. 410.
Cathedra Romana initium. 98.
Catholici & œcumenici vocis differētia. 697.
Ceremoniarum & rituum in ecclesiâ causa. 282. 283. 284. &c.
Ceremoniæ plurimæ à Papa Damaso & Gregorio Magno instituuntur. 241.
Cereas incendere interdiu in cœmiteriis non prohibetur. 385.
Cerinthi hæresis. 127. 340.
Chalcedonense concilium damnat Dioscorum. 528.
Chalcidii philosophi opinio de stella in natali Christi orta. 75.
Charitatis convivium Ἀγάπη 87. 227.
Chiliastæ. 154.
Chiliastarum error resurgit. 539.
Chorepiscopi qui. 391. 428.
Christianismi totius disruptio. 443.
Christiani primi in Palæstina Nazaræi dicti. 121 nomen eorum quando primum cœperit. 89. à Deo fulmina consequuntur, quibus hostes cæsi. 272. lignum pulsant ante conventum. 137.
Christus baptizatur à Iohanne. 76. 77. cœnam dominicam instituit. 85. ejus cōparatio & designatio sub variis figuris. 41.
Christi concio in monte. 78. oratio. 79. corpus suum mysticè offert. 198. promissus. 35. 36. resurgit. 86. novies apparuit discipulis. ibid.
Chrysostomus. vid. Iohannes.
Circumcisio. 5.
Claudius succeßit Caligulæ. 90.
Clemens Alexand Originis magister. 276.
Clementis Romani genealogia. 109.
Clemēs Roman. martyrio vitā claudit. 134.
Clemens succeßit Cleto. 122. scribit epistolam ad Corinthios: Ecclesiæ notariis martyrum gesta perquirere jussit. 124. pulsus in exilium. 126.
Clericorum in ecclesia origo 375. clerici qui sint. 387.
Cletus succedit Lino. 121. moritur. 122.
Cledoveus Francorum Rex à S. Remigio baptizatur. 650. sedem regni Lutetiis constituit. ibid. concilium Aurelianense convocat. ibid. moritur 658.
Codex Theodosianus & Novellæ registrantur cura Theodosii junioris. 611.
Calestius Pelagii discipulus. 539. damnatur. ib. 441.
Cœlius Cyprianus eligitur Episcop. Carthaginēsis. 307. opinione privata erravit 317. cum Steph. Episcop. Rom. dissentit. 316. ob quæstionem de rebaptizandis hæreticis neminem vult excommunicare. 319. quantus vir fuerit. 327.
Cœmiterium quid significet. 454.
Collyridianorum hæresis. 485.
Colossi statuæ magnitudo. 719.
Commodus Imp. strangulatur à suis. 276.
Communicatum fuit ab omnibus sub utraque specie usque ad annum. 1415. 223.
Competentes qui. 240. 410.
Concilia œcumenica quatuor quæ. 427.
Conciliū primū post tēpora Apostolorū. 300.
Concilium Ancyranum 388. Antiochenum primum 338. 426. secundum 339. Arelatense 381. Donatistas condemnat. ib. canones hujus concilii. ibid. tertium damnat prædestinationem. 640. Ariminense. 446. Aurelianense jussu Cledovei convocatur

convocatur 650. *Carthaginense primum.* 300. *secundum.* 315. *tertium.* 319. *damnat usum nominis primi seu principis sacerdotis.* 524. 540. *quartum statuit calibatum Episcoporum, presbyterorum & Diaconorum.* 526. *quintum celeberrimum & ejus canones.* 547. 548 *Chalcedonense & ejus causa.* 621. *hujus canones.* 623. *Iustiniani edicta adversus tres canones.* 679. *Constantinopolitanum secundum.* 494. *quintum Oecumenicum.* 682. 683. *Sextum in Trullo habitum.* 729. *Eliberinum.* 383. *Ephesinum.* 430 *Episcoporum contra Nestorium convocatur.* 602. *hic Papa Romani legatus non prasidet.* 603. *ejus canones.* ibid. *usque ad* 607. *ab Imperatore indicitur non à Papa Romano.* 617. 618. *Gangrense.* 392. *Hierosolymitanum primum.* 92. *ejus decretum de suffocato* 93. *secundū.* 417. *Lampsacenū* 469. *Laodicenum.* 452. *ejus canon de libris S. Scriptura.* 116. *Matisconense in Galliâ* 689. 691 *diem Dominicum celebrari jussit.* ibid. *Mediolanense.* 440. *Milevitanum primum statuit non licere provocare ad concilia transmarina* 526. *secundum.* 544 *ejus canones.* ibid. *Neocasariense* 391. *Nicanum Oecumenicum primum.* 399. *Romanum.* 424. *Sardicense.* 431. *Seleuciense.* 448. *Sirmiense* 437. *secundum.* 442. *Tyrense.* 417. *Tridentinum de Symbolo fidei.* 208. *ejus sententia de mixtura vini cum aquâ.* 215.

Concilium Oecumenicum in Trullo habitum. 721. *in hac Synodo centum & duo canones conditi.* 726.

Confessio auricularis non fuit universalis sed pracipuè in ecclesiâ Occidentis. 515.

Confessio fidei concilii Antiocheni. 429. *Sirmiensis primi.* 437.

Confessio publica & privata in Veteri Ecclesiâ. 246.

Confirmatio quid & quando fiat? 241.

Consensus patrum primitivæ ecclesia de persecutione Christianorum, 655. 656. & seq.

Constantinopoli in concilio movetur quæstio de primatu sedis Constantinopolitana. 612.

Constantinopolitana ecclesia & Romana aqualis dignitas. 626. 628. & seq.

Constantinopolitani Episcopi dignitates. 495. 496.

Constantinus de eligendo Deo deliberans crucem in cœlo vidit. 371. *Imperator fit summus Pontifex.* 373. *promulgavit edictum pro libertate religionis Christiana.* 373. *Donatistarum causam Episcopis quibusdam judicandam committit.* 379. *prasens est in concilio Arelatensi.* 381. *ad pacem hortatur Episcopos.* 412. *Arrianos restituit.* 418. *Bysantium extruit.* 413. *multos Constantinopolim allicit donis.* 413. *moritur.* 419.

Constantinus Peganatus pacem cum Saracenis facit. 721. *generale concilium indixit ad pacandam ecclesiam.* ibid. *prases concilii in Trullo.* 721.

Constantinus Papa Rom. 729 *proficiscitur Constantinopolim.* ibid. *Imperatori Graco in os resistit.* 729.

Consuetudo quantum valeat? 281.

Cornelius centurio primus è gentibus ad Christi fidem perducitur. 89.

Cornelius Episcopus Romanus eligitur. 308. *mittitur in exilium.* 312.

Corona & potestas Imperialis Papa Romano à Constantino non fuit data. 430.

Crucis ceremonia. 286. *figura in cœlo conspicitur.* 440. *quis in primitivâ ecclesiâ signi crucis usus fuerit.* 371.

Cunai opinio de Melchisedeco. 40.

Curcellai argumenta de Christi Deitate. 342. 343.

Curiositas indagandi Sacras literas quid mali ubique & hic in Fœderato Belgio pepererit. 462. 463. 464. 465.

Dama-

D.

Damasus Ursicino vi armorum superior, fit Papa Romanus. 469. convocat Synodum contra Auxentium Arrianum. 472. non dignatur responsum Basilio. 489. moritur. 504.
Daniel Propheta. 14.
David. 8.
Defuncti martyres quando adorari cœperint in ecclesiâ 470. an rectè. 471.
De gratiâ & libero arbitrio tres diversæ sententiæ. 577. Patrum primitivæ ecclesiæ de his sententia. 578. Augustini sententia. 579. Monachorum Adrumetinorum sententia. 587. horum omnium historica narratio. 589.
De justificatione Cardinalis Contareni sententia. 192.
Designatio Christi sub variis figuris. 41.
Diaconi cur fortè exercuerint ministerium offerendi panem & calicem 389.
Diei Dominicæ origo. 230.636. an à Sabbatho differat? 230. an ut Sabbathum celebratus fuerit in primitivâ ecclesiâ. 231. quomodo celebrandus. ibid.
Dignitatum Ecclesiasticarum ordo. 624.
Diluvium universale. 2.
Diocletianus Christianorum persecutionem omnium sævissimam instituit.
Dionisius Longinus securi percutitur.
Dioscorus Episcopus Alexandrinus jura ecclesiæ Antiochenæ usurpare conatur. 616. Leonem Pontificem Romanum excommunicat. 619. condemnatur & relegatur in exilium. 621.
Divisio regni Iudæorum & Israëlitarū. 45.
Dogmata vera à falsis ut distinguēda. 177
Dominus videbitur quid significet. 41.42.
Domitianus succedit Tito. 122. occiditur. 127.
Domus Dei ut ædificetur. 187. 188.
Domus major Galliæ quid sit? 725.
Donatistarum origo. 368. Donatistæ concilium 270 Episcoporum colligunt. 370. Constantinum compellant contra orthodoxos. 379. exilio damnantur. 396. revocantur. 397.
Donatistæ & Catholici congregantur ad reconciliationem. 537. à Catholicis fratres appellantur. quod indignantur. 537. 538. à Marcellino huic collationi ab imperatore præposito hæretici pronuntiantur. 539.
Donum linguarum. 87.
Ducatus Romæ unde nomen? 729.

E.

Ecclesia Antiochena initium. 90.
Ecclesia Dei perpetua successio. 42.
Ecclesiæ diversæ sub Antonino Pio numerantur. 167.
Ecclesiæ Edimburgena in Scotiâ irenica parænesis ad Lutheranos. 597.
Ecclesiæ facies depravata. 513.
Ecclesia juventa sub Abrahame. 3.
Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis schisma. 532. hujus schismatis causa. ibid.
Ecclesiarum Orientalium divisio per metropolitas Episcopos. 609.
Ecclesia primitiva habuit certa privilegia, quibus hodierna destituta est. 197.
Ecclesiæ regiminis initium. 87.
Ecclesiæ veteris & primitivæ forma externa & interna 196.197.198.&c.
Ecclesiæ veteris regimen. 373.480.481.
Eclipsis præternaturalis. 85.
Edicta primo homini data. 2.
Electi qui. 240.
Eleëmosyna & jejunium à Christo commendata. 81.82.
Elisæi prophetæ miracula. 10.11.
Enochi pietas.
Epicteti patria, mors &c. 105.
Epiphanius Episcop. Salaminæ floret. 479. libri ipsius. ibid. forma ecclesiæ sui temporis interna. 480. externa. 481. moritur. 528 529.
Epphata quæ? 540.
Episcopi à quibus creentur. 376. Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, authoritate pares. 407.

Episcopus Romanus cujus dignitatis sit? 673. *quanti ejus autheritas valuerit apud Hispanos.* 314. 315. *non est Episcoporum Episcopus.* 319. *sedis sua auctoritatem supra alias promovere conatur.* 645. *falli & errare potest.* 325.
Epistola Ecclesia Smyrnensis de Polycarpo. 264.
Erasmi sententia de auctoritate Pontificis. 415.
Eremitarum origo. 414.
Esdras Hierosolymam venit. 16. *potestate Regia non utitur.* ibid.
Essenorum secta origo. 24. 27.
Euaristus succedit Cleto. 126. *Episcopus Romanus.* 154. *moritur.* 156. *aquam sanctam instituit.* 156.
Eucharistia quid. 217. 218.
laicus sub utraque specie exhibetur. 391.
Ἐνεργούμενοι qui. 410. *quem locum in templis habeant.* ibid.
Euphemius Patriarcha Constantinopolitanus pellitur in exilium. 644.
Eusebius Casarea Palastina Episcopus moritur. 423. *libri ejusdem.* ibid.
Eutyches condemnatur. 616. *ejus haresis.* 617. *absolvitur.* 618. *condemnatur rursus in concilio Chalcedonensi.* 621.
Exarchus quis. 625.
Excommunicatio quid. 252.
Exodus ex Ægypto. 6.

F.

Faustus Regiensis Episcopus contra pradestinationem scribit. 640. *ad Pelagianismum lapsus.* ibid.
Festa prisca Ecclesia. 234.
Flavius Iosephus Historiam absolvit. 124. *quomodo legendus.* 29. 30.
Florinus Presbyter Romanus. 176. *ejus haresis.* ibid.
Fides catholica & vera. 178. 179. 180. 181. 182. 258.
Fidem perdere quid Baronio sit. 696.
Fides semel data minui neque augeri potest. 211.
Fidei Symbolum conscribere aliis quam verbis S. scriptura non convenit. 438.
Firmiliani Casarea archiepiscopi laus. 320. *accusat Episcop. Romanum.* 321.
Franc. Spanhemii de infirmis in ecclesia judicium. 193. 194.

G.

Galba Neroni successit. 119.
Galenus quando vixerit. 255.
Galilaorum secta origo. 29.
Gelasius Papa Romanus Auctoritatem ecclesiasticam supra alios omnes usurpat. 646. *acriter contra Constantinopolitanum Episcopum decertat.* ibid. *primus S. Scriptura verbis pro primatu sue utitur.* ibid.
Gladius temporalis ab ecclesia rejicitur. 512
Gnostici. 170. 171.
Gothi ad Christianismum convertuntur per Vlphilam Episcop. Arrianum. 419. *pralio casi à Narsete.* 682.
Gratianus & Valentinianus patri in regno succedunt, & Gratiano à Sacerdotibus offertur titulus Pontificis maximi cum amictu, quem renuit. 490. *orthodoxis ab exilio reditum concedit.* 492. *omnes sectas permittit lege, exceptis Manichais, Photinianis & Eunomianis.* 492. *Socium imperii adjungit sibi Theodosium.* 491.
Gregorius Cappadox in locum Athanasii substituitur. 430. *abregatur.* 431. *Georgius Cilix savit in Orthodoxos.* 436. 441. *plurima de hoc vide.* p. 458. 459. &c. *necatur à Paganis.* 460.
Gregorius Magnus Papa Romanus vocem Oecumenici ut profanam damnat in Episcopo Constantinopolita. 699. *mittit in Angliam Monachos ut Anglos ad fidem convertat.* 701. *fidem Mauritii Imperatoris laudat.* ibid. *Phoca Tyranno gratulatur de imperio.* 705. *moritur.* ibid.

mortuus

mortuus successorem Sabinianum monet in visione & percutit. 710.

H.

HÆresis Anomæorum. 439.
Arrianorum. 396.
Carpocratis. 127.
Caininorum. 175.
Cerdonis. 175.
Collyridianorum. 485.
Donatistarum. 368.
Eunomianorum. 439. 495.
Eudoxianorum. 495.
Florini presbyteri Romani. 176.
Gnosticorum. 170.
Manetis seu Manichæorum. 358.
Montani. 299.
Macedonianorum. 439.
Marcellianorum. 439.
Nicolaitarum. 129.
Novatiani. 308. 309. 311 453.
Pauli Samosateni. 127.
Photinianorum. 439. 495.
Priscillianistarum in Hispania. 511.
Sabellianorum. 426.
Saturnini. 129.
Semiarrianorum. Valentini Platonici. 495. 129.
Hæresis & secta sub templo secundo. 23.
Heretici qui rebaptizandi, qui non. 324.
Hasmonæorum & Levitarum Rex primus. 21.
Hegesippus historicus Romam venit. 257.
Helena Constantini imperatoris mater templum extruit in monte oliveti. 414.
Heraclius Africæ præfectus Phocam occidi jubet, & imperator salutatur. 714. pacem à Persarum Rege petit & non obtinet. 615. bellum coactus cum Persis gerit. 616. Persas superat. ibid. Monothelitarum opinionem defendit. 717. moritur. 718.
Herodianæ Æra initium. 23.
Herodes Antipas Lugdunum relegatur. 84.
Herodes Rex Iudæorum concilium convocat. 36. quis fuerit. 56. ejus morbus & mors. 75.
Hilarius. 440. in Phrygia exulat. 448. ad Gallos proficiscitur. 449. ipsius fides. 449.
Vide Sanctus Hilarius.
Hieronymiani unde dicti. 416.
Hieronymus scribit sua commentaria. 520. moritur. 551. ejus scripta turbas dederunt. 551.
Hierosolyma an sit orbis terrarum centrū. 697. à Persis capitur & Christiani venduntur Iudæis. 715.
Hierosolymarum urbi excisa aratrum est impressum. 120.
Hierosolymis bini Episcopi simul fuere usque ad excidium Hadriani. 156. 157.
Hierosolymitana Ecclesia olim fuit prima. 96. post urbis excidium Pella fuit. 121.
Hispania Regnum Ecclesiæ datum. 718.
Historica narratio de conversione Anglorum. 699.
Historica narratio de prædestinationis, liberi arbitrii & gratiæ controversiis à Pelagio usque ad Synodum Dordracenam. 589.
Homousiasta ab Arrianis secedunt. 443.
Hunnericus Vandalorum Rex Africam crudeliter vastat. 334. Episcopos in exilium mittit. 639.
Hyginus Episcop. Romanus Telesphoro succedit & huic mortuo succedit Pius. 254.

I.

IAcobus in Ægyptum proficiscitur. 5. moritur. ibid.
Iacobi tres fuere, duo Apostoli. 96.
Iacobus primus Hierosolymorum Episcopus moritur. 96.
Iacobus Zebedei filius occiditur. 90.
Iaddus Pontifex Alexandro Magno occurrit. 17.
Iannes Iesum fratrem in templo occidit. 55.
Iansenii doctrina de prædestinatione. 568. &c.
Idola confringuntur in Africa. 525.
Idololatriæ initium. 2.
Iejunii encomium. 81. 82.
Antiquorum jejunia quæ. 242.
jejunio durante antiquitus abstinebant ab eucharistia. 241.
jejunia in ecclesia. 157. 158. 159. 160. 161.
jejunium Paschale. 158. &c. 161. 162.
quadragesimale. 157.

Igna-

Ignatius septem reliquit epistolas, 148. *dogmata ex epistolis ipsius excerpta.* 152.
Illuminati qui. 201. 240.
Imagines in templis non habendæ, multo minus adorandæ. 386.
Imperii occidentis occasus initium. 631. *exitus.* 637. 681.
Indictionis origo. 372. *Variæ opiniones.* ibid.
Indulgentia quæ fuerint in ecclesia antiqua. 245. 708. 709.
In ecclesia formanda Christus imitatur Synagogam Iudæorum. 247.
Inguinariæ clades Rom. funestissimæ. 689. 692.
Inunctio inter Christianos quid. 241. *quomodo & ubi fiat.* ibid.
Iohannis Baptistæ promissio. 37. *carceri includitur* 83. *capite truncatur.* 84.
Iohan. Chrysostomus eligitur Episcopus Constantinopolitanus. 524. *Agapetas virgines (hodie* kloppen *dictas) ex ædibus clericorum pellit.* 525. *sævissime in eum ab ecclesiasticis conspiratur.* 527. *accusatur de crimine læsæ majestatis.* 528. *Originistis favet.* ibid. *mittitur in exilium & revocatur.* 529 *denuo in exilium mittitur.* 531. *moritur.* 533. *ejus laus.* ibid. *corpus sepultum transfertur Constantinopolim.* 610.
Iohannes Duræus quis sit. 601. *quid egerit in reconciliandis ecclesiis.* 601. *ejus scopus & propositum in dissidiis ecclesiasticarum tollendis.* ib.
Iohannes Evangelium scribit. 90. 127.
Iohannes moritur. 133. *Iean. jejunator Episcopus Constantinopolitanus moritur.* 698.
Ioseph venditur. 5.
Iosephus historicus quomodo legendus.
Iosue Mosis successor. 6.
Iovianus imperator creatur. 468. *exercitum ab Ethnicismo traducit ad Christianismum.* Ib. *concordiam amat.* 468. *moritur ex odore prunarum.* ibid.
Ioviniani Monachi scripta 507. *refutantur à Hieronymo.* ibid. *condemnantur.* 508.
Iovis Hammonis oraculum mutum redditur 331.
Irenæus quando vixerit. 165. *Polycarpi discipulus.& Episcopus Lugdunensis.* 275. *Martyrio moritur.* 288.
Isaac. 4.
Italia miserè vastatur. 686.
Ithacius condemnatur & excommunicatur à Pontifice & aliis Episcopis, quod gladio usus fuerit in Priscillianistas. 512.
Iudæorum judices & Reges. 7. *reditus à Babylone* 15. *servitus prima.* 21. *secũda* 22. *ritus distribuendi panem & vinum post cœnã* 222. *preces.* 249 *sub Cestio Floro rebellant, & adversus eos mittitur Vespasianus* 118.
Iudaicæ gentis exitium. 119.
Iudæ Pontifex maximus primus summum sacerdotium una cum principatu gessit. 20.
Iulianus Cæsar creatur 441. *grassatur in Christianos.* 452. *edicto revocat Orthodoxos exules, Christianos Galilæos vocari jubet.* 467. *cum exercitu in Persas proficiscitur, ibidem in conflictu moritur.* 467. 468.
Iulius Africanus quando vixerit. 301.
Iulius Romanus Episcopus concilium convocat Romæ 424. *scribit animosè ad ecclesias orientales.* 424. *qui ejus auctoritatem & potestatem rident.* ibid. *non habuit jus in ecclesias Orientales.* 425. 432. *excommunicatur ab orientali ecclesia.* 433. *moritur.* 439.
Ius creandi pontifices Romanos penes quos sit & fuerit 724.
Iustificationis doctrina. 574.
Iustinianus in imperio succedit Iustino 665 *codicem formari jubet* 667. *pandectas & novellas edidit.* 667. *Institutiones & Digesta legum confici jubet.* ibid. *Scribit ad Papam super quæstione Trinitatis.* 670. *Episcopos Constantinopolitanos & Romanos similibus titulis exornat* 669. 670. 671. *&c. Ecclesiasticis leges multas præscribit.* 674. *fidei confessionem ad Papam Romanum mittit.* 674. *eundem humanissimè excipit.* 675. *edictum promulgat ad versus concilii Chalcedonensis capitula tria* 679. *pontificem Romanum prehendi jubet.* 681. *moritur.* 684. 685. *ejus ingenium.* ibid. & 667.
Iustinus Martyr quando vixerit. 194. *conversio ejus ad Christianismum.* 194. *Apologiam scribit.* 195. *secundam Apologiam scribit proChristianis.* 255. *martyrio perit.* ibid.

Iustinus Thrax succedit Anastasio in orientis imperio 651. *à subulto imperator.* ibid. *Manichaeos & Eutychianos exilio persequitur* 653. *Arrianos persequitur.* 654. *multis precibus Papa destitit à persecutionibus.* 665. *moritur.* ib.
Iustinianus junior Imperator fit. 726. *concilium Quinisexsum dictum convocat.* ib. *hinc magnae contentiones* 727. *in exilium mittitur.* 727. *imperium recuperat.* 729.

K.

Κατήχησις. 200.
Kyrieleyson ad missas cantare quando coeptum. 709.

L.

Lactantius Crispi, Constantini Imperat. filii magister. 362.
Laici qui & unde dicti? 387.
Laodiceni cōcilii canon de libris s. scripturae. 116.
Laurentius. Vide Sanctus Laurentius.
Legio Christianorum fulminatrix. 272.
Legio Thebaea ad Christianismum convertitur à Zabda 362. *hujus legionis decimus quisque interficitur jussu Caesaris Maximiniani.* ibid. *tota legio dilaceratur.* 363.
Λειτουργεῖν & λειτουργία *quid?* 226 253. 217.
Leo Imperator Orientis qualis fuerit? 632. *ejus lex pro Episcopo Constantinopolitano.* 635 *ejus lex de Iudaeis.* 635. 636. *de diei dominicae observatione.* 636. *moritur.* ibid.
Leo Isaurus fit imperator. 730.
Leontius Imperator salutatur. 727. *capite truncatur.* ibid.
Leo. Papa Romanus, primus primatum ecclesiae invexit. 614. *à Dioscoro Episcopo Alex. excommunicatur.* 619. *primatum obtinuit.* 631. 632. *moritur.* 633. *ejus laudes & scripta.* 614
Levitarum regimen. 23.
Lex à Mauritio lata ne miles (nisi expleta militia) monachus esse posset. 692.
Libellatici qui? 135. 309.
Linus moritur, & ei succedit Cletus. 121.
Litera Ecclesiastica, pacifica, communicatoria, commendatitia; dimissoria &c. 427.
Loth à vicinis regibus capitur 4. *liberatur ab Abrahamo* 5.
Lucas medicus fuit. 87. *Euangelium scribit.* 90.
Lucani mors. 104.
Lucianus quando vixerit. 255.
Lucidus presbyter ex praedestinatiana haeresi in viam redit. 340.
Lucius Britannorum Rex Christianam Religionem ab Eleuthero Episcop. Romano primus consequitur.

M.

Machometis Pseudoprophetae secta. 717.
Magi veniunt Hierosolymam. 75.
Magnus Basilius 440. *Caesariensis in Cappadocia Episcopus.* 470. *scribit ad occidentales ecclesias de miserando ecclesiae orientalis statu.* 474. 476. *exprobrat ipsis inhumanitatē.* 488. *moritur.* 492.
Magni panes mors. 132.
Manasses leges Mosaicas ejurat. 56. *templum in monte Garizim struit.* 55.
Manes Haeresiarcha, & ejus opiniones. 358.
Manuum impositio seu χειροθεσία *quid?* 237. 241. 247.
Marcellinus Episcopus Romanus idolis sacrificat. 365.
Marcellus Ancyrae Episcopus, Photini magister. 433. *ejus sententia.* ibid.
Marcion poenitentiam confessus moritur. 143.
Marcionita. 175.
Marcus Aurel. & Lucius Aelius verus Antonino Pio succedunt. 255 *persequuntur Christianos.* ib. *legem in Christianos latam abrogant.* 273. 274.
Marcus Aurelius Antoninus Philosophus inedia mortem sibi consciscit. 276.
Marcus Aurelius Severus Alexander succedit Heliogabalo. 303. *pacem ecclesiae praebet.* 303. *à Christo non abhorret.* 304. *occiditur cum matre Mammaea Christiana.* 307.
Marcus Euangelium scribit. 90.
Mariae Christi matris laus & gloria quemadmodum extollenda. 487.
Marcianus Imperator succedit Theodosio. 619. *convocat concilium Chalcedonense.* 620. *cum uxore interfuit.* 621. *moritur.* 632.
Martinus. vide Sanctus Martinus.
Matthaeus Euangelium scribit. 90.
Matisconense concilium celebratur. 689. 691.
Mauritius Imperator mortem futuram agnoscit. 207.

702. *Deum se offendisse fatetur.* 703. *& veniam precatur.* ib. *occiditur.* 704.
Mauritii primicerii Legionis Thebaæ oratio ad milites ob Christum trucidandos. 362.
Melchisedek Rex Salem. 5. *cum Christo comparatur.* 40.
Melito Sardensis Episcopus. 256.
Mendicantium monachorum ordines quatuor. 416.
Metelli Numidici, consilium de non habenda uxore. 152.
Metropolitani Episcopi quam jurisdictionem habeant. 607, 608. *jus suum ambitiose extendere conantur.* 609.
Minucius Felix scribit Octavium dialogum. 291.
Missa quid, & unde. 226. 227. *celebrationis augmentum ut & à quibus cœperit.* 168. *Missæ vocabulum primus Ambrosius usurpasse videtur.* 521. 522.
Missa pro defunctis non solent celebrari. 515.
Modus celebrandi conventus Christianorum primo seculo usitatus. 200. &c.
Molinæi sententia de rebus in religione adiaphoris. 280.
Monachorum Adrumetinorum sententia de gratia & libero arbitrio. 587.
Monachorum Origo. 414. *varii ordines.* 416.
Mos aquam cum vino miscendi in eucharistia quam antiquus fuerit. 224.
Moses servatur & educatur per filiam Pharaonis. 5. *à Rege Pharaone dimissionem populi Israëlis petit.* 6.
Mundi ætas prima 3. *secunda.* 5. *Tertia* 6. *quarta.* 8. *quinta.* 14.
Μυστήριον & Sacramentum veteribus quid fuerit. 221.

N.

Nerva succedit Domitiano. 127. *moritur.* 130.
Narses Gothos superat, & Totilam trucidat. 682. *propter avaritiam accusatus à Iustino revocatur.* 685. *Narses alius vivus à Phoca comburitur.* 710.
Natalis Christi quando celebrari cœperit. 335. *de Nativitate Christi scriptorum discrepantia.* 47. *hujus causa.* ib. *Annus.* 73. 78. *dies.* 74.
Nazaræi ritus Iudaicos observabant. 121.
Nehemias. 17.
Nestorius Episcopus Constantinopolitanus damnatur ac sede dejicitur à Synodo Ephesina 602. *moritur.* ibid. *ejus dogmata.* 605. 606. 607.
Nicolaitæ. 129.
Noachus præco justitiæ. 2.
Novatianus eligitur Antipapa primus. 308.
Novi Testamenti Canon. 141.

O.

Officiorum divinorum diversitas apud Gallos unde. 148.
Ὁμιλεῖν & Ὁμοιοῦν quid significent. 439.
Onesimus succedit Ioanni Euangelistæ 131.
Oracula gentilium redduntur muta. 131.
Oraculum in Daphne redditur mutum. 458.
Orandi modus. 250. 82 *tempus.* 83.
Orationes Christianorū & Iudæorū. 249 250.
Oratorii ordinis institutio.
Orientalis ecclesia miserrimus status. 718. 719.
Origenes Clementis Alexandrini discipulus Romam venit. 288. 301. *seipsum castrat.* 304. *moritur.* 312. *Demetrio & aliis infestus.* 313. *ipsius scripta* 250 *à morte ipsius anno damnantur in concilio.* 678. *purgatorii fundamenta jecit.* 707.
Osculum pacis. 200.
Osius Episcopus Cordubensis. 435. *Apostol. sedis legatus male à Baronio dicitur.* ib. *centenario major cum Arrianis communicat.* 443.
Otho Galba successor. 119.

P.

Pagani cur Ethnici dicti. 440.
Palæstina divisio in 12. tribus. 7.
Pallium quid. qui usi fuerint. 393.
Papa Romanus & Episcop. Constantinop. similibus titulis ornati ab Iustiniano. 670.
Papæ Romani auctoritas in concilio Antiocheno. 356. *habet privilegium προεδρίας non ἐξουσίας.* 357.
Papias Hierosolymitanus Episcopus, & Polycarpus, & Ignatius synchroni fuere, & ab Apostolis instituti. 147.
Paschatis celebrandi dispar in ecclesiis ratio. 255. *quo die celebrandum.* 277. 382.
Patres antiquæ ecclesiæ quo loco habendi sint. 207.

Patrum omnium consensus in rebus fidei unde ortum habeat. 210.
Paulus abit in Eremum propter persecutionem & vixit annos 113. pag. 312. *Pauli Apostoli iter.* 92. *scribit Epistolas ad Thessalonicenses, ad Ephesios, Coloss. Philippenses, Philemonem &c.* 95. *capitur à Iudæis & mittitur Romam.* ibid. *capite truncatur.* 97.
Paulus Samosatenus Episcop. Antioch. 338. *illudit patres in concilio.* ibid. *condemnatur.* 339. 127.
Pausanias quando vixerit. 255.
Pelagius quis fuerit. 539. *ejus dogmata.* ibid. *condemnatur.* 542.
Pelagius secundus Romanorum Pontifex negat cuiquam patriarcharum licere uti nomine universalis 688. *ordinavit ut præfationes (quæ Eucharistiæ præmittuntur) novies variarentur.* 689.
Pentecoste. 87.
Persarum Monarchia. 14. *reges.* 15.
Persæ Ægyptum & Libyam devastant. 715. *Hierosolymam capiunt.* ibid. *superantur ab Heraclio.* 616.
Persecutio Christianorum prima sub Nerone. 97. 164. 258. *secunda.* 221. *quarta.* 272. 273. *quinta.* 288. *sexta.* 307. *septima.* 308. *octava.* 326. *nona.* 358. *decima.* 360. 361. 364.
Petrus Lydda sanat Æneam. 89. *Ioppe Tabitham à morte excitat.* ibid. *incarceratur.* 90.
Petri in ecclesia primatus. 331.
Petrus Molinæus Anatomen Arminianismi scribit. 593. *pacem ecclesiæ postquam prætulisset.* ibid.
Pharisæorum secta origo. 25. 26.
Phocas occidit Mauritium. 704. *ejus delineatio.* ibid. *tyrannus nominatur.* ibid. *fit Imperator. Odio in Cyriacum Episcopum Constantinopol. agitatus Romanum solum Oecumenicum vocari voluit: sævissimè trucidatur.*
Photini dogma. 433. 437.
Pilatus sibi manus infert. 90.
Pius Episcop. Romanus 254. *moritur.* 255.
Plinius fumo flammisque Vesuvii obruitur. 122. *quando vixerit.* 255.
Plinii Secundi epistola ad Trajanum. 135. 137.
Plutarchus quando vixerit. 255
Pœnitentiæ gradus circa lapsos. 143. *ejus usus in ecclesia* 200. *qui pœnitentes dicti.* 410.
Pœnitentiarii presbyteri & confessio auricularis 514.
Polycarpus conversatus fuit cum iis qui Christum viderunt. 142. *Romam venit.* 256. *reconciliatur cum Papa Aniceto* ibid. *moritur.* 258. *ejus epistola.* 259. *de morte ejus Smyrnensium epistola.* 264.
Precatio Dominica. 81.
Preces Iudæorum. 149. *Orationes Christianorum.* 150.
Prædestinatiani qui. 588.
Prædestinationis absolutæ author quis. 565. *controversia.* ibid. *prædestinationis absolutæ decreta ubi primum fuerint stabilita.* 568. *authoris sententia de his controversiis.* 571. 572.
Primatus ecclesiæ Romanæ quando & quomodo initium cœperit. 614. 631. 632. 646. 647.
Primorum patrum de prædestinatione sententia. 573. *de gratia & libero arbitrio.* 578.
Priscillianistæ. 511.
Priscillianus damnatur capite. 512.
Promissio Christi. 35. 36.
Prophetarum initium. 12.
Provincia prima à Romano pontifice possessa, qua, & unde. 729.
Psalmos in ecclesia canere quando inceptum. 148.
Puberes jubentur uti sacra synaxi in festo paschatis. 288.
Purgatorii fundamenta quis jecerit & quis purgatorium in ecclesiam introduxerit. 707. *ecclesia orientalis purgatorium non agnoscit.* 708.

Q.

Quadragesima institutio. 157. *observatio.* 457.
Quadratus Apostolorum discipulus & Atheniensis pontifex librum pro Christianis scriptum tradit Adriano. 164.
Quæstio de animarum origine. 541. *de*

Virginitate & cælibatu ex loco Pauli malè intellecto. 505. 506. &c.
Quinisextum concilium in Trullo habitum. 726. ejus canones præcipui. 727.

R.

Regimen veteris Ecclesiæ. 373. 374.
Regiones Vrbicariæ. 408.
Regni Davidis divisio. 9.
Regni Gothorum in Italia initium. 640.
Regni Iudaici mutatio in Regium. 45.
Restauratio Templi Iudæorum. 14. 15.
Rituum Ecclesiæ Scriptores. 242.
Roma obsidetur obsidetur ab Alarico Gothorum rege. 535. diripitur 636. rursus obsidetur. & maxima penuria qualem nunquam Roma vidit. 678.
Romana Ecclesia radix & mater ecclesiarum respectu regionum occidentalium. 333. semper fuit magnæ autheritatis. 333. 409. 410.
Romani Pontificis creandi jus penes quos fuerit ad annum 685. & deinceps. 724.
Romanorũ imperiũ occidit. 520. non admittunt Romani imaginẽ Imperatoris, nec in nummis cusam. 729.
Ruffinus scribit Historiam. 520.

S.

Sabbathi institutio. p. 1
Sacerdotes Græci nuptias retinent. 511.
Sacerdotum origo in Levitis. 7.
Sacramentum & μυστήριον veteribus quid fuerit. 221.
Sadducæorum secta origo. 24. 25.
Salomon. 8.
Samaa vaticinatio. 57.
Sanctus Ambrosius præfectus Insubriæ eligitur Episcopus Mediolanensis 489. ejus vita incrementum ib. ad Basilium scribit. 492. aboles convivia ἀγάπη dicta ibid. Antiphonos à Græcis ad Latinos in Ecclesiã transfert. 513. Theodosium Imperatorem arcet ab ecclesia. 516. moritur 521. puerum à mortuis excitavit. ibid.
Sanctus Benedictus monasticæ primus in occidente iecit fundamenta. 648. Monachos in occidente instaurat. 667.
Sanctus Hilarius Episcopus Arelatensis, de electione Episcoporum quæstionem habet cum Episcopo Viennensi, quæ à Leone Papa deciditur. 613. hinc magna authoritas Papæ Romano cessit per Imperatorem Valentinianum. 613. 614. condemnatur. 614.
Sanctus Ignatius Euodio Episcopo Antiochiæ primo succedit. 119. vide Ignatius.
Sanctus Iohannes Euangelista moritur. 133. vide Iohannes.
Sanctus Laurentius Ecclesiæ Thesaurarius. 326. craticula impositus assatur. 326.
Sanctus Martinus Episcopus Turonensis. 490. 512. 513. moritur. 526.
Sanctus VVillebrordus Vltrajectum venit. 726. prope castrum VViltenburch struit ædiculam S. Crucis. 727. primus Vltrajectensium Episcopus. ibid. Templum ædificat B. Martino sacrum 727. mittitur Romam à Pipino. ibid. Hollandos & Frisios convertit ad Christum. 728. ejus comites. 788.
Sancta Vrsula dux undecim mille virginum. 500. Sorbonicorum patrona. 501.
Sanguinis esus quomodo fuerit interdictus à Vet. Ecclesia. 233. 234.
Sanhedin concilium quid. 46.
Sara nonagenaria parit. 5.
Saraceni Hispaniam occupant. 719. Constantinopolim tres annos obsident. 730. eorum origo 491. se jungunt Mahumeti. 715. Gasensem regionem invadunt. 717. Theodorum Heraclii fratrem prælio vincunt. ibid. totum Persarum Regnum sibi subjiciunt. 718. Rhodum capiunt, Colossum evertunt. 719.
Sardicensis concilii decretum de provocatione ad sedem Romanam. 614.
Saturnini hæresis. 129.
Saul. 7.
Saulus conspirat contra Christianos. 88. convertitur ad Christum. ibid.
Sceptrum à juda quando ablatum. 43. 44. 45. 57.
Schisma & divisio ecclesiæ orientalis & occidentalis. 431. 436. totius Christianismi. 443.
Schisma primum in ecclesia Romana. 308.
Scripta Veterũ supposititia & incerta. 108. 109.
Scriptores de Ritibus Ecclesiæ. 242.
Semiarriani. 446.
Sanctus Sebastianus sagittis transfigitur. 361.

Sene-

Seneca mores. 104.
Sententia adversus Christianos lata. 105.
Septuaginta hebdomades (apud Danielem) quid significent. 5. *Variorũ horũ interpret.* 51. 52.
Sergius Papa Romanus eligitur 715. *ejus institutum circa cœnam domini.* ibid. *rejicit concilium Quini-sextum.* 716. *hinc magna contentiones inter ipsum & imperatorem.* 727. *moritur.* 718.
Serici conficiendi rationem Constantinopolitani discunt. 685.
Series Historica de calibatu Clericorum. 510.
Severus Imperator Christianos persequitur. 288. *moritur* 291. *murum inter Britannos & Scotos struit.* 291.
Sibyllarum versibus usa fuit primitiva ecclesia. 58. 59. 60.
Sibyllina carmina cremantur. 525.
Silo seu Shiloh vocis interpretatio. 48.
Simeon consobrinus Domini, & secundus Hierosolymorum Episcopus moritur. 140.
Simeõ Stylites 610. *moritur.* 633. *ejus laudes.* Ib.
Simon Petrus & Paulus capite truncatur. 67.
Siricius Papa Romanus succedit Damaso. 504. *matrimonium clericis prohibet.* 505. *damnat Iovinianum.* 508. *moritur.* 524.
Sixtus Episcopus Romanus succedit Alexandro 157. *jejunium quadragesimale instituit.* Ibid. *mandavit ut in celebratione ter sanctus cantaretur Deus Sabaoth.* 168. *moritur.* Ibid.
Smyrnensis ecclesia epistola de Polycarpo. 264. *& ejus morte.* ibid. *usque ad.* 271.
Sedoma & Gomorra conflagratio. 5.
Spiridion Tremithontis Episcopus uxorem & liberos habet. 404.
Stando quando orandũ & quibus diebus. 403.
Stephanus Episcopus Romanus cum Cypriano dissentit. 316. *Episcopos Asiaticos excommunicat.* 319. *moritur martyr.* 326.
S. Stephani mors. 88.
Stephanus Patriarcha Antiochenus cum sociis Episcopis Confessionem ad occidentis Episcopos mittit. 433.
Sudarium B. Virginis quo Christi caput detersum, Christianis restituitur à Saracenis. 720. *probatur, ibidem. Hodie ubi ostendatur.* 720.
Suibertus Chorepiscopus S. Willebrordi. 728.
Sulpitius Severus Chiliasta fuit. 154 *quando floruerit.* 521.
Sũma religionis Christianæ. 554. *usque ad.* 563.
Superstitio unde oriatur. 188.
Symbolum Apostolicum componitur secundum Baronium. 90 *secundum Calixtum quid.* 110. *unde nomen acceperit.* 186. *continet omnia ad salutem necessaria.* 299.
Symbolum Concilii Nicæni. 419.
Simeon Hierosolymis Episcopus secundus. 86.
Symmachus. 306. *capite truncatur.* 647.
Synaxis seu collecta quid. 217. 225.
Synodi diversæ de Paschatis festo celebrando. 277. 381.
Synodus Arausicana in Gallia. 668. *Dordracena* 593. *quid statuerit.* 594. *Lugdunensis anathematismos synodi Arelatensis adversus prædestinatianos & Pelagianos approbat & auget.* 641.

T.

Telesphorus moritur martyrio. 254.
Templum Iudæorum. 8. *diripitur à Susaro,* 10. *fidelium septo antiquitus distinguebatur.* 410.
Tempus sub lege. 22.
Terra motus sex mensum. 615.
Tertullianus quando vixerit. 165. 292. *quantus vir fuerit.* 293. 294. *quos libros scripserit.* Ib.
Tessera Hospitalitatis. 428.
Theodoricus Ostrogothorum Rex Italiam obtinet. 645. 647. *Boëthium & symmachum capite truncari jussit.* Ibid. *synodos diversas convocat.* 649.
Theodosius socius imperii adjungitur Gratiano. 493. *baptizatur Thessalonicæ.* ibid. *Gregorium Nazianzenum in Episcopatum Constantinopoli introducit.* ibid. *convocat concilium Constantinopoli.* ibid. *Honorium filium imperatorem creat.* 519. *Eugenium vincit.* ibid. *moritur.* 519.
Theodosius ab Ambrosio arcetur ab ecclesia ob cædem Thessalonicensem. 516 *non autem privatur ideò titulo imperatoris* ibid. *legem sancivit, qua dicit ecclesiam Constantinopolitanam latari Romæ veteris prærogativa.* 563. *Theodosius secundus convocat concilium Ephesinum.* 430. *Episcoporum.* 602. *subscribit sine inspectione*

ctione libellis quibuslibet, 615. *unde venditioni uxoris subscribit.* Ib. *moritur.* 619.
Theodotion Marcionita. 306.
Theodotus Coriarius negat Christum esse Deum. 301.
Thurificati qui. 135.
Titus Vespasiano patri succedit. 120. *ejus laus* 121. *mors.* 122.
Toletanum concilium tertium à Recaredo Gothorum Rege convocatur. 689.
Τὸ τέλειον, τελείωσις, τελεστὴ τελετῶν dicitur Eucharistia. 241.
Totilas Gothorum Rex Italiam subjicit. 679.
Traditiones Apostolicæ quæ sint. 130. 131.
Trajanus succedit Nervæ. 130. *moritur.* 155.
Trebonianus Gallus Imperator. 312. *occiditur.* 314.
Trinitatis vox quando & à quo inventa. 292.
Turris Babel. 3.
Tyrense concilium Hierosolymas deducitur. 417.

V.

Valens baptizatur ab Eudoxio Episcopo Constantinop. 469. *Arrianus orthodoxos persequitur.* 473. *vincitur à Gothis, & vulneratus comburitur.* 491.
Valentinianus & Gratianus patri Valentiniano Imperatori in regno succedunt. 490.
Valentinianus Imperator creatur, & orientem cessit fratri Valenti. 669. *moritur.* 490.
Valentinianus Imperator Clericorum & Monachorum avaritiam lege cohibet. 473. *legem sancit de primatu Episcopi Romani super omnes ecclesias.* 614. *Ætium obtruncat.* 631. *quo cum occidentale imperium occidit.* Ibid. *occiditur.* 632.
Valentini Platonici hæresis. 129. 173.
Variæ de petri Episcopatu sententiæ. 98. 99. 100.
Venetiæ condita. 565. *origo & incrementum.* 631.
Vespasianus potitur imperio. 119. *moritur.* 120.
Vesuvius Campaniæ mons conflagrat. 122.
Vetus ecclesiæ consuetudo de sanctorum reliquiis conservandis. 271.
Viaticum in veteri ecclesia quid sit. 411.
Vigilius pontifex Romanus mire convertitur ex hoste in defensorem, & persecutore in prædicatorem. 678. *à Iustiniano Imperatore incarcerari jubetur.* 681. *à concilio Constantinopolitano condemnatus ejectus est in exilium.* 682. *revocatur ab exilio & moritur.* 683.
Vincentius Lirinensis commonitorium scribit. 611.
Virgilii Ecloga quarta paraphrasis sacra. 62. 63. 64. *&c.*
Vitellius post Othonem Imperium tenet. 119.
Vitius Evagatus Christianorum advocatus in Galliis dictus. 274.
Vlphilas transfert S. Scripturam in linguam Gothicam. 491.
Vlpianus I. C. libros 7. scribit, quibus pœnis Christiani affici debeant. 303.
Vndecim mille virginum historia. 500.
Vocabula Sacerdotis, Hostia, Levita, sacrificii, altaris &c. unde in ecclesiam manarint. 253.
Vox ὁμοούσιος quando cœperit. 351. *hæc vox multis displicet.* 353. *non invenitur in S. Scriptura.* 400.
Vrsula, vide Sancta Vrsula.
Vsserii verba de unitate ecclesiæ. 188.

W.

Willebrordus. vide Sanctus VVillebrordus.

X.

Xerophagias vocabulum unde & quid. 453.
Xystus secundus Episcopus Romanus altari in missa primus usus est. 259.

E R R A T A.

Pag. 50. lin. 25. leg. 490. pag. 76. lin. 24. ἐπιπεφύηκεν. pag. 93. lin. 27. leg. incertorum. pag. 110. lin. 5. post condidisset leg. opus. p. 134. lin. 1. loco Qri. leg. Clemens. 151. lin. antep. σύζυγος. pag. 159. lin. penult. jurulenta. p. 172. lin. 1. leg. Helene. p. 176. lin. 14. Psychicos. p. 184. lin. 25. leg. virtus, p. 216 lin. 10. leg. à Iohanne, p. 289. lin. 27. leg. producuntur. p. 301. lin 8. leg. Theodotus, p. 335 lin. 24. leg. vultus irae? p. 361. lin. 14. leg. Chlorus, p. 390 lin. 1. leg. quatuordecim, p. 409. lin. 1. leg. dicit, p. 412. lin. ult. leg. adduceret, p. 441. lin. 18. lege contabescat, p. 448. lin. 2. leg poterat. p. 466. lin. 20. leg. spiritualibus, p. 480. lin. antepen. leg. rursus, lin. penult. leg. [illegible] p. 484. lin. 2. leg. inferiores. p. 502. lin. 31. leg. [illegible] p. 503. lin. 14. leg. gentilium, p. 535. lin penult. leg. [illegible] p. 564. lin. penult. resipiscendum, p. 592. lin. 25. leg. principum. pag. 603. lin. 24. leg. vices, p. 610. lin. 18. leg. notum, lin. 24. leg. [illegible], p. 636. lin. 13. leg. tempore, p. 644. lin. 24. leg. tibi, p. 653. lin. 13. leg. [illegible] ἐστί. p. 654. lin. 3. leg. [illegible] p. 664. lin. 3. post Nysseno, lege quod ille de Arrianis, p. 682. lin. 14. lege Eutychetes, p. 693. lin. 13. in fine dele pe, lin. 15. in initio leg. pecuría, p. 702. lin. 5. leg. abstinuerant, p. 726. lin. 14. lege Hedes, p. 729. lin. 21. leg. Trullo, usque &c.

F I N I S.

ADDENDA
ET
EMENDANDA.

TIMANNUS GESSELIUS Med. Doct.

Lectori S.

PRæli tarditas, benevole Lector, mea collectanea relegendi & simul tam errata Typographi, quam mea, utinam omnia, emēdandi occasionem prębuit. Pręterea cum demum, post impressam nostræ historiæ primam partem, contigerit videre historiam Ecclesiasticam Antonii Godavii Episcopi Grassensis in Provincia, Lutetiæ Parisiorum Gallicè anno Christi 1657 editam, & in ea invenerim plurima nostram historiam, etiam contra magnos auctores, corroborantia, operæ pretium judicavi, earum nonnulla etiam hisce Addendis inserere, ut Lectori evidenter pateret, me non tam ex partium studio aut contradicendi libidine, quam amore veritatis, à quibusdam scriptoribus, licet eximiis, subinde dissentire. Nec mirum cuipiam videri debet, si optimi etiam historici aliquando à verò abeant & in primis in rebus vetustis, idque plerumque per eos, qui ob nimiam credulitatem fabulas suis historiis sæpe aspergunt. Ocu-

los nobis auferunt, qui historiæ veritatem; quæ ex multorum simili relatione optimè indagatur. Hoc est, quod agimus. Tu benevole Lector, pelle affectus, & mecum errores nostros amicè corrige.

Adden-

Addenda & Emendanda.

PAg.22.lin.35.post (*gratia*) adde; Divisionem temporum omnis ævi dabo secundum domum Eliæ,ex Isagoge Chronologiæ sacræ Vossii: Venio ad sententiam domus Eliæ,inquit,quæ legitur in Thalmud,fol.9.c.9. cujus verba Latinè sic sonant: ***qui ex familia Eliæ tradiderunt mundum duraturum annos sex mille: videlicet duo millia inane, duo millia lex, duo millia Messias.*** Ubi duos primos millenarios vocat ***Inane***, quia ante conditam Babylona maxima longe mundi pars erat inane, propterea quod nondum dispersæ erant gentes in terras varias longèq; dissitas. quamquam alii aliter interpretentur. Proximis bis mille annis ***Lex***: ubi si per legem intelligatur lex Mosaica, falsum erit de bis mille annis: qui ad legem latam ab orbe condito, anni penè sunt bis mille quingenti; sed per legem intelligi debet lex circumcisionis Abrahæ lata. Quare ut omnia sint clariora malim eandem seutentiam sic efferre: bis mille annos esse ante promissionem Abrahæ factam; bis mille sub promissione; bis mille post completam promissionem. Quamquam illud de bis mille annis post promissionem, audacius videtur dictum, cum nemo sciat judicii diem. Unde liquet Eliam, cui illud dictum dicitur, non esse Eliam Thesbitem, sed alium, qui vixerit tempore Templi secundi. Sed hac de re videat, qui volet, dissertationem nostram de fine mundi, quæ jam ante annos penè 30 lucem vidit. Interim ex dicto illo refelli possunt,qui Messiam adhuc exspectant. Quippe jam anni sunt mille sexcenti, quod quartus exspiravit millenarius. Superest sententia B. Augustini, qui, ut sex diebus creavit Dominus mundum, septimo autem quievit, unde is ***sabbathi*** nomen accepit, ita ævum omne dividit in sex ætates; post quas fore dicit æternum illud Sabbathum in cœlis, quod diei septimo respondet. Verba Augustini sunt ista lib. 12. contra faustum Manichæum cap. 8. ***Sex diebus in Genesi consummavit Deus omnia opera sua & septimo requievit. Sex ætatibus humanum genus hoc seculo per successiones temporum Dei opera insigniunt: quarum prima est ab Adam usque ad Noë. Secunda à Noë usque ad Abrabam. Tertia ab Abraham usque ad David. Quarta à David usque***

que ad transmigrationem in Babylonem. Quinta inde usque ad humilem adventum Domini nostri Iesu Christi. Sexta qua nunc agitur, donec Excelsus veniat ad judicium. Septima verò intelligitur in requie Sanctorum, non in hac vita, sed in alia. Sequitur autem Augustinus Græcos, qui juxta τὺς ἑβδομήκοντα, mille amplius annos numerant ante Abrahamum: quomodo Christus demum natus erit post annum quinquies millesimum. Vnde est quod Augustinus quinque diebus creationis respondere ait quinque millenarios, ante Christum: nempe quia in scripturis est, unus dies apud Deum est sicut mille anni. Eandem divisionem idem adducit in libris de civitate Dei lib. ultimi cap. postremo: item lib. primo de Genesi contra Manichæos cap. 22. Etiam secuti illum Isidorus lib. 5. Originum cap. 38. & Beda lib. de ratione temporum cap. 64. & initio lib. de sex ætatibus mundi. Imò, ante Augustinum eandem amplexus Chrysostomus Homil. de Iephte. Distributio hæc eò differt à superiori, quod partem primam dispescit in duas, secundam in tres, ut quæ illic erat tertia, hæc fiat sexta. Nempe hunc in modum:

Omne ævum dividitur

Juxta domum Eliæ, in tres partes: Quarum	Juxta B. August. in sex partes: Quarum
I. *Ab orbe condito usque ad promissionem Abrahæ factum,*	I. *Ab Adamo usque ad Noë,*
	II. *A Noë usque ad Abrahamum,*
	III. *Ab Abraham usque ad Davidem,*
II. *A facta promissione usque ad impletam.*	IV. *A Davide usq; ad captivitatem Babylonicam.*
	V. *A captivitate usque ad Christi adventum priorem.*
III. *Post promissionem impletam.*	VI. *A priori Christi adventu usque ad adventum posteriorem.*

Cap. hujus Isagoges quinto Vossius omne ævum mundi dividit in partes seu tempora decem & dissertationis 2. cap. 7. in eam inclinat sententiam initium conditi mundi fuisse Ver: partim quia ea melioribus rationibus subnixa est, partim quia eam Veterum, etiam sanctorum Patrum, imprimis comprobavit auctoritas. Tempus verò hujus ævi ab Adamo ad Christum annorum fuisse 4000 statuit

tuit Baronius & Capellus, Scaliger 3948. Calvisius 3947. Petavius 3983. Torniellus 4051, Usserius 4004, Videat curiosus lector de ætate mundi dissertationem Isaaci Vossii, *quâ statuit natale mundi tempus annis minimum 1440 vulgarem æram anticipare secundum Græcum 70 interpretum calculum, ita ut præsens æra mundanæ annus esset 7048.*

Pag. 25. lin. 33. adde quæ de Judaismi sectis ad Epiphanium habet doctissimus Petavius: *Iudaicas factiones ante Christi adventum septem recenset; quod* πλατικῶς *& pingui minervâ dictum est. Nam tres apud Iudos fuisse sectas, cæteras quæ à Philastrio, Isidoro & hoc nostro numerantur, partim Iudæorum non esse proprias, partim ut hæreses quidem videri, partim denique à tribus illis matricibus non esse distinctas; quæ sunt Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum. De quibus quoniam summa cum eruditione ac diligentia Serrarius noster tribus libris disseruit,*&c. Et: *Cum tria ante Christum apud Iudæos sectarum capita fuerint, Pharisæorum Sadducæorum, & Essenorum, cætera omnes quæ ab Epiphanio vel aliis memorantur, hæreses, ad illarum, quampiam meritò revocantur, à qua initio profluxerunt. Quamquam paulatim novis ad institutum ritibus ac dogmatibus abjiciendis, aut contra veteribus rejiciendis, multum à priore forma deflexerint, Quamobrem ab Essenis, Ossenos manasse credibile est.* Vide eruditas Petavii animadversiones.

Pag. 30. lin. 9. pro eos lege *Iudæos*, & quæ hic dicuntur de Thalmude Judæorum refert Boxhornius Historiæ universalis pag. 209. ex Synagoga Buxtorfii.

Pag. 39. lin. 30. in prologomenis, de cap. 53. Esaiæ, post (*Synedrio*) adde, *Ionathan Vrielis filius auctor est paraphraseos Chaldaicæ sive Thargum in Prophetam Esaiam: qui sæpissimè loca obscuriora & Esaiæ & Prophetarum aliorum potissimum ad Messiam refert, & (quod sine divini numinis providentia factum non putamus) planè ut nos explicat.* Alexander Morus præfatione ad Esaiæ cap. 53. Idem ibidem: *Hoc caput Esaiæ 53 in Ecclesia primitiva prælegi solebat veluti Christi patientis historia: quemadmodum & hodie in Belgicis Ecclesiis.* Veteris Ecclesiæ Patres sæpe exclamant: *Audite prædicta, videte completa.* Quæ, sancto Augustino de Civ. Dei lib. 18. cap. 29. ita aperta sunt, *ut etiam inimici ea intelligere cogantur inviti.*

Et

Et pag. 52. post lin. 20. pone: Vide etiam Aggæum Prophetam, cap. 2. 8. ubi dicitur venturus Messias tempore templi secundi. *Quod*, ut inquit Grotius in hunc locum, *credidere Iudæi omnes, qui ante excidium vixêre. Ex eo tempore comminiscuntur interpretationes novas, violentas, varias ad hac loca clarissima.* δίκης χάριν σοφὰ φάρμακα. *Quibus dicere possumus:*

Οἶδα δὲ καὶ τινα μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι.

Pag. 71. lin. 15. pro numero 15. pone 16 & 17. & lin. sequenti pro numero 17 pone 27. similes Typothetæ errores plures, ut, hoc exemplum metuere me facit, occurrent, quos corrigere ubi videro, non desinam: emendabit omissos benevolus lector.

Pag. 74. Historiæ Sacræ lin. 20. *Nos quoque Dominicum diem & Pascha solenniter celebramus, & quaslibet alias Christianas festivitates, sed quia intelligimus quo pertineant, non tempora observamus, sed quæ illis significantur temporibus.* August. tom. 6. ad Adamantum cap. 16.

Pag. 75. lin. 28. De reliqua Herodis progenie memoratu dignissima est observatio illa Josephi: *eam ferè totam, licet admodum numerosam, intra centum annos interiisse.* Joseph. lib. 18. antiquit. cap. 7.

Pag. 77. lin. 40. *Tum verò totius sacrosanctæ Trinitatis admodum illustris facta est patefactio, Filio enim Dei in assumpta natura humana ex aqua ascendente & orante, apertis cœlis Spiritus Dei visus est corporeâ specie, tanquam columba descendens super ipsum, & vox Patris de cœlis audita, dicens: Tu es filius meus dilectus, in quo acquiesco. Matth. & Luca* 3. *Marci* 1. Usserius part. secundæ pag. 567.

Pag. 85. lin. 11. *Quartum Pascha, in quo Pascha nostrum immolatus est Christus,* 1 Cor. 5. 7. *atque ita legalibus omnibus sacrificiis, hoc unicum significantibus, finis impositus, ineunte anno quarto sive medio postrema septimana Danielis* 9. 23. Richarson. apud Usserium partis secundę pag. 593.

Pag. eadem lin. 13. *Christum Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectum fuisse refert etiam Cornelius Tacitus annalium lib.* 15. *his verbis: ergo abolendo rumori, (de jusso per Neronem incendio) Nero subdidit reos & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia (quia Deos Romanorum adorare recusabant) invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis ejus CHRISTUS, qui Tiberio imperitante per procu-*

procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. De tenebris quoque tunc obortis, ipsos Gentium annales testes advocat Lucianus martyr apud Ruffinum (in historia Ecclesiastica Eusebii lib. 9. cap. 6.) Requirite in annalibus vestris, invenietis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole interruptum tenebris diem. Et ante eum Tertullianus in Apologetico ad Gentes cap. 21. Eodem momento dies, medium orbem signante sole, subducta est. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt. Et tamen eum mundi casum relatum in archivis vestris habetis. Et sanè solis deliquium hoc appellavit in tertio historiarum suarum Thallus, & in decimo tertio Chronicorum libro Phlegon Trallianus: ille à Iulio Africano in tertio Chronographiæ, hic ab ejus æquali Origine in lib. 2. contra Celsum & tractatu 35 in Matthæum citatus. Phlegontis verba ad annum Tiberii 19, (ut notat Eustathius Antiochenus in Hexaëmeron & Olympiadis CCII quartum, eundem ipsum videlicet annum, in quo nunc sumus nempe 33) sunt hujusmodi: Ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν εγνωρισμένων πρότερον καὶ νὺξ ὥρᾳ ἕκτῃ τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι. σεισμός τε μέγας κατὰ Βιθυνίαν γινόμενος τὰ πολλὰ Νικαίας κατεστρέψατο. *quæ ab Hieronymo in Chronico Eusebiano ita habentur reddita: magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis facta: dies horâ sextâ ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cælo visæ sint, terraque motus in Bithynia Nicææ urbis multas ædes subverterit.* Usserius part. secundæ pag. 613 & 614.

Pag. 86. lin. ultimâ, cum Apostoli venissent in Galilæam, in montem Tabor, ut plurimi opinantur, quem Beatus Hieronymus in locis Hebraicis, in medio Galilææ campo situm esse dicit, mirâ rotunditate sublimem. In eodem monte Christum transfiguratum præsentibus Apostolis Petro, Jacobo & Joanne volunt multi, qui mons etiam dicitur Italyrium Ortelio, Grotio &c. Sequenti pagina Christus ascendit in cœlum in monte Oliveti, ut est Actor. 1. vers. 12. qui ab Hierosolyma distabat itinere Sabbati, id est, mille passibus. Solebat autem Christus quid magni facturus in montem ascendere, ubi & solitudo major, & cœli conspectus liberior.

Pag. 87. lin. 32. ministrabant mensis Diaconi, cum darent singulis

gulis sodalitiis, quę ad victum & amictum essent necessaria: Praterea tum temporis in communi convictu etiam sumebant panem Eucharistiæ fideles,& post eum simul comedebant convivium Agapes seu charitatis, qui convivandi modus postea propter abusum cessavit, & mane à jejunis sumpta est Eucharistia, seu celebrata est cœna Dominica. Abusum reprehendit Paulus 1 Cor. 11.

Pag. 88. lin. 8. Mortuo S. Stephano Diacono, Saulus supra modum in fideles sæviens, vastat Ecclesiam Dei, & fugat discipulos Christi. Ananias abit Damascum, Andronicus & Junius Romam veniunt ante Paulum; Rom. 16. 7. Alii Antiochiam ut Cyprii & Cyrenenses, Actor. 11. Philippus Samariam Actor. 8. ubi & ipse Simon credidit. fuit autem hic Saulus Hebræus ex Hebræis natus, ex Benjaminis tribu ortus, Tarsi in Cilicia (quam urbem rerum philosophicarum & disciplinarum studio tum celebrem fuisse confirmat Strabo lib.14.) in lucem editus, sectâ Pharisæus, & Pharisæi filius, Hierosolymis hoc tempore (in Cilicum Synagoga) rerum divinarum studio dans operam, Gamalielis inter Pharisæos Doctoris celeberrimi scholam frequentabat, Legis Mosaicæ simul & traditionum πατροπαραδότων tenacissimus, Actor.21.39. & 22. 3. & 23. 6. 34. & 26. 4. 5. & 2 Cor. 9. 22. & Gal. 1. 14. Phil. 3. 5. 6.

Pag. 90. lin. 9. & 10. *In quibus hoc singulare est, quod temporis ordinem solus Matthæus neglexisse reperiatur, à cæteris tribus, (si fortè parenthesin illam, Luc. 3. 19. 20. de Iohanne ab Herode in carcerem conjecto exceperis) constanter observatum.* Usserius pag. 569.

Pag. eadem lin. 30. Josephus antiquit. Judaic. lib. 19. cap. 7. hæc habet: *Herodes Agrippa cum veste regali indutus pro tribunali sederet, eumque Deum assentatores salutarent, & postea gravissimis cruciatibus correptus, se ad necem trahi videret, ad amicos conversus: En, ait, quem Deum immortalem salutastis, jam mortalis vitam relinquere jubeor, fatali necessitate vestrum arguente mendacium.*

Pag. 92. lin. 18. Ab eo tempore, quo Sergius Paulus Proconsul Cypri conversus fuit, Saulus novo Pauli nomine invenitur appellatus. Ibidem Iconii eodem tempore à Paulo ad Christi fidem conversa creditur Thecla, virgo nobilissima, de qua plura pag. 109. & in addendis secundæ partis. Eodem ferè tempore raptus Paulus in

tertium

tertium cœlum, verba audiit ineffabilia, ante 14 annos quàm ab eo conscriberetur posterior ad Corinthios epistola (2 Cor. 12. 2. 3. 4.) Quo spectare videtur *Triephonis* illud apud Lucianum, sive antiquiorem illo auctorem dialogi qui *Philopatris* inscribitur: *Quando Galilaus* (sive Christianus) *ille convenit recalvaster, naso justo praeditus, qui in tertium usque cœlum per aërem ingressus, quæ optima atque pulcerrima sunt inde didicit? per aquam nos renovavit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus nos redemit*, Ita Triephon: *Deum altè regnantem, magnum, æthereum atque aternum, filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria*, ibidem etiam Christianorum more, prædicans. *Usserius pag.* 650.

Pag. 95. lin. 24. *Iudaos impulsore Chresto assiduè tumultuantes Claudius Româ expulit*, ut habet Suetonius in Claudio cap. 25. *Sanè Christum plerique ex Gentilibus appellavére Chrestum*, inquit Petavius in animadv. in hæres. 34. Epiph. *Hujus Chresti solus, ni fallor, meminit Suetonius: nam Christum Dominum nostrum, (à quo Christiani, alibi ab eodem memorati, denominationem acceperunt) hic ab illo fuisse intellectum, adhuc mihi persuadere non possum.* Usserius.

Pag. 95. lin. 20. Paulus dum Silam & Timotheum Athenis exspectat, disserebat in synagoga cum Judæis & religiosis, & in foro quotidie cum quibusvis obviis; cum Epicureis quoque & Stoicis Philosophis de Christo & resurrectione disputans. Deinde ut peregrinorum Deorum adnunciator, caussam dicturus in medium Areopagum raptus, doctissimâ oratione ibi habitâ, tum ex ara ipsorum *Ignoto Deo* dicata, tum ex Arati poëtæ Testimonio, Dei progeniem nos esse confirmante, eundem quem ipsi ignorantes colebant Deum à se adnunciari ostendit. Act. 17. 16. 31. Judæorum verò Deus *Ignoti* apud Gentes appellationem obtinebat; eodem sensu *incertus Deus* Lucano lib. 2. Pharsal. *Incertum numen*, Trebellio Pollioni in vita Claudii, & *innominatus Deus* C. Caligulæ apud Philonem in libro de legatione ad eundem nominatus. Cui ut Carmeli montis incolæ (apud Tacitum in Historia lib. 2. cap. 78) neque simulacrum tribuebant, neque templum, sed aram tantum & reverentiam: ita Athenienses quoque *aram misericordia* in media sua urbe sine ullo simulacro similiter posuerunt: In 12. lib. Thebaid. ita referente Statio:

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Dei; mentes habitare & pectora gaudet.

Inter Athenienses à Paulo ad Christi fidem hoc tempore conversos, fuit Dionysius Areopagita & mulier (vel uxor ejus, ut visum Ambrosio, Chrysostomo & Augustino) nomine Damaris & alii cum eis. *Act.* 17. 34. Relictis Athenis venit Corinthum Paulus, ubi Judæum Aquilam & Priscillam uxorem ejus invenit; qui nuper ex Italia venerant, quod edixisset Claudius, ut omnes Judæi Româ excederent. Et quia idem cum illis conficiendi tabernacula artificium exercebat, mansit apud eos Paulus & operabatur. Differebat tamen in Synagoga omnibus Sabbatis, & in suam sententiam adducebat tum Judæos tum Græcos. Act. 18. Dixit Dominus nocte per visionem Paulo: ne metue, sed loquere, & ne tacueris. Nam ego sum tecum & nemo te invadet ut malè te excipiat, quoniam populus est mihi multus in hac urbe: commoratus est itaque illic annum & sex menses, docens, illos verbum Dei. Act. 18. unà cum Sila, & Timotheo 2 Cor. 1. 19. Peragrata Galatia & Phrygia venit Ephesum: ubi duodecim invenit discipulos, qui Johannis baptismum tantum noverant, nec spiritum sanctum per manus impositionem acceperant. Quibus ulterius in Christi doctrina à se institutis, cum manus ille imposuisset, delapso in eos spiritu sancto, loquebantur linguis, & prophetabant. Act. 19. Ibidem per Demetrium magnus ille excitatus est tumultus, ob magnam Ephesiorum Dianam. Act. 20.

Hoc eodem ferè tempore Marcus Euangelista, qui primus Alexandriȩ Christum adnunciavit, octavo Neronis anno mortuus est & Alexandriæ sepultus. *Hieron. in script. Ecclesiast. Catalogo.*

Post quem Alexandriæ presbyteri unum ex se electum, in celsiori gradu collocatum, Episcopum nominarunt: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligunt de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent. *Idem in Epistola ad Evagrium.* Elegerunt autem Anianum, virum tum Deo propter pietatem charum, tum in omnibus rebus admirabilem: qui post Marcum primus Ecclesiæ Alexandrinæ per annos viginti duos Episcopus prȩfuit; ab octavo Neronis anno usque ad Domitiani quartum. Idem in Catalogo cum Eusebio in Chron. & Eccles. hist. lib. 2. cap. 23. & lib. 3. cap. 13. Usserius partis secundæ pag. 677.

Pag.

Pag. 95. lin. 31. Paulus, expleto biennio, quo in liberâ custodia detentus Romæ Euangelium docuit Actor. 28. 30. in Asiam inde navigasse, & Colossis à Philemone exceptus fuisse videtur. Philem. 22.

In Creta insula prædicavit Paulus Euangelium, relicto ibi Tito, ut quę reliqua erant corrigeret, & presbyteros ibi per singulas urbes ordinaret. Tit. 1. 5.

Ephesi aliquandiu moratus Paulus, Timotheum ibi, cum inde in Macedoniam proficisceretur reliquit, ut eam Ecclesiam se absente, administraret. 1 Tim. 1. 3. & 3. 14. 15. In Macedonia autem apud Philippenses permansit, sicut eis ipse ante promiserat. Phil. 1. 25. 26. & 2. 24. Exactâ hieme Nicopoli Ephesum ad Timotheum redit, & Troade profectus, penulam ibi suam reliquit. Erastus mansit Corinthi, cujus erat procurator, Rom. 16. 23. Paulus secundò Romam veniens à Nerone auditus & absolutus est, de quo ipse in 2 Tim. 4. 16. 17. *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt: utinam ne illis imputetur. Sed Dominus mihi adfuit & corroboravit me, ut per me impleretur prædicatio & omnes gentes audirent: & ereptus fui ex ore Leonis.* Ut enim antea per biennium, ita deinceps per integrum annum omnibus gentibus Romam, tanquam ad communem patriam, undique confluentibus Euangelium prædicavit. *Usserius.*

Pag. 100. lin. 21. Onuphrius negat Ecclesiam Antiochenam ante Romanam fuisse à S. Petro institutam & eum Judæâ unquam antè excessisse. Godavius ubi loquitur de fundata per Petrum Ecclesia Antiochena, addit, *selon la tradition*, nihil certi ausus asserere. De adventu Petri Romam sic ait pag. 188. *S. Pierre ne fut pas long-temps dans Rome sans travailler heureusement, pour establir le regne de son Maistre. Mais nous n'en pouvons rien dire de particulier avec authorité des Anciens Peres, lesquels temoignants unanimement qu'il est venu dans cette grande ville, ne disent rien de ce qu'il y à faict. Pour le temps de son arrivée, je sçay qu'il y à des opinions fort differentes, les uns la mettant en la 44 annéee de nostre Seigneur & les autres la reculant beaucoup plus tard. Metaphraste raconte son voyage depuys Antioche & remarque toutes les E-*

glises qu'il fonda en chemin. Mais il ne prouve point ce qu'il dit par aucun autheur digne de foy. Saint Paul dans la seconde epistre à Timothée l'a salué au nom de Prudens & de Prisca, & le Cardinal Baronius pense, qu'ils soyent ceux, qui receurent Saint Pierre dans leur maison à son primier voyage de Rome; que Pudens estoit Senateur, & qu'il fut converty à la foy, avec ses deux filles, Pudentiane & Praxede, vierges celebres dans l'Eglise, pour recompense de son hospitalité. Il adiouste que sa maison bastie au pied de mont Quirinal servit depuys aux fideles, pour y tenir leurs assemblées, &c. *Quelques Traditions disent aussy que de Rome S. Pierre deux ans apres son arrivée envoya des Euangelistes par toutes les Provinces de l'Occident. Dans cette mission, selon l'opinion de ceux, qui la croyent veritable, la Sicile eut Pancrace Marcion & Barillus. Capoüe eut Priscus, Naples Asprenas, Luques Paulin, Ravenne Apollinaire* &c. *Pour les Gaules Martial y vint annoncer la doctrine de salut aux Bordelois & aux Tholosains. Mais celuy qui à basty les Epistres, qui leur sont addressées, n'estoit ni bon Historien, ni bon Chronologiste, & sa supposition est manifeste. On donne à la ville d'Arles Trophime, à Rheims Sixte, à Sens Sabinien* &c. *L'Alemagne fut Catechisée par Eucharius, Egistus & Marcien. L'Espagne par Torquatus, Ctesiphon* &c. *Ie ne veux pas asseurer que ces missions ayent esté faites en ce temps. Car je scay qu'il y à de grandes difficultez, qui les combatent, sur tout pour nos Gaules, ou la religion Christiene est entree assez tard, si nous croyons Sulpice Severe. Aussi ne veux ie pas les nier absolument, pour ne point escauffer les esprits de plusieurs, qui croyent qu'on affoiblit la primauté de Saint Pierre, si on ne soustint qu'il à envoyé ses disciples immediatement par toute la Terre. Cela est amasser des preuves, & non pas les choisir, C'est prouver une verité indubitable, par des argumens capables d'en faire douter. Les autres veulent à toute force, que leur Eglises soyent Apostoliques: c'est à dire, fondées par les Apostres ou par leurs disciples, comme si ce n'est pas assez pour meriter ce nom, qu'elles ayent esté fondées par des hommes envoyez de la part de leurs plus proches successeurs. La ressemblance à beaucoup aydé à favoriser le zele de quelques aucteurs pour fonder leur antiquité pretendue; & ils n'ont pas si bien consideré les vices de pieces qu'ils falsifioient, comme l'on à fait quelques siecles suivans, ou la lumiere de bonnes lettres à dißipé les tenebres de la profonde ignorance, que durant un fort long-temps avoit regné dans*

l'Eglise

l'Eglise. Vide hunc ipsum Godavium de eorundem missione lib. secundo pag. 267: & similia incerta aut potius indubitatè ficta apud Anglos, quæ videre lector potest apud Usserium lib. de Britannicarum Ecclesiarum primordiis cap. 3. 4. &. 6. & apud Henricum Spelmannum in exordio religionis Christianæ in Britanniis ad Concilia, decreta, &c. Britannica, qui etiam multa incerta narrant de antiquitate Ecclesiæ Glastonensis &c.

Pag. 103. lin. 16. Junii die 29 (qui mensis illius dies extremus in Neronis occurrit imperio) Paulus Romæ gladio cæsus est; ut tam Orientalis quam Occidentalis Ecclesiæ tabulæ confirmant. Unde diem mortis illius notiorem, quam ipsius Alexandri esse asserere non dubitat Chrysostomus, in 2 Corinth. homil. 26. Eodem quoque cum eo tempore Petrum subiisse martyrium affirmat in epistola ad Romanos, Dionysius Corinthiorum Episcopus apud Eusebium lib. 2. histor. Eccles. cap. 24. Quem & Romæ, capite (ut expetierat) deorsum statuto, crucifixum fuisse tomo tertio Commentariorum in genesim refert Origines, apud eundem lib. 3. hist. eccles. cap. 1. impletâ Christi prædictione ad eum factâ, Joan. 21. 18. 19. *Cum senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & transferet quo noles.* Hæc habet in suis annalibus Usserius de historia Petri & Pauli Apostolorum, *qui postquam Romanam fundassent Ecclesiam, ibidem ambo martyrio mortui sunt.* Vide Blondelium de primatu in Ecclesia cap. 25. sect. 40. §. 4. pag. 251. & pag. 841. Sic autem de tempore mortis S. Petri loquitur Godavius historiæ Ecclesiastic. lib. primo, pag. 223. *Ainsi finit sa course le chef de l'Eglise, apres avoir gouverné celle de Rome 24 ans, cinq mois & onze jours, selon le Cardinal Baronius, & vingt-cinq ans complets, selon Eusebe, que S. Hierosme à suivi.* (Vide quæ diximus in ipsa historia ex Scaligero) *L'une & l'autre Chronologie n'est pas sans difficulté, mais la derniere est beaucoup moins recevable, & pour mieux dire, ell' est tout à fait impossible. Selon la premiere, il faudroit que Néron eust envoyé de Grece la sentence de mort contre les Apostres, ce qui n'est pas hors d'apparence. Car il y estoit passé des la douziesme année de son Empire, & y avoit demeuré la treiziesme toute entiere, & quelques mois de le quatorziesme. Selon la seconde opinion, on seroit obligé de dire, posant le martyre, dont nous parlons, aux vingt-neufiésme*

nieufiésme de Iuin, qu'il seroit arrivé, neuf jours apres la mort de l'Empereur, qui se tua le vingtiesme.

Pag. 109. agitur de incertis, & suppositiriis veterum scriptis: De Canonibus Apostolicis, Libris recognitionum, Constitutionibus Apostolicis Clementi Romano asscriptis; de his vide Godavium lib. 2. pag. 260. De Dionysio Areopagita, pag. 251. & 152. De epistolis Pontificum decretalibus usque ad Siricium pag. 267. De Thecla vide Addenda secundæ partis historiæ nostræ pag. 546.

Pag. 118. Flavius Josephus descripsit historiam Belli Judaici, cui non tantum interfuit sed & præfuit, ubi captus & à Flavio Vespasiano Imperatore libertate donatus, à patrono suo Flavii prænomen accepit. hujus belli compendium accuratum nobis reliquit Ludovicus Capellus: mortuorum verò numerum durante hoc bello lib. de Constantia Lipsius, & Annalium parte secunda in fine Usserius Armachanus: *Sexcenta millia Iudaeorum eo bello interfecta, Tacitus & Suetonius referunt. Iosephus verò Iudaus, qui ei bello tunc præfuit, & apud Vespasianum propter prædictum Imperium veniam gratiamque meruerat, scribit undecies centena millia gladio & fame periisse; reliquias verò Iudaeorum diversis actas conditionibus toto orbe dispersas, quarum numerus ad nonaginta millia hominum fuisse narratur. Ita Orosius lib. 7. cap. 9. Verum in Suetonio numerum illum interfectorum 600000. nusquam invenio. Apud Iosephum lib. 6. Belli cap. 17. captivorum numerus est 97000. alter verò ille 1100000 numerus eorum tantum est, qui in ipso semestri obsidionis Hierosolymitana perierunt. At eorum qui extra illam per totum septennium interierunt indicem ex Iosepho in lib. 2. de Constantia cap. 21. exhibuit Iustus Lipsius; quem vide. Qui vitâ functorum numerus illis 1100000, qui in Urbis Hierosolymitana obsidione desiderati sunt additus summam 1337490 conficit, innumeris praterea aliis omißis, qui fame, exsilio, miseriis perierunt.* Usserius partis secundæ pag. 701. Hæc de excidio Jerosolymitano Capellus: *Cum Titus cum ducibus decrevisset Templum, quod An. C. 65. vix erat absolutum, ab incendio servare, obtinere tamen id non potuit. Die enim 10. Augusti, cum Romani, qui in exteriori Septo Templi excubabant, à Iudæis laceßiti, impetum in eos fecissent, qui ignem interioris Septi extinguebant, eosque in ipsum*

ipsum Templum compulissent, Romanus miles rapto ex incendio titione, à socio sublatus in humerum, per fenestram auream ignem in domos seu Cellas circa Templum constructas à Septentrionali parte rejicit, quas corripiens statim ignis Templum ipsum illis junctum (frustra Tito incendium restinguere militibus jubente) simul inflamat anno Vespasiani secundo, eodem mense eodemque mensis die, quo prius à Nebuchadnesare fuerat incensum. Urbem totam & Templum funditus everti & complanari jussit Titus, (eique de more induci aratrum) exceptâ occidentali duntaxat muri parte, turribusque tribus, Hippico, Phasaëli & Mariano; quas ob elegantiam & fortitudinem insignem voluit posteris relinqui documentum magnificentiæ illius urbis.

Pag. 123. linea prima, post *libro*, adde, *cap.* 4. & linea 13. lege, *Iudæi ea, quæ de Iesu Christo, Blondellus quæ de Beato Ioanne Baptista* &c.

Pag. 128. lin. 15. Sic de Euangelio Johannis loquitur Epiphanius hæresi 51. *Cum protulerit Lucas Genealogias ab imis ad superna, & indicationem fecerit adventus Dei Verbi ex supernis, simulque conjunxerit ipsum carnali ipsius dispensationi, ut averteret ab erroneis & seductis errorem, alii non intellexerunt. Quapropter cogit S. Spiritus Ioannem recusantem Euangelium annunciare ob metum & humilitatem in senecta ipsius, post nonaginta annos vitæ ejus, post reversionem ejus à Pathmo, quæ facta est sub Claudio* (Domitiano) *Cæsare, postquam multos annos in Asia transegisset Euangelium exponere. Et non erat ipsi opus de incarnationis negotio per longum tractare. Iam enim munitus erat is locus. Sed velut à tergo quorundam incedens, & videns ipsos ulterius progredientes, & ad asperiora seipsos exponentes, & in avia ac spinosa: revocare ipsos in rectam viam cogitavit, & ipsis prædicare constituit & dixit: Quid erratis, quo vertimini, quo seducimini tu Cerinthe & tu Ebion & alii? Non est ita ut putatis. Certè genitus est Christus secundum carnem, manifestum id est, Ecce enim ipse confiteor, quod Verbum caro factum est. At non ex quo caro factus est, putaveritis eundem esse. Non est enim à temporibus Mariæ solum, velut unusquisque nostrum ex quo natus est existit, verum priusquam natus est, non est. At sanctus Deus Verbum, filius Dei Christus Dominus noster Iesus, non est à temporibus Mariæ solum, neque à temporibus Ioseph solum, neque Eli, neque Levi, neque Zorobabel, neque Salathiel, neque Nathan, neque David, neque à Iacob*

neque ab Isaac, neque à temporibus Abraam, neque Noë, neque Adam, neque à quinta die, neque à quarta, neque à tertia, neque à secunda, neque ab eo tempore quo cœlum & terra facta sunt, neque à quo mundus fuit: Sed in principio erat verbum, & verbum erat apud Deus, & Deus erat verbum, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil,&c.

Pag. 135. *Hieronymus excessum Ioannis Euangelistæ & Apostoli refert ad annum Trajani tertium, ubi sic scribit: Ioannem Apostolum usque ad Trajani tempora Irenæus Episcopus permansisse scribit, postquam auditores ejus insignes fuerunt Papias Hieropolitanus & Polycarpus Smyrnæus, & Ignatius Antiochenus. Ita ut inter obitum Ioannis & persecutionem Trajani solum sit septennium: nec multò amplius esse potest, cum Eusebius referat Trajani excessum ad annum 119. quo ei successit Hadrianus. Ea ostendunt ex hac Plinii epistola & responso cognosci faciem Ecclesiæ, qualis fuit proximis ab Apostolis temporibus.* Vossius tractatu de persecutione Christianorum.

Pag. 158. lin. 25. *Alii sibi unum diem jejunandum putant*, inquit Irenæus apud Eusebium, de quo sic loquitur Tertullianus lib. de Orat. sub finem: *sic & die Paschæ, quo communis & quasi publica jejunii religio est, osculum deponimus. qui dies parasceve sancta, quâ passionis memoria celebratur, ac pascha σταυρώσιμον esse videtur*, inquit Petavius animadvers. in Epiph. pag. 363. Pergit Irenæus: *alii duos, alii plures, alii quadraginta horas diurnas & nocturnas computantes, diem suum* & post *suum* habet Christophorsonus *statuunt*. Textus Græcus συμμήτρουσι, id est computant, metiuntur. Robertus Stephanus habet, *quadraginta horis diurnis & nocturnis metiuntur suum diem*, quæ horæ 40, exprimunt illud tempus, quo abfuit à suis sponsus. Matth. 9. vers. 15. Et Apostoli jejunarunt post Christi mortem ad ejusdem resurrectionem, in cujus doloris seu tristitiæ memoriam Ecclesia observasse videtur jejunium illud Paschale. Quod his verbis manifestè etiam docet prædictus Tertullianus, lib. de jejuniis adversus Psychicos, per quos intelligit Orthodoxos, cap. 2. *Certè illos dies jejuniis determinatos putant* (Orthodoxi) *in quibus ablatus est sponsus; & hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum, abolitis legalibus & Propheticis vetustatibus.* quod idem indicat

dicat ejusdem lib. cap. 13. ut videre licet in nostris collectaneis, his inter cætera verbis: *Ecce enim convenio vos & præter Pascha jejunantes citra illos dies, quibus ablatus est sponsus, & stationum jejunia interponentes, & vos interdum pane & aquâ victitantes, ut cuique visum est: denique respondetis, hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio.* Quia Christiano semper parcè & sobriè vivendum, hoc verò tempore, quo abfuit sponsus, jejunium vocatur, quia ab omni cibo abstinetur. Posthac, videbimus hanc jejunii Paschalis institutionem mutatam sive auctã in totius hebdomadæ sanctæ jejunium in pane, sale & aqua, in aridis; quare hæresi 70 n. 3. Epiphanius eam vocat *ξηροφαγίας & Paschatis hebdomadam.* Et hæresi 75. inquit: *Paschatis dies humi cubando, affligendoque corpore; nec non & aridorum cibor um usu, precibus, vigiliis, jejuniis ac reliquis id genus saluberrimis corporis cruciatibus celebrare solemus.* & ibidem n° 6. *Cur sex Paschatis diebus nihil omninò ad cibum præter panem salem & aquam adhibendum definiunt?* De hoc Paschatis jejunio etiam loquitur Timotheus Episcopus Alexandrinus in Canonicis responsionibus, Interrog. 8. & 10. Distinguitur utrumque jejunium Constit. Apostolic. cap. 19. ut primo jejunio ab omni cibo abstineatur, reliqui hujus hebdomadis dies in aridis transigantur. Huic hebdomadæ sanctæ jejunio postmodum ob corruptos hominum mores quadraginta dierum jejunium additum fuisse ab Ecclesiis multi censent. Et tamen S. Augustinus epist. 118. ad Januarium *attendere nos vult sacratissimum triduum* (tempus quo ablatus erat Sponsus) *crucifixi, sepulti & resuscitati Christi.*

Pag. 226. Vetustissimis temporibus proculdubiò eadem & communis omnium Ecclesiarum fuit consuetudo in celebrando sacro mysterio diebus Dominicis, ut ex Apostolo 1 Cor. 16. & ex Justini martyris apologia secunda colligitur, ubi cum de Christianorum conventibus agit, solius Dominicæ meminit. Reliqua magis ex privatis Ecclesiæ cujusque ritu; quem ex communi Apostolorum præscripto derivata existimat Petavius, quem vide animadvers. in Epiphan. pag. 350. ubi etiam docet, quibus temporibus Synaxes sine cœnæ Dominicæ celebratione fuerint habitæ. qua de re etiam vide Socratem lib. 5. cap. 21. *Alexandriæ*, inquit, *quartâ feria, & eâ quæ dicitur Parasceve, & leguntur scripturæ, & doctores eas interpretantur,*

tantur, omniaque quæ ad Synaxin pertinent, administrantur, præter mysteriorum celebrationem.

Pag. 169. lin. 28. post *sequebatur* pone *comma* & *non jejunavit.*

Pag. 188. lin. 24. Præcisum illud & ceremoniale otium Judæis in signum Ezech. 20 præceptum, cum quis ipsam quietem, partem existimat cultus divini, superstitionem vocat, in præfatione in sententiam Amesii de Sabbato Christianus Schotanus.

Calvinus inst. rel. Christ. lib. 2. c. 8. §. 28. *Umbratile veteres nuncupare solent, quod externam diei observationem contineat, quæ cum Christi adventu cum reliquis figuris abolita fuerat,* & ibidem §. 31. *Si timetur superstitio, plus erit periculi in Iudaicis feriis quam in Dominicis, quas nunc habent, diebus: nam quod ad evertendam superstitionem expediebat, sublatus est Iudæis religiosus dies: quod decoro, ordini, paci in Ecclesia retinendis, necessarium erat, alter in eum usum destinatus est.* & : §. 34. *Ita evanescunt nugæ pseudoprophetarum, qui Iudaicâ opinione superioribus seculis populum imbuerunt, nihil aliud afferentes, nisi abrogatum esse quod ceremoniale erat in hoc mandato (id vocant suâ linguâ diei septimi taxationem) remanere autem quod morale est, nempe unius diei observationem in hebdomada: atqui id nihil aliud est, quam in Iudæorum contumeliam diem mutare, diei sanctitatem eandem animo retinere. Siquidem manet nobis etiam par mysterii in diebus significatio, quæ apud Iudæos locum habebat.* Musculus in Galat. 2. *Qui baptizatus est in Christum servatorem, & spiritum gratiæ accepit, profecto non sine grandi gratiæ injuriâ jugo se legis serviliter subiicit, si se legalis Sabbati servandi debitorem esse judicat. A Christianis ergo abesse debet superstitiosa dierum observatio,* inquit Calvinus l. 2. c. 8. §. 31. Absit & superstitio, absit & profanatio. Epiphanius superstitionem insigni & ex tribus diversis vocibus composito vocabulo appellat ἐθελοπερισσοθρησκείαν, id est, spontaneum & superfluum cultum. Vide de hac Sabbati & otii Sabbatici quæstione Gommarum, Rivetum, Walæum, Amesium, Heydanum, Essenium, Coccæum, Davidem Primerosium &c.

Pag.

Pag. 219. lin. 24. De pane azymo in sacramento Eucharistiæ usurpando sic loquitur Godavius histor. Eccles. lib. 1. pag. 151. *l'Eglise Latine s'en sert a jourd'huy des pains azymes, c'est à dire sans levain, pour son sacrifice; mais les doctes estiment, avec raison, ce me semble, que c'est usage est moderne, & pretendent prouver ceste opinion, qui choque le vulgaire, par l'autorite des anciens canons & des Peres, durant plusieurs siecles. L'examen de cette controverse n'est pas de ce lieu, & le changement arrivé en cette circonstance de l'Eucharistie, quelque temps devant le Pape Leon IX ne blesse pas de tout sa verité, & pour ce suiet l'Eglise Latine ne se separeroit point de l'Eglise Greque, ne s'agissant pas d'un dogme essentiel, mais d'une coustume ceremonielle, pour laquelle il ne faut pas rompre l'unité.* Vide Concil. Carthag. III. canone 14. Cyprianum lib. de opere & eleëmosyna, Ambros. de Sacram. lib. 4. cap. 4. Concil. Matisc. 2. can. 24. Tolet. 6. can. 16.

Pag. 236. lin. 11. pro *Dominica*, dicendum, *diei Sabbati*. Ibidem nota feriæ quartę synaxin & jejunium in quibusdam Ecclesiis institutum fuisse, ob venditionem Christi eo die factam; seu, ut vult Augustinus epistola 86. ad Casulanum, ob initum eo die Concilium à Judęis de perdendo Christo. Ferię sextæ synaxin & jejunium ob passum eo die Christum. Sabbatis autem in Ecclesia Orientali fuisse celebratam synaxin, ut eo ritu lucrarentur Judæos. Eàdem lineâ pro in *Ancorato* pone *in Compendio aut explicatione fidei ad finem Panarii sive operis adversus* 80 *hæreses*.

Pag. 239. lin. 8. Vide Godavium Historiæ Ecclesiast. lib. 3. pag. 339, de Baptismo adultorum, & de ceremoniis antiquis in eo observatis.

Pag. 245. lin. 10. Vide Godavium lib. 3. pag. 269. ubi agit de gradibus pœnitentiæ veteris Ecclesiæ, & de mutatione ejusdem subsecuta seculo Octavo, cum pœnitentias redimere licebat per Eleëmosynas, preces, Missas: ut videre est apud Burchardum, Ivonem Carnutensem, Bedam & alios. Sequentibus seculis loco pœnitentiæ utebantur peregrinationibus in Palæstinam, versus Romam, S. Jacobum, S. Martinum &c. Seculo duodecimo de disciplina seu pœnitentia plurimum est remissum, unde postea subsecutæ sunt Indulgentiæ.

Pag. 247. lin. 34. Ordinatio Episcoporum in primitiva Ecclesia paucos habuit ritus, solâ manuum impositione toto presbyterio contenta: postea additæ sunt unctiones certarum corporis partium, pedum pastorale, seu baculus curvus, qualis erat veterum lituus, chirothecæ, annulus, mitra, & habitus Episcopalis, denique impositio super altare &c. Vide utrumque Durandum & alios.

Pag. 258. lin. 27. De his audiamus judicium Francisci Bosqueti lib. 1. historiarum Gallicanæ Ecclesiæ, editione prima, ubi *incertam longâ antiquitate & posterorum commentis originem horum* exstitisse refert, his verbis: *Primos, si verum amamus, hujusmodi zelotas monachos in Galliis habuimus. Illi simplici ac fervidâ, ideoque minus cautâ & sæpe inconsultâ religione perculsi, ad illiciendas hominum mentes & augustiori sanctorum nomine ad eorum cultum revocandas, illustres eorum titulos, primum sibi, dein credulæ plebi persuasos proposuerunt. Ex horum officina Martialis Lemovicensis Apostolatus, Ursini Bituricensis Discipulatus, Dionysii Parisiensis Areopagitica, Pauli Narbonensis proconsularis dignitas, amborum Pauli Apostoli magisterium, & in aliis Ecclesiis similia prodiére. Quibus quidem sano judicio & constanti animo Galli Episcopi restitére. At ubi Ecclesiæ Gallicanæ parentibus, sanctissimis fidei præconibus, detractis his spoliis injuriam fieri, mentibus ingenuis, & probis inpersuasum est, paulatim error communi consensu consurgere, & tandem antiquitate suâ contra veritatem præscribere.* Vidit etiam hæc Godavius in historiæ Ecclesiasticæ lib. 1. pag. 189. quæ dedimus inter Addenda ad pag. 100. lin. 21. quibus similia vide apud eundem lib. 2. pag. 267. qui eos ibi eâdem incertitudine collocat sub Zepherino an. C. 213. quos alii à Petro Roma, alii à Paulo ex Hispania missos volunt.

Usserius lib. de antiquit. Eccles. Britannic. in præfat.

Pag. 276. lin. 2. *In Britannia*, ut inquit Usserius, *ipsis Apostolorum temporibus adnunciatum fuisse Christi Euangelium auctores habemus locupletissimos, Eusebium, Theodoretum, Arnobium juniorem & Gildam Britannum: A Iosepho vero Aromathensi id fuisse præstitum Glastoniensium monachorum traditio est, nec ita tamen antiqua, ut ante Normannica tempora certum aliquid in probatæ fidei scriptore quoquam deprehendi possit illius vestigium. De primo similiter Christiano Britannorum rege in Beda & libro Pontificali (Beato Hieronymo,*

nymo, & Papa Damaso perperam atttributo) primum legimus, Lucium regem Britannicum, missâ ad Eleutherum Romanum Episcopum epistolâ, illius operâ Christianum effectum fuisse. Britannica consarcinator historiæ, id satis esse non existimans, Regulo hoc in Romanæ Insula Monarchiam transformato, in urbibus illius xxviij, totidem ab eo constitutos Episcopos somniavit, cui & suum de flaminibus & Archiflaminibus centonem Galfridus Monematensis deinde assuit. Triste profectò est cordato Christiano videre, *quam multis ineptiis Sanctorum vitas, totamque Ecclesiæ Historiam, ætas superior contaminaverit, atque novorum miraculorum & visionum obtentu hominum simplicitati illuserit. Ita de S. Albani corpore inter Verolamienses & Colonienses cœnobitas lite ortâ, miracula miraculis opposita, & in consimili de B. Patritii reliquiis inter Glastonienses, & Dunenses monachos controversia ab utraque parte visiones productas hic videbit visionibus contrarias. In iis enim percensendis quæ ex Elisabethæ Sconaugiensis & Richardi Pramonstratensis revelationibus de Ursulanis virginibus retulimus, quis tam patientis fuerit stomachi, ut Apuleianum illud sæpius usurpare non cogatur? Nihil hâc fabulâ fabulosius, nihil isto mendacio absurdius.* Usserius. *Apul. Metamorph. lib. 1.*

Pag. 302. lin. 21. Anastasius Bibliothecarius alius est Baronio Annalium Tom. 10, ab Anastasio Cardinali titulo S. Marcelli, qui quod quinquennio Parochiam suam deseruisset in Synodo Romæ à Leone IV est excommunicatus: qui idem Anastasius sedem Romanam postea invasit, & thronum Pontificum conscendit an. 856. Fuere quidem coævi, sed ille Bibliothecarius dicitur fuisse Abbas Romanus, cui tribuitur Liber Pontificalis, seu de vitis Pontificum, sed nec est Anastasii, ut docet Baronius, Blondellus & alii, nec Damasi ut Baronius, Bellarminus, & omnes docti. Ille Anastasius in linguam Latinam transtulit Synodum Latinis Octavam pro Ignatio & contra Photium an. C. 857. sub Imperatore Basilio, quam dedicavit Hadriano II, sub quo & Leone VIII maximè floruit. Hæc habet de Libro illo Pontificali Godavius: *L'histoire de Pontifes Romains, qui porte son nom* (de Damase) *n'est pas de luy, mais de quelque Aucteur ignorant, qui portoit son nom, & qui l'a remplie, de beaucoup de choses indignes d'un homme sincere & sçavant.*

Pag.

Pag. 303. lin. 12. Post *Baronius* pone punctum ubi est colon: nam sequentia verba sunt Vossii de historicis Latinis lib. 2. cap. 8. ubi loquitur de lib. Pontificali, qui quondam, ut sæpe diximus, perperam Damaso Papæ asscriptus est.

Pag. 304. lin. 17. tollatur vox *Lampridius.*

Pag. 306. lin. 24. *On ne sçait point, dit Saint Augustin, qui à esté le premier Traducteur de l'Escriture en langue Latine, & il y à apparence que plusieurs y ont mis la main à mesure qu'ils recouvroient quelque livre Grec de la Bible. mais entre toutes les versions, qui couroient, celle qu'on appelloit Italique ou Romaine avoit plus de vogue & d'auctorité. Enfin Saint Hierosme traduisit toute l'Escriture de Hebreu en Latin, & bien que d'abord l'Eglise ne receut sa version, elle s'introduisit toutefois peu à peu, celle de Septante demeurant neantmoins tousiours dans son ancien credit: & ainsi il y eust deux versions, l'une qui fut nommé la vieille, & l'autre la nouvelle. Apres Saint Gregoire le Grand cette diversité fit naistre des disputes entre les Catholiques, ceux-cy se servant d'une version, & ceux là d'une autre; de sorte pour le bien de la paix, des deux il s'en fit une, qui est nommé la Vulgate, ou nous avons encore des livres entiers, selon l'interpretation commune de Septante, comme est le Psautier, & selon la traduction de l'Hebreu par Saint Hierosme, comme sont les petits Prophetes & les quatre, qu'on appelle grands, fort peu des choses exceptées.* Godavius lib. 3. pag. 291.

Pag. 307. lin. 16. *Quelques modernes mettent apres le Pape Anterus, un Cyriacus Romeyn, mais comme ils n'ont d'autre fondement, que les Actes de Saincte Ursule, qui sont indubitablement supposés, il ne faut pas perdre du temps à refuter une fausseté qui est si evidente, nul Aucteur ni Grec ni Latin ne parlant de ce Pontife pretendu.* Historiam seu potius fabulam Ursulæ vide partis primę pag. 500.

Pag. 313. lin. 18. Apologiam pro Origine ab Eusebio, operâ sanctissimi Martyris Pamphili descriptam, vide Tomo primo apud Originem editionis Erasmi circa finem.

Pag. 321. lin. 6. &c. Perverso ordine citata est hoc loco epistola Firmiliani; quare sic lege: Qualis verò error sit & cæcitas ejus, qui remissionem peccatorum dicit apud Synagogas hæreticorum dari posse, nec permanet in fundamento unius Ecclesiæ, quę semel à Christo

Christo supra petram solidata est: hinc intelligi potest, quod soli Petro Christus dixerit: quæcunque ligaveris super terram erunt ligata & in cœlis, & iterum in Euangelio, quando in solos Apostolos insufflavit dicens: Accipite Spiritum S. si cujus remiseritis peccata, remittentur illi, & si cujus tenueritis, tenebuntur. Potestas ergo peccatorum remittendorum Apostolis data est & Ecclesiis, quas illi à Christo missi constituerunt, & Episcopis, qui eis ordinatione vicariâ successerunt. Hostes autem unius Catholicę Ecclesiæ, in qua nos sumus & adversarii nostri, qui Apostolis successimus sacerdotio, sibi illicitia contra nos vindicantes & altaria prophana ponentes, quid aliud sunt quam Chore & Dathan & Abiron, pari scelere sacrilegi & easdem, quas illi, pœnas daturi cùm his qui sibi consentiunt &c. Et: Atq;ego hac in parte justè indignor ad hanc tam apertam & manifestam Stephani injustitiã, quod qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur, & se successionem Petri tenere contendit &c. Quod autem pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati, quis tam vanus sit, ut veritati consuetudem pręferat? aut qui perspectâ luce tenebras non derelinquat? nisi si & Judęos Christo adventante, id est, veritate, adjuvat in aliquo antiquissima consuetudo, quod relictâ novę veritatis viâ, in vetustate permáserint. Quod quidem adversus Stephanum vos Afri dicere potestis, cognitâ veritate errorem vos consuetudinis reliquisse. Cæterum nos veritati & consuetudinem jungimus, & consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes, quod à Christo & Apostolo traditum est. Et: Et non pudet Stephanum hoc asserere, ut per eos, qui ipsi in omnibus peccatis sunt constituti, dicat posse remissionem peccatorum dari? quasi possit esse in domo mortis lavacrum salutis. Ubi ergo erit quod scriptum est: Ab aqua aliena abstine te, & à fonte alieno ne biberis? si relicto Ecclesiæ fonte signato, aliam aquam pro tua suscipis, & prophanis fontibus Ecclesiam polluis? Et: nec metuis judicium Dei, &c. Vehemens & acerba nimis hæc est Epistola Episcopi ad Episcopum urbis Romę, cujus dignitas semper fuit magna. hæc autem fuit hujus indignationis caussa, ut bene suspicatur Pamelius, *quod ad Firmilianum, Helenum & alios illarum partium Episcopos Stephanus scripserat, se illis non communicaturum, quamdiu in ea sententia de baptizandis hereticis persisterent*, ut ex epistola Dionysii Alexandrini ad Xistum Stephani successorem docet Eusebius histor. Ecclesi. l. 7. c. 4.

Pag. 322. lin. 25. *Les Afriquains demeurerent long-temps apres sa mort* (de S. Cyprien, dit Monsieur Godeau l. 3. p. 338) *dans la pratique de rebaptizer. Et le premier Concile d'Arles, qui se tient long-temps apres, ayant dit qu'ils usoient de leur propre Loy, ordonne un temperament fort raisonnable, qui est, qui laissent les sectes des Heretiques soyent interrogez sur le Symbole, & si on reconnoint, qu'ils ayent esté baptizez ou nom du Pere, du fils & du Saint Esprit, qu'on ne les rebaptize point, mais que la main seule leur soit imposée, pour recevoir le saint Esprit: c'est à dire, que l'Evesque les confirme: Que si quelqu'n ne respond pas a cette Trinité, (ces sont les termes du Canon) c'est à dire, se trouve n'avoir pas esté baptizé au nom des trois personnes, ou n'avoit pas d'elles la creance Orthodoxe, qu'on lui donne le baptesme.*

Pag. 324. lin. 1. Vide pag. 382 canonem octavum Concilii Arelatensis ante Concilium Nicænum an. C. 314 celebrati, quo in Ecclesiam recipiuntur hæretici cum manus impositione, qui baptizati erant in nomine Patris, & filii, & Spiritus sancti: sin minus, rebaptizantur.

Pag. 326. lin. 33. S. Cyprianus moriturus, *gratias*, inquit constanti & intrepido vultu, *agamus Deo, qui me liberare dignatur, de hujus corporis carcere. Eminet in ejus scriptis ingens charitatis ardor, qui frequens erat primis prisca Ecclesia seculis, sed ab illo tempore paulatim refriguit*, ut inquit Godavius.

Pag. 327. lin. 6. post *rebaptizandis* pone *hareticis*: & pag. 328. lin. 17. post *priores* pone *martyrio mortui sunt.*

Pag. 355. lin. 32. lege *nova, specie quidem grata.*

Pag. 356. lin. 30. Eodem modo hæc Eusebii verba de Imperatore Aureliano interpretatur Godavius: *Aurelien ordonna tresconvenablement, qu'elle fut livrée á celuy, á qui les Evesques d'Italie & de la ville des Romains, envoyeroient des lettres de communication sur la doctrine, c'est à dire, à celuy qu'ils connoistroyent pour legitime Evesque.*

Pag. 371. lin. 10. *Aupres la ville d'Autun en Bourgongie dans les Gaules*, inquit Godavius.

Pag. 383. lin. 19. Vide Godavium lib. 4. pag. 434. ou il dit *qu'Elvire estoit ville celebre en ce temps la, mais qui fut ruinée depuis, & dont le siege est transferé á Grenade.*

Pag. 397. lin. 20. *Ce que les Actes de Sylvestre racontent de la lepre, du bain du sang des petits Enfans, que l'on luy avoit conseillé, de l'apparition de S. Pierre & S. Paul, qui lui commenderent de faire cercher le Pape Sylvestre, caché dans une caverne de mont Soracte, lequel le guerit & le baptisa, n'est pas aussy exempt de soupson d'estré tout á fait supposé, & le temps de son baptesme fournit un grand suiet de dispute aux Chronologistes. Eusebe de Casarée dit clairement, qu'il ne fut baptizé que peu de temps avant sa mort dans les faubeurgs de Nicomedie par Evesqués qui s'y trouverent. Les Historiens Ecclesiastiques & plusieurs Peres out éscrit la mesme chose.* Godavius lib. 4. pag. 491. quem vide.

Pag. 398. lin. 28. post *principe*, adde, *Hieronymus in Chronico.* Eusebius Cæsariensis de vita Constantini lib. 4. cap. 61. refert Constantinum Helinopoli, postquam in ipsa martyrii æde errata sua confessus esset & se supplicem Deo obtulisset, dignum fuisse habitum manuum per precationem impositione, & inde discessisse ad suburbana Nicomediæ, & cap. 62, convocatis Episcopis ibidem sacrorum mysteriorum factum participem, & cap. 63. liberis regni hæreditatem reliquisse, & cap. 64. in ipsa Pentecostes celebritate mortuum, cum natus esset annos 64, imperasset annos 31. A Ruffino cap. 11. dicitur mortuus in suburbanâ Nicomediæ villa, liberis de successione orbis testamento hæredibus scriptis, A Socrate dicitur lib. primo cap. ultimo in suburbio Nicomediæ lavacro baptismatis tinctus & testamento composito, quo tres filios imperii hæredes instituit, mortem oppetiisse. Idem habet Theodoretus lib. 2. cap. 31. Sozomenus lib. 2. cap. 32. nullâ factâ Eusebii Nicomediæ Episcopi mentione. Primus ab Eusebio illo Arriano & Arrianorum principe Constantinum baptizatum scripsit in Chronico, quod subjecit Chronico Eusebii, Hieronymus, his verbis: *Constantinus extremo vita sua tempore ab Eusebio Nicomediæ Episcopo baptizatus in Arriannm dogma inclinat.* Nec mirum cuipiam videri debet, si in suo territorio Imperatorem baptizaverit Eusebius. *Anno C. 337 ipso Pentecostes die*, inquit Petavius, *moritur Constantinus in suburbano Nicomedia, ubi paullò ante mortem baptizatum esse plerique veterum affirmant; quibus Cardinalis Perronius nuper astipulatus est, dum post Nicænam Synodum baptizatum ab Eusebio Nicomediensi Constantinum asseruit.*

Pag. 401. lin. 34. Leontius dicitur fuiſſe Epiſcopus & interfuiſſe Concilio Nicæno, cum eo tempore & cum ſe caſtraret, fuerit tantum Antiochiæ preſbyter. *Illius tamen recens facinus*, inquit Baronius, *huic canoni cauſſam dediſſe videtur*, de quo hæc habet Athanaſius Apologia de fuga in fine: *Leontius accuſatus de commercio cujuſdam juvenculæ mulieris*, (Euſtolii) *juſſuſque proinde ab Euſtatio* (*Epiſcopo Antiocheno*) *ut ab ejus commercio abſtineret, ſeipſum caſtrandum dedit, quò ita liberè ejus commercio uti poſſet. neque tamen vel ita ſuſpicionem abluere potuit, quo minus cum preſbyter eſſet, deponeretur.* Ille tamen quamvis caſtratus poſtmodum ab Arrianis, abrogato, ob ſcelus contra Euphratam commiſſo, Stephano, electus eſt Epiſcopus Antiochenus. qua de re paulò poſt in addendis plura.

Pag. 409. lin. 2. Vide Godavium l. 4. p. 503. ubi inter cætera hęc habet: *Il eſt vray, qu'il ne paroiſt pas, ny par les convocations aux ſynodes, ny par les ordinations des Metropolitains, qui appartenoient proprement aux Patriarches, ou Chefs de Diœceſe, & en quoy conſiſtoit la meilleure partie des droits de primatie, que l'Eveſque de Rome les ayt faites en ces premiers ſiecles, ny dans les Gaules, ny dans le departement Italique, dont Milan eſtoit le Chef, & qui contenoit ſept provinces, leſquelles compoſoient ſon reſſort Patriarchal & Primatial*, &c.

Pag. 414. lin. 20. De cruce, & de clavis vide Godavium, lib. 4. pag. 515. & 516.

Pag. 417. lin. 32. pone ante Treviros, *ad.*

Pag. 421. De Donatione Conſtantini vide diſputationem Laurentii Vallæ, item Innocentium Gentilem, in apolog. Eccleſ. reformatę in Gallia, & Franciſcum Hotomannum in bruto fulmine, Joannem Schneideninum ad rubric. prooemii Inſt. pag. 4. n. 7. & ibidem in notis marginalibus Weſenbecium, & Godavium lib. 4. pag. 492. *Pour la Donation de ceſt Empereur, la fauſſeté en eſt ſi evidente & ſi bien juſtifié par les impertinences de ſa tiſſure, & par les fautes de la Chronologie, & contre l'Hiſtoire dont elle eſt toute remplie, que je croirois abuſer de la patience des lecteurs, ſi je m'amuſois de la refuter.*

Pag. 426. lin. 13. *Il y avoit en ce Synode quatre vingt dix ſept ou dix neuf Eveſques, dont trente ſix ſeulement eſtoient Arriens couverts*, inquit Godavius lib. 4. pag. 544.

Pag.

Pag. 430. lin. ultimæ adde, quod Patres Concilii Chalcedonensis quatuor Canones hujus synodi suis canonibus inseruerunt, nimirum 4. 5. 16. & 17. exceptos ex codice Canonum universæ seu Catholicæ Ecclesiæ, nullâ tamen factâ mentione synodi Antiochenæ, qui in Chalcedoniensi sunt 83. 84. 95. & 96.

Pag. 433. lin. 7. Ille Stephanus Antiochiæ Episcopus, religione Arrianus tyrannicâ audaciâ & dolosâ vafritie multa scelera contra Orthodoxos commisit, & inter cęteros contra Euphratam Coloniensem Episcopum; in cujus cubile ipsâ nocte per suos deduci curavit meretricem, ut eo modo famam viri & Concilii Sardicensis ad Constantium Imperatorem, cum Vincentio Capuano, legati, læderet: quęcum ibi conspiceret senem dormientem, nec tale quid cogitantem & simul Episcopi signa animadverteret, vociferata, vim quiritatur, unde omnibus in diversorio expergefactis, detecta est nefaria machinatio. Manè vulgatum facinus, itur in judicium: Leno vocatus auctores prodit & illi Stephanum: quare Episcopali dignitate exuitur, & in illius locum sufficitur Leontius, etiam Arrianus & sponte suâ castratus ob Eustolii invenculæ commercium, homo versutus, & *tectis instar scopulorum maris fraudibus*, ut de eo loquitur Theodoretus. *Tunc verò Constantius turbulenta adversus Orthodoxos Episcopos consilia edoctus, literas misit Magno Athanasio, semel, iterum, tertiò, quibus eum, ut ab Occidente reverti vellet, exhortatur.* Theodoretus lib. 2. cap. 9. 10. Athanasius lib. ad solitariam vitam agentes.

Pag. 445. lin. 12. Lapsum Liberii multis rationibus docet Godavius, sed rediisse ad fidem consubstantialitatis multis etiam argumentis affirmat, præcipuè per epistolam à Liberio ad Athanasium scriptam, in qua eum Verbi divinitatem statuere ait, & cum S. Petri lapsu lapsum liberii comparat: pag. 590 & 691. Pagina verò 654 idem inquit, *Saint Ambroise, S. Basile, S. Epiphane, rendent un honorable tesmoignage de sa pieté, qui nè peut estre suspect, en des defenseurs si rigides de la foy Orthodoxe.*

Pag. 452. lin. 30. Theodoretus lib. 3. cap. 8. de Juliano hęc habet: Ac primum Galilæorum liberis (ita enim appellabat cultores Servatoris nostri) interdixit usum Poëticæ Rhetoricesque ac Philosophicarum artium. Nam propriis, inquit, ut in

proverbio eſt, pennis configimur: ex noſtris enim libris arma capiunt, quibus in bello adverſus nos utuntur. Poſtea aliam tulit legem, quâ exigibantur militia Galilæi. Et cap. 9. Julianus non tantum pelli ſed penitus tolli Athanaſium imperat. Cum autem illi metueret ſocietas ipſius, prædixiſſe fertur: Turbas eas mox abituras eſſe: nubes enim appellaſſe, quæ ſubito diſſolverentur. Ceſſit tamen cum advenire contra ſe miſſos comperiſſet, & nactus in ripa fluminis navigium, Thebaicam regionem petere conſtituit. At is qui interficiendi illius mandatum habebat, cognitâ fugâ illius celerrimè inſequitur: Anteverterat tamen eum quidam neceſſarius Athanaſii, qui hortaretur ipſum ut curſum intenderet: ibi qui aderant orabant, ut ad deſertum declinaret: ſed ipſe gubernatorem retorquere navigium Alexandriam verſus jubet: ita cum rectâ contra inſequentem ferrentur, occurrit is, qui mortis acceperat mandata, & quam longè abeſſet Athanaſius, interrogat: ille verò non longè abeſſe reſponſo dato, dimiſit eum. Ipſe verò Alexandriam rediit, ubi quamdiu vixit Julianus, deinde latuit.

Pag. 481. 482. 483. De matrimonio Clericis prohibito nec Sacræ Scripturæ auctoritate, nec univerſalis Eccleſiæ traditione quicquam eſſe determinatum reperio. Particulares Eccleſiæ ſibi ſuas habent traditiones & ritus, quibus aliæ, non conſtringuntur, niſi cum quis in iis vivit aut verſatur. Cœlibatum Clericis eſſe quam convenientiſſimum, nemo prudens negare debet, ſi in eo caſtè vivere poſſunt. *Sed melius eſt nubere quam uri. Vnuſquiſque ſuam uxorem & unaquaque ſuum maritum habeat, propter ſtupra vitanda*, quæ præcepta generalia neminem excipiunt. *Dico autem inconjugatis, & viduis*, pergit Paulus, *bonum iis eſt, ſi manſerint ut & ego: quod ſi ſe non continent*, id eſt, continere non poſſunt, *contrahant matrimonium. Unuſquiſque proprium habet à Deo donum. Sed conjugatis præcipio, non ego, ſed Dominus: Uxor à viro ne ſeparetur. Vnuſquiſq; in ea vocatione maneat in qua vocatus eſt.* Cœlibatum præfert Paulus, tum propter præſentem neceſſitatem, tum quia cœlebs commodius curat ea quæ ſunt Domini, ſi firmus habet poteſtatem propriæ voluntatis. Et quam hoc ſit difficile norunt hominum plurimi, & res & ipſa loquitur experientia & hæc omnia generalia dicta eſſe à Paulo tam Laicis quam

quam Clericis docet ipse textus. Audiamus ergo quid hac de re dicant quidam Patrum. Cyprianus epist. 62. ad Pomponium: *Quod si ex fide se Christo dicaverunt, pudicè & castè sine ulla fabula perseverent; ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent: si autem perseverare nolunt aut non possunt, melius est; ut nubant, quam in ignem delictis suis cadant. Quisquis illos effectus frænare non potest*, inquit Lactantius, *cohibeat intra præceptum legitimi tori, nam honorabile est inter omnes conjugium & cubile impollutum. Scortatores autem & adulteros judicabit Deus. Ædificavit Deus è costa*, inquit Basilius, *quam accepit mulierem. Consensum & pudicitiam creatio ista docet: qui viro unam aptans mulierem, pudicitiæ legem tulit. Nihil prodest*, inquit S. Hieronymus, *carnem habere virginem, si mente quis nupserit. Non omnes capaces sunt hujus dicti, sed ii quibus datum est*, inquit Christus. *Attamen beatior*, inquit S. Paulus, *si firmus in cœlibatu maneat*, & præsertim presbyter. Quare Concilium Agathense can. 19. *Sanctimoniales, quamvis vita earum & mores probati essent, ante annum ætatis suæ* 40 *velari vetabant.* Ego observo antiquam in Ecclesia receptam consuetudinem, ut plerique Clerici & ferè omnes, ut Episcopi, presbyteri, Diaconi vixerint cœlibes, moti, ut credo, rationibus S. Pauli, & præterea post susceptos ordines, non licuisse uxorem ducere, si autem quis in Laico statu ante susceptum ordinem uxorem duxisset, uxorem servare potuisse. Prohibuit matrimonium Clericis majoribus Concilium Eliberinum, Neocæsariense, Arelatense, Carthaginense, Concilia particularia, & post ea Siricius & Innocentius Episcopi Romani. In Ecclesia Orientali fuit permissum, ut refert Socrates lib. 5. cap. 21, & alii. Si hæc fuisset institutio Apostolica aut traditio Ecclesiæ universalis, fuisset etiam observata in illis Orientis & Græciæ Ecclesiis, in quibus Apostoli Petrus, Ioannes, Paulus, & reliqui Apostolorum discipuli Euangelium Christi prædicarunt. Quicquid sit, fuit sanè insignis & præclara consuetudo apud eos Clericos, qui per donum continentiæ suas cupiditates potuerunt cohibere, originem ducens ex verbis S. Pauli & persecutionibus subsequentibus.

Tria genera Digamorum statuit Justellus in notis ad Codicem canonum universæ Ecclesiæ, ut videre est de Novatiani schismate pag.

311, quibus negatur presbyteratus apud Paulum 1 Tim. 3. his quartum addit Epiphanius in hoc fidei compendio seu expositione, & hæresi 59 de Catharis, quo quis mortuâ priore uxore, ducit legitimam secundam. *Vnus Theodoretus*, inquit Petavius in sæpe dictis animadversionibus, *solos digamos, qui plures simul uxores haberent, ad Apostolo repudiatos sentire videtur.*

Epiphanius sacros conventus aut Synaxes feriâ quartâ & sextâ & Dominicâ ab Apostolis institutas dicit, sed *in sacra scriptura* & apud Justinum Martyrem apologiâ secundâ tantum fit mentio diei Dominicæ. Tempore quadragesimæ fiebant conventus seu synaxes feriâ quarta & sexta, sed sine communione, seu Cœnæ celebratione, exceptis Sabbatis & Dominicis. Apud diversas nationes diversi fuerunt observati conventuum ritus, quæ varietas facta non fuit ex præscripto Apostolorum, sed ex privato cujusque Ecclesiæ ritu. Vetustissimis temporibus eadem & communis omnium Ecclesiarum, ut par est credere, fuit consuetudo, qualis describitur à Justino Martyre, sed languescente populi zelo & pietate, paulatim ea mutata est. Tempore Apostolorum & discipulorum eorundem vix credibile est fuisse conventus sine communione, universi populi; Postea & serius ter quaterve quotannis, festis nimirum Paschatis, Pentecostes & Natalis Domini, &c. fideles ad communionem compellebantur. Vide varias synaxeos celebrandæ consuetudines apud Socratem lib. 5. cap. 21. Sozomenum lib. 7. cap. 19 Ambros. serm. 34. Agathensis Concil. can. 18 & 47. Petavium in animadv. ad exp. fidei Epiph.

Epiphanius dicit institutam synaxin feriâ 4. quod illo die assumtus seu comprehensus fuerit Christus, cum comprehensus fuerit feriâ quintâ sub vesperum & feriâ sextâ crucifixus, vel secundum Iudæos, eodem die fuerit captus & crucifixus. Verior hujus institutionis caussa est, ob initum à Iudæis eo die consilium de perdendo Christo, ut habet August. ep. 86. ad Casulanum: feriæ sextæ jejunium est ob passum eo die Christum. Hæc jejunia vocantur stationes seu semijejunia apud Tertullianum & alios, cum ante nonam, nobis tertiam, non prandebant: sub finem hujus stationis seu jejunii populus communicabat: tempore verò quadragesimæ diebus Mercurii

curii & Veneris illi conventus ſtationum etiam obſervabantur, ſed integro jejunio & ſine communione, ut diximus. vide Petavii animadverſ. in exp. fidei. de ſtationis etymo.

At verò, inquit Epiphanius, *alia myſteria de Lavacro & internis myſteriis*, id eſt, de Baptiſmo & cœna Dominica, ὡς ἔχει ἡ παράδοσις τοῦ εὐαγγελίου καὶ τῶν Αποστόλων οὕτως ἐπιτελεῖται: *velut habet traditio Euangelii & Apoſtolorum, ita perficiuntur.* Hæc Græca ita tranſtulit doctiſſimus Petavius: *ea ritibus illis & ceremoniis obeuntur, quæ ex Euangelio, & Apoſtolorum auctoritate, & traditione profecta ſunt.* Differentiam verſionis ejuſque cauſſam animadvertit Lector. Sic pergit Epiphanius: *In his autem eorum qui vita defuncti ſunt tam ſancti, quam reliqui fideles, ex nomine*, ſeu nominatim, *memorias*, ſeu cõmemorationes *faciunt, orationes & myſteria perficientes. Veriſſimum eſt*, inquit Voſſius, *orationes & oblationes non in funeratione ſolùm, ſed anniverſariâ etiam die jam à nato Chriſto tertio quartoque minimum ſeculo fuiſſe uſurpatiſſimas.* Ubi modum orandi pro mortuis ex Dionyſio Areopagita refert. *Orationes pro mortuis antiquitus erant* εὐχαριστικαὶ καὶ ἐγκωμιαστικαὶ, inquit idem Voſſius; *ut eadem in his cauſa habeant locum, ob quam acta Martyrum deſcribi & referri ſolere auctor eſt Baſilius oratione pro Gordio martyre, ubi ſic ait*: Δοξάζομεν πρῶτον τὸν δεσπότην &c. *Glorificamus cum primis Dominum per ſervos ſuos, deinde juſtos per teſtimonium eorum quæ ſcimus, laudamus: & populum per honeſtè factorum narrationem exhilaramus. Nam exhortatio ad temperantiam eſt vita Ioſeph, & ad fortitudinem vita ipſius Sampſonis. Sed imprimis clarè, cur nomina defunctorum ad menſam Domini recitarentur aperit Epiphanius hæreſi* 75. ἔπειτα δὲ περὶ τοῦ ὀνόματα λέγειν τῶν τελευτησάντων, *&c. Deinde verò de eo quod nomina dicuntur defunctorum, quid hoc inſtituto fuerit præſtabilius? quid hoc oportunius, & admirabilius? tum quod qui adſunt credunt defunctos vivere, neque eſſe in* ἀνυπαρξίᾳ, *hoc eſt, conditione eorum, quæ eſſe deſierunt: ſed eos eſſe & vivere apud Dominum, & (ut maximè veneranda prædicatio declarat) ſpem eſſe iis, qui orant pro fratribus ac ſi in peregrinatione eſſent.* Et paulò poſt: *Sed & mentionem facimus pro juſtis & Patribus & Patriarchis & Prophetis, & Apoſtolis, & Euangeliſtis & Martyribus & Confeſſoribus, Epiſcopis & Anachoretis & ordine univerſo, ut Dominum Ieſum ſeparemus ab aliorum hominum ordine, propter honorem qui debetur ipſi, & ut gloriam reddamus ipſi &c.*

Voſſius diſp. 25. de oratione & oblat. pro defunctis.

Pag. 487. lin. 8. Hæc habet Godavius lib 4. pag. 683. *Le venerabile culte fuit les extremitez, & il ny á qu'en celuy de Dieu, ou on ne ſçauroit commettre d'exces, puis qu'il eſt au deſſus de toutes les adorations des hommes. La vierge ne peut ſe plaire á l'honneur qui ravit quelque choſe á celuy, devant qui elle ſe conſidere comme un neant, & il faut deplorer l'ignorance des derniers ſiecles, ou ſous pretexte de devotion vers la mere du Fils de Dieu, le peuple á paſſé les bornes de la veritable pieté, laquellé ne cognoit point ces exces de louanges & de titres, ni ces devotions, que la ſimplicité, ou l'intereſt, introduiſent peu á peu dans l'Egliſe ſi on n'y prend garde. Les premiers ſiecles ont eu autant de cognoiſſance des grandeurs de la mère de Ieſu Chriſt, & un auſſi grant reſpect pour elle, que le noſtre. Mais comme leur pieté eſtoit plus ſolide, ils ſe ſont bien gardez dans leur culte, de rien dire d'elle, ni de rien faire en ſon honneur, qui diminua celuy qui eſt deu á ſon Dieu & au noſtre, & dont elle eſt ſi jalouſe, qu'elle ne peut recognoiſtre pour ſes ſerviteurs ceux, qui paſſent en cela les termes preſcrits par la Verité. L'Egliſe Catholique n'appreuve point la ſuperſtition des peuples en ce ſuiet, & ceux qui ſe ſont ſeparez d'elle, ne doivent pas prendre pour ſa creance, ce que les particuliers peuvent ou dire, ou eſcrire, ou faire, contre ſes veritables ſentimens, leſquels eſtant bien entendus, ne font point d'iniure á la gloire de celuy, qui voulant eſtre loüe en ſes ſaints, le veut eſtre d'une façon particuliere dans celle, qui á merité par la pieté de ſa foy, comme dit S. Auguſtin, de concevoir celuy qui eſt le Sanctificateur & le Dieu des Saints.* Vide hiſtoriam Eccleſiaſt. Tornielli part. 2. pag. 361.

Modus diligendi Deum eſt. ſine modo diligere Deum. Bernard.

Pag. 501. Godavius hæc habet de S. Urſula cum virginibus Britannis lib. 4. pag. 736. *Cette hiſtoire eſt accompagnée de circunſtances manifeſtement fauſſes, entre leſquelles les nom du Pape Cyriacus, qui ne ſe trouve point dans le catalogue des Pontifes Romains, ſufit pour rendre cette narration tout á fait ſuſpecte, outre le nombre de ces Vierges, leur voiage de Rome, leur retour avec le Pape ſupoſé á Cologné. l'Egliſe celebre la feſte de S. Urſule le vingt unieſme du jour d'Octobre, ſans determiner ni le nombre de ſes compagnes, ny la cauſe de leur martyre & i'eſtime qu'il en faut demeurer la. Dans pluſieurs Egliſes de France on voit des teſtes, que l'on dit eſtre de ces vierges. Celle de Graſſe en conſerve une depuis pluſieurs ſiecles, & elle eſt percée d'un coup de fleſche.*

Mais

Mais ie n'ay pu trouver aucun titre pour la justifier. Vide etiam de hac Ursula & Papa Cyriaco judicium Godavii inter hæc nostra addenda ad pag. 303.

Pag. 504. lin. 8. Amphilochius, Episcopus Iconiæ, cum videret Imperatoris erga hæreticos benevolentiam, accedit in aula Theodosium, ubi etiam aderat Arcadius, Imperatoris filius; & cum neglecto filio salutasset Patrem, monet Episcopum Theodosius, ut etiam filium salutaret: respondet Episcopus, sufficere si tantum honor exhibeatur Patri. Quod cum ægrè ferret Imperator, respondet Amphilochius; Deum patrem etiam ægrè ferre, quod filio suo multi blasphemi non tribuant veram divinitatem. *Theodoretus lib. 4. cap. 15.*

Pag. dictâ, lin. 23. Liber Pontificalis seu de gestis Pontificum, *qui tribuitur Damaso, non est Damasi Papæ, sed auctoris cujusdam ejusdem nominis, & ignorantis & stolidi, qui eum replevit multis parachronismis & rebus frivolis, indignis viro prudente & sincero.* Godavius. vide nostræ historiæ parte 1. pag. 302.

Pag. 508. lin. 9. Repudium in persona Episcopi eligendi ex jure Novellarum Justiniani hoc est, ut sit cœlebs & orbus: id est, ut neque uxorem habeat neque liberos. Hoc jus non solum constitutionibus duabus Græcis, quæ sub *tit. C. de Episc. & cler.* olim collocatæ hodie desiderantur, Justinianus cavit, sed etiam repetiit *n. 6.* additâ pœnâ tam in eum qui ordinatus fuerit, cum esset maritus & Pater, quam in ordinantem. Pœna est privatio Episcopatus. Hac in re studuit Imperator utilitati Ecclesiarum & facultatum ejus: nam si mariti & patres ad Episcopatum admitterentur, metuendum existimabat, ne talis Episcopus affectu erga Uxorem & liberos, quos unicuique natura voluit esse carissimos, diriperet bona Ecclesiæ & ad privatas suas necessitudines caritatesque transferret. Sed Leo Imperator (*dictus Philosophus*) in Novell. 2. hâc ratione impulsivâ, quæ Justinianum movit, eruditè refutatâ, ipsius constitutioni perpetuum indixit silentium, & contra voluit nemini liberos legitimos impedimento esse debere, quo minus ad sacerdotium & Episcopatum promoveatur; dummodò aliàs dignus inveniatur. Ex quo apparet hanc interdictionem in Orientali Ec-

clesia non diu durasse, unde etiam disertè fatetur Innocentius III. *in cap. 6. cum olim ex. de Cler. conjugat.* Ecclesiam Orientalem non admisisse votum continentiæ in Ordinibus sacris. Idem Leo *Novell.* 3. nec maritos arcet ab Episcopatu, dummodo ante Episcopatum seu sacerdotium contraxerint matrimonium, quam ad rem etiam veteris Ecclesiæ morem allegat. Videri possunt præter Canones Apostolicos, multi etiam in Decreto Gratiani canones sub *dist.* 26. 27. 28. 29. *&* 31. Inprimis verò memorabilis est vel propter historiam sanctissimi viri Paphnutii *canon.* 12. *Nicæna Synodus dist.* 31. Eaque sententia est multò sanior & tutior quam aliorum, qui votum perpetui cœlibatus in sacerdotibus atque Episcopis promiscuè omnibus exigunr, sive illi confidant se promissum servare posse, sive impossibile ipsis sit servare cœlibatum & castitatem. Manifesta enim & generalia sunt verba Pauli, quæ nullâ se patiuntur ratione eludi, quod præstat nubere quam uri. Equidem fateor Virginitatem & cœlibatum idcircò esse aptiorem rebus divinis, & matrimonio præstabiliorem, quia minus adfert impedimentorum, quibus homo à cultu divino exercitiisque sacris animæque suæ cultura avocetur. quod satis demonstrat Paulus 1 *Cor.* 7. cujus etiam auctoritatem secuti plurimi sancti Patres, virginitatem matrimonio antepofuerunt, sed ob id promiscuè id ab omnibus hominibus velle exigere, ut in cœlibatu vivant, si aspirare & admitti ad Episcopatum vel clericatum, aut etiam retinere velint, valdè est periculosum, cum non omnibus datum sit donum continentiæ, etiam Christo teste, *Matth.* 11. 12. Ita verò extollere virginitatem, ut etiam præ illa vel contemnas vel etiam condemnes conjugium, illa & hæretica est sententia, & anathemate digna. Probatur hoc ex ipso jure Canonico *c.* 3. *c.* 4. *c.* 12: *dist.* 30 *& c.* 8. *dist.* 31. ex Concilio Gangrensi &c. quibus consimilia etiam inter Canones Apostolicos legas. *Rittershusius in Novellas Iustiniani & aliorum Imperat. part.* 1. *cap.* 7.

Pag. 509. lin. ultima. Sic narrat hanc de Paullino historiam Godavius lib. 4. pag. 801. aut sect. 71. *Il demeura quelque temps à Rome, avant que de faire le sacrifice general de ses biens, pour se retirer au territoire de Nole, ou la devotion de Martyr Saint Felix l'attiroit; & il se*

il se plaint dans un epistre à Severe des persecutions, que lui avoyent faites les Clercs de l'Eglise Romaine, par lesquels seuls il dit avoir esté scandalisé. Il parle de la superbe separation, qu'avoit faite de luy le Pape Urbique (il veut dire Siricius) & on ne sçait parquoy il avoit pu exclure de son amitie un si grand homme; si ce n'est que l'on vuëlle se payer des excuses, que le Cardinal Baronius en allegue. Et : *Quoy qu'il en soit, le mauvais tractement de Siricius ne lui fit pas beaucoup de mal, & ne put empescher que dans sa maladie il ne fut visité par toutes personnes de condition, qui estoient dans Rome, & dans son voisinage. Plusieurs Evesques eloignez le vinrent visiter, l'autres qui ne peurent luy rendre cest honneur, luy escrivirent, ou luy envoyerent des deputez. Il en receut mesme de la part de Prelats d'Afrique. Ces tesmoignages d'honneur donnerent de la jalousie aux prestres de Rome, & furent cause des peines qu'ils luy firent, dont il ne se vouloit venger, qu'en quitant une Ville, ou la Vertu estoit si mal traittè par ceux, qui la devoient honorer plus religieusement, que les autres.*

Pag. 552. lin. 20. S. Hieronymus, Angelos in Apocalypsi cap. 2. vocat *Ecclesiis Præsidentes*: S. Augustinus epist. 162 sic loquitur: *divinâ voce laudatur sub Angeli nomine Præpositus Ecclesiæ*, ne plura addam, audiamus Tertullianum lib. 4. cap. 5. adversus Marcionem: *Habemus*, inquit, *alumnas Ioannis Ecclesias: nam etsi Apocalypsin ejus Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum ad originem recensus in Ioannem stabit auctorem.*

Pag. 596. lin. 23. Opposuit idem Maresius an. 1658. ἐπίχειον *Theologicam ad quæstiones de gratia & redemptione universali* in duodecimo constantem 10 exercit. *adversus Ioannis Dallæi Apologiam*, quibus addidit *stricturas ad verbosissimas*, ut loquitur, *ejusdem vindicias.*

Pag. 601. lin. 14. Multa doctissimorum Theologorum Consilia Irenica per Ecclesias Euangelicas ad Ioan. Duræum missa, & alia præterea insignia doctorum virorum scripta pacifica (qui omnes inter Confessionis Augustanæ & reformatæ religionis Theologos controversias, hactenus tanto animorum impetu utrimque disputatas, non esse ad salutem necessarias censent, & multis rationibus probant) benevolus & pacificus Lector videre poterit inter secundæ partis addenda in fine: ubi unusquisque bonus admirabitur,

& ambabus ulnis amplexabitur seculi hujus felicitatem, cum conspiciet innumera ferè plurimorum & eruditissimorum virorum, per universam Europam, communi quodam consensu ad concordiam Ecclesiasticam conspirantium & quasi conjurantium scripta præclarissima: cujus instituti prosperos successus ut largiatur pacis amantissimus Deus, frequentibus & flagrantibus precibus est orandus, &, quasi manu factâ, violentis orationibus, crebris geniculationibus & sanctis jejunationibus, cum Eleëmosynis & lacrymis nostris, exorandus. Hæc *cœlestia* quondam erant *Christianorum arma*, ut loquitur B. Cyprianus. Sic armati, *ad id, quod obnixè peterent, concedendum, Deum quasi perpellebant. Hæc vis Deo grata est*, inquit Tertullianus.

Index Addendorum.

A.

Aggæus Propheta de tempore venturi Meßiæ. 6.
Agapæ sequebantur Eucharistiam. 8.
Ananias eligitur Episcopus Alexandriæ. 10.
Azymi panis usus in Eucharistia recens. 19.
Anastasius de vitis Pontificum incertus scriptor. 21.
Arelatense Concilium moderatur quæstionem de rebaptizandis hæreticis. 26.
Aureliani Imperat. judicium obscurum apud Eusebium contra Samosatenum explicatur. 26.
In Antiochena synodo Arriani. 36. 26
Antiochena synodi quatuor Canones inserti Concilio Chalcedonensi. 27.
Athanasium tolli jubet Iulianus. 28.
Amphilochii responsum Theodosio Imper. datum de honore personæ Christi. 33.
Angelus in Apocalypsi. 35.

B.

Baptismus fit tempore Epiphanii juxta traditionem Euangelii & Apostolorum. 31.
Baptismus Christi Trinitatē docet. 6.

C.

Cyriacus Papa fictus. 22.
Charitas Christianorum paulatim languescit. 24.
Constantini lepra curatio est suppositia. 25.
Constantinus baptizatur sub finem vitæ 25.
De Cruce & clavis Christi. 26.
Constantini donatio ficta. 26.
Cœlibatus Clericorum. 28.
Cœna Dominica anno C. 373, celebrata juxta Euangelicam & Apostolicam traditionem. 31.
Christus à paganis dictus Chrestos. 9

D.

Discipulorum Petri & Pauli incertitudo. 20. & 21.
Donatio Constantini suppositia. 26
Digamorum quatuor genera. 29.
Pro defunctis preces. 31.
Dallai Apologia respondet Maresius. 35.
Duræi Irenica. 35.
Diaconorum officium. 7. 8.
Deus Ignotus. 9.

E.

Eucharistiam sequebantur Agapæ. 8.
Epiphanii judicium de Euangelio Ioannis. 15.
Ecclesia Apostolica facies. 16.
Episcoporum ordinatio. 20.
Eucharistia tempore Epiphanii fit juxta traditionē Euangelii &c. 31
Esaia cap. 53. per Rabbinos explicatur de Meßia. 5.

F.

Non Festi dies, sed quæ iis denotantur, observanda. 6.
Firmilliani Epistola de Stephano Episcopo Romano vehemens nimis. 23.

G.

Gentiles observarunt tempus paßionis Christi. 6. 7.
Gradus pœnitentiæ in primitiva Ecclesia

Ecclesia & ejusdem mutatio sequentibus seculis. 19.

H.

Herodis familia brevi perit. 6.
Herodis Agrippa subita mors. 8.
Hierosolymorum excidium, mortuorum numerus. 14.
Historia Vrsula ficta. 22. 32.

I.

De Ioannis Euangelio judicium Epiphanii. 15.
Iejuniorum diversitas in primitiva Ecclesia 16.
Iejunia feria quarta & sexta 19.
Iulianus tolli jubet Athanasium. 28.
Irenica Durai. 35.
Iudaeorum secta tres. 5.
Indulgentiarum initium. 19.

L.

Leontius presbyter seipsum castrandum dedit. 26. & 27.
Liberius Papa lapsus ad fidem redit. 27.

M.

De Messia explicatur cap. 53. Esaiae per Rabbinos. 5.
De Messia venturo Aggaeus. 6.
Marco mortuo, eligitur Ananias Episcopus Alexandrinus. 10.
Mortuorum numerus in obsidione Hierosol. 14.
Pro mortuis preces & oblationes. 31.
S. Mariae virginis in primitiva Ecclesia cultus. 32.
Matrimonium Clericorum. 28. 33.
Maresius respondet Dallaeo. 35.
Montes amat Christus. 7.

O.

Ordinatio Episcoporum. 20.
Pro Origine Apologia. 22.
Otii Sabbatici superstitio. 18.

P.

Paulo Ecclesiam vastante disperguntur discipuli. 8.
Pauli natalis & educatio. 9.
Paulus in tertium Coelum raptus. 9.
Paulus quando ita dictus. 8.
Paulus Athenis disputat cum Philosophis. 9
Pauli praedicatio & adventus Romam. 11.
Petri adventus Romam. 11.
Petrus & Paulus Romae sub Nerone martyrio moriuntur. 13.
Paschale jejunium. 16.
Poenitentiae gradus, ejusdem mutatio. 19.
Preces pro mortuis. 31.
Paulini Romae male accepti historia. 34.

R.

Romani Episcopi auctoritas primis seculis. 26.

S.

Secta Iudaeorum tres. 5.
Scriptores incerti in primitiva Ecclesia. 14.
Sabbaticum otium. 18.
Septennii intervallum inter Iohannis Euangelista obitum & Trajani persecutionem indicat faciem Ecclesiae Apostolicae. 16.
Stationum institutio. 30.
Synaxes sine communione. 17. 30.
Synaxes variae. 17. 30.
Synaxes feria quarta & sexta. 19.
S. Scripturae translatio incerti auctoris. 22.
De Stephano Episc. Rom. Firmilianus. 22.
Stephanus Antiochenus homo nefarius. 27.

T.

Temporum divisio. 3. 4.
Tempus passionis Christi observarunt Gentiles. 6. 7.
Trinitatem indicat Christi baptismus. 6.

V.

Vrsula historia supposititia. 22. 32.
Vita Pontificum non sunt Damasi nec Anastasii. 21. 32.

F I N I S.